SEBASTIANI GIRIBALDI
OPERA
MORALIA.

Digitized by Google

SEBASTIANI GIRIBALDI

Ex Clericis Regularibus Barnabitis
Congregationis S. Pauli

OPERA MORALIA

PARS PRIMA

DE SACRAMENTIS.

Additis in Nuperrima hac Editione pluribus ſuis ſignanter locis diſtributis ex Edictis, Decretis, ſeu Inſtitutionibus, atque Bullis SS. D. N.

BENEDICTI XIV.

STUDIO ET LABORE

ANTONII GIANDOLINI

SACERDOTIS VENETI.

OPUS

Non minus Confeſſariis perutile, quam Parochis neceſſarium.

TOMUS PRIMUS.

BONONIÆ: CIↃ IↃCCLX.

Sed proſtat

VENETIIS

Apud Nicolaum Pezzana.

Digitized by Google

Nonnulla quæ ad Auctoris ſpectant Notionem.

SI, quemadmodum vel ab Editionis hujus initio ſum tibi, ſtudioſe Lector, pollicitus, quæcumque de Sebaſtiani Giribaldi, Operis hujus Auctoris, Vita, ſciri, colligique poſſent, me exhibiturum, fideliter nunc tibi, & ut par eſt, præſtare minime vides; ſatis ſuperque excuſatum, ut ſpero, me reddent, quæ publice in ſermone feruntur; in eam ſcilicet univerſam S. Pauli Venerandam Congregationem deſcendiſſe ſententiam, ut ex Suis cuidam eruditiori onus committeretur eximium, acta omnium vel pietate, vel doctrina perilluſtrium Filiorum ſcribendi. Statim itaque, ac ſenſi, Noſtri non minus, quam aliorum, Auctoris geſta non multo, ab hinc tempore doctiſſimo conſcripta calamo prodituri; mutata opinione in aliud me verti, nec promiſſis meis, ut profecto oportebat, mihi ſtandum putavi: id tantummodo in mea hac Editione contendens, ut perbrevem Viri tanti traderem, & qualemcumque notionem, per quam pondus operis dignoſci poſſet. Satis itaque hoc habe, benigne Lector, me hic ea omnia ſolummodo apponere ſtuduiſſe, quæ in prima Editione hinc, atque illinc ſparſa, vel ab Auctore ipſo, vel ab iis, qui rem in Editione ipſa habuerunt, qua fieri potuit brevitate, atque perſpicuitate ſum ita complexus.

Sebaſtianus Giribaldi Natione fuit Genuenſis, eumque probis, honeſtiſſimiſque Parentibus procreatum, Portus protulit Mauritius, vulgo Porto Moriſo, vel ut ab Antonino Portus Mauri, nomine magis, quam re Portus. Floruit circa finem jam elapſi Sæculi, & Congregationem ingreſſus Sancti Pauli, Bononiam a Superioribus miſſus, inter Sacræ Pœnitentiariæ ipſius Civitatis Theologos adſcitus fuit, quo in munere per viginti ſeptem annos ita & ſcientia, & prudentia, & morum pietate, atque laborum conſtantia, & aſſiduitate commendatum ſe præbuit, ut nihil vel a Civibus, vel ab Exteris, qui univerſi ab ejus ore pendebant, deſiderandum relinqueret. Quæ, & quanta ſit in hac diutina exercitatione perfunctus, haud obſcure ipſemet aliquo modo de ſe teſtatur, in prima præſertim ex ſuis Præfationibus appoſita ad primum primæ Editionis Tomum Bononiæ impreſſa anno 1706., quam ſic integram, & ut jacet, hic tibi, benigne Lector, ob oculos ponendam curavi, certiſſime ratus, non levem te inde tanti viri decerpturum notionem.

Præfatio Auctoris.

SI umquam minus perfecti Auctor Operis venia dignus, & excuſatione præla fatigavit, ego plane is ſum, amice Lector, eumque judicabis, ubi judicii motiva perpenderis. Hæc autem proculdubio ſtatim probabis, ac meæ vitæ methodum obſervaveris. Primum in noſtri Pœnitentiarii munere obtinet locum quotidiana reſidentia in Auguſtiſſima Metropolitana ad Pœnitentiæ Tribunal innumera prope multitudine ex ampliſſima Diœceſi, alienaque plebe adeo confluente, ut ſi ad denorum numerum Sacri duplicarentur Miniſtri, ad multiplicatas horas, vel anticiparet, vel potraheretur dies, in aperitione Portarum Æternalium numquam otiarentur Petri Claves; etiam Petri Germano, noſtri Domicilii Patrono, ingreſſum aperiente Pœnitentibus ad proprias Ædes, ubi plura erecta Tribunalia ſtant privatæ accedentium commoditati. Sacro Miniſterio damus præcipue horas matutinas; tempus ſcilicet ſtudiis opportunum, prima luce haud raro excipiente laboraturos, laſſatos ſæpius dimittente meridie, capite in partes collabente. Deſcriptæ occupationi in Eccleſia nihilo levior ſuccedit domi in ardua Provincia, dum nomine Purpurati Inquiſitoris ad ea, quæ typos petunt, facultatem facimus, vel obſtamus. Mater Studiorum in ſapientibus filiis fœcundiſſima amplam præſtat REVISORUM judicio materiam per Poeſim, per Theſes, per omnia Scientiarum, & Artium genera, in Foliis, Liberculis, & Voluminibus. Rem plenam periculi fecerunt hæc tempora, quibus ut deſudarunt Typographi Libris edendis, quos non ſine diſcrimine rei Catholicæ, forte minus cauta non reprobavit cenſura, nodum quærere in ſcirpo monemur, jubemur, tenemur: injuſtas hinc querimonias, & injurioſa linguarum tela ſæpe patientes, ac tolerantes. Sive autem Domi, ſive in Templo reſidentes, quoties Archiepiſcopalis Palatii opus vocat ad obſequia, quibus deſtinamur voce, ſcripto, opere, conſilio, ſurgimus parati; ut publicas illas, & ordinarias Congregationes reticeam, ubi ad Ordines ſuſcipiendos, ad excipiendas Confeſſiones, & Promovendorum ad Eccleſias Parochiales concurrentium virtus probatur. Alumni Pauli, ideo ſapientibus, & inſipientibus debitores, ad pietatem, & Sacram Doctrinam Clericis erudiendis, dirigendis Confeſſariis, juvandis Parochis, Sanctimonialium, & Nobilium famulatui, Civibus, Plebi, & omni Perſonarum generi adſumus opportune; Urbe, ac Diœceſi magnum caritati theatrum reſerante. Ad has Pœnitentiariis communes curas, patere Lector, ut peculiarem aliam mihi incumbentem deſcribam, cui multi temporis refero uſuram. Decennium jam effluxit, ex quo faſtidiendum non minus, quam laborioſum onus ſubivi. In cauſſis Matrimonialibus, ut & in aliis pleriſque, meum, etſi minimum, jubeor votum proferre. Hinc moleſta gravatis aliunde auribus perſtrepit campanula Collegii, manu multiplici incenſanter pulſata. Inſtat ille moræ minus patiens pro contractu ineundo; contractus jam initi poſtulat hic ſolutionem; Sponſam conqueritur quidam ſibi ex promiſſo debitam alieno thalamo deſtinari; deſtinandam exclamat alius a data fide receſſurus. Violentiam præpotentium, conſanguineorum artes, inimicorum dolos, dedecus familiæ, honeſtatem periclitantem, ventres tumentes, aliave legi obſtacula cauſſantur plerique, ut contractus minime promulgandi fiat poteſtas. In hoc negotio nec umquam quies, nec ullibi, præſertim ubi res agitur cum ignaris, vel fraudulentis, vel ingenii pertinacibus. Patet perpetuo porta cubiculi venientium, & redeuntium tabellionum, vel teſtium, fautorum, vel promotorum, fluxui, atque refluxui. Unde ut plurimum fit, ut urgente me ad Theologicas materias properantem calamum, idem cogatur ſiſtere gradum, præconcepto phantaſmate ex interjecta mora, vel pereunte, vel perturbato. Infinitus ne ſim, aliis parco, quæ tamen ſi pateremur, vel gravioris ponderis, vel magis multiplicata, levia reputaremus, novis libenter ſucceſſuri laboribus, præmium faciente ſupra condignum CLEMENTISSIMI PRINCIPIS benigniſſima acceptatione, cujus ad nutum omnes movemur, & ſinguli, cujus imperio famulari, & obſequi inter præcipua fortunæ beneficia connumeramus. His perpenſis, haud ægre credes, Lector benevole, ſarcinando huic Operi me coegiſſe ſemi-horas, quadrantes, momenta. Ergo quid de textura, vel partium harmonia placiturum ſperaverim per tot, ac tam

inter-

interrupta fragmenta temporis integratum? Et, ut verum integre fatear, deficientis texturæ ecce aliam, immo primævam. A primi diebus mei Miniſterii multiplici facere materiam ſtudio occurrentes quotidie Caſus, pro quibus ſollicitabar ad reſponſa. Hæc variis excepta chartulis occupatiſſimæ Cameræ varios diu occupavere ſitus. Poſt annos aliquot collegi diſperſa, & in aliquam molem excreverunt collecta. Tum vero inſinuare, primum, & conſulere, & conſilia, me faſtidiente, augere, & perſtrepere amici, ut tam prope abſolutos labores, ex facili adjectione methodi, ac deficientium Quæſtionum complete integrandos, facerem publici juris. Inceſſantibus, importunis vehementibus ſuaſionibus tandem acquievi. Hæc ſincere dixerim, Amice Lector, ut in partu adulto ſine cunabulis, ad membra infirmo nexu cohærentia, ad corpus minus perfecte organizatum non hæreas, quin potius benignus Cenſor in Opere examinando errata corrigas, & mitem feras cenſuram. Vale.

HÆc tibi nunc ſufficiant ad eum aliquo modo agnoſcendum: cetera ſuo ex ordine ſimul collecta, omnibuſque elegantiæ, ac eruditionis numeris abſoluta videre jam poteris, cum clariſſimorum ſuæ Congregationis Virorum prodibunt geſta. In decrepita jam ætate, cum magis ceterorum conſuleret utilitati, quam ſuæ, ſenio non minus, quam labore confectus, piiſſimus, ſapientiſſimus, & de Bononienſi Eccleſia potiſſimum meritiſſimus vir in ipſo Pœnitentiarii munere obiit anno 1720. *menſe Martio, univerſo Civitatis Clero, ne dicam & Patribus, & Civibus æque de morte ipſius acerbe mœrentibus; in hoc recreati ſollummodo, quod, eo adhuc mortuo, glorioſum vivet apud poſteros in hoc eodem Opere nomen, in cujus potiſſimum ſtudio ii omnes, qui Moralis Theologiæ operam navare deſiderant, nunc etiam quam libentiſſime, maximaque utilitate verſantur; & de quo ſatis juſta non deſunt elogia apud magis emunctæ naris viros, præſertim apud celeberrimum Rottarium, & apud eruditiſſimum Bartholomæum Ceſi J. V. D. Coll. Proton. Apoſt. S. Petronii Archipresbyterum, & Canon. SS. Inquiſitionis Conſultorem, & Synod. Examinatorem, quæ utraque tibi fideliter ſic hic ſubjicio.*

LECTORI BENEVOLO.

IN, ſtudioſe Lector, tamdem aliquando, quod tibi tamdiu, & tanto ſtudio fuit exoptandum. Opus tandem ex Typis meis nunc prodit, quo, ſicuti nec commodius quidpiam, nec quidpiam utilius tibi offerre; ita nihil in ipſa exercitatione, & labore, jucundius, vel dulcius mihi contingere ullo modo poterat. Habet ipſum certe, ſi bene perpendis, habet inquam, quod voluptatis quodammodo Paradiſum nobis poteſt reſtituere, lignum ſcilicet vitæ, lignumque ſcientiæ boni, & mali: hæc eſt Moralis Scientiæ Inſtitutio a Sebaſtiano Giribaldo ſingulari quadam omnium approbatione jam antea tradita, & nunc novis additamentis omnium Inſtitutionum, Decretorum, atque Bullarum Sanctiſſimi D.N. BENEDICTI XIV. vel ampliata, vel confirmata. Eam habes nempe, quam Salutis Scientiam Propheta vocat; eam, quam tamquam lucernam pedibus noſtris eluſcecere voluit Deus; eam denique, quam veluti morum parentem, atque magiſtram dedit nobis Supernus ille bonorum omnium Diſtributor, ut viæ noſtræ dirigantur, cum ad ſuas juſtificationes cuſtodiendas, tum ad mandatorum ſuorum ſemitas, ut par eſt, currendas. Nec vero inutile Opus hoc propterea voces, quod hanc ipſam Scientiam ad Naturæ Legem per ſe pertinere, neque traditam, ſed ingenitam, nec datam, ſed nobiſcum natam, vel hereditate acquiſitam, eſſe ſcias. Ut enim habet Divus Thomas in prim. ſecund. quæſt. 100. art. 1. *Præcepta omnia Moralia ad Legem pertinent Naturæ, ſed diverſimode; quædam enim ſunt, quæ ſtatim, & per ſe ratio naturalis cujuslibet hominis dijudicat eſſe facienda, vel non facienda, ſicut*: Honora Patrem tuum, & Matrem &c. Non occides: Non furtum facies &c. *Quædam vero ſunt, quæ ſubtiliori conſideratione rationis a Sapientibus judicantur eſſe obſervanda, & iſta ſic ſunt de Lege Naturæ, ut tamen indigeant diſciplina, qua Minores a Sapientibus inſtruantur, ſicut eſt illud*: Coram cano capite ſurge, *&*, Honora perſonam ſenis, *& alia hujuſmodi: quædam vero ſunt, ad quæ judicanda ratio humana indiget inſtructione Divina, per quam erudimur de Divinis, ſicut eſt illud*: Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem: Non aſſumes nomen Dei tui in vanum *&c.* Hinc quid mirum, ſi tot ſanctiſſimi, religioſiſſimique Viri, qui tamquam ſtellæ fulſerunt in Eccleſia Dei, enixis adeo viribus in hac ipſa Scientia toto vitæ ſuæ tempore operam navarunt tam ſedulam? Recenſe, ſi libet, in primis Aquinatem Solem, Bonaventuram, Raymundum, atque Antoninum; neque turbam magnam omittas aliorum, qui tamquam rivuli ab iis tam perennibus emanarunt fontibus, Suarez, Vaſquez, Leſſium, Coninch, Medinas ambos, Arriagam, Gaſtropalaum, Nugnum, Paludanum, Henriquez, Reginaldum, Surium, Vegam, Dianam, Tamburinum, Bonacinam, innumeroſque pene alios, qui pari ſtudio, ac diligentia in eadem toti ſeſe dicarunt. Perutile ergo ſtudium, quærendi propterea Magiſtri; faciliores, atque ſaniores eligendi; ſtatuenda methodus; ab illis præſertim, qui in ſortem Domini vocati exhibere ſe debent, ſicut Dei Miniſtros, & Myſteriorum diſpenſatores.

Habes hucuſque, benigne Lector, quo mentem meam, cum Tibi Morale hoc Opus offerrem, aſſequaris. Reſtat nunc, ut ex me præterea cognoſcas, quanam de cauſſa potiſſimum inter tot, ac tantos tum ex Veteribus, tum ex Recentioribus optime de Scientia hac meritos, Auctorem hunc elegerim. Audio ſiquidem multitudinem contra me obſtrepentem, & in opiniones varias contra novam hanc Editionem diſſidentem. Sunt quippe alii, qui cum genus hoc Doctorum, quos Caſuiſtas, vel Probabiliſtas accuſant, ab hominum memoria excluſum penitus velint, adverſum me ſuſurrare non deſinunt, quaſi re ſtabilientem, quod multis ipſi rationibus deſtruere nituntur; ſunt alii, qui cum nomen, ſtudiumque ſuum ex Veteribus cuidam dicarint; quaſi antiquitatis magis, quam veritatis amatores, Recentiorum nomina prorſus dedignantur: ſunt denique alii, qui ſuas cum velint Bibliothecas multitudine, & varietate locupletatas librorum, ægre ferunt fortaſſe nimis, in uno, eodemque volumine duos ſimul magni nominis confuſos Auctores. At hæc vide, benigne Lector, quam non reformidet, qui tuis potius conſulere amat commodis, quam pro-

priæ

priæ exiſtimationi: non modo nulla deterritus difficultate hoc feci, ſed & feciſſe lætor, & contra horum etiam opinionem, etſi vix pedes in Theologica arena defixerim, neque cum illis quoque modo vel exercitatione, vel ſtudioſim comparandus, iterum, iterumque innovarem. Mea quippe mens opitulari potiſſimum iis, qui opibus haud ſatis inſtructi, neceſſariam Fortium ſeriem ſibi comparare, ac ſelecta Librorum varietate Bibliothecas ſuas exornare nequeunt, iis, qui ſufficienti ingenii facultate minime adjuti, per opportunas inductiones, & Patrum, & Scripturarum, & Conciliorum auctoritates in unum collectas, veritatem aſſequi nullo pacto valent; iis denique, qui variis, laborioſiſque curis diſtracti, neque in pacifico otio conſtituti, haud multum temporis in percurrendis, conſulendiſque auctoribus conſumere poſſunt. Eſt ne tam rudis, atque ignarus aliquis, qui vere hoc neſciat, quot nempe a communi hominum ſocietate diſjuncti, vel in montana coacti, vel in ſylveſtres, & ſolitarias terras, ut Sacra plerumque miſerrimis illis incolis adminiſtrent, neceſſitate compulſi, pererrent, qui tamen ipſi vix auctorem unum (atque utinam unum!) poſſunt adire, quem in difficilioribus, implicatioribuſque caſibus conſulant, non ut profundis imbuantur doctrinis, ſed ut ſaltem Theologicus eis quodammodo panis frangatur? ceterum impediti vel ob inopiam librorum, vel ob exiguitatem ingenii, vel, quod in pluribus plerumque accidit, ob temporis difficiles anguſtias. At quomodo, Deus immortalis! in tot difficultatibus, ii inſuper Auctores tollendi, qui ſingulis, ac omnibus accommodati, peropportuna perſpicuitate, ac brevitate præſto ſunt, ſapientibus ſimul, atque inſipientibus de ſana doctrina, collectis in unum, quæ undique ſparſa, nonniſi ſummo ſtudio, longoque labore comprehendere vix pauci poſſent, teſtimonium reddentes?

En igitur qua de cauſſa, neglectis, haud tamen ſpretis, contrariis rationibus, in novam Giribaldi Editionem operam impendi, & ſtudium. Quicumque ipſe ſit vel Caſuiſta, vel Probabiliſta, is tamen eſt, qui & perſpicuitate in agendo, & methodo in ordinando, vel diſtribuendo, & brevitate in docendo, & facilitate in explicando, & gravitate, atque elegantia in ornando, nemini cedit, aliorum neceſſitatibus conſulit, omnibuſque opportunus arridet; quod mihi ex eo magis certum, quod duabus hucuſque productis Editionibus, ſolo quinquaginta circiter annorum curſu, rara admodum exemplaria, & inutiles pene ſtudioſorum perquiſitiones eſſe cernantur. Quod ſi quid vel debile nimis, vel minus aptum in doctrinis ejus audeat quis improbare; is quæſo remiſſius agat, cum eo præcipue, qui variis diſtractus curis non in omnibus potuit pari gloria, ut ipſemet de ſe fatetur, proficere; nec æque in Tractatu de Decalogi præceptis, ſeu de Contractibus, ac in altero de Sacramentis excellere potuit. Verumtamen eæ omnes, vel primo intuitu legenti unicuique doctrinæ ejus patebunt, quæ & eruditionum varietate nobilitari, & Decretorum vi, ac robore confirmari, non labefactari, vel everti queant. Eſt BENEDICTUS XIV., qui non modo eorum hominum, qui nunc ſunt, gloriam, ſed etiam antiquitatis memoriam ſapientia ſuperavit, & quem Deus O. M. diu nobis incolumen ſervet, ac tueatur; qui viri tanti doctrinam quanti faceret tunc probavit, cum ad nonnulla ex ſuis confirmanda, ſententias ejus producere non eſt dedignatus; maximamque eorum partem, quæ Giribaldus propoſuit, & Eruditorum, & Patrum, & Conciliorum vel auctoritatibus, vel doctrinis, ita illuſtravit, ut jure hoc dicere poſſim: *Giribaldus propoſitionibus inſtruit, Benedictus auctoritate confirmat*.

Altera tandem, nec minoris quidem ponderis, ratio ſupereſt, quæ me, ut hos rurſus excuderem libros hortata eſt. Vix dum etenim, fato neſcio quo, bono attamen certe, mihique gratiſſimo, Domo diſcedens in adeo cultam, adeoque ſtudioſis, religioſiſſimiſque viris refertam Bononienſem Diœceſim perveni, illud in primis mecum ipſe animo volvi, ut ſin minus utilis, at non inutilis prorſus viderer: ex quo factum eſt, ut mentem, animumque meum ad ea continuo referrem; quæ utiliora, ac jucundiora fore putarem. At quid vobis profecto jucundius, quam inopinanter hoc aſſequi, ut quis nova hac Editione diuturnitati conſuleret ejus, quem dum adhuc viveret, in Pœnitentiarii loco per annos viginti ſeptem Univerſi tanti feciſtis; de cujus doctrinis ſalutares ſapientiæ aquas toties haurire geſtiviſtis; cujus conſilio, atque ope res hæc Eccleſiaſtica veterem ſplendorem ſuum retinuiſſe viſa eſt? Quid vobis pergratius, quam ſupra montem Catholicæ Religionis poſitas eas nunc leges intueri, quæ

ad

ad hanc tantum dirigendam Diœceſim olim emanarant; & univerſæ Eccleſiæ nunc oracula facta, quæ Bononienſis tantum erant olim Decreta; ita ut & arridere nunc omnibus Catholicis Magiſter hic perſpiciatur, qui Bononienſibus ſolum Pœnitentiarius tunc aderat, & ſumma Pontificis auctoritate ornata, & ſtabilita fulgere doctrina, quæ in hujus tantum Ditionis terminis olim continebatur? Quid denique utilius, quam in uno, eodemque Opere, ſibi magis, quam aliis, vel a ſuo Penitentiario, nunc univerſorum Magiſtro, vel a ſuo Concive, atque Archiepiſcopo, nunc Catholicæ totius Eccleſiæ Pontifice Maximo, tradito, quidquid vel doctrinæ, vel eruditionis, vel decretorum ad injunctum miniſterii officium exequendum neceſſe eſſe poterat, ſumma perſpicuitate, brevitate, ac ordine in promptu ita habere, ut & in opinionibus unitas, & in rebus inveniendis brevitas, & in expenſis optata omnibus, neceſſaria multis, parſimonia obtineatur?

En igitur verum, ac præcipuum totius hujus Editionis ſcopum. Tu, benigne Lector, quo ſoles, grato animo excipe. Opus totum, quod tribus uſque adhuc Tomis componebatur, in quatuor tibi nunc redactum exhibeo, ne propter appoſita additamenta plus æquo voluminoſum, vel grave nimis, vel nimia magnitudine informe tibi appareat: in duobus quippe primis Tomis agitur de Sacramentis, in tertio de principiis Moralitatis actuum humanorum, decemve præceptis Decalogi, in ultimo tandem de Jure naturali, de Contractibus humanis, ac Cenſuris Eccleſiaſticis. Si brevitatem in difficultatibus cupis, adire ne pigeat Synopſim, a qua, in fine uniuſcujuſque Tomi poſita, integrum paucis habebis ſenſum: ſi eruditionem, haurire ne renuas a Fonte, ubi ſua ſuis invenies appoſita; Tabula, & Indices ſatis copioſi paginarum dabunt numerum: ſi quæ tibi occurrit difficultas ſolvenda, vel principium aliquod ſtabiliendum, Bullas percurre in fine ex ordine collocatas, & juxta materias, quæ in Tomo quolibet pertractantur, diſpoſitas. Omnia certe, ut faciliora tibi fierent, enixe ſtudui, quod niſi plane ſuum aſſequutus, aſſequi profecto vehementer optavi. Hoc tamen ſolummodo, benigne Lector, te precor, ut ſi quid in hac a me elaborata Editione tuo minus dignum ingenio, ac facultate umquam occurrat, id mihi tamquam Chriſtiano Chriſtianus condones, atque ignoſcas; ſi quid vero utile, aut aptum, illud Deo O. M. a quo omne bonum eſt, adſcribas, eique proinde laudem omnem, & gloriam, illi ſoli debitam, rependas. Vale.

TABU-

TABULA

TRACTATUUM, CAPITUM, DUBIORUM, *ET* BULLARUM,

Quæ in hac Prima Parte Voluminis Primi continentur.

TRACTATUS PRIMUS,

De Sacramentis in genere.

CAPUT I.

De Eſſentia, & Quidditate Sacramenti.

DUBIUM I.
Quid ſit Sacramentum. Pag. 1
DUBIUM II.
Quot ſunt Sacramenta Novæ Legis. 2
DUBIUM III.
An Sacramenta Novæ Legis conſtent rebus, & verbis, tamquam materia, & forma. ibid.
DUBIUM IV.
An Sacramenta Novæ Legis habeant determinatam materiam, & formam ex inſtitutione Chriſti. 3
DUBIUM V.
Quænam mutatio formæ invalidet Sacramentum. 4
DUBIUM VI.
An ſit licitum in adminiſtratione Sacramenti uti materia, & forma dubia. 5

CAPUT II.

De Sacramentorum neceſſitate.

DUBIUM I.
An fuerint neceſſaria Sacramenta in ſtatu Innocentiæ. 5
DUBIUM II.
An ſint inſtituta Sacramenta in Lege Naturæ. 6
DUBIUM III.
Qualis eſſe debebat Fides illa Parentum. 7
DUBIUM IV.
Quænam Sacramenta fuerint in Lege Scripta. ibid.
DUBIUM V.
De neceſſitate Sacramentorum in Lege Evangelica. 8

CAPUT III.

De Effectibus Sacramentorum, & primo de Gratia.

DUBIUM I.
An Sacramenta Novæ Legis cauſſent Gratiam ex opere operato. 8
DUBIUM II.
An Sacramenta Novæ Legis cauſſent Gratiam phyſice, an tantum moraliter. 9
DUBIUM III.
Quandonam Sacramenta conferant Gratiam. 10
DUBIUM IV.
An omnia Sacramenta Novæ Legis conferre poſſint primam Gratiam, & facere de attrito contritum. 11
DUBIUM V.
An Sacramenta omnia conferant æqualem Gratiam. ibid.
DUBIUM VI.
An præter Gratiam habitualem conferant Sacramenta aliam Gratiam Sacramentalem; & quid illa ſit. 12
DUBIUM VII.
An Sacramenta antiqua conferrent Gratiam ex opere operato. ibid.

CAPUT IV.

De Charactere Sacramentali.

DUBIUM I.
An, & quænam Sacramenta imprimant Characterem. 13
DUBIUM II.
Quid ſit Character, & in quo ſubjectetur. ibid.
DUBIUM III.
Quænam ſint proprietates Characteris. 14

CAPUT V.

De Miniſtro Sacramentorum.

DUBIUM I.
De cauſſa inſtituente Sacramenta. 14
DUBIUM II.
Quinam poſſit eſſe Miniſter Sacramentorum. 15
DUBIUM III.
An ad valorem Sacramenti ſit neceſſaria Fides, & Gratia ex parte Miniſtri. ibid.
DUBIUM IV.
An ſit neceſſaria Gratia in Miniſtro pro licita Sacramentorum adminiſtratione. 16
DUBIUM V.
An Diaconus, & Subdiaconus lethaliter peccent miniſtrando ſollemniter in peccato lethali. ibid.
DUBIUM VI.
An, & qualis intentio requiratur in Miniſtro Sacramentorum. 17
DUBIUM VII.
An neceſſaria ſit in Miniſtro intentio actualis, vel ſufficiat virtualis, aut habitualis. 18
DUBIUM VIII.
An intentio debeat eſſe abſoluta, vel ſufficiat conditionata. ibid.
DUBIUM IX.
An valeat Sacramentum, quando Miniſter habeat contrarias intentiones. 19
DUBIUM X.
An validum ſit Sacramentum, quando contingit error circa perſonam, cui confertur. ibid.

CAPUT VI.

De Subjecto ſuſcipiente Sacramenta.

DUBIUM I.
Quænam requirantur in Subjecto, ut valide recipiat Sacramentum. 20
DUBIUM II.
An ſit licitum petere Sacramenta ab indigno Miniſtro. ibid.
DUBIUM III.
An ſit licitum miniſtrare Sacramenta indignis. 21
DUBIUM IV.
An Peccatori occulto liceat miniſtrare Hoſtiam non conſecratam pro conſecrata: ubi alia nonnulla. 22
DUBIUM V.
An Sacramenta ficte ſuſcepta, amoto obice, reviviſcant, & cauſſent Gratiam ex opere operato. ibid.
DUBIUM VI.
An alia Sacramenta reviviſcant. 23

CAPUT VII.

De Sacramentalibus.

DUBIUM UNICUM.
Quid, & quot ſint Sacramentalia. 24

TRA-

TRACTATUS SECUNDUS,

De Sacramento Baptiſmi.

CAPUT I.

De quidditate, & neceſſitate Baptiſmi.

DUBIUM I.
Quid, & quotuplex ſit Baptiſmus. 25
DUBIUM II.
Quandonam fuerit inſtitutum hoc Sacramentum. ibid.
DUBIUM III.
An, & quomodo Baptiſmus ſit neceſſarius ad ſalutem, 26

CAPUT II.

De Materia, & Forma Baptiſmi.

DUBIUM I.
Quænam ſit materia remota Baptiſmi. 27
DUBIUM II.
Quænam ſit materia proxima Baptiſmi. 28
DUBIUM III.
Quænam partes corporis ſint neceſſario abluendæ ad valorem Baptiſmi. 29
DUBIUM IV.
De forma Baptiſmi. ibid.
DUBIUM V.
An ſit de eſſentia formæ Baptiſmi invocatio explicita Trinitatis, vel ſufficiat implicita. 30

CAPUT III.

De Miniſtro Baptiſmi.

DUBIUM I.
Quinam ſit Miniſter Baptiſmi in caſu neceſſitatis. 31
DUBIUM II.
Quinam ſit Miniſter ſollemnitatis, & ex officio. 32
DUBIUM III.
An Miniſter Baptiſmi debeat eſſe unus, vel poſſint eſſe plures. 34

CAPUT IV.

De Subjecto Baptiſmi.

DUBIUM I.
Quodnam ſit Subjectum Baptiſmi. 35
DUBIUM II.
An, & qualis diſpoſitio requiratur in ſuſcipiente Baptiſmum. 36
DUBIUM III.
An ſint baptizandi Filii Infidelium, invitis Parentibus. 37
DUBIUM IV.
Quandonam Baptiſmus ſit ſub conditione iterandus. 38
DUBIUM V.
De Effectibus Baptiſmi. 41

CAPUT V.

De Cæremoniis, & Patrinis.

DUBIUM I.
De Cæremoniis adhibendis in ſollemni collatione Baptiſmi. 41
DUBIUM II.
Quid ſit Patrinus, & an ſit neceſſarius. ibid.
DUBIUM III.
An Patrinus debeat eſſe unus, vel poſſint eſſe plures. 42
DUBIUM IV.
Quiſnam poſſit eſſe Patrinus. ibid.

TRACTATUS TERTIUS.

De Sacramento Confirmationis.

CAPUT I.

De quidditate, & neceſſitate Confirmationis.

DUBIUM I.
Quid ſit Confirmatio. 44
DUBIUM II.
An Confirmatio ſit neceſſaria ad ſalutem. 45
DUBIUM III.
Quænam ſit materia remota hujus Sacramenti. ibid.
DUBIUM IV.
Quænam ſit materia proxima hujus Sacramenti. 47
DUBIUM V.
Quænam ſit forma Confirmationis. 48

CAPUT II.

De Miniſtro, & Subjecto Confirmationis.

DUBIUM I.
Quiſnam ſit Miniſter Confirmationis. 48
DUBIUM II.
An requiratur aliqua diſpoſitio in Epiſcopo ad validam, & licitam adminiſtrationem hujus Sacramenti. 49
DUBIUM III.
Quodnam ſit Subjectum capax Confirmationis. ibid.
DUBIUM IV.
De Effectibus, & Cæremoniis Confirmationis. 50

TRACTATUS QUARTUS.

De Sacramento Euchariſtiæ.

CAPUT I.

De neceſſitate, & quidditate Euchariſtiæ.

DUBIUM I.
Quid ſit Euchariſtia. 52
DUBIUM II.
An hoc Sacramentum ſit unum tantum, vel plura, juxta diverſitatem ſpecierum conſecratarum. ibid.
DUBIUM III.
An, & quomodo Euchariſtia ſit neceſſaria ad ſalutem. 53

CAPUT II.

De Materia Euchariſtiæ.

DUBIUM I.
Quænam ſit materia Sacramenti Corporis. 53
DUBIUM II.
An Panis conſecrationis debeat eſſe azymus, vel poſſit eſſe fermentatus. 54
DUBIUM III.
Quænam ſit materia Conſecrationis Calicis. 55
DUBIUM IV.
An vino admiſcenda ſit aqua, & an illa convertatur in Sanguinem Chriſti. 56
DUBIUM V.
Utrum materia conſecranda debeat eſſe præſens Conſecranti. 57
DUBIUM VI.
Utrum materia conſecranda debeat eſſe definita, & determinata in particulari per intentionem Sacerdotis. 58
DUBIUM VII.
An poſſit conſecrari quælibet magna, aut parva quantitas panis, & vini. ibid.

CAPUT III.

De Forma Sacramenti Euchariſtiæ.

DUBIUM I.
Quænam ſit forma Conſecrationis Corporis Chriſti. 59
DUBIUM II.
Quænam ſit forma Conſecrationis Sanguinis. 60
DUBIUM III.
Utrum verba Conſecrationis proferantur a Sacerdote recitative, an vere enuntiative. ibid.
DUBIUM IV.
Quid ſignificet Pronomen Hoc, *vel* Hic. ibid.

CAPUT IV.

De modo, quo Chriſtus eſt in Euchariſtia.

DUBIUM I.
De vera, & reali præſentia Chriſti in Euchariſtia. 61
DUBIUM II.
Utrum vi verborum ponatur totus Chriſtus ſub utraque ſpecie. 62

DU-

DUBIUM III.
Quid agere, & pati poſſit Chriſtus in Euchariſtia. ibid.

DUBIUM IV.
Quandonam incipiat, & deſinat eſſe Chriſtus in Euchariſtia. 63

DUBIUM V.
An deſinat eſſe Chriſtus ſub ſpeciebus, quando miraculoſe apparet in ipſis Caro, Sanguis, vel Puer. 64

DUBIUM VI.
Quomodo remaneant ſpecies, & accidentia in Euchariſtia. ibid.

DUBIUM VII.
Quanto tempore durent ſpecies Sacramentales in ſtomacho antequam corrumpantur. 65

CAPUT V.

De Effectibus Sacramenti Euchariſtiæ.

DUBIUM I.
Qualem Gratiam producat Euchariſtia. 65

DUBIUM II.
Quantam Gratiam cauſſet Euchariſtia. 66

DUBIUM III.
Quando, & quamdiu Euchariſtia Gratiam cauſſet. ibid.

DUBIUM IV.
De aliis Effectibus Euchariſtiæ. 67

CAPUT VI.

De Miniſtro Euchariſtiæ.

DUBIUM I.
Quiſnam ſit Miniſter Euchariſtiæ. 68

DUBIUM II.
An, & quomodo Sacerdos poſſit ſe ipſum communicare extra Miſſam. ibid.

DUBIUM III.
An, & quando Diaconus poſſit Euchariſtiam miniſtrare. 69

DUBIUM IV.
An Subdiaconus, Clericus inferior, vel etiam Laicus poſſit aliquando Euchariſtiam miniſtrare. ibid.

DUBIUM V.
An, & quando poſſint Regulares Euchariſtiam miniſtrare. ibid.

DUBIUM VI.
Quando Parochus teneatur ſuis Ovibus Euchariſtiam miniſtrare. 70

DUBIUM VII.
De diſpoſitionibus requiſitis ex parte Miniſtri. 71

CAPUT VII.

De Subjecto, & Obligatione ſumendi Euchariſtiam.

DUBIUM I.
Quinam ſint capaces Euchariſtiæ. 71

DUBIUM II.
An detur præceptum Divinum ſumendi Euchariſtiam, & quandonam obliget. 72

DUBIUM III.
An teneatur communicare in periculo mortis, qui paucis ante diebus communicavit. 73

DUBIUM IV.
An, qui communicavit mane, teneatur iterum communicare, ſi illa die incidat in periculum mortis. 74

DUBIUM V.
Quinam teneantur ex præcepto Divino communicare. 75

CAPUT VIII.

De Præcepto Eccleſiaſtico ſumendi Euchariſtiam.

DUBIUM I.
De Exiſtentia præcepti Eccleſiaſtici. 75

DUBIUM II.
Quaſnam Perſonas obliget præceptum Eccleſiaſticum ſumendi Euchariſtiam. 77

DUBIUM III.
Qualis Euchariſtiæ ſumptio requiratur ad implendum præceptum Communionis Paſchalis. 78

DUBIUM IV.
An, qui non communicavit in Paſchate, teneatur communicare quamprimum poſt Paſcha. ibid.

DUBIUM V.
An præceptum Communionis Paſchalis obliget ad eam ſumendam in propria Parochia, & de manu proprii Paſtoris. 79

DUBIUM VI.
Quonam jure Laici teneantur communicare ſub una tantum Specie. 80

DUBIUM VII.
De frequenti uſu Euchariſtiæ. 81

CAPUT IX.

De Diſpoſitionibus ad Euchariſtiam requiſitis ex parte Animæ.

DUBIUM I.
Quænam diſpoſitio requiratur ad recipiendum fructum hujus Sacramenti. 82

DUBIUM II.
De Confeſſione Communioni præmittenda. ibid.

DUBIUM III.
In quibus caſibus cenſeatur deeſſe copia Confeſſoris. 83

DUBIUM IV.
Qualis, & quanta neceſſitas requiratur, ut quis poſſit accedere ad Euchariſtiam, non præmiſſa Confeſſione. 84

DUBIUM V.
Ad quid teneatur, qui, non præmiſſa Confeſſione, communicavit, aut celebravit. 85

CAPUT X.

De Diſpoſitionibus ad Euchariſtiam requiſitis ex parte Corporis.

DUBIUM I.
De Jejunio ad Euchariſtiam requiſito. 85

DUBIUM II.
An ſumptio Tabaci in Folio, Pulvere, vel Fumo ſolvat jejunium naturale. 86

DUBIUM III.
An poſſit communicare qui dubitat, an ſit jejunus. 87

DUBIUM IV.
In quibus caſibus liceat non jejuno ſumere Euchariſtiam. ibid.

DUBIUM V.
De aliis diſpoſitionibus ex parte Corporis. 89

Additio ad Tract. IV. De Cultu Euchariſtiæ. 90

TRACTATUS QUINTUS,

De Sacrificio Miſſæ.

CAPUT I.

De Eſſentia Sacrificii Miſſæ.

DUBIUM I.
Quid ſit Sacrificium in communi. 93

DUBIUM II.
Quotuplex ſit Sacrificium. ibid.

DUBIUM III.
An Miſſa ſit vere, & proprie Sacrificium. 95

DUBIUM IV.
In quanam actione conſiſtat eſſentia Sacrificii Miſſæ. ibid.

DUBIUM V.
An ad eſſentiam Sacrificii Miſſæ requiratur Conſecratio utriuſque Speciei. 97

CAPUT II.

A quibus, & pro quibus poſſit offerri Sacrificium Miſſæ.

DUBIUM I.
Quinam in Sacrificio Miſſæ poſſint dici offerentes. 98

DUBIUM II.
Pro quibus Viventibus poſſit offerri Miſſæ Sacrificium. ibid.

DUBIUM III.
An poſſit Sacrificium offerri pro Excommunicatis. 99

DUBIUM IV.
Pro quibus Defunctis poſſit offerri Miſſæ Sacrificium. 100

CAPUT III.

De Effectibus, & Valore Sacrificii Miſſæ.

DUBIUM I.
Quos effectus habeat Sacrificium ex opere operato. 101

DUBIUM II.
An Sacrificium Miſſæ infallibiliter conſequatur ſuos effectus. 103.

DU-

DUBIUM III.
Utrum melior diſpoſitio offerentis, vel illius, pro quo offertur, conducat ad majorem effectum Sacrificii. ibid.
DUBIUM IV.
An Sacrificium Miſſæ ſit valoris infiniti. 104

CAPUT IV.
De Applicatione Sacrificii.

DUBIUM I.
An, & quænam applicatio requiratur ad conſequendum fructum Sacrificii. 107
DUBIUM II.
An ſit valida applicatio facta contra voluntatem Prælati, vel contra Juſtitiam. 108
DUBIUM III.
Utrum poſſit Sacerdos anticipata applicatione offerre pro eo, qui primus ſtipem eſt oblaturus. ibid.
DUBIUM IV.
De conſuetudine procurantium ſibi celebrari Exequias, & Miſſas Defunctorum, dum adhuc vivunt. 109
DUBIUM V.
De Sacerdote non applicante fructum Sacrificii, vel aliquem ab illo excludente. 110

CAPUT V.
De Obligatione Celebrandi.

DUBIUM I.
An Sacerdos vi ſuæ Ordinationis teneatur aliquando celebrare. 110
DUBIUM II.
De Obligatione Parochi celebrandi, & offerendi Sacrificium. 114
DUBIUM III.
De Obligatione orta ex liberali promiſſione. 118
DUBIUM IV.
De Obligatione Capellani. 119
DUBIUM V.
An, & quas Miſſas poſſit omittere Capellanus infirmus. 120
DUBIUM VI.
An Capellanus obligatus celebrare in certo loco, Eccleſia, vel Altari, ſatisfaciat alibi celebrando. ibid.
DUBIUM VII.
Quandonam Capellanus teneatur applicare Sacrificium pro Fundatore. 121
DUBIUM VIII.
Quid præſumendum ſit in Capellaniis antiquis; ubi de præſcriptione Miſſarum. ibid.
DUBIUM IX.
An Capellanus teneatur celebrare per ſe ipſum; & quando Capellania poſſit conferri Clerico non Sacerdoti. 122
DUBIUM X.
An Sacerdos obligatus celebrare in Altari privilegiato ſatisfaciat alibi celebrando cum Numiſmate, ſeu Medalia benedicta. ibid.

CAPUT VI.
De Stipendio Miſsæ.

DUBIUM I.
Quo titulo, & a quibus poſſit accipi Stipendium. 123
DUBIUM II.
An poſſint pro una Miſſa recipi plura Stipendia, ſive ab uno, ſive a pluribus. 125
DUBIUM III.
An detur caſus, in quo Sacerdos poſſit pro una Miſſa accipere majus, aut duplex Stipendium. 127
DUBIUM IV.
An poſſit Sacerdos idem Sacrificium offerre pro eo, a quo recepit eleemoſynam, & ſimul pro aliis ex caritate, gratitudine, aut liberalitate, vel ex Conſtitutione Religionis. 128
DUBIUM V.
An Sacerdos, qui accepit Stipendium pro Miſſa, poſſit illam alteri celebrandam tradere, retenta ſibi parte Stipendii. 130
DUBIUM VI.
An peccet mortaliter Sacerdos, qui, accepto ſtipendio, diu differt celebrationem Miſſarum. 131
DUBIUM VII.
An, & quatenus onera perpetua Miſſarum poſſint moderari, & reduci ad minorem numerum. 132
DUBIUM VIII.
An, & quatenus teneatur Sacerdos, vel Eccleſia; Miſſas celebrare, ſi ſolutio Stipendii differatur. 133

CAPUT VII.
De Loco ad Celebrandum requiſito:

DUBIUM I.
Quibus diebus licitum ſit celebrare Miſſam. 134
DUBIUM II.
An liceat ſæpius in die celebrare. 137
DUBIUM III.
Quanam hora ſit licitum celebrare. 140
DUBIUM IV.
De privilegiis Regularium circa tempus celebrandi Miſſam. 141

CAPUT IV.
De Loco ad Celebrandum requiſito.

DUBIUM I.
An poſſit Miſſa celebrari extra Eccleſiam. 142
DUBIUM II.
An poſſit Epiſcopus concedere licentiam, ut in Oratoriis privatis, ac Domibus Sæcularium celebretur. 143
DUBIUM III.
De Oratoriis privatis ex Indulto Summi Pontificis. 144
§. I. Tibi Diœceſis Bononienſis. 145
§. II. Qui, ut aſſeris, de Nobili Genere procreatus exiſtis. ibid.
§. III. Ut in privato Domus tuæ ſolitæ habitationis Oratorio. ibid.
§. IV. Ad hoc decenter ornato, &c. ibid.
§. V. Per Ordinarium loci prius viſitando. ibid.
§. VI. Unam Miſſam unoquoque die, dummodo &c. 146
§. VII. Sine tamen quorumcumque Jurium Parochialium præjudicio. 147
§. VIII. In tua, & Familiæ tuæ, nec non Hoſpitum tuorum Nobilium præſentia celebrare facere. ibid.
§. IX. Volumus autem, ut ab obligatione, &c. 148
DUBIUM IV.
De Privilegiis Regular. in ordine ad locum celebrandi. 149
DUBIUM V.
An licitum ſit celebrare in Mari. ibid.
DUBIUM VI.
An ſit licitum celebrare in Eccleſia polluta, ubi quot modis polluatur Eccleſia. 151

CAPUT IX.
De Altari, ejuſque Ornatu, Sacris Veſtibus, aliiſque ad uſum Sacrificii requiſitis.

DUBIUM I.
De Altari neceſſario ad Sacrificium. 152
DUBIUM II.
De Ornatu Altari in Ordine ad Sacrificium. 154
DUBIUM III.
De Calice cum Patena, ejuſque Conſecratione. 157
DUBIUM IV.
De Sacris Veſtibus. 160
DUBIUM V.
De Ritu Celebrandi ex parte Sacerdotis. 170
DUBIUM VI.
Quales Miſſas teneatur dicere Sacerdos. 178
DUBIUM VII.
An obligatus titulo Stipendii, vel Cappellaniæ dicere Miſſam de Requiem pro Defunctis, vel de B. Virgine, aut Spiritu Sancto ſatisfaciat, dicendo Miſſam currentem. 179
DUBIUM VIII.
An Miſſa interrumpi aliquando poſſit. 181
DUBIUM IX.
Nihil addendum, vel omittendum in Miſſa. 188
DUBIUM X.
De defectibus in Miſſa contingentibus. 189

TRA-

TRACTATUS SEXTUS.

De Virtute Pœnitentiæ.

CAPUT I.

De Quidditate Virtutis Pœnitentiæ.

DUBIUM I.
An Pœnitentia ſit Virtus. 200

DUBIUM II.
An Pœnitentia ſit Virtus ſpecialis diſtincta ab aliis Virtutibus. ibid.

DUBIUM III.
Qualis Virtus ſit Pœnitentia. 201

DUBIUM IV.
Quodnam ſit objectum formale Virtutis Pœnitentiæ. 202

DUBIUM V.
Quodnam ſit objectum materiale Virtutis Pœnitentiæ. ibid.

DUBIUM VI.
An Pœnitentia ſit Virtus infuſa, vel acquiſita. 203

DUBIUM VII.
De ſubjecto Virtutis Pœnitentiæ. 204

CAPUT II.

De Actibus Pœnitentiæ.

DUBIUM I.
Quoſnam actus eliciat Pœnitentia. 204

DUBIUM II.
Qualis actus voluntatis ſit Pœnitentia. 205

DUBIUM III.
An actus deteſtationis peccati præteriti ſit efficax, & abſolutus; an vero conditionatus. ibid.

DUBIUM IV.
An actus deteſtationis debeat eſſe univerſalis de omnibus peccatis. 206

CAPUT III.

De Contritione, & Attritione.

DUBIUM I.
Quid ſit contritio, & ad quam Virtutem pertineat. 206

DUBIUM II.
An Contritio includat neceſſario amorem Dei formalem. 207

DUBIUM III.
An Contritio includat neceſſario formale propoſitum non peccandi. 208

DUBIUM IV.
Quomodo Contritio debeat deteſtari peccata ſuper omnia. ibid.

DUBIUM V.
An Contritio debeat cadere ſuper omnia peccata diſtincte recogitata. 209

DUBIUM VI.
Quanta debeat eſſe Contritio quoad intenſionem, & durationem. 210

DUBIUM VII.
De Attritione, quid ſit, & quomodo differat a Contritione. ibid.

CAPUT IV.

De neceſſitate Pœnitentiæ.

DUBIUM I.
An Pœnitentia ſit neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem obtinendam. 211

DUBIUM II.
An Contritio neceſſaria ad juſtificationem debeat eſſe formalis, & explicita, vel ſufficiat virtualis, & implicita. 212

DUBIUM III.
An detur præceptum aliquod ſpeciale Pœnitentiæ, & quodnam illud ſit. ibid.

DUBIUM IV.
An præceptum Pœnitentiæ obliget ſtatim poſt commiſſum peccatum, & quoties illud memoriæ occurrit. 213

DUBIUM V.
Quo tempore obliget præceptum Contritionis. 214

CAPUT V.

De Effectu Pœnitentiæ.

DUBIUM I.
An, & quomodo Pœnitentia remittat peccatum mortale; 215

DUBIUM II.
An Contritio ſit forma ex ſe formaliter juſtificans peccatorem. ibid.

DUBIUM III.
An, remiſſo peccato mortali, ſemper remittatur æterna pœna. 216

DUBIUM IV.
De remiſſione peccatorum venialium per pœnitentiam. ibid.

DUBIUM V.
An, & quomodo requiratur gratia habitualis ad remiſſionem venialium. 217

DUBIUM VI.
An venialia remittantur per Sacramenta, & Sacramentalia ex opere operato. 218

DUBIUM VII.
Quomodo remittantur venialia in alia vita. ibid.

DUBIUM VIII.
An peccata ſemel dimiſſa per pœnitentiam, redeant, vel redire poſſint per ſubſequens peccatum. 219

DUBIUM IX.
An merita per peccatum mortificata, per pœnitentiam reviviſcant. 220

DUBIUM X.
An merita reſurgant ex natura ſua, vel ex Dei miſericordia. 221

DUBIUM XI.
An per Pœnitentiam reſurgat homo ad majorem gratiam; ibid.

DE BAPTISMO.

BULLA I.
De Sacramento Baptiſmi, Pueris baptizandis, Ritu ſque in Baptiſmate ſuſcepta mutatione. 223

BULLA II.
De Ritibus Græcorum Melchitarum Patriarcatus Antiocheni &c. ibid.

BULLA III.
Decreta ſuper pluribus diſciplinæ capitibus pro Incolis Regni Serviæ, & finitimarum Regionum. 224

BULLA IV.
De Baptiſmo Judæorum, ſive Infantium, ſive Adultorum; ibid.

BULLA V.
Aviæ neophytæ aſſeritur jus offerendi ad Baptiſmum Infantes Judæos ex Filio præmortuo Nepotes. 233

DE CONFIRMATIONE.

BULLA I.
Conceditur P. Guardiano S. Sepulcri Ordinis Minorum de Obſervantia, ut, abſentibus Epiſcopis Latini ritus, valeat conferre Sacramentum Confirmationis cum Oleo, & Chriſmate a Catholico Antiſtite benedictis. 238

BULLA II.
De Sacramento Confirmationis. ibid.

BULLA III.
De tempore conferendi Sacramentum Confirmationis, ejuſque Miniſtro. ibid.

BULLA IV.
Abbati Monaſterii Campidunenſis, Ordinis S. Benedicti, ejuſque Succeſſoribus in perpetuum conceditur facultas miniſtrandi Sacramentum Confirmationis Chriſtifidelibus ſuæ Juriſdictioni ſpirituali ſubjectis. 239

BUL-

B U L L A V.

Indultum recipiendi Sacramentum Confirmationis a Presbytero Miſſionis Præfecto. 240

B U L L A VI.

Confirmationis Sacramentum Infirmis in Archi-Hoſpitale S. Spiritus in Saxia de Urbe degentibus conferri poſſe a Præceptore, ſeu Commendatario in Epiſcopali dignitate conſtituto, vel, ipſo, aut Priore mandante, ab alio quocumque Catholico Antiſtite, nullius alterius obtenta licentia. 241

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ, ET MISSÆ SACRIFICIO.

B U L L A I.

Mercimonia ſuper eleemoſynis Miſſarum vetantur ſub pœna Cenſurarum, quarum abſolutio Summo Pontifici reſervatur. 242

B U L L A II.

De eodem argumento breve encyclicum ad Epiſcopos Provinciæ Pedemontanæ. ibid.

B U L L A III.

Indultum pro celebratione Miſſarum ſuper Triremibus Militiæ Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani. 243

B U L L A IV.

De Sacramento Euchariſtiæ, & Miſſæ Sacrificio. ibid.

B U L L A V.

Indultum celebrandi Miſſas ſuper Triremibus Pontificiis. 244

B U L L A VI.

Sacerdotes Miſſam celebrantes non teneri Sacram Euchariſtiam omnibus petentibus infra ipſam actionem miniſtrare. ibid.

B U L L A VII.

Contra Surripientes, vel Aſportantes, aut apud ſe Retinentes Sacras Hoſtias, vel Particulas conſecratas. 245

B U L L A VIII.

Contra non promotos ad Sacrum Presbyteratus Ordinem, Miſſam celebrantes, aut Sacramentales Confeſſiones excipientes. 246

B U L L A IX.

De applicatione Miſſæ Parochialis pro Populo, Conventualis vero pro Benefactoribus Eccleſiæ. 248

B U L L A X.

Super celebratione duarum Miſſarum eodem die per unum Sacerdotem. 250

B U L L A XI.

De retinenda Crucifixi Salvatoris Imagine palam, & viſibiliter ſuper Altaribus, ad quæ Miſſæ Sacrificia peraguntur. 254

B U L L A XII.

Indultum celebrandi tres Miſſas in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, pro Regnis, & Dominiis Hiſpaniarum, & Portugalliæ. 255

B U L L A XIII.

Latini Ritus Presbyteris in Ruſſia Polonica degentibus permittitur in Ruthenorum Unitorum Eccleſiis, deficientibus Lapideis altaribus, ſeu Tabulis conſecratis, & Calicibus aureis, ſive argenteis, Miſſarum Sacrificia ſuper eorumdem Ruthenorum Antimenſiis, & cum Calicibus e ſtanno celebrare. 259

TRACTA-

TRACTATUS PRIMUS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

INter præcipuas actiones ad Eccleſiaſticas Perſonas, Deique Miniſtros ſpectantes, eſt ſine dubio Sacramentorum adminiſtratio, quibus, ut loquitur Tridentina Synodus Seſſione Septima: *Omnis vera juſtitia vel incipit, vel cæpta augetur, vel amiſſa reparatur*. Horum naturam, & quidditatem explicaturi, plura præmittimus, de illis in communi conſideratis, ut ſingulorum notitia evadat facilior.

CAPUT I.

De Eſſentia, & Quidditate Sacramenti.

DUBIUM I.

Quid ſit Sacramentum.

HOC nomen *Sacramentum* ſolet multipliciter ſumi; primo enim ſignificabat antiquitus pecuniam quamdam, quæ in loco ſacro apud Pontifices a Litigantibus reponebatur, ut qui cauſa caderet, ea privaretur pro lite injuſte ſuſcepta, cederetque publico ærario, vel in ſacros uſus verteretur; ut conſtat ex Varrone *lib. 4 de Ling. Lat.* Secundo ſumitur pro Juramento, quod per rem ſacram, ideſt Divini Nominis invocationem fieri ſolet; ut conſtat ex c. *Si Sacramenta* 22. *q.* 4. Tertio ſumitur pro quolibet Sacro Secreto, hoc eſt, pro re qualibet Divina nobis occulta; ſic Sap. 2. 22. *Impii dicuntur neſciuſſe Sacramenta Dei*. Et ad Epheſ. 1. 9. *Ut notum faceret Sacramentum voluntatis ſuæ*. Hæc ſignificatio fundamentum habet apud Græcos, qui id, quod nos Sacramentum dicimus, Myſterium vocant, hoc eſt rem abſconditam, & occultam; ex quo per analogiam translatum eſt Sacramenti nomen ad ſignificanda Regum, & Amicorum Secreta. Sic dicitur Tobiæ 12. 7. *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt*. Magis proprie apud Patres, Concilia, & Theologos, Sacramentum ſumitur pro *ſigno rei ſacræ*: in qua ultima acceptione ſumitur in præſenti.

2. *Signum* ex D. Auguſt. *l. 2. de Doctr. Chriſt. c. 1. eſt id, quod præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire*. Et dividitur multipliciter: aliud enim eſt Signum Naturale naturaliter ſignificans, aliud ad placitum, quod ex inſtitutione hominis, vel alterius agentis intellectualis aliquid ſignificat: & ſubdividitur in Rememorativum, quod eſt ſignum rei præteritæ, in Prognoſticum, quod rem futuram ſignificat, & in Demonſtrativum, quod eſt ſignum rei præſentis. Item dividitur in Signum Speculativum, & Practicum; primum mere ſignificat, ſed non habet vim efficiendi id, quod ſignificat; Practicum vero habet vim efficiendi id, quod ſignificat.

3. Reſp. Sacramentum eſſe *ſignum ſacrum viſibile inviſibilis gratiæ, ad populum Dei ſanctificandum divinitus inſtitutum*; quæ definitio latioribus terminis continet illam, quę communiter circumfertur ex Auguſtino: *Sacramentum eſt ſignum rei ſacræ*; quæ tamen præ nimia brevitate non videtur ſufficiens, cum plura dentur in Scriptura Signa Sacra, quæ non ſunt Sacramentum: nam tranſitus Maris Rubri ſignificabat gratiam per Baptiſmum conferendam; Manna gratiam per Euchariſtiam communicandam; Serpens Æneus gratiam per Chriſtum in Cruce pendentem nobis dandam, quę tamen ſigna proprie non ſunt Sacramenta. Nec differt ab aliis, quæ communiter circumferuntur, ut eſt illa Magiſtri in 4. diſt. 1. *Sacramentum eſt inviſibilis gratiæ viſibilis forma, ejuſdem gratiæ imaginem gerens, & cauſa exiſtens*: vel alia, quæ habetur ex Cathechiſmo Pii V. p. 2. c. 1. §. 11. *Sacramentum eſt res ſenſibus ſubjecta, quæ ex Dei inſtitutione ſanctitatis, & juſtitiæ, tum ſignificandæ, tum efficiendæ vim habet*.

4. Dicitur *ſignum* loco generis, nam in hoc convenit cum aliis ſignis. Dicitur *ſacrum*, quia eſt ordinatum ad Dei cultum. Dicitur *viſibile*, quia Sacramenta cum ſint inſtituta propter homines, qui ex ſenſibus moventur ad intelligendum, debent eſſe ſigna humana, & ſenſibilia. *Si enim incorporeus eſſes*, inquit Chryſoſtomus hom. 60. ad Popul. Antioch. *nuda, & incorporea tibi dediſſet ipſe dona, ſed quoniam anima corpori conſerta eſt, in ſenſibilibus intelligibilia tibi præbet*. Quod idem habet hom. 83. in Matt. Dicitur *inviſibilis gratiæ &c.* quia ſignificat Sanctitatem, & Juſtitiam ex Dei inſtitutione; non enim Sacramenta ſunt ſigna naturaliter ſignificantia gratiam, ſed ex inſtitutione Dei, qui ſolus eſt Auctor gratiæ, ſoluſque poteſt Sacramenta inſtituere: non ſolum autem ſignificat, ſed etiam cauſat gratiam, quia Sacramenta Novæ Legis ſunt Signa Practica non tantum ſignificantia, ſed efficientia ſanctitatem, & gratiam, quam ſignificant. Et in hoc differunt Sacramenta Novæ Legis a Sacramentis Veteris Legis, a Serpente Æneo, Manna, & aliis ſignis Veteris Teſtamenti, quæ licet gratiam ſignificarent, non tamen illam conferebant, ut faciunt Sacramenta Novę Legis. Differt etiam a Sacrificio, quod non eſt inſtitutum ad ſignificandam ſanctitatem offerentis, ſed excellentiam illius, in cujus honorem offertur. Differt etiam a Sacramentalibus, quæ non cauſant immediate gratiam, ſed ſunt tantum diſpoſitiones ad ſanctificationem.

5. Poteſt autem Sacramentum tripliciter dici ſignum, quia omnia Sacramenta Novæ Legis ſunt ſigna demonſtrativa gratiæ, rememorativa paſſionis Chriſti, & prognoſtica, ſeu prænuntiativa gloriæ, ut docet D. Thom. *3. p. q. 60 art. 3.* & cum eo communiter Doctores. Ratio eſt, quia Sacramentum eſt ſignum Gratiæ Sanctificantis, quæ oritur ex paſſione Chriſti, & ordinatur ad futuram gloriam, & ſic Sacramentum, ſignificando gratiam, eſt rememorativum paſſionis, a qua oritur gratia, & prognoſticum gloriæ, ad quam ordinatur; quod expreſſe in Euchariſtia fatetur Eccleſia, dum canit: *recolitur memoria paſſionis ejus, mens impletur gratia & futurę gloriæ nobis pignus datur*: quod idem proportionaliter valet de aliis Sacramentis. Præcipua tamen, & primaria ratio Sacramenti eſt ſignificare Gratiam Sanctificantem; ſecundario vero paſſionem Chriſti, & futuram gloriam. Ita Bonacina *diſp. 1. q. 1. p. 1. n. 7.* Nugnus, Coninch, Victoria, & alii, quos affert, & ſequitur Leander *diſp. 1. q. 2.*

6. An vero Sacramentum debeat eſſe ſignum ſimilitudine repræſentans id, quod ſignificat; Reſp. Sacramenta de facto exiſtentia eſſe ſigna per ſimilitudinem repræſentantia id, quod ſignificant, ut patet inductione ſingulorum Sacramentorum; Baptiſmus enim conſiſtit in externa ablutione corporis, quæ internam ablutionem animæ repræſentat: Extrema Unctio, quia fovet debilitatem ſpiritualem ex peccatis jam demiſſis relictam; miniſtratur in Oleo: & quia Dominicum Corpus in Euchariſtia reficit, ac nutrit animam, conſiſtit in

ſpeciebus panis ac vini conſecratis, & ſic de aliis. Unde Tertull. lib. de reſurrect. carnis ait: *Caro abluitur in Baptiſmo, ut Anima emaculetur, caro ungitur, ut anima conſecretur caro Corpore Chriſti & Sanguine veſcitur, ut anima de Deo ſaginetur.* Sacramentum tamen non importat eſſentialiter hanc ſimilitudinem, unde poteſt Deus inſtituere Sacramentum, quod ſimilitudine non repræſentet id, quod ſignificat; ſiquidem Sacramentum eſt ſignum ad placitum, pendens a ſola voluntate Dei pro libito aſſumentis ſignum materiale ad ſignificandam gratiam.

DUBIUM II.

Quot ſunt Sacramenta Novæ Legis.

RESP. Sacramenta Novæ Legis ſunt ſeptem, nec plura, nec pauciora, & ſunt: Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium; eſt propoſitio de fide firmata in Concilio Trident. *ſeſſ. 7. can.* 1. & in Florent. ſub Eugenio IV. Ratio a priori nulla eſt, niſi voluntas Chriſti ſic inſtituentis Sacramenta. Congruentiæ plures afferri ſolent; præcipua eſt illa, quam affert S. Thomas deducta ex ſimilitudine vitæ ſpiritualis, & corporeæ: nam pro vita corporali ſeptem ſunt neceſſaria, quarum quinque ſpectant ad vitam privatam, & duo ad illam, ut eſt pars communitatis, & ſic totidem pro vita ſpirituali aſſignari debent. In vita corporali, primo neceſſe eſt, ut quis generetur, quod ſpiritualiter facit Baptiſmus. Secundo, ut roboretur, & per augmentationem ad ſtatum perfectum deducatur, quod ſpiritualiter efficit Confirmatio, in qua datur Spiritus Sanctus ad robur. Tertio, ut nutriatur, quod ſpiritualiter præſtat Euchariſtia. Quarto, ut ſanetur, ſi ægrotus ſit, quod munus eſt Pœnitentiæ. Quinto, quia ex infirmitate vires corporis hebetantur, neceſſarium eſt aliquod remedium, quo corpus convaleſcat, extrahat reliquias infirmitatis, & ut animetur ad luctum, quod in Extrema Unctione perficitur. Sexto, ad bonum communitatis exigitur in aliquibus poteſtas gubernandi, & regendi alios; & hæc conceſſa eſt in Sacramento Ordinis, in quo confertur ſpiritualis poteſtas gubernandi, & regendi alios. Septimo, neceſſaria eſt propagatio prolis, & honeſta ejus educatio, quod ſine Sacramento Matrimonii obtineri non poteſt, & ſic ſequitur, quod ſeptem ſint Eccleſiæ Sacramenta. Aliam congruentiam affert Marchinus *tr. 1. de Ordine par. 1. c. 10. a n. 17.* ex eo quod Sacramenta ſunt inſtituta tanquam medicinæ ad ſanandas noſtras infirmitates, quæ ſunt ſeptem, nempe triplex infirmitas culpæ, & quadruplex pœnæ; ergo congruum fuit, ut pro numero noſtrarum infirmitatum, numerus Sacramentorum adhiberetur. Sic Baptiſmus ordinatur contra peccatum originale: Pœnitentia contra mortale: & Extrema Unctio contra veniale; Ordo contra ignorantiam: Confirmatio contra infirmitatem: Euchariſtia contra malitiam: & Matrimonium contra concupiſcentiam; ergo ſeptem ſunt Sacramenta, nec plura, nec pauciora, & ita tenent Catholici omnes.

DUBIUM III.

An Sacramenta Novæ Legis conſtet Rebus, & Verbis tamquam Materia, & Forma.

8 NON eſſe de eſſentia Sacramenti ut ſic eſſentialiter componi ex rebus, & verbis tamquam Materia & Forma, facile patet ex libera voluntate Dei inſtituentis Sacramenta, qui poteſt aut ſola verba ſine rebus, aut ſolas res ſenſibiles ſine verbis aſſumere ad ſignificandam, & cauſandam gratiam; cum ergo tota eſſentia Sacramenti conſiſtat in ratione Signi ſenſibilis practice cauſantis gratiam, ſalvari poteſt tota eſſentia Sacramenti, aut in ſolis rebus ſine verbis, adeoque ſine compoſitione ex rebus & verbis. Et de facto antiqua Sacramenta, ſi non omnia, ſaltem plura carebant forma verborum, ut de Circumciſione, & remedio pro originali habetur *Gen.* 17. de Agno paſchali *Exod.* 12. de Ordinat. Sacerdotis *Levit.* 8. in quibus Scripturæ locis traditur talium Sacramentorum ritus, & inſtitutio, nulla facta mentione verborum.

9. Reſp. omnia Sacramenta Novæ Legis componi, tanquam ex materia & forma, ex rebus, & verbis ſaltem æquivalenter, & virtualiter: quæ ultimæ particulæ adduntur contra Durandum, & paucos alios contendentes Sacramentum Matrimonii, & Pœnitentiæ non componi neceſſario rebus, & verbis, quia Matrimonium ſolo conſenſu Contrahentium perficitur abſque verbis; & Pœnitentia conſiſtit in confeſſione, quæ eſt materia proxima, & abſolutione Sacerdotis, adeoque in ſolis verbis. Horum tamen fundamenta facile ſolventur, ſi nomine verborum, non ſemper verba proprie dicta, ſed ea etiam, quæ verbis æquivalent, ſcilicet ſcriptura & nutus intelligantur, qua ratione conſenſus Contrahentium in Matrimonio ſigno ſenſibili expreſſus æquivalet verbis; in Pœnitentia vero non ſolum confeſſio facta verbis, ſed etiam ſatisfactio, & contritio, quæ aliquando ſolis nutibus declaratur, ſunt materia Pœnitentiæ. Nomine vero *rei* non ſolum res ipſa ſenſibilis in ſe, ſed etiam rei uſus intelligitur, ut evenit in aliis Sacramentis, in quibus rei uſus eſt materia proxima: quapropter in reſponſione appoſita eſt particula: *ſaltem æquivalenter, & virtualiter.*

10. Ratio deſumitur ex Concil. Florent. in inſtruct. ad Armenos, ubi, enumeratis ſeptem Eccleſiæ Sacramentis, habetur: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & perſona Miniſtri cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, quorum ſi aliquid deſit, non perficitur Sacramentum.* Et de facto Eccleſia ſingulis Sacramentis ſpecialem verborum formam aſſignat. Et D. Thomas *in 4. diſp. 1. q. 1. art. 3.* dicit commune eſſe omnibus Sacramentis, quod conſiſtant in rebus ſenſibilibus gratiam inviſibilem ſignificantibus; ſpeciale autem Sacramentis Novæ Legis, quod rebus verba addantur. Et 3. *p. q. 60. art. 6.* congruentias optimas affert tum ex parte Chriſti inſtituentis, tum ex parte hominis ſuſcipientis, tum ex parte Sacramentalis ſignificationis. Res autem in Sacramentis ſe habent ut materia, & verba ut forma, quia illarum ſignificatio eſt magis indeterminata, & confuſa; iſtarum vero magis determinata, & expreſſa. Sic in Baptiſmo, ut habet D. Thomas q. 60. art. 6. *aqua ſignificare poteſt & ablutionem propter ſuam humiditatem, & refrigerium propter ſuam frigiditatem: ſed cum dicitur: Ego te baptizo, manifeſtatur, quod aqua utimur in baptiſmo ad ad ſignificandam emundationem ſpiritualem.* Ita tenent communiter Doctores.

11. Dices 1. Sacramentum Pœnitentiæ ſolis verbis perficitur: nimirum confeſſione tanquam materia, & abſolutione tanquam forma. Nam licet etiam ſatisfactionem includat, hæc tamen non eſt pars eſſentialis eſſentialiter componens ipſum Sacramentum. Deinde etiam ipſa aliquando in ſolis verbis conſiſtit, ſicuti confeſſio, & abſolutio; ergo Sacramentum Pœnitentiæ ſolis verbis perficitur.

Reſp. negando antec. ad cujus probationem dico, præter confeſſionem & abſolutionem requiri ad Sacramentum Pœnitentiæ tamquam partem eſſentialem materialem dolorem, attritionem ſcilicet vel contritionem, qui dolor redditur ſenſibilis per ipſam confeſſionem, & aliquando ſolis nutibus declaratur. Deinde ſatis eſt reperiri res & verba æquivalenter; contritio autem & confeſſio, cum minus expreſſe gratiam ſignificent, quam abſolutio, conſiderantur magis ut res, quam ut verba; quidquid enim per aliud eſt determinabile, dicitur res, & materia Sacramenti.

12. Inſtabis: Dolor non eſt pars Sacramenti niſi ut ſenſibilis; ſed non eſt ſenſibilis niſi per verba, aut nutus gerentes vicem verborum; ergo non eſt pars Sacramenti niſi ratione verborum, & ſic tota materia Sacramenti Pœnitentiæ reducitur ad verba. Sed contra; ſicut dolor ſenſibilis eſt aliquid præter verba, licet non ſit ſenſibilis niſi per verba; ita illud, quod eſt materia Sacramenti Pœnitentiæ, eſt aliquid præter verba, licet non ſit materia niſi prius manifeſtetur per verba.

13. Dices 2. Sacramentum Matrimonii aliquando ſolis verbis conficitur, quibus mutuus conſenſus exprimitur, aliquando contrahi poteſt ſine verbis per litteras, & nutus, imo etiam per ſolam copulam carnalem, & per mutuam realem corporum traditionem affectu maritali factam, & ſic non omne Sacramentum Novæ Legis ſemper rebus ſimul, & verbis componitur.

Reſp. quod licet realiter Matrimonium aliquando in ſolis rebus, aliquando in ſolis verbis conſiſtat, æquivalenter tamen ſemper includit res, & verba, quia perficitur mutua traditione, & acceptione corporum, verbo, litteris, vel nutibus expreſſa; eſt enim hoc Sacramentum contractus quidam, qui inchoatur traditione materiæ, & perficitur acceptione. Quare traditio corporum ſive fiat verbis, ſive litteris, ſive nutibus, habet rationem rerum ſeu materiæ, quia adhuc eſt indifferens, & determinabilis ut acceptetur, vel non: acceptatio autem mutua poteſtatis in corpora ſive fiat verbis, ſive aliter, cum habeat rationem determinativi, inducit rationem formæ, ſeu verborum, ſic etiam Sacramentum Matrimonii conſtat rebus, & verbis ſaltem æquivalenter: in actu enim quo uxor v. g. conſentit in Matrimonium, duo illi actus diſtingui poſſunt, primus eſt: *volo eſſe tua*, ſecundus eſt: *volo ut ſis meus*; poſito primo actu non intelligitur unio eſſe integra, poſito ſecundo intelligitur eſſe plena & conſummata; primus habet rationem materiæ & rei, ſecundus habet rationem formæ, & verborum.

14. Dices 3. Sacramentum Euchariſtiæ non componitur ex verbis tamquam ex forma, ſed in ſolis rebus conſiſtit, nimirum in Corpore Chriſti, & ſpeciebus Euchariſticis; cum enim ſit Sacramentum permanens, non poteſt conſtitui per verba conſecrationis, quæ ſunt quid tranſiens. Deinde verba in hoc Sacramento ſunt cauſa efficiens; at nulla cauſa efficiens poteſt eſſe forma ſui effectus. ergo nec verba poſſunt eſſe forma Sacramenti Euchariſtiæ.

Reſp. in hoc dividi Auctores, quod plures cum Bellarm. Suar, & Vaſquio dicant verba conſecratoria in Sacramento Euchariſtiæ, utpote fluentia, ſucceſſiva, & tranſeuntia, habere quidem rationem cauſæ efficienti, non tamen formæ componentis. In contrarium tamen ſtat Concil. Florent. dicens: omnia Sacramenta perfici rebus tamquam materia, & verbis tamquam forma, quod etiam de Euchariſtia intelligi debet; proinde.

15. Reſp. Sacramentum Euchariſtiæ ſumi poſſe vel in

neri,

fieri, vel in facto eſſe, utroque modo includit verba, ſed diverſimode, ſcilicet in *fieri* includit verba formaliter exiſtentia, quia ſine verbis conſecratoriis formaliter exiſtentibus Chriſtus ſub ſpeciebus non ponitur: *in facto eſſe* includit verba exiſtentia virtualiter; licet enim verba formaliter tranſeant, remanent tamen virtualiter in ſpeciebus panis & vini, & ſic poſſunt intrinſece componere Euchariſtiam; de quo latius agunt Scholaſtici ſuo loco. Ad id quod additur, dico non repugnare cauſam efficientem ſub diverſa ratione eſſe formam ſui effectus, ut patet de anima rationali, quæ eſt cauſa efficiens nutritionis, deinde converſo alimento in ſubſtantiam aliti eſt forma ipſius: ita etiam verba conſecratoria ſunt cauſa efficiens ponens Corpus & Sanguinem ſub ſpeciebus; deinde per modum formæ remanent in ſpeciebus conſecratis.

16. Dices 4. Sacramentum eſt ſignum rei Sacræ; at forma ſigni non eſt niſi ſignificatio; componitur enim ſignum ex re ſignificante tanquam materia, & ſignificatione tanquam forma; & ſic forma Sacramenti non ſunt verba, ſed ſignificatio, ac proinde Sacramentum non componitur ex rebus & verbis, tanquam ex materia, & forma.

Reſp. in compoſitis moralibus, ſicut etiam in artificialibus duplicem dari compoſitionem ex materia, & forma, prout talia compoſita ſpecificativa, ſeu reduplicative conſiderantur. Sic verb. gr. navis ſi ſpecificative conſideretur, conſtituitur ex materia, & forma ligni, ex quibus reſultat compoſitum ſubſtantiale ligni; ſi vero conſideretur reduplicative, tunc componitur ex ligno tanquam ex materia, & ex forma artificiali navis, ex quibus reſultat compoſitum artificiale, prima compoſitio ſe habet ut ſubſtratum, ſeu materia ſecundæ. Duplex proportionaliter compoſitio aſſignari poteſt in compoſitis moralibus Sacramentorum, prima ex rebus, & verbis, tanquam ex materia, & forma, ſecunda ex re ſignificante tanquam ex materia, & ex ſignificatione, tanquam ex forma, ſed res ſignificans conflatur ex rebus, & verbis, proinde totum compoſitum, quod reſultat ex prima compoſitione ſe habet ut ſubſtratum, ſeu materia ſecundæ: igitur ſi Sacramentum ſumatur formaliter, & reduplicative, res, & verba ſe habent per modum materiæ, ſignificatio vero per modum formæ; at ſi ſumatur ſpecificative, res ſe habet per modum materiæ, verba vero per modum formæ. In præſenti autem loquimur de Sacramentis ſpecificative conſideratis.

17. Quæres, *quænam ſit dicenda materia proxima, quænam remota Sacramentorum?*

Reſp. Materiam proximam eſſe uſum, & applicationem materiæ remotæ, ſic in Baptiſmo aqua eſt materia remota, ablutio vero proxima: in Confirmatione Chriſma eſt materia remota, unctio proxima: in Euchariſtia panis, & vinum eſt materia remota, ſpecies Sacramentales proxima; in Pœnitentia peccatum eſt materia remota, dolor, confeſſio, & ſatisfactio proxima: in Extrema Unctione materia remota eſt Oleum benedictum, proxima vero eſt unctio in quinque ſenſibus: in Ordine materia remota ſunt inſtrumenta, quæ tangenda proponuntur Ordinando, proxima eſt ipſa traditio: in Matrimonio corpora Contrahentium ſunt materia remota, traditio vero eſt materia proxima, prout ſuo loco de ſingulis Ordinibus dicetur.

18. Quæres 2. *Quænam unitas, & ſimultas requiratur inter materiam & formam Sacramenti?*

Reſp. requiritur, & ſufficit unio quædam moralis; ideſt talis ſimultas, & propinquitas, ut ex modo, quo actio illa fit, & ex judicio prudentum cenſeri poſſit forma applicata materiæ. Ratio eſt, quia Sacramentum eſt compoſitum quoddam morale, ad cujus eſſentialem conſtitutionem requiritur, & ſufficit unio moralis, prout cum aliis docet Bonacina *de Sacram. q. 1. p. 2.* Hæc moralis ſimultas non conſiſtit in indiviſibili, nec eſt eadem reſpectu omnium Sacramentorum, ſed reſpectu diverſorum eſt diverſa, major vel minor prout cum majori vel minori ſimultate poteſt verificari forma Sacramenti. In Euchariſtia requiritur, ut eo ipſo tempore, quo profertur forma verborum, materia ſit præſens, quia illam ut præſentem ſignificat pronomen demonſtrativum, *hoc*, vel *hic*, quod in forma ponitur. In Matrimonio, quia forma Sacramenti cadit ſupra contractum, tanquam ſupra materiam, ea ſimultate contenta eſt, qua eſt regulariter contentus quilibet contractus. Forma Sacramenti Pœnitentiæ, quia ſe habet ut ſententia judicialis, ea ſimultate contenta eſt, qua eſt regulariter contenta ſententia judicialis in ordine ad rem judicatam. Ex quo infert Gabriel a S. Vincentio *diſp. 2. de Sacram. q. 1.* quod ſicut in judicio valet ſententia prolata ſuper cauſam pridie expoſitam, ita etiam valet abſolutio data ſuper peccata pridie confeſſa: in aliis vero Sacramentis, quæ in actione aliqua tranſeunte conſiſtunt, & quorum forma applicationem ipſius materiæ ſignificat, requiritur immediata propinquitas, inter applicationem materiæ, & prolationem formæ. Et quamvis probabile ſit, fore validum Baptiſmum, ſi ſtatim poſt ablutionem verba formæ proferantur, aut poſt formæ prolationem ablutio ſequatur: tutius tamen, & certius erit in praxi, ſi prolatio formæ ſimul tempore cum ablutione conjungatur, vel certe incipiat prolatio formæ, priuſquam ablutio perficiatur, aut vice verſa, prout docet Gloſſa in cap. *detrahitur*, *Cauſa 1. q. 1.* Scotus, Cajet. & alii apud Madernum,

Quod maxime verum eſt poſt damnatam primam propoſitionem ab Innocentio XI.

DUBIUM IV.

An Sacramenta Novæ Legis habeant determinatam materiam & formam ex inſtitutione Chriſti.

19. CUM Chriſtus ſit Sacramentorum Inſtitutor, potuit materiam, & formam cujuſcumque Sacramenti ſpecifice, aut ſolum generice determinare, inde quærimus, an indeterminatam reliquerit, ita quod poſſit quilibet pro libito, vel ſaltem Eccleſia Sacramentorum materiam variare; fuit enim antiqua hæreſis, non eſſe in Sacramentis de materia, ſed ſolum de verborum forma curandum, adeo ut, ſalvata forma per cujuſcumque materiæ applicationem, Sacramentalis gratia producatur.

20. Reſp. Quodlibet Sacramentum ex inſtitutione Chriſti habet determinatam materiam, quæ ſi quoad ſubſtantiam mutetur, Sacramentum invalidatur, ſecus ſi mutetur ſolum accidentaliter. Ita omnes Catholici una voce poſt Concil. Florent. ubi determinata materia pro unoquoque Sacramento aſſignatur: & confirmat uſus Eccleſiæ, quæ in materiis Sacramentorum nihil unquam ſubſtantialiter immutavit, ſed religioſiſſime ſemper quæ ſunt a Chriſto præſcripta ſervavit, & ſi quæ accidentalia pro temporum varietate immutanda eſſe judicavit, id ſemper, ſalva Sacramentorum ſubſtantia, ſe facere profeſſa eſt, ut habetur ex Trident. *ſeſſ. 21. c. 2* Et certe maxime congruum fuit, ut Sacramentorum materia a Chriſto inſtitueretur, & determinaretur, qui ſolus potuit rebus, & verbis vim tribuere cauſativam gratiæ: tum ut magis eluceſceret unitas Eccleſiæ, quæ tota ad eadem Sacramenta iiſdem materiis conficienda conſpiraret, tum ut major reverentia Sacramentis conciliaretur, dum intelligimus ea fieri ſecundum ritum, & materiam, quam Chriſtus Sacramentorum Auctor determinavit. Ita Bonac. *diſp. p q. 2. p. 1. n. 7.* Madernus *q. 1. art. 10.* Lugo *diſp. 2. a n. 18.* Reginaldus *lib. 26. a n. 15.* Navar. *de pœnit. diſt. 5. cap. in principio num. 15.*

21. Quod autem ſubſtantialis mutatio materiæ invalidet Sacramentum, facile patet, quia quoties non fit id, quod Chriſtus inſtituit, nullum eſt Sacramentum; ſed quoties mutatur ſubſtantialiter materia, non fit quod Chriſtus inſtituit, & ſic illa mutatio irritat Sacramentum. Tunc autem materia mutatur ſubſtantialiter, quando mutatur ſecundum ſpeciem, ut ſi ad baptizandum, vinum vel alium liquorem adhibeas pro aqua elementari: vel quando materia, quæ apponitur, non habet idem nomen, & juxta communem uſum conceptionemque hominum non habet eamdem rationem cum ea, quæ ab Eccleſia eſt uſitata. Illa autem mutatio erit ſolum accidentalis, quando retenta ſpecie, ſeu retento eodem nomine, & uſu, mutatur ſecundum aliqua accidentia, ut ſi panem fermentatum pro azimo, vinum rubrum pro albo adhibeas in Euchariſtia. Quod ut clarius percipiatur:

22. Probatur, & explicatur reſponſio brevi inductione facta per omnia Sacramenta. Baptiſmus habet pro materia remota aquam naturalem, pro materia proxima ablutionem, ideo ea omnia, quæ aqua naturalis dici ſolent, ſunt materia propria, & neceſſaria Baptiſmi: hujuſmodi ſunt aqua maris, putei, fontis, pluviæ, reſoluta ex nive, grandine, & glacie. Glacies tamen ipſa non ſufficit, quia licet in re ſolum accidentaliter differat ab aqua naturali, in ordine ad ablutionem; quæ eſt materia proxima Baptiſmi, omnino inepta eſt: inſufficientes ſunt humores omnes tum naturales, tum artificiales, quos aquas diſtillatas vocant. Ablutio, quæ eſt materia proxima, appellat contactum ſucceſſivum aquæ ad corpus, & fieri poteſt vel per immerſionem totius corporis in aquam, vel per infuſionem aquæ, ſive per aſperſionem, quia tres illi modi veram important ablutionem; & ea aquæ quantitas requiritur, quæ ſufficiat ad ablutionem, ſicut & Infantis pars ablui debet, quæ ſufficiat ad denominandum ipſum ablutum. Unde probabiliter putant aliqui, per ſolam digiti, & a fortiori per ſolam capillorum, qui ſunt partes excrementitiæ, ablutionem, Baptiſmum validum non conferri: & ſi in caſu neceſſitatis Infans in tali parte, de qua dubitatur an ad valorem Baptiſmi ſufficiat, baptizetur, erit, tranſacta neceſſitate, ſub conditione rebaptizandus.

23. Confirmatio habet pro materia remota oleum olivarum balſamo mixtum, ſeu Chriſma ab Epiſcopo conſecrato benedictum; pro materia proxima habet unctionem in formam Crucis in fronte factam. Utrum balſamum requiratur ſolum neceſſitate præcepti, an neceſſitate Sacramenti, & utrum poſſit Eccleſia ordinare, ut ſufficiat Chriſma a ſimplici Sacerdote benedictum, ſub lite eſt. Unctio, quæ eſt materia proxima, eſſentialiter facienda eſt in fronte, non tamen videtur eſſentiale, quod fiat in modum Crucis, & pollice dextero Epiſcopi, ſed quilibet alius digitus etiam ſiniſtræ manus probabiliter ſufficiet. Utrum autem ſufficiat talis unctio facta medio aliquo inſtrumento, puta calamo, aut virga, magis dubium eſt, & pars negativa tenenda eſt ab iis, qui docent de eſſentia hujus Sacramenti eſſe manuum impoſitionem.

24. Euchariſtia habet pro materia remota panem triticeum, & vinum de vite; pro materia proxima ſpecies panis & vini, Corpus & Sanguinem Chriſti. Immixtio aquæ eſt de neceſſitate præcepti, & de eadem ſolum neceſſitate eſt, quod panis apud Latinos ſit azimus, apud Græcos fermentatus. Vinum in uvis adhuc incluſum, quia non eſt potabile, nec uſuale, non eſt materia ſufficiens, quod etiam aliqui docent de vino congelato, aliis negantibus, quia de illa non militat eadem ratio, ut tradetur ſuo loco.

25. Pœnitentia habet pro materia remota peccata actualia, ſive lethalia, ſive venialia ſint, etiam alias confeſſa; pro materia proxima habet actus Pœnitentiæ, nimirum confeſſionem & dolorem. Hic, dummodo ſupernaturalis ſit, & cum propoſito non peccandi, ſufficit, ſive ſit contritio, ſive attritio, quia licet contritio, & attritio phyſice ſpecie differant, moraliter tamen, & in ordine ad Sacramentum ejuſdem ſpeciei materiam conſtituunt, de quo fuſius ſuo loco.

26. Extrema Unctio habet pro materia remota oleum olivarum ab Epiſcopo benedictum; pro materia proxima unctionem. Illud etiam ſi habeat modicam alterius liquoris mixtionem, ſufficit, dummodo maneat ſubſtantialiter, & majori ex parte oleum olivarum. Ipſius benedictio, utrum ex ordinatione Eccleſiæ fieri poſſit a ſimplici Sacerdote, in controverſia eſt æque ac de Chriſmate. Ordo ſervari conſuetus in ungendis partibus, item unctio manuum, & pedum de neceſſitate Sacramenti non eſt; de unctione quinque ſenſuum major eſt ratio dubitandi, & probabile eſt ſufficere poſſe in neceſſitate unctionem unicam tantum in uno factam ſenſorio, prolata tamen integra forma; *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quidquid per viſum, auditum, odoratum, guſtum, & tactum deliquiſti.* Non eſt neceſſe, ut unctio fiat immediate manu Sacerdotis, ſed tempore peſtis poteſt uti virgula, cujus miniſterio infirmum ungat, ut recte concedit Suarez *diſp. 44. ſect. 3. n.* 20.

27. Ordo habet pro materia remota rem illam, quæ traditur ſuſcipienti ordines; pro materia proxima ejuſdem rei traditionem. Sed ſpecialis hic occurrit difficultas propter ritum Græcorum, qui diverſa materia, & forma utuntur in conferendis ordinibus ab illa, qua utitur Eccleſia Latina. Siquidem Græci Sacerdotium conferunt per ſolam manuum impoſitionem cum verbis proportionatis abſque traditione calicis & patenæ, ſicut etiam conferunt Diaconatum per ſimilem impoſitionem abſque traditione libri Evangeliorum. Dicendum tamen eſt, ritum Græcorum non differre eſſentialiter a ritu Latino, quia Chriſtus in inſtitutione Sacramenti Ordinis non determinavit materiam & formam ſumptas materialiter, & ſpecifice, ſed tantum formaliter & generice, ſcilicet præſcribendo, quod conferretur Ordo per ſignum aliquod ſenſibile expreſſivum poteſtatis conferendæ, & per verba hoc ipſum exprimentia. Cum igitur utraque Eccleſia conferat ordines per ſignum ſenſibile, & per verba ſignificantia traditionem poteſtatis, utraque valide confert, & utraque formaliter loquendo ſervat materiam & formam a Chriſto inſtitutam, licet non materialiter, cum utantur ſignis diverſis: & ita tenent Lugus, Madernus, Marchinus, & alii communiter, ut fuſius ſuo loco.

28. Matrimonium habet pro materia remota corpora Contrahentium; pro materia proxima ipſam corporum traditionem mutuam ad uſum conjugii, vel factam phyſice per carnalem copulam, vel factam moraliter per mutuum conſenſum, quo ſe invicem Conjuges ad talem traditionem obligant: acceptio autem mutua eſt forma. Hujuſmodi conſenſus, ubi receptum eſt Concilium Trident. non eſt ſufficiens materia Matrimonii, niſi ſit coram Parocho, & duplici teſte exhibitus. Nec propterea Eccleſia mutavit materiam iſtius Sacramenti formaliter, & ut eſt materia Sacramenti, ſed ſolum materialiter, & ut eſt materia contractus politici, & civilis, applicando ſcilicet aliquam conditionem contractui politico, & civili, qua dempta, non ſit legitimus contractus. Nam Chriſtus in inſtitutione iſtius Sacramenti, elevavit contractum matrimonialem ad rationem Sacramenti, & voluit illius materiam eſſe contractum humanum validum ſecundum leges humanas. Igitur Eccleſia non mutavit materiam Sacramenti, ſed ſolum determinavit, quod contractus ille non eſſet validus, niſi celebraretur coram Parocho & duplici teſte, ea ratione qua Princeps ſæcularis poteſt alias conditiones apponere pro validitate teſtamenti, aut alterius contractus civilis. Ex quo fit Eccleſiam majorem habere poteſtatem variandi Sacramentum Matrimonii, quam alia Sacramenta, quia illud fundatur in valore contractus, qui poteſt ab Eccleſia variari per appoſitionem alicujus conditionis; materia vero aliorum Sacramentorum non ſubeſt poteſtati Eccleſiæ, quæ non poteſt facere, ut illud quod erat vinum, non ſit vinum.

DUBIUM V.

Quænam mutatio Formæ invalidet Sacramentum.

29. RESP. Formæ Sacramentales habent verba determinata, quarum mutatio ſubſtantialis invalidat Sacramentum, non ſic mutatio accidentalis. Patet prima pars ex communi uſu, & traditione Eccleſiæ, in qua conformiter ad Chriſti inſtitutionem, SS. Patrum auctoritates, & Conciliorum, præcipue Florent. & Trident. deffinitiones, determinatæ verborum formæ adhibentur, & aliquæ traduntur expreſſe in Scriptura, ut illa Baptiſmi Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* & illa Euchariſtiæ Matt. 26. *Hoc eſt Corpus meum. Hic eſt Sanguis meus.* Ratio ſecundæ partis eſt, quia non minus eſt de eſſentia Sacramenti determinata forma, quam determinata materia; ergo ſi mutatio ſubſtantialis materiæ Sacramentum invalidat, non ſic accidentalis; idem dicendum erit de mutatione formæ. Illa autem mutatio in forma cenſenda eſt ſubſtantialis, in qua variatur ſenſus & ſignificatio verborum, quia ſenſus & ſignificatio ſunt quaſi anima, & ſubſtantia verborum. Quod ſi mutatio talis ſit, ut maneat idem verborum ſenſus, cenſenda eſt accidentalis; quod magis explico afferendo in particulari varias mutationes, quæ in verbis formarum Sacramentalium poſſunt contingere.

30. Prima mutatio contingit per diverſitatem idiomatis, & hæc mutatio eſt accidentalis, quia manet idem ſenſus quocumque idiomate verba proferantur; ſecus ſolo ſermone Syriaco, vel Hæbraico, in quo Chriſtus locutus eſt quando Sacramenta, eorumque formas inſtituit, valide Sacramenta conficerentur. Inde notat Cajet. *q. 60. art. 7. ad* 2. validam eſſe formam, ſive tota pronuncietur uno idiomate, ſive miſceatur partim ex uno, partim ex alio; puta ſi in forma Baptiſmi adhibeatur unum verbum Latinum, aliud Græcum, aliud Hyſpanum.

31. Secunda contingit per verba ſynonima, & hæc mutatio eſt accidentalis, dummodo verba vere ſint ſynonima, & idem eadem claritate ſignificantia. Quod ſi idem ſignificent ſolum confuſe, quoties fuerit circa principale ſignificatum, erit mutatio ſubſtantialis, quia variatur ſenſus, & de explicito fit implicitus; inde non valet Baptiſmus datus ſub hac forma; *Ego te baptizo in nomine Trinitatis.* Quod ſi verba ſint ambigua, vel æquivoca, dummodo ex circumſtantiis, & intentione proferentis determinentur ad ſenſum requiſitum, validum eſt Sacramentum; qui tamen hujuſmodi verbis utitur, peccat, quia ſe exponit periculo irritandi Sacramentum. Ex poteſtate utendi verbis ſynonimis in formis Sacramentorum, ſequitur reſpectu Perſonæ illuſtris dici poſſe; *Ego baptizo vos, abſolvo vos,* aut *veſtram Celſitudinem.* E contra ſi Perſona illuſtris Sacramentum miniſtrat, dicere poterit; *Nos baptizamus, Nos abſolvimus,* quia hujuſmodi pronomina *ego, tu, nos, vos,* ex communi uſu ſibi æquivalent reſpectu talium perſonarum.

32. Tertia contingit per verborum tranſpoſitionem, quę mutatio accidentalis, vel ſubſtantialis eſſe poteſt, prout talis tranſpoſitio ſenſum variat, vel non variat, quod judicare relinquitur prudenti exiſtimationi. Eſſet ſubſtantialis mutatio per tranſpoſitionem in forma Euchariſtiæ, ſi diceretur; *meum eſt hoc Corpus*: eſſet accidentalis; *Ego te baptizo Patris in nomine, &c.* Non valet; *Ego in te Patris baptizo nomine &c.*

33. Quarta per interpolationem, quæ ſi tanta ſit, ut ſenſum interrumpat, cenſenda eſt mutatio ſubſtantialis; ſecus ſi minor, ita quod ſecundum regulas logicas, & prudentem exiſtimationem forma retineat eſſe unius propoſitionis. Quod ſi non ſolum, ut ita dicam, ſit interpolatio temporis, ſed etiam interpolatio perſonæ, adeo ut una pars formæ ab uno Miniſtro, alia ab alio Miniſtro proferatur, tunc forma ſicut non retinet rationem unius propoſitionis, ita nec retinet eumdem ſenſum, eſtque mutatio ſubſtantialis invalidans Sacramentum. Excipiuntur Extrema Unctio, & Ordo, in quibus partiales unctiones, & partiales Ordinationes habent partiales diſtinctas formas, quas poſſunt diſtincti Miniſtri valide proferre. Excipi etiam poteſt Matrimonium, in quo uterque Conjux eſt Miniſter, & verba quibus ſe invicem uterque obligat, & acceptat ad corporis traditionem, habent rationem formæ.

34. Quinta per verborum corruptionem, quæ mutatio ut plurimum eſt accidentalis, maxime ſi ex balbutie, aut imperfectione, vel etiam lapſu linguæ, vel ex Latini idiomatis ignorantia contingat. Nec neceſſe eſt, ut verba ſic corrupta idem omnino ſignificent, ſed ſatis eſt, ut ex modo quo hic & nunc proferuntur, & attentis omnibus circumſtantiis eumdem moraliter ſenſum generent apud audientes. Sic Zaccarias Pontifex in c. *Retulerunt de conſecr. diſt.* 4. definivit validum eſſe Baptiſmum, quem quidam ignarus linguę latinæ ſub hac forma miniſtraverat. *Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritua Sancta.* Quod ſi corruptio ſit tanta, ut auferat omnino locutionis ſenſum, non conficitur Sacramentum; & ad hoc dignoſcendum aſſignatur hæc regula a D. Thoma *hic art.* 7. Si mutatio ſe teneat ex parte principii dictionis, regulariter variatur ſenſus, ut ſi loco in nomine *Patris*, dicatur in nomine *Matris*; ſi vero mutatio ſit ex parte finis, non mutat regulariter ejus ſignificationem.

35. Sexta per alicujus verbi detractionem, quæ mutatio eſt accidentalis, ſi ſenſum notabiliter non variet, ut eſſet detractio pronominis *Ego* in formis Baptiſmi, & Pœnitentiæ; vel particulæ *enim*, in forma Euchariſtiæ. Quod ſi quis exiſtimet aliqua verba, quæ vere ſint de eſſentia formæ, non eſſe de ipſius eſſentia, & illa proferat, non

tan,

tanquam de eſſentia, ſed ex devotione vel alio titulo, dummodo habeat intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, Sacramentum non invalidat, quia illa error internus per verba non exprimitur, & intentio proferendi talia verba tanquam non de eſſentia, non retractat priorem, & generalem intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, ex vi cujus intentionis Sacramentum conficitur.

36. Septima per verborum addictionem, quæ mutatio eſt accidentalis, ſi verba addita ſenſum priorem non deſtruant, aut varient, vel ſi deprecatorie tantum, non conſecratorie proferantur. Sic valet in Baptiſmo: *Ego te baptizo in nomine Patris Omnipotentis, Filii Sapientis, & Spiritus Sancti Paracliti*. Valet etiam: *Ego te baptizo in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti, & Beatæ Virginis*, ſi ſenſus ſit, & commendo te Beatæ Virgini. Imo etiam ſalvatur forma, ſi verba, quæ adduntur, pugnent contra fidem, dummodo non pugnent contra ſignificationem formæ, & a Miniſtro addantur ad explicandam propriam mentem, non vero tanquam de eſſentia formæ, ut ſi in forma Euchariſtiæ dicatur: *Hoc eſt Corpus meum, quod exiſtimo non crucifixum*: vel in Baptiſmo: *Ego te baptizo in nomine Patris, quem exiſtimo majorem; Filii, quem exiſtimo minorem, &c.* dummodo adſit intentio faciendi, quod facit Eccleſia, cenſenda eſt mutatio accidentalis, quia verba non adduntur ad tollendum ſenſum formæ, vel ad ſignificandas alias Perſonas a Perſonis Trinitatis, ſed præciſe ad explicandam mentem, & exiſtimationem Miniſtri. Si autem quis diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris majoris, Filii minoris &c.* tenet Madern. *q. 1. art. 11 n. 14.* eſſe mutationem ſubſtantialem, quia verbum ſuperadditum modificat principale ſignificatum formæ, & deſtruit æqualitatem perſonarum.

37. Univerſaliter mutatio aliqua in formis Sacramentorum, quomodocumque contingat, cenſenda eſt ſubſtantialis vel accidentalis, prout ſenſum, & ſignificationem ſubſtantialiter variat, aut non variat attentis omnibus circumſtantiis ſecundum prudentum exiſtimationem.

DUBIUM VI.

An ſit licitum in adminiſtratione Sacramenti uti materia, & forma dubia.

38. Reſp. peccare mortaliter qui extra caſum neceſſitatis in adminiſtratione Sacramentorum utitur materia, & forma dubia. Ratio eſt, quia ſine neceſſitate, & ſine ulla cauſa exponitur periculo faciendi Sacramentum nullum: in extrema autem neceſſitate, qui tali materia vel forma uteretur, non peccaret, quia tunc melius eſſet Sacramentum dubium, quam Sacramentum nullum. Sic licite quis baptizaret puerum proxime moriturum cum aqua roſacea, brodio, vel alia materia dubia, ſi nulla omnino eſſet aqua naturalis, & immineret periculum mortis in puero. Ita Suarez *diſp. 26. ſect. 2.* Reginaldus, & alii, quos affert, & ſequitur Bonacina *diſp. 1. q. 2. part. 1. n. 32.* ubi advertit idem eſſe dicendum de illo, qui hoc facit, ſequendo opinionem probabilem, peccare mortaliter; adhuc enim exponit ſe periculo faciendi Sacramentum invalidum, cum probabilis opinio non ſuppleat id, quod Chriſtus voluit eſſe de neceſſitate Sacramenti; quod maxime verum eſt poſt propoſitiones damnatas ab Innocentio XI. quarum prima eſt: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiori, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum non eſt utendum in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.*

39. Quæres. *An ſit licitum reiterare formam ſuper eamdem materiam?*

Reſp. negative, quia fieret injuria Sacramento: quare ſi valide hoſtiam conſecraſti, vel puerum baptizaſti, non potes iterum proferre formam, niſi adeſſet rationabile dubium, an talem formam rite, & bene quoad ſubſtantiam protuleris, quia tunc poteris illam repetere ſub conditione.

40. Quæres 2. *Quid ſit in Sacramentis res tantum, Sacramentum tantum, res & Sacramentum ſimul?*

Reſp. In Sacramentis illud dici res tantum, quod ſignificatur, & non ſignificat; illud dici Sacramentum tantum, quod ſignificat, & non ſignificatur; illud dici res, & Sacramentum ſimul, quod ſignificatur, & ſignificat. Sicque in omnibus Sacramentis res tantum eſt Gratia, quæ ita ſignificatur per Sacramentum, ut non ſignificet aliud: Sacramentum tantum eſt ipſa materia, & forma Sacramenti, ex quibus reſultat quoddam totum ſenſibile ita ſignificativum Gratiæ, ut non ſignificetur ab alio. Res, & Sacramentum ſimul in Sacramentis characterizantibus, nimirum Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine eſt character, quia ſignificatur a Sacramento, & ſignificat Gratiam: in Euchariſtia eſt Chriſti Corpus, quia ſignificatur per ſpecies, & ſignificat Gratiam: in Matrimonio eſt indiſſolubilitas Conjugum, ſeu individua vitæ conſuetudo, quia ſignificatur per materiam, & formam, & ſignificat unionem Chriſti, & Eccleſiæ; in Extrema unctione eſt vel ſanitas corporis, ſi expediat, & ſignificat ſanitatem animæ, vel hilaritas, & confortatio mentis. Nec refert, quod aliquando neutrum ex iis Extrema unctio cauſet; ſatis eſt enim, quod ſit ſecundum ſe apta cauſare, ut poſſit dici ſignificari ab ipſo, ſicuti, licet aliquando propter obicem Gratia a Sacramento non cauſetur, ſemper tamen dicitur a Sacramento ſignificari. In Pœnitentia aliqui aſſignant dolorem, qui ſit Sacramentum, quatenus ſignificat Gratiam, ad quam cauſandam concurrit, ſit res, quatenus ſignificatur a confeſſione, dum per ipſam redditur ſenſibilis. Impugnat Lugus hunc dicendi modum, ex eo quod dolor non ſignificatur ſacramentaliter ex vi inſtitutionis Chriſti a confeſſione; nam independenter etiam ab inſtitutione Chriſti ex ipſo quod quis ſua peccata ad eorum veniam impetrandam confitetur, ſignificat ſe de ipſis dolere: vult igitur Lugus illud, quod eſt res, & Sacramentum, debere ſacramentaliter ſignificare, & ſignificari. Dolor autem licet ſacramentaliter ſignificet, non tamen ſacramentaliter ſignificatur; ideo per ipſum non poteſt dici res, & Sacramentum, ſed vult, quod in Pœnitentia res, & Sacramentum ſit pax conſcientiæ eo proportionaliter modo, quo hilaritas mentis, vel ſanitas corporis eſt res, & Sacramentum in Extrema unctione. Videatur Lugus *diſput. de Pœnitent. ſect. 8. num. 166.*

CAPUT II.

De Sacramentorum neceſſitate.

DUBIUM I.

An fuerit neceſſaria Sacramenta in ſtatu Innocentiæ.

Dubium non procedit de Sacramentorum neceſſitate ſimpliciter, & abſolute, in quo ſenſu certum eſt Sacramenta in nullo ſtatu fuiſſe humano generi neceſſaria, quia ſicut Deus potuit non creare hominem, ita potuit illum non ordinare ad finem ſupernaturalem; & tali ordinatione poſita, poterat ſine Sacramentis pluribus aliis modis hominem ad ſalutem perducere. Procedit ergo dubium de neceſſitate congruentiæ, & convenientiæ: an ſcilicet Sacramentorum inſtitutio ſit conveniens humano generi. Ut autem diſtincte procedamus.

2. Nota, humanam naturam conſiderari poſſe, primo in ſtatu Innocentiæ, in quo fuit creatus Adam cum juſtitia originali, qui ſtatus, licet modico duraverit tempore, potuit tamen eſſe diuturnior, quatenus potuit divinitus Adam a peccato præſervari, vel Adamo peccante poterat ipſius peccatum non transfundi originaliter in poſteros, qui propterea in juſtitia originali, & Innocentiæ ſtatu nati fuiſſent. Deinde conſiderari poteſt humana natura in ſtatu peccati, ideſt poſt peccatum Adæ, qui ſtatus adhuc ſecundum triplicem legem, tripliciter dividi, & conſiderari poteſt; nam alius eſt ſtatus hominis lapſi ſub Lege Naturæ, qui duravit a lapſu Adæ uſque ad Moyſen, & dicitur ſtatus Legis Naturæ, quia nulla impoſita erat lex poſitiva Dei, ſolumque vigebat lex naturalis in hominum mentibus impreſſa, & habuit duas partes, alteram ab Adamo uſque ad Abraham, cui ſine ſcriptis impoſita eſt Circumciſio, alteram ab Abrahamo uſque ad Moyſen: alius ſub Lege Scripta, qui duravit a Moyſe uſque ad Chriſtum: tertius eſt ſtatus gratiæ, ſeu Legis Evangelicæ, qui a Chriſto uſque ad finem Mundi duraturus eſt; quorum trium ſtatuum meminit D. Auguſtinus *epiſtol.* 119. ubi notat tria tempora ſæculi: *ante legem; ſub lege; ſub gratia*: & communiter dicuntur: *Lex Naturæ: Lex Moyſis: & Lex Chriſti*. De ſingulis iis ſtatibus ſuo ordine dicemus, exordium ſumentes a ſtatu Innocentiæ: an ſcilicet in eo ſtatu fuerit neceſſaria Sacramentorum inſtitutio.

3. Prima ſententia docet fuiſſe de facto a Deo inſtituta aliqua Sacramenta etiam pro brevi illo tempore, quo ſtatus Innocentiæ in primis Parentibus duravit, non quidem ratione medicinæ, ſed ratione eruditionis. Ita Durandus, Alenſis, Alanus apud Madernum *q. 2. art. 1.*

4. Secunda docet de facto nulla fuiſſe inſtituta Sacramenta pro illo brevi tempore, quo ſtatus Innocentiæ duravit; tamen inſtituenda fore, ſi ſtatus ille duraſſet: præcipue admiſſa ſententia Scoti, quod adhuc in eo ſtatu fuiſſet poſita Incarnatio, & ſignate dicunt inſtituendum in eo ſtatu Sacramentum Euchariſtiæ, & Sacramentum Ordinis ad Miniſtros tanti Sacrificii, & Sacramenti convenienter inſtituendos. Ita Suarez, & Coniochus.

5. Tertia diſtinguit, & dicit, quod ſi Adamo non peccante ſtatus Innocentiæ in omnibus poſteris duraſſet, nulla inſtituenda forent Sacramenta; bene tamen ſi aliqui peccarent. Ita Nugnus, & alii.

6. Reſp. nulla de facto inſtituta fuiſſe Sacramenta in ſtatu Innocentiæ pro illo brevi tempore, quo duravit in Adamo: & probabile eſt nulla etiam inſtituenda fore, quamvis ſtatus Innocentiæ perſeveraſſet in poſteris. Ratio primæ partis eſt, quia nullum extat in Scriptura, aut Patribus veſtigium Sacramenti inſtituti in ſtatu Innocentiæ, quod eſt ſignum nullum fuiſſe inſtitutum: cum præci-

Digitized by Google

que inutilis propemodum fuiſſet talis inſtitutio, quia vix potuiſſet eſſe locus uſui Sacramentorum propter brevitatem ſtatus, utpote qui ſecundum aliquos per integram ſolum diem duravit, & ſecundum alios breviorem adhuc habuit durationem, Ita pluribus citatis Leander *diſput.* 2, *quæſt.* 1.

n. 7. Nec obſtat, quod in ſtatu Innocentiæ fuerit Matrimonium inter Adam, & Evam, quod ab Apoſt. *ad Ephoſ.* 5. appellatur Sacramentum: non obſtat, inquam, quia tale Matrimonium non dicitur Sacramentum, quaſi eſſet ſignum ſacrum ſignificans, & conferens gratiam, ſed quia fuit myſterium, & figura futuræ Incarnationis, & unionis Verbi Divini cum Natura humana, vel ſignum unionis Chriſti cum Eccleſia; unde Paulus vocans Matrimonium illud *magnum Sacramentum*, ſubjungit, *hoc autem dico in Chriſto, & Eccleſia*, inde ſumpſit Sacramentum pro Myſterio, ut cum aliis docet Dicaſtillus *tractat.* 1. *diſputat.* 1. *dub.* 14. §. 1.

8. Ratio ſecundæ partis eſt, quia ſi duraſſet ſtatus Innocentiæ, Sacramenta non eſſent pro tali ſtatu neceſſaria, nec congrua; quia cum nulla eſſet rebellio carnis, nec difficultas ad bonum, potuiſſet homo facillime per ſuos actus conſervare, & augere gratiam a Deo acceptam in ſua Creatione. Ita D. Thomas 3. *p. quæſt.* 61. *art.* 2. Bonac. *diſp.* 1. *q.* 1. *p.* 3. & ſatis communiter Doctores. Madernus 3. *p. tract.* 2. *quæſt.* 2. *art* 1. ait hoc eſſe incertum, quia inſtituere, vel non, pro tali ſtatu Sacramenta, pendet a ſola voluntate Dei, quam velle inveſtigare, divinare eſt.

9. Reſp. 2. Adamo non peccante, ac proinde perſeverante ſtatu Innocentiæ, ex vi præſentis decreti, nulla fuiſſent inſtituta Sacramenta, etiam ſi aliqui ex ejus poſteris peccaſſent. Ratio eſt, quia ſi ſtatus Innocentiæ perſeveraſſet, Adamo non peccante, Chriſtus non veniſſet ſaltem in carne paſſibili, nec Verbum fuiſſet incarnatum, ac proinde nulla fuiſſent inſtituta Sacramenta, quæ ex vi præſentis decreti cauſant, & ſignificant gratiam Chriſti, habent totam ſuam virtutem, & efficaciam ex Verbo Incarnato, ex morte, & paſſione Chriſti, unde etiam dicuntur a SS. Patribus dimanare ex latere Chriſti; ergo in eo ſtatu, in quo futurus non fuiſſet Chriſtus, aut ſaltem non fuiſſet paſſus, & mortuus, futura non fuiſſent Sacramenta. An vero fuiſſent inſtituenda Sacramenta ex vi alterius decreti, incertum eſt, ut optime notat Madernus *a.* 6.

10. Dices. Si ſtatus Innocentiæ perſeveraſſet, fuiſſet in ipſo Deus colendus cultu externo privato, & publico; ſed hujuſmodi cultus exhibetur per Sacramenta; ergo ſi ſtatus Innocentiæ perſeveraſſet, in illo fuiſſent Sacramenta. Ant. prob. Homo in ſtatu Innocentiæ fuiſſet compoſitus ex corpore & anima, non minus quam nunc; ergo non ſolum per operationes internas animæ cultum internum, ſed etiam per operationes externas corporis cultum externum debuiſſet exhibere, ut ſic corporis, & animæ actionibus Deum corporis, & animæ Auctorem recognoſceret.

11. Reſp. in tali ſtatu fuiſſe Deum colendum per actiones externas non Sacramentales, quia Sacramenta non ſunt primario inſtituta propter Dei cultum, ſed propter hominum ſalutem, & ſanctificationem, ex Chriſti meritis per Sacramenta applicandis, ſed per Sacrificia, quæ primario ad Dei cultum, & honorem ordinantur: & in illo ſtatu eſſent convenientia, quia, ut notat D. Thomas 2, 2. *q.* 85. *art.* 1. offerre Deo Sacrificium eſt de jure naturæ, eo quod ratio naturalis dictat nos debere recognoſcere ipſum Deum, & per quædam ſenſibilia ſigna oſtendere noſtram ſubjectionem erga ipſum.

12. Dices 2. Ratio præcipua inſtituendi Sacramenta eſt peccati remedium, ut homines liberentur a peccatis; ergo ſi fuiſſent in illo ſtatu peccata, fuiſſent etiam Sacramenta.

13. Reſp. Sacramenta non fuiſſe inſtituta ad ſublevandos homines a peccatis utcumque, ſed ad ipſos ſublevandos ex meritis Chriſti, & ex ſuppoſitione, quod tota natura humana defeciſſet per peccatum, non ex ſuppoſitione peculiarium peccatorum in ſingularibus perſonis: pro quibus ſatis fuiſſet remedium contritionis, & amoris, ſicuti in lege antiqua, licet hujuſmodi actus habituri tunc non eſſent tantam efficaciam, quantam habebant in lege antiqua, in qua illis actibus dabatur de condigno remiſſio peccatorum intuitu meritorum Chriſti, tunc autem non exiſtentibus Chriſti meritis ſolum de congruo, & ex divina benignitate fuiſſet ipſis conceſſa remiſſio; cum enim probabile non ſit in tali ſtatu Deum homines peccantes ſine ſpe veniæ relicturos, acceptaſſet pro ſufficienti remedio contritionem, & amorem.

DUBIUM II.

An fuit inſtituta Sacramenta in Lege Naturæ.

14. STatus Legis Naturæ duravit ab Adamo uſque ad Moyſen, cui primum Lex Scripta data eſt, & extra Filios Jacob duravit uſque ad Chriſtum, & dicitur ſtatus Legis Naturæ, non quaſi per contradiſtinctionem a lege ſupernaturali, ita quod ſola præcepta naturalis ordinis forent obſervanda, ſed quia illius præcepta conſcripta ſolum erant in naturalibus cordis tabulis, non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi, quia ſcilicet in tali ſtatu nulla erat lex ſcripta, ſed homines dirigebantur ad ſalutem ſolo dictamine rationis, quod tunc ex lumine naturali, & ex lumine ſupernaturali fidei ſufficienter propoſitæ, & revelatæ oritur, unde dabantur etiam tunc præcepta aliqua ſupernaturalia, præcipue fidei, ſpei, & charitatis. Loquendo igitur de ſtatu iſto, in quo nulla data fuit lex ſcripta, dubitatur, an in illo fuerit Sacramentum aliquod inſtitutum, & præcipue pro parvulis in remedium originalis peccati.

15. Omnes fere admittunt pro tali ſtatu remedium aliquod pro parvulis emundandis ab Originali, ſed negant quamplures apud Madernum illud fuiſſe verum Sacramentum, quia ſcilicet parvuli mundabantur per ſolam fidem parentum, quæ cum eſſet actus internus, non poterat eſſe Sacramentum: alii dicunt, quod Fides illa debebat externo ſigno manifeſtari, quod proinde ſignum veram habebat rationem Sacramenti, & hanc ſequuntur magis communiter Doctores.

16. Reſp. 1. in Lege Naturæ inſtitutum revera fuit a Deo aliquod remedium, quo pueri mundarentur a peccato originali. Sic docent SS. Patres; Cyprianus enim in lib. de Cardinalibus Chriſti operibus c. de Circumciſ. *Sane originale peccatum, quod a primis Parentibus in totam generis hujus ſucceſſionem defluxit, omni tempore aliquibus remediis oportuit expiare.* Auguſt. lib. 5. contra Julianum c. 21. ait: *Non eſt credendum ante datam Circumciſionem, famulos Dei (quandoquidem illis ſacras Mediatoris Fides in carne venturi) nullo Sacramento opitulatos fuiſſe parvulis ſuis, quamvis quid illud eſſet, Scriptura voluit nos latere neceſſaria aliqua ex cauſa.* Et Innoc. III. *cap. Majores* de Baptiſmo: *abſit*, inquit, *ut univerſi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin & ipſis miſericors Deus, qui neminem vult perire*, addo ego ex Apoſt. ad Timoth. 12. *qui vult omnes homines ſalvos fieri, aliquod remedium procuraverit ad ſalutem.* Si ergo non eſt credibile Deum, qui vult omnes homines ſalvos fieri, reliquiſſe per multa ſæcula infantes omnes ſine ullo ſalutis remedio; dicendum eſt in Lege Naturæ fuiſſe remedium aliquod pro parvulis inſtitutum.

17. Reſp. 2. Remedium parvulorum non fuit ſola interna Parentum fides, ſed verum Sacramentum, quamvis non eſſet certa, & determinata ceremonia communis omnibus. Ratio eſt, quia ſignum ſenſibile deſtruens peccatum originale eſt verum Sacramentum; ſed remedium parvulorum erat ſignum ſenſibile deſtruens peccatum originale; ideo enim illis applicabatur, ut mundarentur ab originali; ergo erat verum Sacramentum. Quod autem eſſet ſignum ſenſibile, & non ſola Parentum fides, ex eo patet, quod per illud parvuli aggregabantur Eccleſiæ fidelium, quæ etiam in ſtatu Legis Naturæ erat viſibilis; & ſic non erat ſola interna Parentum fides, quæ non poterat modo humano applicari parvulis abſque ſigno aliquo ſenſibili; ergo debebat eſſe ſignum aliquod ſenſibile, per quod parvuli mundarentur ab originali, & fierent membra Eccleſiæ viſibilis.

Conf. quia in Lege Scripta ſicut maſculi aggregabantur Eccleſiæ per ſignum ſenſibile, ita etiam feminæ aggregari debebant per remedium ſenſibile; ſed feminis non applicabatur niſi remedium Legis Naturæ; ergo illud erat ſenſibile. Adde, quod ſi remedium illud fuiſſet ſola interna Parentum fide, cum efficacia actionis internæ non impediatur a diſtantia objecti, vel ab interpoſitione corporis intermedii, potuiſſet illud remedium applicari pueris abſentibus, longeque diſtantibus, vel in utero adhuc materno exiſtentibus, adeoque potuiſſet unus homo quotidie applicare ſuam fidem, ſuoſque actus internos pro omnibus parvulis totius orbis, eoſque omnes etiam in utero exiſtentes juſtificare, quod, ut patet, eſt abſurdum. Ita Lugus *de Sacrament. diſput.* 3. *num.* 28. Suarez *diſput.* 4. *ſect.* 3. & 4. Madernus *de Sacram. quæſt.* 2. *art.* 2. Bonac. *diſp.* 1. *quæſt.* 1. *p.* 3. & alii apud ipſos.

18. Dices. Sancti Patres communiter cum Auguſt. Gregor. & aliis docent parvulos in Lege Naturæ fuiſſe juſtificatos fide Parentum; ergo quia non dabatur Sacramentum aliquod ad pueros mundandos ab Originali. Sed contra dico SS. Patres intelligendos eſſe de fide parentum, non mere interna, ſed exterius proteſtata, qua ratione eſt vere ſenſibilis, & habet veram rationem Sacramenti. Quinam autem eſſet ille actus externus, an ſcilicet eſſet oratio, vel oblatio, vel aliquid ſimile, non conſtat, ut dicit Auguſt. quia non erat determinatum, nec definitum a Deo in ſpecie, ſed ſolum in genere, ut ſcilicet fieret aliquod ſignum externum arbitrio ſingulorum, quodcumque illud eſſet, modo fieret in proteſtationem Chriſti venturi, eratque externa profeſſio fidei in Chriſtum venturum.

19. Dices 2. ſi fuiſſet a Deo inſtitutum aliquod hujuſmodi remedium, conſtare deberet de illa inſtitutione, vel ex Scriptura, vel ex certa traditione; ſed nullibi conſtat; ergo non fuit a Deo inſtitutum. Deinde ſi remedium illud fuiſſet a Deo inſtitutum, debuiſſet juſtificare puerum ex opere operato; ſed hoc ſolis Sacramentis Novæ Legis reſervatum eſt, ut dicemus infra, ergo non fuit inſti-

Digitized by Google

inſtitutum. Adde, quod Sacramentum debet habere materiam determinatam, cujuſmodi non erat remedium Legis Naturæ; ergo non erat Sacramentum.

20. Reſp. quod licet expreſſe in Scriptura non conſtet de inſtitutione remedii parvulorum pro ſtatu Legis Naturæ, ſatis tamen probabiliter deducitur ex iis, quæ habentur de voluntate generali ſalvandi omnes, & de Chriſto univerſali Redemptore, & expreſſe docent Aug. & alii Patres.

Ad conſ. dico remedium illud mundare pueros ex opere operato paſſive, non activε: ideſt non cauſabat gratiam, erat tamen ſignum, ad cujus poſitionem Deus movebatur ad dandam gratiam, & mundandos pueros, ut inferius dicam. Ad id, quod additur, dico non eſse de eſſentia Sacramenti habere determinatam materiam, licet ſuppoſito quod in determinata materia inſtitutum ſit, non niſi in tali determinata materia poſſit miniſtrari.

DUBIUM III.

Qualis eſſe debeat fides illa Parentum.

21. Quæres 1. *An fides illa Parentum debuerit eſſe formata charitate, & elicita ab homine juſto; an vero ſatisfuerit fides informis elicita ab homine exiſtente in peccato.*

Reſpond. valde probabile eſſe ſatisfuiſſe fidem informem. Ratio eſt, quia talis fides non requirebatur tanquam meritoria de congruo, vel de condigno juſtificationis parvulorum, ſed tanquam conditio, qua poſita, Deus ſtatuerat parvulum juſtificare; ideo licet eſſet informis, & non meritoria, non apparet, cur non eſset ſufficiens, ut, ipſa poſita, parvuli juſtificarentur, cum præcipue de facto ad Baptiſmum in Lege Gratiæ non requiratur in Miniſtro voluntas, & intentio meritoria, ſecus difficile admodum reliquiſset Deus remedium ſalutis parvulis, ſi eorum ſalus non ſolum penderet ab aliena voluntate, ac fide actuali, ſed etiam a conſcientia pura. Lugus *diſp. 3. n. 53.* Suarez *l. cit.* Leander *de Sacram. tr. 1. diſp. 2. q. 5.* & alii apud ipſos.

22. Quæres 2. *Utrum talis fides deberet eſſe fides explicita Chriſti Redemptoris, & Mediatoris, an vero ſufficeret fides implicita, qua quis intenderet facere id, quod pro eo tempore faciebat vera Eccleſia?* Lugus docet fuiſse neceſsariam fidem explicitam, quia ſecus liberaliorem ſe Deus exhibuiſset cum parvulis Legis Naturæ, quam cum parvulis Legis Gratiæ; nunc etenim ultra intentionem faciendi quod facit Eccleſia requiritur determinata materia, tunc autem non requirebatur, ſicque faciliorem viam illis, quam iſtis, pro remedio originalis Deus præparaſset. Ex quo ſit remedium pro originali in lege Naturæ non potuiſſe valide applicari ab infideli, licet poſſit in Lege Gratiæ ab infideli valide applicari Baptiſmus. Sequitur Maderņus *art. 3. num. 6.*

23. Reſp. tamen valde probabile eſse, quod etiam tunc ſufficeret fides implicita, qua quis intenderet facere hoc, quod facit Eccleſia fidelium, quæcumque tandem illa ſit. Ratio eſt, quia tunc etiam ille, qui conferebat remedium, agebat nomine totius Eccleſię, cui alioquin non potuiſset aggregare puerum; ergo ſatis erat, ut intenderet facere, quod faciebat Eccleſia, ideſt applicare puero illam fidem, quam tenebat Eccleſia; hęc enim ratio eſt, propter quam illa intentio ſufficit in conferente Baptiſmum. Nec ſequitur, quod facilior ſimpliciter eſset via ſalutis pro pueris illis, quam pro exiſtentibus in Lege Gratię; cum enim tunc ſumma eſset ignorantia peccati originalis, & venturi Meſſię, imo & ipſius velle Dei: difficilius erat velle facere id, quod vera Eccleſia credentium faciebat. Deinde cum neſciatur modus, quo fides illa applicaretur, non poteſt judicari, utrum facilior; vel difficilior fuiſset.

24. Quęres 3. *Utrum ita neceſſaria eſſet fides Parentum (quorum nomine intellige etiam eos, quibus parvulorum cura incumbebat defectu Parentum) ut per proteſtationem fidei ab alio quam a Parentibus actam, juſtificari non poſſent: quod eſt idem ac quærere, utrum remedium originalis in Lege Naturæ poſſet applicari a ſolis Parentibus, an vero ab omnibus indifferenter?*

Reſp. probabile eſſe, quod, ſicut Baptiſmus in Lege Gratiæ a quocumque miniſtretur, valide miniſtratur: ita etiam remedium illud in Lege Naturæ a quocumque miniſtratum, fuerit validum. Sicut tamen, ſi quis in Lege Gratię miniſtraret Baptiſmum parvulis infidelium, invitis Parentibus, illicite miniſtraret, quia hujuſmodi filii, vel deberent extrahi a cura, & poteſtate Parentum, vel relinqui cum manifeſto periculo perverſionis, & irreverentiæ veræ Religionis per Baptiſmum ſuſceptæ; ita eadem de cauſa qui in Lege Naturæ remedium originalis parvulis infidelium miniſtraret, non concurrentibus, ſed invitis ipſorum parentibus illicite miniſtraret. Ita Maderņus *q. 2. art. 3.* & apud ipſum Suarez, Lugus, Arriaga.

25. Quæres 4. *An illud remedium non tantum fuerit pro parvulis, ſed etiam pro adultis?*

Affirmant quamplures neceſſarium fuiſſe illud remedium non ſolum parvulis, ſed etiam adultis, quia erat verum Sacramentum a Deo inſtitutum ad delendum peccatum originale, & ſine quo deleri non poterat, & ſic erat neceſſarium non ſolum parvulis, ſed etiam adultis. Ita tenent Cabrera *de Sacr. q. 61. ar. 3. concl. 2.* Nugnus *ibidem*, Jo. a S. Th. *diſp. 22. art. 3. dub. 1.* Gonet *diſp. 2. ar. 2.* Alii tamen cum Maderno *q. 2. art. 3. n. 2.* non agnoſcunt hanc neceſſitatem pro adultis, quia tota ratio admittendi hujuſmodi remedium pro parvulis eſt auctoritas Patrum, & Scholaſticorum fundata in eo, quod ſalvare debeamus, quomodo Deus providerit remedia ſufficientia ad ſalutem parvulis, qui cum non poſſent ex ſe per proprios actus juſtificari, debebant utique juſtificari, & liberari a peccato originali per Sacramentum aliquod a Deo inſtitutum: quæ ratio non militat de adultis, qui poſſunt juſtificari per proprios actus contritionis, & amoris Dei: & inde nulla neceſſitas cogit ponendi hujuſmodi Sacramentum pro adultis. Cum nihil certi ex Scriptura, & Patribus habeamus, utraque Sententia probabiliter ſuſtineri poteſt: mihi tamen probabilius eſt tale Sacramentum fuiſse neceſsarium etiam adultis, ut per illud fideles ingrederentur, & fierent membra Eccleſiæ, quæ etiam in ſtatu Legis Naturæ erat viſibilis, & ſic debebat haberi Sacramentum viſibile, per quod Fideles tali Eccleſiæ aggregarentur, & fierent illius membra. Accedit, quod ſicuti Baptiſmus in Lege Gratiæ eſt neceſſarius non modo parvulis, ſed etiam adultis, quamvis poſſint per proprios actus juſtificari; ita probabile eſt tale remedium in Lege Naturæ fuiſse neceſsarium etiam adultis.

26. Quæres 5. *An in Lege Naturæ præter remedium originalis alia fuerint Sacramenta præcipue ad delenda peccata actualia?*

Certum eſt fuiſse in illo ſtatu ſacrificia, & oblationes, aliaque hujuſmodi ad externum Dei cultum pertinentia, qua homines ad illa ex Lege Naturæ obligabantur ad ſupremum Dei dominium, ſuamque ſub eo ſubjectionem proteſtandam, unde legimus in Scriptura Abelis, Noę, Abrahę, & Melchiſedech Sacrificia. De Sacramentis autem adultorum, veſtigium nullum extat, nec ulla neceſſitas ad illa ponenda cogere videtur, cum adulti poſsent ſibi conſulere in tali ſtatu per proprios actus, nimiſque videtur excedere imperfectionem illius ſtatus juſtificari adultos per Sacramentum ex opere operato: & licet Melchiſedech dicatur Sacerdos Dei Altiſſimi, Sacerdotium tamen in Lege Naturę non erat verum Sacramentum, cum non eſset a Deo inſtitutum, ſed vel ex populi electione, vel hereditaria ſucceſſione, & jure primogenituræ habebatur; inde Suarez, & alii nullum aliud Sacramentum agnoſcunt.

27. Bonacina, Nugnus & alii, quos affert, & ſequitur Leander *q. 11.* admittunt in tali ſtatu ultra remedium parvulorum aliud Sacramentum in remedium peccatorum actualium perſonalium, & hujuſmodi fuiſse Sacrificia illius temporis affirmant; unde legitur Job. *c. 1.* ſolitus offerre ſacrificia pro peccatis filiorum. Quare in actione Sacrificii duplex ratio diſtingui debet; altera Sacramenti, quatenus eſt ſignum rei Sacrę ſanctificantis homines in virtute Chriſti venturi, ſi ſermo ſit de Sacrificiis antiquis: altera Sacri cultus, quo recognoſcimus, & proteſtamur ſupremum dominium, quod Deus habet rerum omnium, in qua ratione conſiſtit ſacrificium, ſed res tota incerta eſt, nec aliquid certi ex Scriptura definire poſſumus.

DUBIUM IV.

Quænam Sacramenta fuerint in Lege Scripta.

28. Certum eſt apud omnes in Lege Veteri, ſeu Scripta aliqua fuiſse Sacramenta; id enim clare conſtat ex Concilio Florent. *in decreto unionis*, & ex Trid. *ſeſſ. 7. can. 2.* proinde ſolum quęritur illorum numerus, & quęnam illa fuerint. Siquidem aliqui volunt unicum tantum in illa fuiſse Sacramentum, ſcilicet Circumciſionem; alii duo, nimirum Circumciſionem, & eſum Agni Paſchalis; alii plura agnoſcunt in illo ſtatu Sacramenta. Circumciſio, quamvis initium habuerit in Abrahamo quadringentis annis ante Moyſen, & Legem Scriptam, nihilominus, quia per illam cępit congregari ſpecialis Dei populus, & ad ſuſcipiendam legem præparari, item quia fuit in Lege Scripta confirmata, & renovata, ſolet inter Sacramenta Legis Scriptæ recenſeri.

29. De Circumciſione maxime dubitari ſolet: an per illam remitteretur peccatum originale; an vero ſolum eſſet inſtituta tanquam ſignum diſtinctivum populi Judaici ab aliis nationibus, etiam verum Deum colentibus. Vaſquez vult illam fuiſſe merum ſignum diſtinctivum populi Judaici. Thomiſtæ volunt fuiſſe inſtitutam in remedium originalis. De Lugo mediam viam ſequitur, & dicit Circumciſionem formaliter, & per ſe non fuiſſe remiſſivam originalis, quia tamen regulariter a Judæis conjungebatur cum remedio Legis Naturę, aſsumentes Circumciſionem ipſam ad proteſtandam fidem Chriſti venturi, in qua proteſtatione conſiſtebat remedium pro originali, ideo cum tali remedio conjuncta remittebat originale, & erat verum Sacramentum.

30. Reſp. Circumciſionem in Lege Veteri fuiſse verum Sacramentum, non tantum ad ſegregandum populum Judęorum, ſed etiam ad delendum originale ordinatum: quod colligitur ex Patribus, nam Auguſt. *lib. 4.* de Baptiſmo *cap. 24.* habet: *Ex Circumciſione carnis, quam prior populus*

pulus accepit, conjicere nos poſſe quid valeat in parvulis Baptiſmi Sacramentum. Et in lib. Hypognoſt. *c.* 5. habetur: *Circumciſio octavæ diei Baptiſmi gratiam dabat, & parvulus Circumciſione fraudatus, delicto originali non caruit.* Et D. Bernardus ſerm. 2. de Aſſumpt. *In Baptiſmo*, inquit, *ſola gratia lavat hanc maculam, quam olim abraſit petra Circumciſionis.* Si ergo in Circumciſione conferebatur gratia ſanctificans, & mundans puerum a peccato originali, Circumciſio erat ſignum practicum gratiæ, & ſic verum Sacramentum. Quod ſi Tertullianus, Irenæus, Epiphanius, & alii Patres dicunt Circumciſionem diſtinguere ſolum populum Judæum a reliquis, non vero juſtificare, debent intelligi, quod Circumciſio non juſtificabat per modum cauſæ producentis gratiam, ut facit Baptiſmus, quod idem valet de reliquis Sacramentis antiquis, quæ erant ſolum conditiones, ad quorum præſentiam Deus intuitu paſſionis Chriſti futuræ, quam præfigurabant, & ſignificabant, gratiam conferebat, quod ſufficit ad rationem Sacramenti, ut tradunt Madernus *q.* 3. *art.* 1. Gonet *tract.* 3. *de Sacram. diſp.* 5. *art.* 1. & 2.

31. Quæres 1. *An præter Sacramentum Circumciſionis fuerint in Lege veteri, ſeu Scripta, alia plura Sacramenta?*

Reſp. affirmative, quia fuerunt in Lege Veteri plures aliæ cæremoniæ ſacræ Sanctitatem practice ſignificantes, quæ cum D. Thoma *p.* 2. *q.* 102. *ar.* 5. ad tres claſſes revocari poſſunt. Prima eſt eorum, quæ pertinebant ad conſecrationem Sacerdotum, & Pontificum, & hæc figurabant noſtrum Sacramentum Ordinis. Secunda eorum, quæ pertinebant ad participationem rerum Sacrarum, & recognitionem beneficiorum Dei, qualis erat eſus Agni Paſchalis, & hæc figurabant noſtrum Sacramentum Euchariſtiæ. Tertia continebat luſtrationes, expiationes Legales, & Sacrificia pro peccatis, & hæc figurabant noſtrum Sacramentum Pœnitentiæ. Confirmationi autem, quæ eſt Sacramentum plenitudinis gratiæ, nullum reſpondebat Sacramentum, quia nondum advenerat tempus plenitudinis gratiæ; nihil enim ad perfectum lex illa adduxit. Nullum etiam Sacramentum reſpondebat Extremæ Unctioni, quia iſta eſt præparatio ad introitum Gloriæ, cujus additus non patebat in Lege Veteri, pretio redemptionis nondum ſoluto. Matrimonium autem non erat Sacramentum, ſed tantum erat damnum in officium naturæ, & remedium concupiſcentiæ, quia nondum facta erat unio Verbi cum Natura humana; unde in Veteri Lege dabatur libellus repudii, quod eſt contra Sacramentum Matrimonii, & ſufficienter figurabatur per Matrimonium habens rationem contractus.

32. Quæres 2. *Qualis eſſet ritus Circumciſionis, quo tempore, quo loco, a quo Miniſtro, & quo inſtrumento fieri deberet?*

Reſp. quoad tempus fuiſſe determinatum octavum diem, qui licet ex cauſa poſſet licite, valideque differri, & poſt octavum diem applicari, probabilius tamen eſt anticipari, & ante octavum diem applicari valide non potuiſſe. Cum enim poſſet infanti ante octavum diem periclitanti alia via provideri per remedium Legis Naturæ; jure potuit Deus Circumciſionem ita inſtituere, ut ante octavum diem valide applicari non poſſet, & de facto ita fuiſſe inſtitutam docet cum aliis pluribus D. Thomas *q.* 70. *art.* 3. *ad* 2. & aliis citatis Leander *diſp.* 3. *q.* 13.

33. Quoad locum nulla facta fuit determinatio, ſed in quocumque loco poterat licite, valideque applicari. Unde Abraham primam Circumciſionem in domo ſua celebravit; Sephora, quæ erat Uxor Moyſis, filium ſuum circumcidit in diverſorio; Chriſtus circumciſus eſt in Bethleem, alii in aliis locis indifferenter. Quoad Miniſtrum item nulla aderat determinatio, nec ſolum a Viris, verum etiam a Feminis poterat miniſtrari, ut patet in Sephora *Exod.* 4. imo probabile eſt potuiſſe adultum ſe ipſum circumcidere, & de facto *Geneſ.* 27. Abraham ſe ipſum circumciſiſſe indicatur. Quoad inſtrumentum, ferreo æque ac lapideo cultro fieri poterat, & licet cultri lapidei magis eſſent in uſu, non erant de neceſſitate Sacramenti, nec de neceſſitate præcepti, quia ubi in Scriptura traditur ritus Circumciſionis, nulla fit mentio lapidei cultri, ut videre eſt *Gen.* 17. & *Joſue* 5. necnon apud Expoſitores in talia loca.

34. Quæres 3. *Quodnam remedium eſſet conſtitutum pro Feminis, quæ circumcidi non poterant?*

Reſp. perſeveraſſe pro Feminis remedium Legis Naturæ, de quo dub. præcedenti, quod remedium perſeveravit etiam pro Maſculis morientibus ante octavum diem, qui, ut ſupra diximus, non poterant ante octavum diem circumcidi. Præceptum Circumciſionis fuit impoſitum Abrahæ a Deo, obligans omnes, & ſolos deſcendentes ex genere Abrahæ, ut ipſis inſerviret tanquam ſignum, & character populi Fidelis, & ut haberent in carne ſua impreſſum ſigillum fidei, quo perpetuo profiterentur Chriſtum venturum ex ſemine Abrahæ, quapropter in loco ſeminis jure tale ſignum ponebatur.

35. Quæres 4. *An Sacramenta antiqua, & nova conveniant univoce in ratione Sacramenti?*

Reſp. affirmative, quia non minus antiqua, quam nova Sacramenta ſunt ſigna practica veræ ſanctitatis. Nec obſtat, quod Sacramenta nova ſint multo perfectiora antiquis, quia cauſant ſanctitatem, quam ſignificant; antiqua vera non cauſabant, ſed erant ſolum conditiones, quibus poſitis Deus conferebat gratiam. Contra enim eſt, quia inæqualitas ſpecierum non tollit univocationem generis, cum illa inæqualitas ſe teneat ex parte differentiæ, & ſignum practicum de genere ſuo præſcindat ab eo, quod gratiam ſignificet per modum cauſæ, vel per modum conditionis, per conſequens utraque Sacramenta convenire poſſunt in ratione ſigni practici veræ ſanctitatis, quamvis differant in eo, quod Sacramenta nova gratiam cauſent, non ſic antiqua.

DUBIUM V.

De neceſſitate Sacramentorum in Lege Evangelica.

36. Dupliciter poteſt aliquid eſſe neceſſarium ad ſalutem. Primo ſimpliciter abſolute, & ex natura rei, quo prætermiſſo, neque per divinam potentiam ſalus obtineri poteſt, & hoc modo certum eſt apud omnes Sacramenta non eſſe neceſſaria ad ſalutem, quia virtus infinita Dei non eſt alligata Sacramentis, & poteſt independenter ab illis gratiam conferre neceſſariam ad ſalutem conſequendam. Secundo poteſt aliquid eſſe neceſſarium ad ſalutem ex divina ordinatione, & inſtitutione, & hæc neceſſitas adhuc eſt duplex, alia dicitur neceſſitas medii, alia neceſſitas præcepti. Illud dicitur neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem, quo prætermiſſo, etiam ſi ex ignorantia, vel oblivione prætermittatur, ſalus obtineri non poteſt juxta legem Dei ordinariam: illud eſt neceſſarium neceſſitate præcepti, quod præſtandum quidem eſt data opportunitate, ſi tamen inculpabiliter omittatur, adhuc ſalus obtineri poteſt. His præmiſſis:

37. Reſp. 1. In Lege Gratiæ, & Evangelica convenienter, ſeu neceſſario neceſſitate convenientiæ facta eſt ſeptem Sacramentorum inſtitutio. Hæc eſt communis Eccleſiæ Catholicæ vox, & definitur in Conciliis, præſertim Florent. *in decreto unionis*, & Trid. *ſeſſ.* 7. Congruentiæ plures afferuntur pro hac Sacramentorum inſtitutione etiam in Lege Gratiæ: prima, & communiſſima eſt, quia conveniens eſt, ut media ſalutis Deus homini provideat conſentanea ipſius naturæ; habet autem hoc homo, ut ad cognitionem rerum ſpiritualium, & divinarum pervenire non poſſit, niſi per ſenſibilia. *Nec*, inquit S. Dionyſius de Cœleſti Hierarch. *fas erat infirmitati noſtræ lucere radium divinum niſi Sacrorum varietate velaminum opertum, & veſtitum iis, quæ nobis ſunt familiaria.* Aliam aſſignat Auguſt. *lib.* 19. *contra Fauſtum c.* 1. & *epiſt.* 110. quia ut ex tanta varietate, & multitudine hominum, Corpus Eccleſiæ coaleſceret, neceſſe fuit eos vinculo aliquo ſenſibili colligari, & adunari; vinculum autem illud Sacramenta ſunt. *Sacramentis*, inquit S. Doctor ibidem, *numero pauciſſimis, obſervatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis ſocietatem novi populi colligavit.* Inde patet ex Auguſt. *l.* 3. *de Doctrina Chriſti c.* 9. ſanctificari per Sacramenta, non eſſe ſervire ſub elementis hujus mundi, ut ſerviebant Gentiles adorantes elementa, nec ſicut Judæi, qui infirmorum, & egenorum elementorum Sacramentali jugo præmebantur, ſed potius per rerum ſenſibilium involucra, & ſymbola ad divinæ lucis inviſibilia gradum facere, ut dicebamus ex S. Dionyſio. Hæc autem Sacramenta ſunt numero ſeptem, prout dictum eſt ſupra cap. præcedenti.

38. Reſp. 2. Suppoſita inſtitutione Sacramentorum in Lege Gratiæ, aliqua ſunt neceſſaria toti Eccleſiæ, & communitati Fidelium, non ſingulis hominibus: talia ſunt Ordo, & Matrimonium; aliqua ſunt neceſſaria neceſſitate medii, vel in re, vel in voto, quatenus ita conferunt gratiam neceſſario requiſitam ad ſalutem, ut in ipſam influant directe, immediate, & omnino per ſe: talia ſunt Baptiſmus reſpectu omnium, & Pœnitentia reſpectu relapſorum poſt Baptiſmum; aliqua ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti reſpectu adultorum (qui non ſunt adulti, ſunt præceptorum incapaces) talis eſt Euchariſtia; aliqua ſunt ſolum ad melius eſſe, neceſſitatum nec medii, nec præcepti habent: talia ſunt Confirmatio, & Extrema Unctio, quæ dummodo abſit contemptus, poſſunt omitti ſine peccato. Hæc omnia fuſius explicantur, & probantur ſuis locis, cum de ſingulis Sacramentis in particulari agitur.

CAPUT III.

De effectibus Sacramentorum, & primo de Gratia.

DUBIUM I.

An Sacramenta Novæ Legis cauſent Gratiam ex opere operato.

Gratia dupliciter conferri poteſt, vel ex opere operantis, vel ex opere operato. Tunc datur gratia ex opere operantis, quando ſolum confertur intuitu meritorum ſuſcipientis, id eſt intuitu fidei, devotionis,

nis, & charitatis ſuſcipientis Sacramentum; ſicque qui per contritionem, dilectionemve Dei ſuper omnia extra Sacramentum juſtificatur, conſequitur gratiam ex opere operantis, hoc eſt per actum, & opus proprium de congruo meritorium gratiæ juſtificantis: gratia pariter datur ex opere operantis elicienti actus quoſcumque virtuoſos, & meritorios, & datur juxta menſuram meriti. Tunc datur gratia ex opere operato, quando non attenditur ad merita operantis, ſed ad opus aliquod, & ſignum externum ex divina inſtitutione habens virtutem conferendi, & cauſandi gratiam. Sic Sacramentum conferre gratiam ex opere operato idem eſt, ac illam conferre immediate, per ſe ipſum, ex virtute, quam habet ſibi communicatam ex paſſione Chriſti, quæ eſt opus operatum, quod operatus eſt Salvator in medio terræ, non vero ex merito conficientis, vel dantis, ſeu recipientis tale Sacramentum.

2. Derident hæretici hunc loquendi modum, vocantque barbarum, & grammaticæ legibus adverſantem, imo inventum eſſe a Papiſtis ad excludendam fidem, & pœnitentiam, alioſque bonos actus tanquam inutiles ad juſtificationem, & ad excludendam ipſam etiam paſſionem Chriſti, cum totum efficiatur per ipſum opus Sacramenti. Inde dicunt Sacramenta Novæ Legis ad nihil aliud valere, quam ad excitandam fidem, ſeu fiduciam, qua ſola putant homines juſtificari: vel ut ſint quædam notæ Chriſtianæ profeſſionis, quibus fideles ab infidelibus diſcernantur. Magis tamen ipſi deridendi, ut ait Auguſt. *p. Confeſſ. cap.* 18. quod pluris faciant præcepta grammaticæ, quam Eccleſiæ, majorique ſibi ducant dedecori; hominem, dicendo, grammaticale præceptum infringere, quam hominem, occidendo, violare divinum.

3. Reſp. 1. Sacramenta Novæ Legis gratiam conferunt non ponentibus obicem, proinde non ſunt præciſe ſigna excitativa fidei, aut notæ, quibus fideles ab infidelibus diſcernuntur. Ita definitur in Concil. Florent. *in litteris unionis* Decreto de Sacramentis, & in Trident. *ſeſſ. 7. can.* 6. his verbis: *Si quis dixerit Sacramenta Novæ Legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantum externa ſint acceptæ per fidem gratiæ, vel juſtitiæ, & notæ quædam Chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernantur fideles ab infidelibus; anathema ſit.* Idem aſſerunt omnes Patres, & Scholaſtici, quorum teſtimonia dabit Suarez *diſp. 7 ſect.* 1. & colligitur ex pluribus Scripturæ locis quos dabit idem Suarez, & Madernus *qu. 3. art.* 2.

4. Ratio a priori eſt ſola voluntas Dei, & Chriſti Domini ſic Sacramenta inſtituentis; hæc autem voluntas colligitur tum ex perpetua traditione Eccleſiæ, tum ex auctoritatibus Scripturæ, & definitionibus Conciliorum. Hæreticorum error innumeras patitur difficultates; ſi enim Sacramentum Baptiſmi non cauſaret gratiam, ſed dumtaxat fidem, ſeu fiduciam excitaret, falſa eſſet illa Chriſti propoſitio; *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* Falſo diceretur in Concilio Nicæno: *Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum.* Aliis ſiquidem modis excitari poſſet fides, nimirum Concione, Lectione Evangelii, Meditatione paſſionis Chriſti &c.; immo ſi Baptiſmus haberet ſolum excitare fidem, hoc multo melius præſtaret imago Baptiſmi in tabula depicta, quæ cum ſit ens permanens, poteſt ſemper ob oculos verſari, quam Baptiſmus ipſe, qui ſemel fit, & tranſit. Et ſi nemo per Baptiſmum niſi media fide poſſet juſtificari, parvulis fructuoſus non eſſet Baptiſmus, niſi cum Luthero, & Calvino fingere velis, pueros etiam, quando baptizantur, intelligere ſignificationem vocum, & credere in Chriſtum, quod ridiculum eſt. Nec minus prodeſſent Sacramenta ei, qui miniſtrat, quam ei, qui ſuſcipit; nam utrumque ſimiliter excitare poteſt. Denique non minorem habuiſſent efficaciam Sacramenta vetera, quam habeant nova, quod contrarium eſt Apoſtolo, & Concilio Florentino.

5. Reſp. 2. Sacramenta Novæ Legis conferunt gratiam ex opere operato: ſic docet Trident. *ſeſſ. 7. can.* 5. illis verbis: *Si quis dixerit Sacramenta Novæ Legis ex opere operato non conferre gratiam, ſed ſolam fidem divinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere; anathema ſit.* Quibus verbis dupliciter hæreticos Concilium damnare voluit, & quod dicerent, non juſtificari homines per ipſum opus Sacramenti, & quod aſſererent ſufficere fidem quamdam, ſeu fiduciam, qua ſibi quiſque perſuadeat applicari ſibi merita Chriſti. Ratio eſt, quia Sacramentum conferre gratiam ex opere operato nihil aliud dicit, quam illam conferre immediate, per ſe ipſum, & per virtutem propriam ſibi a Chriſto communicatam independenter a merito tum Miniſtrantis, tum Suſcipientis Sacramentum; at Sacramenta Novæ Legis conferunt gratiam ex virtute, & efficacia a Chriſto ipſis communicata independenter a merito Miniſtrantis, quia illam conferunt, etiam ſi Miniſter nec meritorie, nec bene operetur, & independenter a merito ſuſcipientis, quia vel nulla requiritur in ſuſcipiente diſpoſitio, ut in parvulis, qui baptizantur ante uſum rationis, vel ſi aliqua requiritur, ad tollendum obicem, non ad ponendum meritum: & ſi aliquando ad Sacramentum concurrit aliquod opus meritorium gratiæ, tale opus non requiritur nec neceſſitate Sacramenti, nec tota gratia, quæ in Sacramento confertur, ex merito talis operis confertur, ut patet in eo, qui cum contritione, & dilectione Dei ad Pœnitentiæ Sacramentum accedit, qui ultra gratiam debitam contritioni, & dilectioni, recipit aliam cauſatam a Sacramento, & ſic dicendum eſt Sacramenta conferre gratiam ex opere operato.

6. Nec curandæ ſunt hæreticorum nugæ; quamvis enim in modo loquendi eſſet aliqua barbaries, non eſſet tamen ingrata ad vitandam ambiguitatem: *nec enim timemus* (inquit Auguſt. in Pſal. 138.) *ut nos repræhendant grammatici, dummodo intelligant populi.* Nec opus operatum eſt inventum ad excludendam fidem, & pœnitentiam, cum maxime velint Catholici in Sacramentis virtutes illas, aliaſque omnes exerceri. Quod vero dicunt injuriam Deo, & Chriſti meritis fieri, falſum omnino eſt, cum ſemper illæ ſint cauſæ totius gratiæ, quam operantur Sacramenta, una phyſica, & altera meritoria, ſcilicet Deus eſt cauſa phyſice producens gratiam principaliter, & merita Chriſti ſunt cauſa meritoria.

DUBIUM II.

An Sacramenta Novæ Legis cauſent gratiam phyſice, an tantum moraliter.

7. Duplex eſt cauſa efficiens, alia phyſica, alia moralis: phyſica eſt, quæ reali, & phyſico influxu attingit effectum, quo modo ſol, & ignis ſunt cauſa caloris, & ſub hac continetur omnis cauſa ſive naturalis, ſive ſupernaturalis, ſive libere, ſive neceſſario operans; nam quatenus vere, & realiter producit effectum, ſub cauſa phyſica hoc modo ſumpta continetur: moralis eſt illa, quæ tantum moraliter attingit effectum, movendo ſcilicet, ac inducendo cauſam phyſicam ad cauſandum effectum, ſeu quæ immediate, & per ſuam entitatem non influit in effectum, ſed cujus intuitu cauſa phyſica operatur. Sic qui precibus, conſilio, vel imperio, vel exhibendo pretium movet alium ad aliquid faciendum, puta ad homicidium, dicitur cauſa moralis homicidii. Rurſus, ſicut cauſa efficiens phyſica alia eſt principalis, alia inſtrumentalis; ita & moralis: principalis moralis eſt, quæ ex ſua virtute movet cauſam phyſicam ad operandum; inſtrumentalis moralis eſt, quæ virtutem alterius continet, & repræſentat. *Quæritur ergo in præſenti, quomodo Sacramenta Novæ Legis ſint cauſa gratiæ: an ſcilicet ſint cauſæ tantum morales, vel ultra cauſalitatem moralem eleventur ad producendam gratiam phyſice per modum phyſici inſtrumenti, in quo diſcrepant Doctores.*

8. Prima Sententia docet Sacramenta Novæ Legis per modum inſtrumenti phyſici efficere in nobis gratiam, & ſic eſſe cauſas phyſicas gratiæ. Ratio eſt, quia talis modus cauſandi gratiam phyſice eſt poſſibilis, & magis conducit ad dignitatem Sacramentorum, eſtque conformior verbis Scripturæ, Conciliorum, & Patrum aſſerentium, homines Sacramentis mundari, & ſanctificari, illiuſque ſanctitatis, & munditiæ cauſas eſſe, continere gratiam, quam ſignificant, eamque conferre non ponentibus obicem, quæ & ſimilia non videntur ita bene explicari de cauſa ſolum morali. Cum ergo cauſalitas phyſica ſit poſſibilis, debet Sacramentis concedi, maxime quia per talem cauſalitatem phyſicam magis diſtinguuntur Sacramenta Novæ Legis a Sacramentis antiquis, quæ moraliter cauſabant gratiam intuitu meritorum Chriſti venturi. Hanc ſequitur D. Thom. *quæſt.* 62. *art.* 1. Cajet. *ibidem.* Suarez *diſp.* 8. & 9. *ſect.* 2. Valentia *diſp. 3. q. 3. punct.* 1. Madernus *q. 3. art.* 4. Philibert Marchinus *tr. 1. de Ordine p. 3. cap.* 1. *num.* 12. Roſignol. *de matrim.* 1. *prænot.* 9. Bonacina *diſp.* 1. *q.* 4. *punct.* 6. *num.* 3. & alii plures apud ipſos, qui tamen diſcrepant in explicanda hujuſmodi phyſica cauſalitate; nam aliqui volunt Sacramenta eſſe cauſas phyſicas gratiæ non immediate illam producendo, ſed producendo aliam præviam diſpoſitionem, ſcilicet characterem in Sacramentis characterizantibus, vel ornatum quemdam in aliis, qua poſita diſpoſitione ſequitur deinde gratia. Alii volunt Sacramenta recipere in ſe virtutem quamdam a Deo, qua per modum inſtrumenti eleventur ad producendam gratiam. Alii denique volunt gratiam immediate creari a Deo; Sacramenta vero illam animæ unire, ſeu efficere unionem gratiæ cum anima.

9. Secunda Sententia docet Sacramenta Novæ Legis eſſe cauſas inſtrumentales non phyſicas, ſed tantum morales gratiæ ſanctificantis, quatenus Sacramenta ex meritis Chriſti, quæ continent, vere, & infallibiliter movent Deum ad conferendam gratiam. Ratio eſt, quia ideo Sacramenta dicuntur phyſice cauſare gratiam, quia debent eſſe vere & proprie cauſæ gratiæ, & debent ſufficienter diſtingui a veteribus Sacramentis; ſed hoc totum ſalvatur ſine cauſalitate phyſica, per ſolam cauſalitatem moralem; ergo non eſt neceſſe multiplicare cauſalitatem phyſicam. Prob. minor: tunc Sacramenta erunt vere, & proprie cauſæ gratiæ, & ſufficienter diſtinguentur a veteribus Sacramentis, ſi dicamus illa cauſare eodem omnino modo,

& ra-

& ratione, qua cauſant merita Chriſti, quorum ſunt inſtrumenta; ſed merita Chriſti cauſant gratiam ſolum moraliter; ergo pariter cauſalitas Sacramentorum poterit ſufficienter ſalvari, & a veteribus diſtingui per ſolam cauſalitatem moralem.

Conf. aliquando Sacramenta non poſſunt cauſare gratiam phyſice, ſed tantum moraliter, nimirum quando Sacramenta reviviſcunt, quando ſcilicet Baptiſmus ficte ſuſceptus, amoto deinde obice, reviviſcit; tunc enim cauſat vere, & proprie gratiam ex opere operato per ſolam efficientiam moralem, quia tunc non amplius phyſice exiſtit, ac ſufficienter diſtinguitur a veteribus Sacramentis; ergo vera ratio Sacramenti ſalvari poteſt per ſolam efficientiam moralem, abſque neceſſitate ponendi aliam efficientiam phyſicam. Imo ponendo ſolam cauſalitatem moralem conſulimus majori uniformitati Sacramentorum in cauſando gratiam. Hanc tenent D. Bonavent. *in 4. diſt.* 1. *art.* 1. *q.* 4. Vaſquez *q.* 52: *diſp.* 132. *cap.* 5. Lugus *diſp.* 4. *ſect.* 4. Filliuc. *tract.* 1. *de Sacram. cap.* 6. *n.* 108. Palaus *diſp. unica punct.* 8. *num.* 5. Coninch. *q.* 62. *art.* 4. *num.* 132. aliique plures Recentiores.

10. Hæc Sententia magis placet, nam Sacramenta ſunt inſtrumenta Paſſionis Chriſti: ſunt enim ſigna rememorativa illius; ſed Paſſio Chriſti eſt moralis tantum cauſa gratiæ; ergo etiam Sacramenta: quia inſtrumentum debet proportionari ſuæ cauſæ principali, & eodem concurſu in effectum influere, quod fieri non poſſet, ſi inſtrumentum phyſice cauſaret effectum, agens vero principale ſolum moraliter. Deinde Sacramenta, ultra gratiam habitualem, & ſanctificantem, quæ tunc infunditur, quando Sacramentum ſuſcipitur, cauſant etiam gratiam Sacramentalem propriam cujuslibet Sacramenti, quæ conſiſtit in quibuſdam auxiliis datis in tempore opportuno ad conſequendum finem proprium cujuslibet Sacramenti, quæ certe auxilia non poſſunt cauſari phyſice, quando Sacramenta amplius non exiſtunt; ergo gratiam ſacramentalem propriam cujuslibet Sacramenti non poſſunt cauſare, niſi moraliter.

11. Conf. quia cauſalitas phyſica in Sacramentis multas patitur difficultates, ſive illa conſiderentur formaliter, ſive ſolum materialiter: nam ſi conſiderentur formaliter, Sacramenta non ſunt, niſi ens pure morale: ſiquidem Sacramentum conſtituitur in ſua ratione formali, & in ratione Sacramenti per ſignificationem, quæ eſt forma moralis; ſed ens pure morale non poteſt habere efficientiam phyſicam; ergo nec Sacramentum formaliter ſumptum poteſt phyſice cauſare gratiam. Si vero conſiderentur materialiter ſecundum entitatem phyſicam conſtitutam ex rebus, & verbis, omnia ſunt entia ſucceſſiva; ſi excipias Euchariſtiam, & conſtant partibus ſibi invicem ſuccedentibus. Vel ergo cauſant phyſice gratiam ſecundum ſe tota, vel ſecundum aliquam ſui partem: non primum, quia nunquam ſimul exiſtunt ſecundum ſe tota, cauſa autem phyſica debet exiſtere, quando operatur: non ſecundum, quia illa ultima pars, puta ultima ſyllaba, quæ profertur, non operatur ſe ſola, quia illa ſola non eſt Sacramentum: non in virtute aliarum partium, quia aliæ partes, cum non exiſtant, non poſſunt conferre vim phyſicam ad operandum. Neque ſatis eſt dicere totum Sacramentum phyſice agere, licet non agat niſi per unam ſui partem, ſicut totus homo dicitur videre, quamvis non videat niſi per oculum: hoc, inquam, non ſufficit, quia partes Sacramenti non ſunt phyſice unitæ, ſicut partes hominis, ſed moraliter tantum, neque faciunt unum per ſe, ſed ſolum unum per accidens; imo partes hominis exiſtunt ſimul, & ſic poſſunt denominari videntes per oculum, non ſic partes Sacramenti, quæ non coexiſtunt phyſice cum illa ultima ſyllaba, ſed moraliter, & ſic moraliter ſolum poſſunt cauſare. Longe ergo commodius, & melius eſt dicere totum Sacramentum agere moraliter, niſi velis gratiam produci ſucceſſive per omnes partes, prout ſucceſſive applicantur, quod eſt abſurdum.

12. Dices: Sacramenta antiqua cauſabant gratiam moraliter, quia per illa Deus movebatur ad dandam gratiam, puta per Circumciſionem, & remedium Legis Naturæ Deus movebatur ad dandam gratiam parvulo, prout nunc movetur per Baptiſmum; ergo ſi Sacramenta Novæ Legis non conferunt gratiam niſi moraliter, non differunt a Sacramentis antiquis gratiam pariter moraliter cauſantibus, quod eſt contra Concilia, & Patres.

Reſp. Sacramenta antiqua non fuiſſe cauſas morales, quia cum non eſſent actiones Chriſti, nec Chriſti nomine factæ, non continebant merita Chriſti, nec poterant per ſe ipſa movere Deum ad conferendam gratiam, ſed erant dumtaxat conditiones, quibus poſitis, Deus promiſerat dare gratiam propter merita Chriſti, quorum figuræ, & promiſſiones erant antiqua illa Sacramenta. At Sacramenta nova continent merita Chriſti, utpote actiones Chriſti, & Chriſti nomine factæ; in quibus Chriſtus ipſe per miniſtrum Chriſti nomine operantem exhibet Deo propria merita ad impetrandam gratiam. Unde illa prima dicebantur egena, & vacua, quia non continebant merita Chriſti, nec ſpecialiter erant per Chriſtum ſignificata, ſicut Sacramenta nova, quæ proinde dicuntur vaſa plena, continentia pretium Redemptionis.

13. Dices: Non repugnat Sacramenta phyſice cauſare gratiam, ergo illam de facto phyſice cauſant: nam in cauſalitate phyſica magis elucet dignitas Sacramentorum, & potentia Dei per Sacramenta operantis; illa in eo quod magis proprie cauſant, iſta in eo quod mirabilius elevet. Conf. quia Humanitas Chriſti phyſice operabatur miracula; ergo & Sacramenta phyſice cauſant gratiam.

Reſp. Sacramenta poſſe ad ſummum cauſare phyſice gratiam, quando exiſtunt & applicantur; at ſæpe contingit, quod Sacramentum non exiſtit phyſice, dum producitur gratia, ut ſupra diximus de Baptiſmo reviviſcente, vel non ſit applicatum, ut contingit in abſolutione data pœnitenti aliqualiter diſtanti; tunc enim abſolutio, cum phyſice diſtet a pœnitente, non videtur poſſe phyſice producere gratiam in illo, niſi dicatur operari in diſtans, & clarius patet in matrimonio celebrato per procuratorem. Deinde difficile explicatur, quomodo Sacramentum, quod eſt ſucceſſivum, nec phyſice exiſtit niſi per unicam ſui minimam partem, puta per ultimam ſyllabam, poſſit totum per illam phyſice operari. Cum ergo ſit multo facilius intelligere, quomodo Sacramenta moraliter tantum agant, quam quomodo agant phyſice, non debemus ſine neceſſitate dicere, quod illa phyſice agant. Quod dicitur de majori dignitate Sacramentorum, facile negatur, cum Sanguis Chriſti habeat totam dignitatem ad ſanctificandum, & tamen ſolum moraliter ſanctificat. Quod additur de Humanitate Chriſti phyſice operante miracula, æque incertum eſt ac de Sacramentis; adeſt etiam diſparitas, quod Humanitas Chriſti eſt ens phyſice exiſtens, & poteſt applicari ſubjecto, in quo operatur, proinde poteſt etiam elevari ad operandum phyſice: Sacramentum vero eſt ens morale, ſucceſſivum, & aliquando phyſice non exiſtit.

DUBIUM III.

Quandonam Sacramenta conferant gratiam?

14. Certum eſt Sacramenta non conferre gratiam ex opere operato, antequam re ipſa ſuſcipiantur; nec ſufficere Sacramentum in voto: nam Scriptura, Patres, & Concilia cauſationem gratiæ tribuunt reali ſuſceptioni Sacramentorum, & ſi aliquando tribuunt effectum Sacramenti illud ſuſcipienti in voto per fidem vivam, quæ per dilectionem operatur, aut per veram contritionem cum voto Sacramenti, non loquuntur de effectu cauſato ex opere operato, ſed ex opere operantis, quatenus deſiderium recipiendi Sacramentum cum fide, & dilectione, ſeu contritione, eſt opus bonum, & meritorium gratiæ, ſicut merentur alia opera bona, & Deus intuitu illius deſiderii gratiam confert, perinde ac ſi reciperetur Sacramentum. Sic qui eſt diſpoſitus, & deſiderat Euchariſtiam ſumere, gratiam recipit non ex opere operato, ſed ex opere operantis, & hoc intendunt Patres ſpirituales, dum ſæpe cohortantur ad ſpiritualem communionem, per quam nutritur, & augetur affectus erga Euchariſtiam. Ceterum Sacramenta characterizantia, in voto ſuſcepta, non imprimunt characterem; qui enim habet votum baptiſmi quamvis intenſiſſimum, non per hoc recipit characterem, nec fit capax aliorum Sacramentorum; nec poteſt celebrare, aut abſolvere, qui ſolum recipit ordines in voto: ita ſimiliter gratiam non recipit ex opere operato per Sacramentum in voto, ſed per realem illius ſuſceptionem.

15. Difficultas eſt; *quonam tempore Sacramenta realiter ſuſcepta conferant gratiam?* cum enim, excepta Euchariſtia, de qua dicetur ſuo loco, omnia conſiſtant in aliquo ſucceſſivo, puta ablutione, unctione, prolatione verborum, non ſunt terminata, & completa, niſi quando primo non ſunt ad modum aliarum rerum ſucceſſivarum, quæ terminantur extrinſece per primum ſui non eſſe, & ideo debent cauſare gratiam, aut quando primo non ſunt, vel antequam ſint completa, & terminata, quod utrumque eſt difficile. Oritur tota diſcrepantia a quæſtione philoſophica de compoſitione continui ſucceſſivi: an componatur ex ſolis partibus, an ex partibus, & punctis, an vero ex ſolis punctis, & pro diverſitate ſententiarum diverſimode loquuntur Auctores, quos dabit Madernus *qu.* 3. *art.* 5. Video rem totam ſatis clare poſſe definiri in ſententia propugnante continuum componi ex indiviſibilibus, prout docuimus in philoſophia; nam facile poteſt in quocumque ſucceſſivo, per conſequens etiam in Sacramentis, quæ ſunt entia ſucceſſiva, aſſignari ultimum inſtans, quo intrinſece deſinit, proinde

16. Reſp. Sacramenta, quæ in uſu conſiſtunt, cauſare gratiam in ultimo inſtanti intrinſeco, in quo materia, & forma perfectam habent ſignificationem, ad quam ſunt inſtituta. Ratio eſt, quia tunc Sacramentum producit gratiam, quando ultimo perficitur Sacramentum, & ſignificatio Sacramenti; ſunt enim ſigna ſacra, quæ ſignificant, & ſignificando producunt gratiam, & per conſequens debent eam producere in eo inſtanti, in quo perficitur ſignificatio; ſed in ultimo inſtanti, in quo materia & forma habent eſſe completum, perfectam habent ſignificationem; ergo in eo inſtanti debent gratiam producere. Antecedenter enim, cum nondum ſit perfectum Sacramentum, non

poteſt

poteſt gratia produci; ſubſequenter, cum jam Sacramentum ſit perfectum, jam gratia eſt producta, & ſic in ſolo ultimo inſtanti terminativo producitur. Quod ſi contingat miniſtrum conſulte protrahere, & per longum tempus continuare prolationem ultimæ ſyllabæ, in qua Sacramentum perficitur, non propterea protrahitur perfectio Sacramenti, & productio gratiæ, ſed ſtatim ac prolatio pervenit ad illud inſtans, intelligitur Sacramentum perfectum, & gratia producta, & aliæ partes prolationis illius ſyllabæ non ſunt de neceſſitate Sacramenti. Sic Bonacina *q. 4. punct. 7.* Madernus *quæſt. 3. art. 5.* Dicaſtillus, Trullench, Suarez, & alii, quos affert, & ſequitur Antonius a Spiritu S. *diſp. 5. ſect. 3. num. 119.*

17. Hinc fit Sacramenta, puta Baptiſmum, conferre gratiam in ultimo inſtanti, in quo completa eſt ſignificatio Sacramenti, ſive materia præcedat formam, ſive ſubſequatur, modo moraliter conjungantur, ut ſuo loco dictum eſt. Quod ſi in illo ultimo inſtante, in quo completur ſignificatio, & terminatur Baptiſmus, puer moreretur, non reciperet gratiam, quia in illo ultimo inſtanti puer, qui moritur, primo non eſt, & ſic non eſt amplius capax recipiendi gratiam a Sacramentis. Idem valet de adulto, qui decederet in eo inſtanti, in quo perficitur abſolutio propter eamdem rationem; ſic citati Doctores.

DUBIUM IV.

An omnia Sacramenta Novæ Legis conferre poſſint primam gratiam, & facere de Attrito Contritum?

18. Gratia illa vocatur prima, quæ primo infunditur homini nondum habenti gratiam, ſed exiſtenti adhuc in peccato lethali; illa autem dicitur ſecunda, quæ advenit ſubjecto jam grato, & auget gratiam jam præexiſtentem. Certum eſt, Sacramenta, quæ dicuntur Mortuorum, ſcilicet Baptiſmum, & Pœnitentiam, per ſe primo, & directe producere primam gratiam, & facere ex attrito contritum, cum ſint per ſe primo inſtituta ad peccatum, ſive originale, ſive actuale, tollendum, & reddendam animæ vitam, quod etiam aliqui affirmant de Extrema Unctione. Certum inſuper eſt, alia quinque Sacramenta, quæ dicuntur Vivorum, per ſe primo, & directe non conferre primam gratiam, ſed ſecundam, quia ex primaria inſtitutione Dei non ordinantur ad expellendum peccatum, & reddendam vitam, ſed ad augendam gratiam, quam præſupponunt in ſubjecto: v. g. Euchariſtia inſtituta primario eſt per modum cibi, qui mortuo nihil prodeſt, viventem autem nutrit, & vegetat.

Dubium itaque eſt: *an Sacramenta Vivorum, licet per ſe non ſint ordinata, niſi ad producendam ſecundam gratiam, per accidens tamen, & indirecte producere poſſint primam, quando illam non inveniunt in ſubjecto, & hac ratione facere de attrito contritum.*

19. Reſp. probabilius eſſe Sacramenta Vivorum poſſe aliquando per accidens producere primam gratiam ſanctificantem, quatenus quis exiſtens in peccato mortali, ſi accedat ad Euchariſtiam, vel ad alia Sacramenta Vivorum, bona fide, cum ſola attritione, putans ſe eſſe contritum, aut eſſe in gratia, vere tunc juſtificatur virtute talium Sacramentorum. Ratio eſt, quia Sacramenta Mortuorum, quamvis per ſe primo inſtituta ſolum ſint ad conferendam primam gratiam, interdum tamen per accidens cauſant ſecundam gratiam, ut omnes concedunt, & patet in eo, qui contritus accedit ad Pœnitentiam, vel ad Baptiſmum; ergo etiam Sacramenta Vivorum, quamvis inſtituta primario ſint ad ſecundam gratiam, poterunt tamen aliquando per accidens producere primam, quod quidem de Extrema unctione ſupponere videtur ſenſus communis Fidelium, qui ſolliciti ſunt non diſcedere ab hac vita ſine hoc Sacramento, maxime quando Confeſſio non potuit præmitti; ſi autem hoc concedendum Extremæ unctioni, ut fatetur de Lugo, non eſt cur denegetur Euchariſtiæ, & aliis Sacramentis. Quod Deus Sacramenta Vivorum taliter inſtituerit, ut poſſent etiam conferre primam gratiam non ponentibus obicem, præſumere poſſumus ex Dei bonitate, quæ ſemper ad benefaciendum prona eſt, quando non ſtat per hominem, ut in præſenti caſu.

20. Conf. ex Trident. *ſeſſ. 7. can. 6.* Omnia Sacramenta ex ſua inſtitutione vim habent conferendi gratiam non ponentibus obicem; ergo etiam vim habent conferendi primam gratiam non ponentibus obicem; at ſi homo accedat bona fide ad Sacramenta Vivorum, exiſtimans ſe eſſe in gratia, & ſolum accedat cum attritione, & ignorantia invincibili peccati lethalis, non ponit obicem effectui Sacramenti, quia non peccat taliter accedendo, & habet ſufficientem diſpoſitionem, ut illi conferatur effectus Sacramenti, & remittatur peccatum; ergo de facto recipit gratiam, & remiſſionem peccati. Sic tenent communiter Thomiſtæ cum D. Thoma *3 p. q. 72. ad 2. q. & 79. art. 3.* Fran. a Jeſu M. *in curſu morali, tr. 1. cap. 5. punct. 2.* Leander *tr. 1. de Sacram. diſp. 3. q. 5.* Henriquez *lib. 1. cap. 12.* Reginaldus *l. 2. num. 45.* Layman *lib. 5. t. 11. cap. 6. num. 2.* Suarez *diſp. 7. ſect. 2.* Madernus *q. 3. art. 6. num. 6.* Bonacina *diſp. 1. quæſt. 4. punct. 2.* Diana *part. 3. tract. 6. reſol. 98.* & alii apud ipſos,

21. Dices, accedentem ad Sacramenta Vivorum, puta ad Euchariſtiam, cum peccato habituali non recipere gratiam; quia licet non peccet ſic accedendo peccato actuali, obicem tamen habet peccati habitualis, quod non eſt ſufficienter retractatum, ut conſtat in illo, qui accedit cum ignorantia invincibili peccati mortalis ſine attritione ſupernaturali; iſte enim non peccat accedendo, nec tamen recipit gratiam; ergo pariter ille, qui accedit cum ſola attritione ſupernaturali, non recipiet gratiam, cum non habeat ſufficientem diſpoſitionem.

Reſp. ad recipiendam gratiam nihil plus requiri a Trid. in accedente ad Sacramentum, quam quod non ponat obicem; at qui invincibiliter ignorat ſe habere peccatum, & ex alia parte habet attritionem univerſalem, & ſupernaturalem, non ponit obicem, & eſt ſupernaturaliter diſpoſitus; ergo debet recipere gratiam. Nec valet paritas inter eum, qui non atteritur, ſeu atteritur ſolum naturaliter, & eum, qui atteritur ſupernaturaliter: quia ſæpe attritio ſupernaturalis cum Sacramento removet obicem gratiæ, eſtque ſufficiens diſpoſitio ad eam recipiendam; attritio autem naturalis nunquam eſt ſufficiens diſpoſitio, nec removet obicem; proinde mirum non eſt, quod cum illa non recipiatur effectus Sacramenti; cum attritione autem ſupernaturali ſufficienter cenſetur remotus obex, per ſe quidem cum Sacramento Mortuorum, per accidens autem cum Sacramento Vivorum. Quod confirmatur in Sacramento Extremæ unctionis, per quod cum ſola attritione ſupernaturali delentur reliquiæ peccatorum, quæ in Confeſſione non fuerunt expoſitæ, & prima gratia confertur, quæ non confertur cum ſola attritione naturali.

22. Dices 2. Sacramenta non cauſant gratiam, niſi ad quam ſunt inſtituta, cum totam vim cauſativam habeant ex inſtitutione; ſed Sacramenta Vivorum ſunt inſtituta ad cauſandam gratiam ſecundam, non vero ad cauſandam primam, ſecus illam cauſarent per ſe; ergo de facto illam non cauſant.

Reſp. Sacramenta non cauſare gratiam, niſi ad quam ſunt inſtituta primario, vel ſecundario; illam cauſant per ſe primo, hanc cauſant ſecundario, & per accidens, ſicut Baptiſmus, & Pœnitentia per ſe inſtituta ad cauſandam primam gratiam, poſſunt per accidens cauſare ſecundam, ſi inveniant primam jam poſitam.

23. Dices 3. Sacramentum Euchariſtiæ cum ſit inſtitutum per modum cibi, illos debet proportionaliter cauſare effectus, quos cibus naturalis cauſare ſolet; at cibus nunquam datur ad reddendam mortuo, vitam, ſed tantum ad conſervandam, & augendam ſubſtantiam jam viventis; ergo Euchariſtia non prodeſt mortuo per peccatum.

Reſp. Sacramentum Euchariſtiæ inſtitutum eſſe per modum cibi ſupernaturalis, quia per ſe primo cauſat in anima illos omnes effectus, quos cauſat cibus naturalis: at ſecundario plures etiam effectus ſignificat, & cauſat, cum præcipue homo ille per peccatum non ſit ita mortuus, ut non poſſit aliquos actus ſupernaturales elicere, & cum aliqua diſpoſitione ſupernaturali accedere ad Euchariſtiam.

24. Dices 4. Qui accederet ad Euchariſtiam cum ſola attritione, cognita ut talis, non eſſet ſufficienter diſpoſitus pro recipienda gratia, & fructu Sacramenti; ergo pariter qui accedit cum ſola attritione, etiam putata contritione, non erit ſufficienter diſpoſitus. Nam putare ſe eſſe contritum, provenit ex ignorantia; hæc autem non facit hominem magis diſpoſitum ad effectum gratiæ; ergo ſi attritio, cognita ut talis, non eſt ſufficiens diſpoſitio, nec talis erit attritio putata contritio.

Reſp. negando conſequentiam: quia licet ignorantia non faciat hominem magis diſpoſitum poſitive, facit illum magis diſpoſitum negative. Sacramenta Vivorum, cum ſint per ſe primo inſtituta ad producendam ſecundam gratiam, requirunt pro ſufficienti diſpoſitione in homine peccatore perfectam retractationem per verum actum Pœnitentiæ perfectæ: inde ſi quis cognoſceret ſe talem actum perfectum non habere, indiſpoſitus accederet ad Sacramentum. Quod ſi invincibiliter puto me habere talem actum perfectum, jam ſum negative diſpoſitus, quia non indigne accedo, non pecco accedendo, non pono obicem gratiæ; per conſequens recipio gratiam, quæ ex Trident. confertur non ponentibus obicem.

DUBIUM V.

An Sacramenta omnia conferant æqualem gratiam?

25. Conveniunt fere omnes, Sacramenta diverſa non conferre gratiam æqualem, ſed majorem, aut minorem pro majori, ſeu minori ipſorum dignitate, quamvis æqualis exiſtat diſpoſitio in ſuſcipientibus: ſic Baptiſmum conferre gratiam majorem, quam conferat Confirmatio; Euchariſtiam conferre majorem, quam Pœnitentia, aut Extrema Unctio. Quanta autem ſit gratia major, quæ datur per unum Sacramentum, & non per aliud, res omnino incerta eſt, dependens a voluntate Dei, de qua nihil nobis innoteſcit, prout bene notat Madernus *q. 3. art. 9.* Difficultas tota eſt de Sacramentis ejuſdem ſpeciei: *an nimirum Sacramentum idem ſemper habeat cauſare gra-*

tiam

tiam æqualem; quamvis Subjecta ſint inæqualiter diſpoſita; an vero gratiam conferat inæqualem, pro majori, aut minori diſpoſitione Suſcipientium, ſiquidem Palud in 4. diſt. 4. quæſt. 1. art. 9. Major, & Gabriel quæſt. 2. videntur docere, Sacramentum idem, puta Baptiſmum, conferre gratiam diverſas æqualiter diſpoſitis, ex eo præciſe, quod unus prædeſtinatus ſit ad majorem gloriam, quam alius.

26. Reſp. Sacramenta ejuſdem ſpeciei ſemper æqualem effectum, & æqualem gratiam producunt in ſubjecto æqualiter diſpoſito; inæqualem vero in ſubjecto inæqualiter diſpoſito: & inde qui accedit ad Euchariſtiam v. gr. cum majori diſpoſitione, conſequitur majorem gratiam ex opere operato, minorem, qui accedit cum minori, & æqualem, qui accedit cum æquali. Sumitur ex Trident. *ſeſſ. 6. cap. 7.* ubi loquens de juſtificatione, quæ fit in adultis per Baptiſmum, docet in tali juſtificatione unumquemque recipere gratiam ſecundum menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis, prout vult, & ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem, & cooperationem, & inde Baptiſmus, & conſequenter omnia alia Sacramenta, non conferunt ſemper æqualem gratiam, ſed inæqualem pro inæquali diſpoſitione ſubjecti. Ratio eſt, quia Sacramenta eodem modo agunt ex opere operato, quo cauſæ naturales ſuos producunt effectus; ſed iſtæ, ut per ſe patet, multo perfectius, & fortius agunt, quando ſubjectum melius eſt diſpoſitum; ergo etiam Sacramenta in ſubjecto magis diſpoſito majorem debent gratiam producere. Et certe valde congruum fuit, quod Chriſtus ita Sacramenta inſtitueret, ut in ipſa menſura gratiæ menſuram diſpoſitionis conſequeretur, non ſolum quia ſuavior appareret divina Providentia in diſpenſatione gratiæ, ſed etiam quia ſic magis excitantur homines ad ſuſcipienda Sacramenta cum majori diſpoſitione, majorique devotione, reverentia, charitate, & amore. Ita cum D. Thoma, Suarez *diſp. 7. ſect. 3.* Layman *tract. 1. cap. 6. num. 9.* Beccanus *cap. 5. quæſt. 9.* Lugus *diſp. 9. ſect. 3.* Bonacina *diſp. 1. quæſt. 4. punct. 3.* Madernus *art. 9.* Ant. a Spiritu S. *ſect. 5. num. 125.*

27. Si quæras, quænam in particulari, reſpectu Sacramentorum, cenſenda ſit major, & melior diſpoſitio, non poteſt certa regula explicari. In univerſum dici poteſt, diſpoſitiones actuales eſſe meliores habitualibus, quia magis proxime, & immediate ſubjectum diſponunt: inter actuales diverſæ rationis, illæ ſunt meliores, quæ magis avertunt a peccato, magiſque convertunt ad Deum: ſic optimæ ſunt dilectio, & contritio, deinde attritio, ſpes &c. inter diſpoſitiones actuales ejuſdem rationis meliores ſunt, quæ vel intenſiores, vel diuturniores exiſtunt; inde qui ad Confeſſionem accedit contritus, majorem gratiam conſequitur ex opere operato, quam qui accedit ſolum attritus.

28. Dices: ſi Sacramenta conferrent gratiam majorem propter meliorem diſpoſitionem ſubjecti, jam non conferrent gratiam ex opere operato, ſed ex opere operantis; major enim illa gratia datur propter meritum ſuſcipientis, non per ſolam actionem Sacramentalem.

Reſp. quod gratia major, quæ datur in Sacramento, quando diſpoſitio ſubjecti eſt melior, non datur ex opere operantis, ſed ex opere operato; quia ſi diſpoſitio eſt ex ſe inſufficiens ad cauſandam gratiam, hæc tota debetur Sacramento: ſi vero quis accedat cum diſpoſitione ex ſe meritoria, puta cum contritione, & dilectione Dei ſupernaturali, duplicem habebit gratiam, unam ex opere operantis, quatenus operatio illa eſt in ſe bona, & meritoria, eſtque cauſa gratiæ ſibi proportionatæ, alteram ex opere operato, ex vi ſcilicet Sacramenti; & hæc tanto major erit, quanto melior eſt diſpoſitio præcedens.

DUBIUM VI.

An præter gratiam habitualem, conferant Sacramenta aliam gratiam Sacramentalem, & quid illa ſit?

29. CONveniunt Doctores, Sacramenta omnia ex opere operato cauſare gratiam habitualem, & ſanctificantem; ſed quæritur, an præter illam, habeant cauſare aliam gratiam, quam dicunt Sacramentalem, & quid illa ſit, ſeu in quo conſiſtat. Nam Palud *in 4. diſt. 2. q. 3.* affirmat gratiam Sacramentalem eſſe peculiarem quemdam habitum collatum in ſingulis Sacramentis, & ſervientem fini uniuſcujuſque. Capreolus vero aſſerit gratiam Sacramentalem in Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine, eſſe characterem, in aliis Sacramentis alium ornatum animæ. Alii communiter dicunt eſſe gratiam ipſam habitualem cum ordine ad auxilia actualia diverſa deſervientia pro conſecutione finis cujuſlibet Sacramenti.

30. Reſp. Sacramenta præter gratiam habitualem, & ſanctificantem, conferre aliam gratiam Sacramentalem conſiſtentem in ſpeciali auxilio divino a Deo collato ad obtinendum finem cujuſlibet Sacramenti, quod aperte docet D. Thomas *q. 62. art. 2. in corp.* Dicens: *Gratia Sacramentalis addit ſuper gratiam communiter dictam, & ſuper virtutes, & dona, quoddam divinum auxilium ad conſequendum Sacramenti finem.* Cum autem finis Sacramentorum ſit diverſus pro quolibet Sacramento; ita pariter gratia Sacramentalis erit diverſa. Itaque Sacramenta duos habent effectus, unum communem omnibus Sacramentis, nimirum gratiam habitualem ſanctificantem, & alium particularem, & proprium cujuſlibet Sacramenti, per quem unum Sacramentum ab alio diſtinguitur, & iſte non eſt, niſi gratia Sacramentalis, quæ conſiſtit in gratia actuali, ſeu auxilio quopiam divino, ad conſequendum finem proprium cujuſlibet Sacramenti. Sic in Baptiſmo, qui eſt janua omnium Sacramentorum, & principium vitæ Chriſtianæ, ultra gratiam ſanctificantem, conferuntur ſpecialia auxilia ad digne recipienda reliqua Sacramenta, ad ſervanda Chriſti præcepta, & ad chriſtiane vivendum; in Confirmatione non ſolum confertur augmentum gratiæ habitualis, ſed etiam auxilium actuale ad profitendam publice fidem, cum opus fuerit, & tentationes contrarias ſuperandas; in Sacramento Pœnitentiæ, quod ordinatur ad tollenda peccata actualia, tribuitur gratia cum ſpeciali auxilio pro ipſis peccatis vitandis, & deteſtandis, ac pro illis ſatisfaciendis; in Sacramento Euchariſtiæ datur gratia cum ſpeciali auxilio ad nutriendam, augendam, & conſervandam, ac exercendam charitatem erga Deum; in Extrema Unctione communicatur gratia cum ſpeciali auxilio pro vitandis tentationibus in periculo mortis, & ſæpe etiam ad ſublevandam corporis ægritudinem. Ordo confert ſpecialia auxilia ad recte obeunda ejuſdem Ordinis munera. Matrimonium ſpecialia auxilia ad mutuam fidem ſervandam, mutuum amorem fovendum, & prolem honeſte educandam. Unde patet ſingula Sacramenta habere gratiam habitualem pro effectu communi, & gratiam Sacramentalem pro effectu proprio, & particulari.

31. Hos Sacramentorum effectus, & diverſitatem explicat Concil. Florent. in inſtructione Armenorum, dicens: *Per Baptiſmum ſpiritualiter renaſcimur: per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide; renati autem, & roborati nutrimur divinæ Euchariſtiæ alimonia. Quod ſi per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, ſpiritualiter per Pœnitentiam ſanamur; & ſpiritualiter, atque etiam corporaliter, prout animæ expedit, per Extremam Unctionem; per Ordinem vero Eccleſia gubernatur, & multiplicatur ſpiritualiter; per Matrimonium corporaliter augetur.* Specialia auxilia pro conſequendis effectibus Sacramentorum non conferuntur omnia ſimul in ipſa actuali ſuſceptione Sacramenti; ſed plura dantur ſucceſſu temporis, prout ipſorum occaſio, & indigentia occurrit; omnia tamen dantur intuitu Sacramenti ſuſcepti. Ita communiter Thomiſtæ cum D. Thoma ſupra, Valentia *quæſt. 2. punct. 2.* Suarez *diſp. 7. ſect. 1.* Madernus *quæſt. 3. art. 7.* Lugus *diſp. 4. num. 19.* Bonacina *diſp. 1. q. 4. punct. 5.* & aliis citatis Leander *diſp. 3. quæſt. 7.*

DUBIUM VII.

An Sacramenta antiqua conferant gratiam ex opere operato?

32. CErtum eſt, Sacramenta antiqua fuiſſe ſigna gratiæ collatæ ſuſcipienti Sacramentum, cum hoc pertineat ad rationem Sacramenti: dubium eſt, an illa gratia conferatur intuitu Sacramenti, & ſic ex opere operato, vel ſolum intuitu Contritionis, & diſpoſitionis internæ ſuſcipientis, & ſic ex opere operantis; & maxime urget difficultas de remedio Legis Naturæ, ac de Circumciſione, quam cauſaſſe gratiam ex opere operato plures affirmant, cum per illam juſtificarentur pueri, & mundarentur ab originali, quod præſtare non poterat, niſi gratiam conferendo. Alii tamen dicunt Circumciſionem fuiſſe merum ſignum diſtinctivum populi Iſraelitici ab aliis. Nos autem ſupra *cap. 2. dub. 4.* diximus Circumciſionem in Lege Veteri fuiſſe verum Sacramentum, non tantum ad ſegregandum populum Judæorum, ſed etiam ad delendum originale ordinatum, ac proinde fuiſſe in illa collatam gratiam remiſſivam originalis. Reſtat igitur: *an illa gratia fuerit collata parvulis ex opere operato, vel quomodo?*

33. Reſp. primo Sacramenta Veteris Legis, etiam remedium Legis Naturæ, ac Circumciſio, non cauſabant gratiam ex opere operato proprie dicto, ſed erant ſolum ſigna gratiæ collatæ intuitu paſſionis, & meritorum Chriſti prævisi. Colligitur ex Concilio Florent. ſeſſ. ult. in Decreto Fidei ad Armenos dicente: *Novæ Legis Sacramenta multum differunt a Sacramentis Antiquæ Legis; hæc enim non cauſabant gratiam, ſed ſolum per paſſionem Chriſti dandam figurabant: noſtra vero Sacramenta & continent gratiam, & digne ſuſcipientibus eam conferunt.* Deducitur etiam ex omnibus illis Scripturæ auctoritatibus, in quibus Sacramenta antiqua vocantur infirma, & egena elementa, quæ *ad Hebr. 7.* dicuntur reprobata propter infirmitatem, & inutilitatem. Reponuntur etiam inter opera Legis, quæ non juſtificabant; *ex operibus enim Legis non juſtificabitur omnis caro coram illo*, ut habetur *Rom. 3.* quod iterum exagerat Apoſtolus *cap. 4.* exemplo Abrahæ, quem negat in Circumciſione fuiſſe juſtificatum, ſed in præputio. Auctoritates Patrum dabit Suarez *diſput. 10. ſeſſ. 3.*

34. Di-

34. Dices: Sacramenta antiqua inferiora fuiſſe noſtris, quia moraliter ſolum producebant gratiam, quam noſtra phyſice cauſant.

Reſp. non eſſe certum noſtra Sacramenta cauſare phyſice gratiam, cum probabilius ſit non habere niſi cauſalitatem moralem, ut vidimus ſupra; & certe dum reviviſcunt non poſſunt cauſare phyſi ce, quia non exiſtunt; ergo non poſſunt per hoc antiqua Sacramenta differre a noſtris, maxime quia Concilia, & Patres dicunt Sacramenta Antiquæ Legis non cauſaſſe, ſed figuraſſe gratiam dandam per Chriſtum. Ratio etiam eſt, quia illud, quod etiam ſolum moraliter cauſat, debet per ſe ipſum movere Deum ad cauſandam phyſice gratiam; nec ſufficit, ut, eo poſito, Deus alicujus alterius intuitu cauſet gratiam; hoc enim non eſt eſſe cauſam, ſed dumtaxat conditionem. At Sacramenta vetera nullo modo Deum movebant per ſe ipſa, ſicut faciunt nova, quia non continebant valorem meritorum Chriſti, non erant actiones Chriſti, Chriſti nomine factæ, & ab illo moraliter dignificatæ, ſed illis poſitis ut conditionibus, Deus per ſola merita Chriſti præviſa movebatur ad dandam gratiam, & ſic erant ſolum conditiones, ad quorum præſentiam Deus gratiam conferebat.

35. Circumciſio igitur, & remedium originalis erant Sacramentum, quia erant ſignum gratiæ collatæ puero intuitu fidei interioris; ſicut expiatio legalis erat ſignum gratiæ collatæ intuitu contritionis internæ; quod expreſſe docet D Thomas *3. part. quæſt. 70. art. 3. in corp.* ubi, comparando Circumciſionem cum Baptiſmo ſic concludit: *dicendum eſt, quod in Circumciſione conferebatur gratia quantum ad omnes gratiæ effectus, aliter tamen, quam in Baptiſmo, nam in Baptiſmo confertur gratia ex virtute ipſius Baptiſmi, quam habet, in quantum eſt inſtrumentum paſſionis Chriſti jam perfectæ; in Circumciſione autem conferebatur gratia, non ex virtute Circumciſionis, ſed virtute fidei paſſionis Chriſti, cujus ſignum erat Circumciſio: ita ſcilicet quod homo, qui accipiebat Circumciſionem, profitebatur ſe ſuſcipere talem fidem, vel adultus per ſe, vel alius pro parvulis. Unde Apoſtolus dicit Rom. 4. quod Abraham accepit ſignum Circumciſionis ſignaculum juſtitiæ fidei, quia ſcilicet juſtitia erat ex fide ſignificata, non ex Circumciſione ſignificante.* Ecce quomodo Circumciſio erat merum ſignum, non cauſa gratiæ, erat conditio, ſine qua non ponebatur gratia.

36. Dices: ſi puero conferebatur gratia intuitu ſolius fidei internæ applicantis Sacramentum; ergo etiam ipſa ſola fuiſſet ſufficiens ſine Sacramento.

Reſp. negando conſequentiam, quia citra ordinationem divinam hoc fides non habet, quæ quidem ex ſe eſt aliqua diſpoſitio ad juſtificationem reſpectu fidem habentis, non tamen reſpectu alterius, per conſequens inſtitutione aliqua divina opus fuit, qua Deus ſtatuerit puerum juſtificare intuitu fidei parentum, vel aliorum ab illis ſubſtitutorum, cujus proteſtatio per aliquod ſignum externum puero applicaretur: cum enim ex una parte fides parentum debeat eſſe applicata puero per actionem aliquam externam, & ex alia parte illa actio eſſet merum ſignum; conſequens eſt, ut dicamus, gratiam collatam fuiſſe intuitu dumtaxat internæ fidei, ea tamen lege, ut aliquod ſignum exterius poneretur, quo illius proteſtatio fieret, & puero applicaretur.

37. Reſp. 2. Sacramenta antiqua conferebant gratiam ex opere operantis, ideſt quando homines juſti ex fide, & dilectione utebantur hujuſmodi Sacramentis, tunc de condigno merebantur augmentum gratiæ juſtificantis. Ratio eſt, quia ſuſceptio, & uſus Sacramentorum in Antiqua Lege, erant opera ex ſuo gen re bona, utpote ad religionem, Deique cultum ordinata, & aliquando etiam a Deo præcepta, fierique poterant ex vera fide, & charitate; ergo poterant eſſe meritoria vel primæ gratiæ, vel augmenti, & ſic poterant ex opere operantis antiqua Sacramenta conferre gratiam.

CAPUT IV.

De Charactere Sacramentali.

DUBIUM I.

An, & quænam Sacramenta imprimant Characterem?

Alter Sacramentorum effectus, non quidem communis omnibus, ſed particularis pro aliquibus Sacramentis Novæ Legis eſt, Character, quæ vox idem ſignificat, ac ſignum, ſeu nota, quo ſignatur res aliqua; vel ut ab aliis cognoſcatur diſtincta, & pretio habeatur tanquam particularis alicujus domini, ſicut ſignari ſolent animalia, & ſervi, ut cognoſcantur cujus domini ſint; vel ut deputentur ad aliquod ſpeciale munus, ſeu ad aliquem ſpecialem finem, quomodo antiquitus ſignari Charactere ſolebant homines, qui ad militiam adſcribebantur, teſte Vegetio *lib. 1. de re militari cap.* 8. In hac ergo ſignificatione uſurpatur a Theologis vox Characteris, ad ſignificandum ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, quo ſignantur fideles. De Charactere fuſe tractant, qui contra Hæreticos noſtri temporis controverſias ſcribunt: nos autem pro notitia morali breviter dicemus, quænam Sacramenta imprimant Characterem, & quid ille ſit?

2. Reſp. tria tantum Sacramenta Novæ Legis imprimunt Characterem, nimirum Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo. Eſt veritas definita in Concilio Florent. *in decreto unionis*, ubi habetur: *Inter hæc Sacramenta tria ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quæ Characterem, id eſt ſpirituale quoddam ſignum a cæteris diſtinctum imprimunt in anima indelebile, unde in eadem perſona non reiterantur: reliqua vero quatuor Characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.* Et in Trident. *ſeſſ. 7. can. 9.* ſic habetur: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi Characterem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, unde ea iterari non poſſunt; anathema ſit.* Idem habetur in cap. *Majores, de Baptiſmo, & ejus effectu*; & hanc fuiſſe perpetuam Eccleſiæ traditionem acceptam ab Apoſtolis oſtendunt recentiores Theologi; ex communi antiquiorum Patrum conſenſu, de quo ſpecialiter videri poſſunt Bellarminus *lib. 2. de Sacrament. cap.* 18. & alii, qui controverſias ſcribunt.

3. Ratio a priori nulla eſt, niſi voluntas Chriſti Domini ſic inſtituentis Sacramenta, ut cum Lugo, & Arriaga notat Madernus *qu. 4. art. 1. n. 4.* Poterat enim Deus abſque ullo Charactere dare facultatem recipiendi reliqua Sacramenta, reſiſtendi Tyranno in confeſſione fidei, & conſecrandi, ac abſolvendi a peccatis, ſicut hanc poteſtatem abſque Charactere impreſſo habuit Chriſtus Dominus. Non deeſt tamen ratio congruentiæ ſita in eo, quod in qualibet ordinata Republica, ſeu familia, ad ſpecialia officia deſtinati, ſpecialibus ſignis notantur, & diſcernuntur; at per tria dicta Sacramenta homines ſpecialiter deputantur ſub inſignibus Chriſti: per Baptiſmum enim homo fit Chriſti familiaris, & ſervus, quatenus in Chriſti familia ponitur: per Confirmationem fit Chriſti miles, quatenus ad ſpecialiter pugnandum pro Chriſti fide deputatur: per Ordinem fit Chriſti miniſter, quatenus ad miniſtranda Sacramenta nomine Chriſti deſignatur, & ſic congruum fuit hæc tria Sacramenta Characterem, & ſpeciale aliquod ſignum imprimere, non ſic alia quatuor, quæ ordinata non ſunt ad aliquod ſpeciale munus deſignandum. Aliam rationem a poſteriori indicat Tridentinum: quia certum eſt quædam Sacramenta non poſſe reiterari; nulla autem aſſignatur cauſa hujus interabilitatis, niſi quia imprimunt Characterem indelebilem in anima.

4. Reſp. 2. Nullum ex antiquis Sacramentis tale fuiſſe, ut imprimeret Characterem in anima. Ratio eſt, quia nec in Scriptura, nec in Conciliis, tribuitur antiquis Sacramentis Characteris impreſſio, & ex alia parte per talia Sacramenta homines non fiebant Chriſti famuli, Chriſti milites, nec Chriſti miniſtri, nec aliquod ſpeciale officium, aut poteſtas ad aliquid ſpirituale dabatur. Neque enim Sacerdotes Antiquæ Legis habebant poteſtatem dimittendi peccata, aut dandi aliquem alium effectum ſpiritualem; & ſic non debebant antiqua Sacramenta imprimere Characterem, qui eſt ſpirituale ſignaculum. Nec valet, quod per Circumciſionem homines deputabantur ad uſum paſſivum aliorum Sacramentorum, & ſic ſaltem Circumciſio debuit imprimere Characterem. Reſp. quod carnali adhuc populo ſufficiebat carnalis Character, qui per Circumciſionem imprimebatur in corpore, abſque eo quod alius Character ſpiritualis imprimeretur in anima. Deinde, quia feminæ ſine Circumciſione, cum ſolo remedio originalis, habebant jus ad uſum paſſivum aliorum Sacramentorum; unde nec debebat hominibus imprimi Character ad deſignandum tale jus. Multo minus Characterem imprimebat remedium originalis, quia talis Characteris fuiſſent ſolum capaces parvuli, in quibus ſolis remedium originalis habebat effectum.

DUBIUM II.

Quid ſit Character, & in quo ſubjectetur?

5. Varie ſentiunt Doctores circa quidditatem Characteris; Durandus enim vult illum eſſe relationem rationis, ſeu denominationem extrinſecam, qua aliquis, ratione Sacramenti ſuſcepti, dicitur ad certum ſtatum, vel munus deputatus: Scotus vult eſſe relationem realem prædicamentalem; alii magis communiter tenent, Characterem eſſe qualitatem ſpiritualem animæ impreſſam. Verum quia quatuor aſſignantur ſpecies qualitatis, nimirum habitus & diſpoſitio, potentia & impotentia, paſſio & paſſibilis qualitas, forma & figura; inde quæritur ulterius, ad quam ſpeciem ex illis Character pertineat? Pertinere ad primam docent Bellarminus, Suarez, & Vaſquez; in ſecunda collocatur a Thomiſtis; pertinere ad tertiam tenet cum Ochamo Lugus; in quarta ſpecie ponitur a Marſilio, Ricardo, Averſa, & aliis. Sed hæc non ſunt neceſſaria Theologo Morali; proinde Scholaſticis diſcutienda relinqui-

quimus, & videri poſſunt Madernus *q.* 4. *art.* 2. Franc. a Jeſu Maria *in curſu morali c.* 6. *dub.* 1. *& ſeqq.* pro morali.

6. Reſp. Characterem eſſe qualitatem ſpiritualem impreſſam in anima per modum ſigni indelebilis, per quam homo redditur aptus ad Sacramenta ſuſcipienda, vel miniſtranda; vel ad alia divini cultus opera, ſeu, quod idem eſt, per quam homo ſpecialiter deputatur ad aliquod munus in familia Chriſti: & facile revocari poteſt ad ſecundam ſpeciem qualitatis, quia eſt potentia activa, vel paſſiva, in ordine ad conficienda, vel recipienda Sacramenta quædam. Sic per Characterem Baptiſmi homo redditur potens recipere alia Sacramenta; per Characterem Ordinis ad exercenda divina; & per Characterem Confirmationis ad profitendam fortiter Chriſti fidem. Ita Bonacina *q.* 5. *punct.* 3. Madernus *q.* 4. *art.* 2. *&* 3. Franc. a Jeſu Maria *dub.* 6. Leander *diſp.* 3. *q.* 19. Granad. *tract.* 4. *diſp.* 3. & late, ac optime Marchinus *de Ordine tract.* 1. *part.* 3. *cap.* 6.

7. Reſp. 2. Characterem immediate recipi in ipſa animæ ſubſtantia, a qua potentiæ non diſtinguuntur realiter. Favet Trident. *ſeſſ.* 7. *can.* 9. dicens: *Si quis dixerit non imprimi Characterem in anima &c. anathema ſit*; formaliter dici poteſt ſubjectari in intellectu, quia Character eſt potentia phyſica, vel moralis, ordinata ad debite exercenda, religioſe, & reverenter ea, quæ ſpectant ad divinum cultum, & ſic convenienter collocatur in potentia intellectiva animæ, ut cum D. Thoma *q.* 63. *art.* 4. *in corp.* tenent communiter Thomiſtæ, & cum aliis Philibertus, Marchinus *loco cit. num.* 21.

DUBIUM III.

Quænam ſint proprietates Characteris?

8. Reſp. quatuor communiter aſſignari proprietates Characteris Sacramentalis: nimirum quod ſit *ſpiritualis*, *indiviſibilis*, *indelebilis*, *& ſupernaturalis*. Eſt qualitas *ſpiritualis*, quia reperitur in anima etiam ſeparata, & ordinatur ad effectus ſpirituales. Eſt *indiviſibilis* intenſive, quia in omnibus eſt æqualis, & æqualem omnibus in quibus reperitur, poteſtatem confert; difficultas ſolum eſſe poteſt circa Characterem ordinis, qui videtur intenſibilis; nam Character ordinis inferioris per Characterem ordinis ſuperioris videtur intendi. Verum nec Character Ordinis poteſt intendi: primo quia gradus, per quos fit intenſio, debent omnes eſſe ordinati ad eamdem formam, idemque objectum; at diverſi Characteres diverſorum ordinum habent diverſa objecta, ſeu habent pro objecto diverſa munera, ut patet conſideranti ſingulos ordines; deinde, quia in noſtra ſententia de gradibus homogeneis, intenſio fit per gradus homogeneos, & ejuſdem rationis; at Characteres diverſorum ordinum ſunt ætherogenei, cum ſint ad diverſa munera ordinati, & tribuant poteſtatem diverſam. In ſententia de gradibus ætherogeneis habent hujuſmodi gradus ordinem eſſentialem inter ſe, nec poteſt primus immediate uniri tertio, & ſervant ſubordinationem inter ſe, quam non ſervant Characteres ordinum; nam poteſt Character Subdiaconi v. gr. immediate uniri cum Charactere Presbyteri, ut patet in eo, qui ordinatur per ſaltum & inde Characteres non poſſunt intendi.

9. Tertia qualitas eſt *indebilitas*, quam definitam habemus in Conciliis Florentino, & Tridentino, dum dicunt eſſe ſignum impreſſum in anima *indebile*, & Theologi communiter ex Characteris impreſſione initerabilitatem Sacramenti probant; ſi autem amitteretur Character, ſicut amittitur gratia, non poſſet per eum reddi Sacramentum initerabile, cum tota cauſa, propter quam Sacramenta Characterizantia non iterentur, ſit permanentia Characteris ſemel producti. Accedit, quod ille cauſam corruptivam non habet, per conſequens exigit ſemper durare, etiam poſt mortem: inde ſi Baptizatus, vel Sacerdos, a mortuis reſurgat, nec rebaptizandus, nec reordinandus eſt, ſed poſſet ordinatus exequi gradus ſuorum ordinum ſicut antea, dum primo viveret, nam eſſet vere Sacerdos habens Characterem. Ita cum D. Thoma, Suarez, Henriquez, & aliis, Antonius a Spiritu Sancto *diſp.* 5. *ſect.* 9. *num.* 139. Inde etiam patet, cur Matrimonium Characterem non imprimat, quamvis, vivente Conjuge, cum ipſo iterari non poſſit; quia nimirum poſſet ſaltem iterari, caſu quo alter Conjux a mortuis reſurgeret, in quo caſu ſine nova contractione Matrimonii, non poſſent licite hujuſmodi Conjuges cohabitare carnaliter; prius enim Matrimonium fuit per mortem ſolutum, quod indicat Paulus 1. Corinth. 7. illis verbis: *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt, &c.*

10. Dices: Gratia eſt qualitas & ipſa ſpiritualis, & multo perfectior Charactere, & tamen adveniente peccato recedit; ergo pariter debet deleri, & recedere Character.

Reſp. negando conſeq. quia gratia oppoſitionem habet cum peccato; non ſic Character, cujus productionem non impedit, ſicut impedit productionem gratiæ: & licet Deus in pœnam peccati potuiſſet velle, ut per peccatum Character deleretur; hoc tamen non videbatur ita conveniens, quia ſæpe contigiſſet debere Sacerdotes reordinari cum magno populi ſcandalo.

11. Dices 2. poſt mortem Character ad nihil inſervit, quia poſt mortem non remanet poteſtas moralis ad miniſtranda, vel recipienda Sacramenta, cum hoc ſit proprium Viatoris; ergo non durat poſt mortem.

Reſp. quod inſerviet ad decus, & oblectationem in electis, ad dedecus, & confuſionem in reprobis; gaudebunt enim illi, dolebunt iſti, videntes inſignia dignitatis, quam habuerunt in familia Chriſti: poſſent etiam Sacerdotes, per ſe loquendo, conſecrare, quia in illis remanet Character, & potentia locutiva; per accidens tamen ceſſabit uſus talis poteſtatis, utpote non neceſſarius; ut docent Antonius a Spiritu Sancto *num.* 139. Marchinus *tract. de Ordine part.* 3. *cap.* 6. *n.* 3. Henriquez, Suarez, & alii, quos ſequitur Leander *diſp.* 3. *q.* 21. *&* 22.

12. Quarta, & ultima proprietas erat *ſupernaturalitas*, quæ ſumitur tum ex effectibus ſupernaturalibus, ad quos ordinatur, tum ex eo quod ſit indebitus omni prorſus ſubjecto creato, & creabili, in quo conſiſtit ratio ſupernaturalitatis.

13. Hinc habes definitionem Characteris, quæ ex huc uſque dictis ſic formari poteſt. Eſt qualitas ſpiritualis ſupernaturalis, per modum ſigni indelebilis exiſtens animæ, aut etiam, eſt qualitas, per quam Sacramentum redditur omnino initerabile, & homo ſpecialiter deputatur ad aliquod munus in familia Chriſti.

14. Quæres: *An Characteres impreſſi a tribus Sacramentis differant inter ſe eſſentialiter, & ſpecifice?*

Reſp. affirmative, quia Characteres illi ſunt potentiæ, ſeu habitus ordinati ad actus, & fines diverſos, & ſic debent inter ſe differre. Bonacina *diſp.* 1. *q.* 5. *punct.* 3. Suarez, Granado, & alii, quos ſequitur Leander *q.* 23.

CAPUT V.

De Miniſtro Sacramentorum.

DUBIUM I.

De cauſa inſtituente Sacramenta.

Cauſa inſtituens Sacramenta poteſt eſſe duplex, alia principalis, alia delegata: principalis eſt, quæ per virtutem ſibi propriam, & ab intrinſeco convenientem, vim habet inſtituendi Sacramenta auctoritative, & independenter a quocunque alio: delegata eſt, quæ per virtutem, & poteſtatem ab alio acceptam, & ſibi delegatam inſtituit Sacramenta, & hæc poteſt eſſe alicui communicata propter ipſius excellentiam, & dignitatem, aut omnino liberaliter, ſine tali excellentia. Quæritur in præſenti cauſa inſtituens Sacramenta tum principalis, tum delegata, & an omnia ſint immediate inſtituta a Chriſto Domino, vel aliqua ſaltem ſint inſtituta ab Eccleſia, aut Apoſtolis, ut tenent nonnulli apud Madernum *qu.* 5. *art.* 1. quia licet in Evangelio legatur Chriſtum inſtituiſſe Baptiſmum, Euchariſtiam, & Pœnitentiam; alia tamen quatuor inſtituta eſſe non leguntur, & D. Auguſt. *lib.* 3. *de Doct. Chriſti cap.* 9. *& epiſt.* 118. ſentire videtur nonnulla Sacramenta inſtituta eſſe a Chriſto, quorum in Scripturis mentio eſt; aliorum inſtitutionem factam eſſe ab Eccleſia, vel Apoſtolis.

2. Reſp. primo inſtituere Sacramenta auctoritate, ac poteſtate propria, & independenti, convenit ſoli Deo, nec etiam de potentia abſoluta poteſt alicui puræ creaturæ convenire. Ratio eſt, quia ille dicitur cauſa principalis auctoritative inſtituens Sacramenta, qui independenter ab omni alio plenam habet facultatem elevandi creaturas ad gratiam conferendam; ſed hujuſmodi facultas competit ſoli Deo, nec alicui puræ creaturæ convenire poteſt, cum nulla poſſit habere ab intrinſeco virtutem cauſativam gratiæ; ergo ſolus Deus poteſt eſſe cauſa principalis auctoritative inſtituens Sacramenta. Nec valet, quod non implicat creatura, cui ab intrinſeco, & tanquam cauſæ principali competat virtus creativa; ergo nec cui competat virtus cauſativa gratiæ.

Reſp. antecedens eſſe valde dubium; eo tamen admiſſo, gratia, ratione ſupernaturalitatis, excederet virtutem creativam communicabilem creaturæ: cum enim implicet ſubſtantia ab intrinſeco ſupernaturalis; implicat etiam ſubſtantia habens ab intrinſeco virtutem creativam entis ſupernaturalis; ut ſuo loco probari ſolet in quæſtionibus de Gratia, & de Viſione Dei.

3. Reſp. 2. omnia Novæ Legis Sacramenta de facto fuerunt immediate inſtituta a Chriſto Domino, non tantum quatenus Deus, ſed etiam quatenus Homo eſt, per poteſtatem excellentiæ ſibi propriam. Sic contra Novatores definitum eſt in Trident. *ſeſſ.* 7. *can.* 1. *Si quis dixerit Sacramenta Novæ Legis non fuiſſe omnia a Chriſto inſtituta; anathema ſit*. Debet autem intelligi de Chriſto ut Homine: quia ſi Chriſtus præciſe ut Deus Sacramenta inſtituiſſet, eſſet talis inſtitutio tribuenda æqualiter toti Trinitati,

non

non ſpecialiter Chriſto; debet etiam intelligi de inſtitutione immediata, non vero de ſola mediata, quod ſcilicet illa Chriſtus inſtituerit per Eccleſiam, aut Apoſtolos, quia definitio Concilii procedit contra Sectarios, qui admittunt Sacramentorum inſtitutionem factam ab Eccleſia, ſed negant illam eſſe factam immediate a Chriſto. Et idem Trident. *ſeſſ.* 14. *can.* 1. de Extrema Unctione, de qua maxime dubitari poſſet, num fuerit immediate inſtituta ab Apoſtolis, expreſſe docet fuiſſe a Chriſto inſtitutam, & a Divo Jacobo Apoſtolo ſolum promulgatam, quatenus Chriſtus a ſe inſtituta Sacramenta Apoſtolis tradiderit ſuo tempore promulganda; de qua promulgatione debet intelligi D. Auguſt. ſupra relatus, nec non alii Patres, & Doctores, ſi quandoque videntur aſſerere Sacramenta fuiſſe ab Apoſtolis inſtituta. Et ita tenent Scholaſtici communiter, Suarez, Vaſquez, Arriaga, Gonet, Lugus, Amicus, & alii, quos affert, & ſequitur Madernus *diſp.* 5. *art.* 1. Palaus *diſp. unica punct.* 4. Bonacina *quæſt.* 3. *punct.* 1. Layman *lib.* 5. *tract.* 1. *cap.* 5. *quæſt.* 1. *&* 2.

4. Hæc poteſtas inſtituendi Sacramenta in Chriſto Domino ut Homo eſt, licet ſit delegata ex Dei commiſſione; convenit tamen Humanitati quaſi connaturaliter ex vi unionis ipſius ad Verbum; & hinc eſt, quod talis poteſtas in Chriſto dicitur poteſtas excellentiæ, hoc eſt ipſi conveniens propter excellentiam Humanitatis. Utrum vero poteſtas excellentiæ Sacramenta inſtituendi potuerit communicari puræ creaturæ, diſputant Doctores; plures affirmant cum D. Thoma 3. *par. q.* 64. *art.* 4. *in corp.* ubi habet; *Chriſtus in Sacramentis habuit duplicem poteſtatem, unam auctoritatis, quæ competit ei ſecundum quod Deus eſt, & talis poteſtas nulli creaturæ potuit communicari, ſicut nec divina eſſentia: aliam poteſtatem habuit excellentiæ, quæ competit ei ſecundum quod Homo, & talem poteſtatem potuit Miniſtris communicare, dando ſcilicet eis tantam gratiæ plenitudinem, ut eorum meritum operaretur ad Sacramentorum effectum, ut ad invocationem nominum ipſorum ſanctificarentur Sacramenta, & ut ipſi poſſent Sacramenta inſtituere, & ſine ritu Sacramentorum, effectum Sacramentorum conferre ſolo imperio, &c.* alii negant; alii concordantes dicunt communicari poſſe, ſed non cum ea perfectione, ac fuit Chriſto communicata: videantur Madernus, Palaus, & alii. Nobis ſufficit de facto nullum Sacramentum fuiſſe inſtitutum ab Eccleſia, aut Apoſtolis, ſed omnia immediate fuiſſe inſtituta a Chriſto Domino per poteſtatem excellentiæ ſibi propriam, ut communiter docent Doctores.

DUBIUM II.

Quinam poſſit eſſe Miniſter Sacramentorum?

5. Miniſter Sacramentorum dicitur ille, qui immediate conficit Sacramentum, aliiſque miniſtrat; de iſto autem dubitatur, an debeat eſſe homo, & viator, vel poſſit quilibet etiam Angelus, & Beatus Sacramenta miniſtrare, ut videtur aſſerere Scotus *in* 4. *diſt.* 6. *q.* 1. & Lutherus; teſte Bellarm. *lib.* 1. *cap.* 24. contendit Dæmonem poſſe baptizare, conſecrare, & abſolvere, quia neque fides noſtra, neque Sacramentorum efficacia nititur qualitate Miniſtri, ſed ſola inſtitutione, & meritis Chriſti.

6. Reſp. ex vi præſentis inſtitutionis, & de lege ordinaria, ſolus homo, & viator eſt Sacramentorum Miniſter ordinarius; ex ſpeciali tamen Dei diſpenſatione, & de lege extraordinaria poteſt eſſe Angelus, aut Anima ſeparata. Ratio primæ partis eſt, quia Chriſtus ſolos homines viatores pro Miniſtris Sacramentorum deſignavit, nempe Apoſtolos, teſte Apoſtolo 1. Corinth. 4. *Sic nos exiſtimet homo ut Miniſtros Chriſti*; illiſque ſolum dictum eſt a Chriſto Matthæi 28. *Euntes docete omnes gentes baptizantes*. Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata*. Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*. Et de Extrema Unctione dicitur Jacobi 5. *Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum*; & Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum*, id eſt in Sacramentis; ſed ſoli homines viatores, non vero Angeli ſunt ex hominibus aſſumpti; ergo Angeli non conſtituuntur miniſtri in his, quæ ſunt ad Deum, ideſt in Sacramentis, ut proinde merito dixerit Chriſoſt. lib. 3. de Sacerdotio: *His, qui terram incolunt, atque in ea verſantur, commiſſum eſt, ut ea, quæ in Cælis ſunt, diſpenſent; iis datum eſt, ut poteſtatem habeant, quam Deus neque Angelis, neque Archangelis datam eſſe voluit, neque enim ad illos dictum eſt: quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælis, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cælis*.

7. Congruentiæ plures ſolent afferri. Prima, quia Sacramenta ſolis hominibus viatoribus poſſunt miniſtrari; ergo etiam a ſolis viatoribus: congruit enim intra eamdem Eccleſiam eſſe & eos, quibus miniſtrantur, & eos, a quibus miniſtrantur Sacramenta. Secunda, quia præſens Eccleſia eſt humana, & viſibilis, & ſic conveniens eſt per ſolos homines, & viſibiles miniſtros gubernari, ac proinde quod ipſi ſoli ſint Sacramentorum Miniſtri ex Chriſti inſtitutione, qui ſicut deſignavit materiam, & formam Sacramentorum, ita deſignavit etiam Miniſtrum. Tertia, quia Sacramentum conſtat ex re ſenſibili, & re ſpirituali; ergo conveniens fuit, quod illius Miniſter ſenſum, & intellectum haberet; cujuſmodi eſt ſolus homo viator.

8. Ratio ſecundæ partis ſumitur ex variis hiſtoriis, in quibus Angelos Sacramenta miniſtraſſe refertur, quod utique ex ſpeciali privilegio, & divina diſpenſatione factum eſſe certum eſt. Sic Nicephorus *lib.* 11. *Hiſtor. Eccleſ. c.* 20. narrat S. Amphilochium in deſerto ab Angelis fuiſſe conſecratum in Epiſcopum, ejuſque conſecrationem ratam a ceteris Epiſcopis habitam fuiſſe. Thomas Stapletonius in collectan. de S. Thoma Apoſtolo refert, illum apud Indos ſolitum fuiſſe ſingulis annis communicare populum propria manu; dignis porrecta, & retracta ab indignis. Angelos etiam Sanctam Catharinam Senenſes pluries communicaſſe refertur: plura etiam Templa dicuntur Angelorum, vel etiam ipſius Chriſti Domini miniſterio conſecrata, ut eſt Eccleſia S. Michaelis in Monte Gargano, & Eccleſia S. Dionyſii in Gallia prope Pariſios ab ipſo Chriſto conſecrata; ergo poſſunt Angeli ex ſpeciali deputatione, & privilegio Sacramenta miniſtrare.

9. Rationem affert D. Thomas *art.* 7. *in corp.* ubi ait: *Sicut Deus virtutem ſuam non alligavit Sacramentis, quin poſſit ſine Sacramentis effectum Sacramentorum conferre; ita etiam virtutem ſuam non alligavit Eccleſiæ Miniſtris, quin etiam Angelis poſſit virtutem tribuere miniſtrandi in Sacramentis*. Obſervat autem D. Thomas, quod ſi contingat Sacramentum aliquod a bono Angelo, vel Anima ſeparata miniſtrari, ratum omnino illud eſſe debere, quia bonus Angelus eſt nuncius veritatis, & ex ſolo Dei nutu id contingit, & ſic certum eſt tunc Deum uti diſpenſatione. Quod tamen nullo modo præſumendum eſſet, ſi Dæmon, vel Anima damnata id faceret, quia Dæmon eſt auctor falſitatis in hominum perniciem, & perditionem conſpirans, nec eſt probabile opus tam ſanctum tam ſordidis miniſtris committi.

10. Ut plenius aſſignaretur quinam poſſint ex vi præſentis inſtitutionis Sacramenta miniſtrare, aſſignandi eſſent in particulari ſingulorum Sacramentorum Miniſtri; ſed quia hoc ſpectat ad propriam materiam de ſingulis Sacramentis, ſufficiat ſcire in univerſum ſolos homines poſſe miniſtrare omnia Sacramenta, etiam ſi urgeat caſus neceſſitatis; ſic Euchariſtiam, Pœnitentiam, & Extremam Unctionem poteſt ſolus Sacerdos miniſtrare: in Confirmatione, & Ordine ordinarius Miniſter debet eſſe Epiſcopus: in Matrimonio fideles baptizati, qui poſſunt inter ſe Matrimonium contrahere, ſunt etiam Miniſtri: Baptiſmus, propter ejus neceſſitatem, poteſt a quolibet homine uſum rationis habente, miniſtrari, ut latius de ſingulis Sacramentis ſuo loco explicabimus.

DUBIUM III.

An ad valorem Sacramenti ſit neceſſaria fides, & gratia ex parte Miniſtri?

11. Fuit olim gravis controverſia in Eccleſia circa valorem Sacramentorum, quæ ab infidelibus, & malis miniſtris conferebantur. Plures etenim Epiſcopi tum Aſiani, tum Africani negabant valida eſſe Sacramenta collata per miniſtros Hæreticos, aut Schiſmaticos: in quo errore fuit etiam Sanctus Cyprianus *in epiſt.* 70. 71. *&* 73. ubi teſtatur id ſtatutum fuiſſe a ſeptuaginta & uno Epiſcopis in Concilio Africano congregatis. Donatiſtæ ulterius dicebant invalida eſſe Sacramenta a Miniſtro exiſtente in peccato mortali collata, quem errorem ſecuti ſunt Luciferiani, & Albigenſes. Catholici autem non requirunt in Miniſtro fidem, aut ſtatum gratiæ pro validitate Sacramentorum, bene tamen pro illorum licita adminiſtratione, cum quibus.

12. Reſp. infidelitatem, & improbitatem Miniſtri non poſſe ullo modo tollere valorem Sacramenti, ſeu, quod idem eſt, pro valore Sacramentorum non requiritur in Miniſtro fides, aut ſtatus gratiæ, ſed peccatores æque ac infideles valide Sacramenta conficiunt. Prob. ex definit. Trident. *ſeſſ.* 7. *can.* 12. *de Sacramentis in genere*, ubi habetur: *Si quis dixerit Miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modo omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, ſervaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum; anathema ſit*. Et de Baptiſmo collato ab Hæreticis definit *can.* 4. de Baptiſ. *Si quis dixerit Baptiſmum, qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, non eſſe verum Baptiſmum; anathema ſit*. Favet perpetua Eccleſiæ traditio, quæ nunquam conſuevit eos rebaptizare, qui a Miniſtris peccatoribus, Hæreticis, Schiſmaticis, aut degradatis ſunt baptizati. Ratio eſt, quia Miniſter ſine fide, & gratia applicare poteſt debitam materiam, & formam cum recta intentione; ſed pro validitate Sacramenti non plura requiruntur quam illa tria; ergo non requiritur in Miniſtro fides, aut ſtatus gratiæ pro valore Sacramenti.

13. Dices: qui confert Sacramentum validum, confert gratiam; ſed qui ſine gratia eſt, non poteſt gratiam conferre, juxta illud tritum: *Nemo dat quod non habet*; ergo qui ſine gratia eſt, non poteſt conferre Sacramentum validum, quia non poteſt conferre gratiam.

Reſp. carentem gratia non poſſe illam conferre virtute ſi-

te ſi-

ts ſibi propria, bene tamen virtute aliena, tanquam alterius inſtrumentum, & miniſter: alias plures congruentes rationes affert Gonet. *diſp. 6. art. 3.*

D U B I U M IV.

An ſit neceſſaria gratia in Miniſtro pro licita Sacramentorum adminiſtratione?

14. **D**Uplicem ſatis communiter diſtinguunt Doctores Miniſtrum Sacramentorum, alterum ex officio, ſive ſolemnitatis, alterum neceſſitatis: primus eſt ille, qui ſpeciali conſecratione deputatus ex officio conficit, ac miniſtrat Sacramenta, cujuſmodi eſt Sacerdos celebrans Miſſam, abſolvens a peccatis, & com rim, ac ſolemnitate baptizans; ſecundus vero ſine aliqua ſpeciali conſecratione, & deputatione Sacramenta miniſtrat, cujuſmodi eſt Laicus baptizans tempore neceſſitatis, ut ſubveniat periclitanti, hic enim non adminiſtrat ex officio, nec ratione conſecrationis: in primo Miniſtro requirunt ſtatum gratiæ, non in ſecundo.

15. Reſp. 1. Miniſtrum ſolemnitatis, qui ex officio conficit Sacramentum, peccare mortaliter, ſi in peccatu mortali illud conficiat, & conferat. Ratio eſt, quia ſic conficiendo Sacramentum, ad quod eſt ſpecialiter conſecratus, gravem irrogat injuriam, & irreverentiam tum ipſi Sacramento, tum Chriſto: ipſi quidem Sacramento, quatenus rem maxime ſanctam, & per quam Sanctitat confertur, ſancte non tractat, manibus immundis alios mundare contendit, contra illud Gregorii *lib. 1. epiſt.* 24. relatum in cap. *Neceſſe: Neceſſe eſt, ut munda ſit manus, quæ diluere ſordes curat.* Et Auguſtinus *lib.* 2. contra Epiſt. Parmeni c. 10. relatus in cap. *Omnia* 1. *q.* 1. ait, quod *omnia Sacramenta, cum obſint indigne tractantibus, proſunt tamen per eos digne ſumentibus*: & Nicolaus 1. *cap. ult.* 15. *q.* 8. ait, quod *mali adminiſtrando bona non niſi ſe ipſum lædunt*: injuriam infert Chriſto, quatenus Chriſti hoſtis, & Dæmonis ſervus factus per peccatum, audet Chriſti nomine operari, & Chriſti merita in Sacramentis contenta diſtribuere: quæ utraque irreverentia ipſo jure naturæ apparet graviter diſſona rationi; ideo licet nullum poſitivum præceptum urgeat, ipſo jure naturæ oritur obligatio ſub lethali illam vitandi, & miniſtrandi Sacramenta in ſtatu gratiæ. Sive deinde quis per Sacramentalem Confeſſionem, ſive per ſolam contritionem, in ſtatu gratiæ ſe conſtituat; nam una excepta Euchariſtia, ad cujus ſumptionem conſcius peccati lethalis debet ex præcepto divino Confeſſionem Sacramentalem præmittere, ut ſuo loco dicetur, quoad alia Sacramenta ſimile præceptum non urget; ideo in aliis Sacramentis ſolum tenebitur Confeſſionem Sacramentalem præmittere, quando non poſſit contritionem habere. Sic tenent Doctores communiter cum Divo Thom. *q. 64. art. 4. & 6.* Cajet. Nugnus, Navarrus, Suarez, Vaſquez, Lugos, Filliuc., Villalobos, quos affert, & ſequitur Leander *diſp. 4. q. 8.* Madernus *q. 5. art. 7.* Marchinus *de Ordine tract. 2. c. 8. num. 7.* Bonacina *q. 3. part. 2. §. 1.*

29. Major difficultas eſt circa Miniſtrum neceſſitatis, an peccet lethaliter miniſtrando Sacramenta in peccato lethali, in qua difficultate ſunt duæ ſententiæ valde probabiles. Prima negat peccare mortaliter, & hoc ex diſcrimine, quod intercedit inter Miniſtrum ſolemnitatis, & Miniſtrum neceſſitatis: nam ille ſolemniter, ſeu ex officio baptizando exercet formaliter perſonam Chriſti, cum ſit ad hoc ſpecialiter conſecratus, & ſic Chriſto, & Sacramento gravem facit irreverentiam, ſi baptizet in peccato lethali; at Miniſter neceſſitatis, quamvis ſit inſtrumentum Chriſti, in illa tamen actione ſolum intendit ſubvenire neceſſitatem patienti, nec hoc facit ex vi ſtatus, & conditionis ſuæ, ſed ſolum per accidens, propter cauſam neceſſitatis, & inde non irrogat tantam irreverentiam Chriſto, & Sacramento, ſi illud miniſtret in peccatu lethali. Ita ſentit D. Thomas 3. *par. quæſt. 64. art. 6. ad 3.* Cajet. *ibid.* Franc. a Jeſu M. *in curſu morali cap. 7. punct.* 10. Bonacina *q. 4. punct. 2 num.* 11. & 12. Filliuc. *cap. 5. num.* 85. Diana *par. 3. tr. 4. reſol.* 10. Layman *lib. 5. c. 5. n. 9.* Suarez *diſp. 16. ſect. 3.* & aliis citatis Leander ſupra *quæſt.* 5.

17. Juxta hanc ſententiam non peccat Laicus, aut Clericus non Sacerdos, qui habens conſcientiam peccati mortalis in neceſſitate baptizat, quia non eſt Miniſter ſolemnitatis ex officio baptizans, nec etiam peccat Sacerdos privatim in extrema neceſſitate baptizans in peccato lethali, quia talis actio, cum poſſit fieri a Laico, non eſt proprie actus ordinis, nec procedit a Sacerdote ut a Miniſtro ad eum miniſtrationis modum conſecrato, & quaſi ex officio deputato, ut expreſſe docet D. Thomas illo *art. 6. ad 3.* dicens: *In articulo tamen neceſſitatis non peccat baptizando in caſu, quo etiam Laicus poſſet baptizare: Sic enim patet quia non exhibet ſe Miniſtrum Eccleſiæ, ſed ſubvenit neceſſitatem patienti.* Ita etiam tenent Cajetanus, Sylveſter, Sotus, Suarez, Henriquez, Ledeſma, Fernandez, Bonacina, & alii communiter apud Leandrum *q. 5. & 6.*

18. Nec obſtat Sacerdotem in dato caſu non baptizare loco alterius, ſicut baptizat Laicus, ſed baptizare ex officio, cum ſit conſecratus ad Baptiſmum conferendum ſive ſolemniter, ſive privatim, maxime quia Baptiſmus ſolemnis non differt a privato niſi in cæremoniis, & ritibus ab Eccleſia inſtitutis; adeoque peccare mortaliter, ſicut peccat baptizando ſolemniter, prout docet Palaus *punct. 5. nu.* 10.

Reſp. negando conſequentiam, quia Sacerdos in tali caſu baptizans in peccato mortali, non ideo peccat, quia baptizat loco alterius, ſed quia non baptizat ſolemniter formaliter ut Sacerdos, ſed perinde ac Laicus, faciendo id, quod poteſt facere Laicus; ac proinde ſi Laicus non peccat baptizando in lethali, nec peccabit Sacerdos, ut docent magis communiter præcitati Doctores, Leander *quæſt. 6.* Franc. a Jeſu Maria *punct. 10. num.* 87.

19. Eadem ratione non peccant contrahentes Matrimonium in lethali, quia non ſunt Miniſtri ad hoc Sacramentum ſpecialiter conſecrati; peccant tamen mortaliter ex alio titulo, ſcilicet recipiendo Sacramentum illud indigne, Diana *part. 3. tract. 4. reſol.* 190. Villalob. *tom. 1. tract. 4. diff. 4. n.* 4. Suarez *diſp. 16. ſect.* 4. Sayrus *de Sacram, in genere lib. 7. cap. 7. art.* 5. Leander *quæſt.* 7.

20. Secunda ſententia æque probabilis aſſerit quemcumque Miniſtrum Sacramenti, ſive miniſtret ex officio, & ſolemniter, ſive non, peccare mortaliter, ſi Sacramentum conficiat in peccato mortali. Ratio eſt, quia licet Miniſter conſecratus recipiat ſpecialia auxilia pro digna adminiſtratione, & ita habeat ſpecialem obligationem digne adminiſtrandi: graviuſque peccet, ſi indigne adminiſtret, quia tamen etiam Miniſter non conſecratus operatur nomine Chriſti, diſpenſat merita Chriſti, & actionem maxime ſacram exercet, dum indigne miniſtrat, Sacramento, & Chriſto gravem irreverentiam infert, & propterea graviter, atque lethaliter peccat. Ita Madernus *quæſt. 5. art.* 7. Lugus *diſput. 8. ſect. 9. n.* 150. Navar. *de Pænit. diſt. 5. cap. in principio n.* 13. Reginaldus *lib.* 28. Vaſquez *diſp. 136. c.* 3. Palaus *tract. 18. punct. 5. num. 9. &* 11.

21. Ab hac generali doctrina excipiunt caſum extremæ neceſſitatis, in quo ex una parte urgeat neceſſitas miniſtrandi Sacramentum propter ſalutem proximi, & ex alia parte nequeat Miniſter in ea brevi mora, in qua neceſſitas miniſtrandi urget, ſe in gratia collocare, quod evenire poteſt in Baptiſmo reſpectu infantis, & in Pœnitentia reſpectu adulti peccatoris exiſtentis in articulo mortis: in iis, & ſimilibus caſibus neceſſitas procurandæ ſalutis præponderat irreverentiæ; quin immo cum Sacramenta ſint inſtituta in ſalutem animarum, nulla videtur irreverentia, ſi in extrema neceſſitate ſalutis a peccatore miniſtrentur; extra caſum neceſſitatis Miniſter Sacramentorum tenetur ſe in gratia conſtituere ſaltem per actum contritionis, & aliter faciendo peccat.

22. Inde contrahens Matrimonium, duplici titulo tenetur ſe conſtituere in gratia, nimirum ut Miniſter, & ut Suſceptor Sacramenti; ſicuti duplici titulo tenetur ſe conſtituere in gratia Sacerdos celebrans, nimirum & ut conficiens, & ut ſumens Euchariſtiam. Utrum vero Sacerdos in peccato conficiens, & ſumens Euchariſtiam, committat duplex peccatum propter illam duplicem obligationem, affirmant Gonetus, & Madernus; contrarium probabiliter tenent Diana *part. 2. de celebr. Miſſ. reſ.* 24. Homobon. *de exam. par. 1. tr. 4. c. 26. q.* 147. & Facundez *de præcept. Eccleſ. lib. 5. c. 5. n.* 8. quia illi duo actus ſunt ſubordinati, & Miſſa unicum eſt Sacrificium conſtans conſecratione, & communione, & in Miniſtro unicum eſt præceptum, quod jubet miniſtrare Sacramentum, atque adeo ſuſcipere illud in gratia. De contrahentibus Matrimonium in peccato mortali, an committant duplex peccatum, miniſtrando, ſuſcipiendo Sacramentum magis communiter affirmant ſectatores illius ſententiæ, ut ſuo loco videbimus.

D U B I U M V.

An Diaconus, & Subdiaconus lethaliter peccent miniſtrando ſolemniter in peccato lethali?

23. **P**Artem affirmativam ſequuntur Filliuc. *tom. 1. tr. 1. cap. 6. n.* 87 Sylvius *in 3. par. q. 64. art. 6. q. 1. concluſ.* 5. Gonet, Sylveſter, Navarrus, Nugnos, & alii, quos ſequitur Madernus *art. 7. num.* 10. quia gravis injuria fit Sacrificio Miſſæ, cui Subdiaconus, & Diaconus tam proxime deſerviunt, ſi in mortali culpa exiſtentes miniſtrent. Deinde quia Ordinatus in receptione Ordinis gratiam recipit, ut digne actum ſui Ordinis exerceat; ergo ſi male exercet, receptu gratia abutitur, & per conſequens lethaliter peccat; inde pro generali lege ſtatuitur peccare mortaliter, qui aliquod ſacrum officium, quod ſibi ex Ordine competit, in peccatu mortali exequitur, quia indigne tractat res ſacras, ac proinde ſacrilegium committit.

24. Reſp. probabilius eſſe non peccare lethaliter, quia non apparet tanta irreverentia in Diacono, & Subdiacono, quæ ſit apta conſtituere culpam lethalem, cum ipſi Sacrificio Miſſæ ſolum aſſiſtant, nec Corpus Chriſti immediate conficiant, aut tangant, nec merita Chriſti diſpenſent, ut fit in Sacramentis; & licet Diaconus abutatur gratia ſibi in Ordine collata ad digne exercendum actum ſui Ordinis ille tamen abuſus non tranſcendit culpam venialem, ſicuti qui minores Ordines in mortali exercet, ſolum ve-

venialiter peccat, quamvis pariter abutatur gratia ſibi collata. Ita Marchinus *de Ordine tract. 2. part. 6. cap. 4.* Curſus moralis *cap. 7. punct. 11. n. 104.* Bonacina *qu. 3. punct. 2. §. 1.* Diana *part. 3. tract. 4. reſol. 195.* ubi citat Villalob. Fernandez, Vaſquez, Suarez, Coninchum, & alios.

25. Hinc ſequitur ad licite conficienda, vel miniſtranda Sacramentalia non requiri ſtatum gratiæ, quia Sacramentalia non fiunt nomine Chriſti; & ideo ex eo quod Miniſter circa ipſa indigne ſe gerat, non facit immediate injuriam Chriſto. Sacramentalia ſunt longe minoris dignitatis, & ſanctitatis quam Sacramenta, quia nec Chriſti merita, nec gratiam ſanctificantem continent; ideo injuria, quæ ipſis infertur in indigna ipſorum adminiſtratione, non debet cenſeri adeo gravis, ut ad lethalem culpam imputetur, ſed ad venialem tantum imputanda eſt, magis vel minus gravem, prout magis vel minus digna eſt actio, quæ in peccato exercetur. Unde Diaconus exercens ſuum miniſterium in peccato, gravius peccat quam Subdiaconus; Subdiaconus gravius quam Acolythus; & ſic de aliis.

26. Inde non peccat lethaliter Epiſcopus Sacramentalia exercens in mortali: v. g. miniſtrans Tonſuram, conſecrans Eccleſiam, vel Calicem, quod Suarez *diſp. 16. ſect. 3.* Vaſquez 8. *cap. 4. n. 48.* Bonacina *qu. 3. punct. 3. n. 8.* extendunt etiam ad conſecrationem Chriſmatis, & Olei infirmorum, & ſatis probabiliter, quidquid in contrarium ſentiant Lugus, Gonettus, & alii. Ratio eſt, quia conſecratio Chriſmatis, & Olei infirmorum non eſt proxime actio Sacramentalis, nec per illam diſpenſantur merita Chriſti, nec confertur ſanctitas, ſed eſt tantum præparatio materiæ ad Sacramentum neceſſariæ, alioquin qui conficeret hoſtias ad conſecrandum, teneretur eſſe in gratia. Ita etiam ſentiunt Madernus *n. 12.* Curſus moralis *punct. 11. nu. 101.* Inde etiam non peccat lethaliter Parochus, qui in peccato mortali aſſiſtit tanquam teſtis publicus Matrimonio; nec item peccat Sacerdos, qui in lethali conficit aquam luſtralem, fungitur officio hebdomadarii in Choro, aut ſolemniter concionatur; quia cum iſtæ functiones non attingant immediate ſanctificationem hominis, non exigunt tantam reverentiam: & univerſaliter in ſola Sacramentorum confectione, vel receptione facta in lethali gravis Deo fit injuria.

27. Quæres, *an mortaliter peccet, qui miniſtrat Euchariſtiam in peccato lethali?* affirmant Suarez, Valentia, Coninch, Villalobos, & Filliucius, apud Dianam *part. 2. de celebr. Miſſar. reſol. 23.* ſequitur Madernus *art. 7. n. 8.* Verum probabilius exiſtimo Sacerdotem taliter miniſtrantem non peccare lethalirer, ſed venialiter; quia miniſtrare Euchariſtiam jam conſecratam non eſt conficere Sacramentum, ſed Sacramentum jam factum conferre, & veluti applicare activa paſſivis. Ita Diana *ſupra*, & *part. 1. tract. 7. reſol. 41.* & aliis citatis Anton. a Spiritu S. *diſp. 4. ſect. 2. n. 45.* Idem valet de Diacono Euchariſtiam miniſtrante in caſu neceſſitatis, & idem de Sacerdote, ſeu Diacono transferente Euchariſtiam de loco ad locum, aut ſi ſolemniter in proceſſione deferat; quia in hoc non eſt tanta irreverentia, quanta in adminiſtratione. Vide inferius dicenda ſuo loco *tract. 4. cap. 7. dub. 7.*

DUBIUM VI.

An, & qualis intentio requiratur in Miniſtro Sacramentorum?

28. Intentio in communi eſt actus liber voluntatis tendentis in finem per aliqua media; & nomine tendentiæ intelligitur deſiderium efficax finis imperans actum aliquem externum: intentio in præſenti eſt tendentia voluntatis Miniſtri in Sacramentum, ſeu eſt actus ille, quo quis intendit, & vult conficere Sacramentum; & quia actus ille conſiderari poteſt tum ex parte voluntatis, in qua exiſtit, tum ex parte modi tendendi in objectum, tum ex parte ipſius objecti; ideo intentio multipliciter dividi ſolet. Primo enim ex parte objecti dividitur in voluntatem faciendi rem externam Sacramenti, ut lavandi, ungendi, aut proferendi verba, in voluntatem faciendi Sacramentum, aut quod Chriſtus inſtituit, & Eccleſia intendit, & in voluntatem conferendi gratiam, ſeu effectum Sacramenti. Secundo ex parte voluntatis dividitur in actualem, virtualem, habitualem, & interpretativam, ſeu indirectam. Tertio ex parte modi tendendi dividitur intentio in abſolutam, & conditionatam, de quibus ſucceſſive dicam.

29. Recentiores Hæretici nullam requirunt intentionem in Miniſtro Sacramentorum, dicentes validum fore Sacramentum, ſi proferantur verba circa debitam materiam, etiam ſi jocoſe, ſive irriſorie, ac ficte id fiat; ex Catholicis Ambroſius Catharinus *in opuſculo de intentione Miniſtri* vult ſufficere ad valorem Sacramenti intentionem faciendi actum externum, & ſerio proferendi verba externa, prout fieri ſolet ab Eccleſia, abſque ulla alia intentione interna, quam proferendi verba, & adhibendi materiam Sacramenti; eandem ſententiam ſequuntur Scribonius Gallus *in Sum. Theolog. diſp. 1. de Sacram. in genere qu. 6. & 7.* Salmeronus, & Paſqualigus, prout ex Martinez a Prado, refert Madernus *qu. 5. art. 4. n. 2.* Alii e contra volunt neceſſariam intentionem conferendi gratiam, & effectum Sacramenti, prout refert Leander *diſp. 4. qu. 13.*

30. Reſp. primo ad valorem Sacramenti non ſufficit in Miniſtro intentio faciendi ſolum actum externum, puta lavandi, ungendi, aut proferendi verba; ſic enim colligitur ex Tridentino *ſeſſ. 7. can. 11.* ubi habetur: *Si quis dixerit in Miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia; anathema ſit.* Itemque definitur in Concilio Florent. in decreto Fidei, ubi habetur: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona Miniſtri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia.* Sed intentio faciendi ſolam actionem exteriorem, proferendi verba, lavandi, ungendi, &c. non eſt intentio faciendi, quod facit Eccleſia, cum poſſit fieri a Pagano habente animum contrarium Eccleſiæ, ergo non ſufficit ad valorem Sacramenti intentio faciendi actionem exteriorem; ſecus mater, quæ lavando filium diceret devotionis gratia: *Ego te lavo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, verum conficeret Sacramentum, haberet enim intentionem faciendi ablutionem illam externam: & ſi Sacerdos in menſa legeret Evangelium, aut Epiſtolam ad Corinthios, jam totus panis, qui eſt in menſa, conſecraretur; habet enim intentionem faciendi prolationem illam externam verborum.

31. Ratio a priori eſt illa, quam aſſignat D. Thomas *3. part. qu. 64. art. 8.* quia opus, quod eſt indifferens ad multa, debet determinari ad unum, ut illud effici debeat; ſed actio illa externa Sacramentalis eſt indifferens ad multa, nam ablutio aquæ in Baptiſmo poteſt ordinari ad munditiam corporalem, ad ſanitatem corporis, ad ludum, delectationem, refrigerium, ſanctificationem; ergo debet determinari ad Sacramentalem effectum per intentionem abluentis. Oppoſita ſententia damnata fuit ab Alexandro VIII. die 8. Decemb. anno 1690. & eſt propoſitio 28. ex reprobatis ab ipſo, quæ ſic dicebat: *Valet Baptiſmus collatus a Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, intus vero in corde ſuo apud ſe reſolvit, non intendo facere, quod facit Eccleſia.* Et ita tenent Doctores communiter cum Divo Thoma *loco cit.* Gonet, Suarez, Vaſquez, Lugus, Arriaga, quos affert, & ſequitur Madernus *qu. 5. art. 4.* & cum aliis Leander *diſp. 4. qu. 11. & 12.*

32. Reſp. 2. Ad valorem Sacramenti non requiritur neceſſario intentio conferendi effectum Sacramenti, ſcilicet gratiam. Ratio eſt, quia Hæreticus exiſtimans Sacramentum nec gratiam, nec Characterem conferre, & homines rudes, qui hoc ignorant, ſi habent intentionem faciendi verum Sacramentum, ſeu faciendi id, quod facit Eccleſia, verum conficiunt Saramentum; nam Baptiſmus collatus ab Hæretico approbatur ab Eccleſia, & non irritatur; & tamen Hæreticus non habet intentionem conferendi effectum, quem exiſtimat Sacramento non convenire, ſicut talem intentionem non habent rudes, qui hoc ignorant. Nec dicas: qui vult cauſam, vult effectum; ergo non poteſt quis velle ponere Sacramentum, niſi velit, & intendat effectum Sacramenti.

Reſp. 2. qui vult cauſam ut cauſam, vult effectum, non vero qui vult cauſam ſolum materialiter ſumptam; ſeu potius qui vult cauſam, vult effectum implicite, non explicite. Bonacina *qu. 3. §. 3. n. 7.*

33. Reſp. 3. Ad valorem Sacramenti requiritur, & ſufficit intentio faciendi verum Sacramentum. Si enim non ſufficit intentio faciendi ſolam externam actionem, nec requiritur intentio conferendi effectum, conſequens eſt, quod requiratur, & ſufficiat intentio conferendi verum Sacramentum, ſeu faciendi, quod facit Eccleſia, aut Chriſtus inſtituit. Objectum autem hujus intentionis eſt conformitas in ea operatione cum intentione Chriſti, vel Eccleſiæ, ita quod illud, quod expreſſe intenditur a Miniſtro, ſit conformitas cum intentione Chriſti, & Eccleſiæ; in confuſo vero ſint ea omnia, quæ intendit Chriſtus, vel Eccleſia; Miniſter ſiquidem operatur in perſona Chriſti: *Sic nos exiſtimet homo ut Miniſtros Chriſti*; non poteſt autem operari in perſona Chriſti, niſi habeat intentionem conformem Chriſto, & intendat facere id, quod Chriſtus inſtituit, ea ratione qua eſt inſtitutum a Chriſto. Ita tenent Doctores communiter, Madernus *qu. 5. art. 4.* Lugus *diſp. 8. ſect. 2.* Suarez *diſp. 13. ſect. 2.* Vaſquez *diſp. 138.* Bonacina *q. 3. §. 3.* Curſus moralis *cap. 7. punct. 3.*

34. Dices: qui ludens baptizat alium, ſervata debita materia & forma, non habet intentionem conferendi Sacramentum, & tamen vere baptizat, ut patet in Baptiſmo ab Athanaſio adhuc puero per ludum aliis quibuſdam pueris miniſtrato, qui declaratus fuit validus ab Alexandro Patriarca Alexandrino, ut habetur cap. *Spiritus Sanctus 1. qu. 1.* Idemque in ſimili caſu judicatum eſſe Conſtantinopoli narrat Nicephorus *lib. 3. hiſtor. cap. ultim.* de puero Judæo per jocum ab aliis baptizato; ergo ad validitatem Baptiſmi non requiritur intentio; ſi enim valet Baptiſmus per jocum collatus, a fortiori valebit Baptiſmus collatus ſerio, & ſine joco, licet cum ſola intentione faciendi actionem illam externam.

Reſp. quod qui declaraverunt valida hujuſmodi Baptiſmata, habuerunt pro comperto, Athanaſium, & alios illos pueros habuiſſe, jocando, voluntatem non ſolum repræſentandi, ſed etiam faciendi totum id, quod videbant fieri in Eccleſia,

cleſia, ideoque vere baptizabant: jocus enim cum externa actione, ſi ſolus ſit, non ſufficit, ſi vero ſit cum voluntate faciendi id, quod facit Eccleſia, non excluditur valor Sacramenti. Hoc idem dixerim de Sancto Geneſio, qui baptizatus dicitur in theatris, ſubitoque gratiam ſuſcepiſſe: vel enim miniſter, tametſi jocando, habebat voluntatem faciendi totum id, quod ſe facere putabat Eccleſia, vel certe Sanctus Geneſius fuit juſtificatus ex vi contritionis, quam, Deo excitante, & ſubito movente cor, habuit.

DUBIUM VII.

An neceſſaria ſit in Miniſtro intentio actualis, vel ſufficiat virtualis, aut habitualis?

35. Dividitur intentio in actualem, virtualem, habitualem, & interpretativam, ſeu indirectam, intentio actualis, quæ eſt omnium perfectiſſima, eſt illa ſecundum quam Miniſter actu Sacramentum intendit, ſeu cogitat de Sacramento miniſtrando, & conficiendo: virtualis eſt, quæ actu quidem tranſiit, virtute tamen perſeverat in aliquo ſuo effectu per illam antea poſito, & in actione aliqua exteriori vi ipſius continuata, & explicari ſolet in eo, qui adhuc domi exiſtens habet expreſſam voluntatem conſecrandi, & faciendi ſacrum, & eo fine domo exit, Eccleſiam, & Sacriſtiam ingreditur, manus lavat, ſacras veſtes aſſumit, pergit ad Altare, Sacrificium offert, & tandem profert verba conſecrationis; iſte enim, quamvis non recordetur prioris intentionis, nec actu cogitet de conſecratione, vere tamen in virtute præcedentis intentionis conficit Sacramentum, & prior illa intentio dicitur perſeverare in illa ſerie actionum ab illa prima voluntate imperatarum: habitualis eſt, quæ aliquando revera fuit actualis, ſed præterita omnino eſt, neque allo modo perſeverat, vel in ſe, vel in ſuo effectu, quamvis non fuerit retractata: interpretativa, ſeu indirecta eſt illa, qua quis intendit, & vult aliquid in cauſa præviſum: ſic qui intendit ebrietatem, qua prævidet ſequuturum homicidium, dicitur interpretative, indirecte, & in cauſa velle homicidium. His præmiſſis

36. Reſp. ad Sacramentum valide conficiendum nullo modo ſufficit intentio ſolum habitualis, aut indirecta. Non requiritur neceſſario intentio actualis formalis, ſed ſufficit virtualis. Ratio primæ partis eſt, quia illa intentio non ſufficit ad valorem Sacramenti, vi cujus actio Sacramentalis non poteſt dici libera, & humano modo facta; nam Deus inſtituendo Sacramenta voluit ut libere, & humano modo fierent; ſed vi intentionis, pure habitualis actio Sacramentalis dici non poteſt humana, & libera, cum non ſit facta cum advertentia, & deliberatione; ergo intentio habitualis non ſufficit. Deinde intentio habitualis, cum nullo modo exiſtat, neque in ſe, neque in ſuo effectu, neque in alia virtute a ſe relicta, nullo modo influit in Sacramentum: v. g. intentio, quam habui ante decem annos abſolvendi, aut conſecrandi, non influit in actum hodiernum; ſed ad conficiendum Sacramentum requiritur intentio influens, & dirigens actionem; ergo non ſufficit intentio ſolum habitualis. Quod ſi D. Thomas *art.* 8. *ad* 3. vel aliquando dicit ſufficere ad valorem Sacramenti ſolam intentionem habitualem, ſumit habitualem pro virtuali, & illam ſolum contradiſtinguit ab actuali. Sic tenent Doctores communiter Suarez *diſp.* 13. *ſect.* 13. Vaſquez *diſp.* 138. *cap.* 2. Coninch. *qu.* 64. *art.* 8. *dub.* 2. *n.* 73. Lugus *diſp.* 8. *n.* 9. Madernus *qu.* 5. *art.* 5.

37. Eodem modo probatur non ſufficere ſolam intentionem indirectam, & in cauſa, quia ex vi illius non fit actio humana, & libera; quod explicatur exemplo illius Sacerdotis, qui ſciens ſe ſolere proferre verba conſecrationis ſuper panem cum ebrius eſt, aut dormiens, voluntarie, & libere ſe inebriat, aut dormit, cum intentione conſecrandi, & conficiendi Sacramentum cum erit ebrius, aut dormiens, profert verba conſecrationis, nec libere, nec voluntarie operatur, & iſte actus prolationis verborum, ſeu conſecrationis, licet comparetur ad intentionem precedentem tanquam objectum ad ſuum actum interiorem, ratione cujus imputatur ad culpam, non tamen comparatur ad illam tanquam effectus ad cauſam, quod requiritur ad hoc, ut dicatur præcedens intentio virtualiter manere in illo: præcedens intentio non dirigit opus uſque ad finem, nec Sacramentum miniſtratur voluntarie, & humano modo.

38. Quod vero non requiratur intentio actualis, ſed ſufficiat virtualis, probatur ex eo quod illa intentio requiritur, & ſufficit in miniſtro Sacramentorum, quæ in humanis negotiis ſufficere ſolet ad reddendam actionem humanam vere liberam; ſed intentio virtualis eſt hujuſmodi; ergo illa eſt ſufficiens: ſecus difficile nimis redderetur Sacramentorum miniſterium, & de ipſorum valore poſſet facile dubitari, propter difficultatem habendi ſemper intentionem actualem, ut experiri facile quiſque in ſe ipſo poteſt. Imo D. Thom. *art.* 8. *ad* 3. dicit, quod habere intentionem actualem non eſt totaliter poſitum in hominis poteſtate, qui præter intentionem, cum vult multum intendere, incipit alia cogitare, juxta illud pſal. 39 *Cor meum dereliquit me*. Quamvis igitur intentio, ſicut etiam attentio actualis neceſſaria non ſit ad valorem Sacramenti, ſemper tamen procuranda eſt; non quidem ut Miniſter ſemper in mente ſua dicat: *volo conficere Sacramentum; volo facere quod Chriſtus inſtituit, aut Eccleſia intendit*; ſed ut recte verba proferat, devote attendet ad ſenſum verborum, & ad actionem ipſam externam. Ita Bonacina *q.* 3. *punct.* 2. *§.* 3. Madernus *qu.* 5. *art.* 5. Filluc. *tract.* 1. *n.* 75. & 76. Reginaldus *lib.* 26. *n.* 37. Leandet *q.* 14. & alii communiter.

39. Dices: intentio habitualis ſufficit ad applicandum Sacrificium; ut patet ex praxi, qua ſi quis hodie dicat: volo applicare pro Petro omnia Sacrificia illius anni, non amplius eſt ſolicitus de renovanda in ſingulis Sacrificiis applicatione; ergo etiam intentio habitualis ſufficit ad applicandum, ſeu conficiendum Sacramentum.

Reſp. Non valere paritatem, quia voluntas applicans Sacrificium non operatur, nec conficit ipſum Sacrificium, ſed illius fructum alicui ſolum applicat; ideo neceſſe non eſt illam exiſtere, quando fit Sacrificium, ſed ſufficit illam fuiſſe, cum poſſit antecedenter fructum applicare, quia ex tunc eſt Deus acceptans: at vero intentio Sacramentalis operatur, & ſic debet exiſtere, quando exiſtit illius operatio, nempe confectio Sacramenti, quam debet dirigere.

40. Dices 2. in Suſcipiente Sacramentum ſufficit intentio habitualis, imo etiam indirecta: ſic valide baptizatur dormiens, aut ebrius, qui ante ebrietatem, & ſomnum deſideravit Baptiſmum; ergo etiam ſufficit intentio habitualis in Miniſtro.

Reſp. longe plura requiri ad conficiendum, quam ad ſuſcipiendum Sacramentum, quia ſuſcipiens ſe habet mere paſſive, ad quod non requiritur ex genere ſuo libertas, nec debet proferre verba, aut acceptam exercere poteſtatem: at miniſtrans concurrit active, & nomine alterius per exercitium poteſtatis acceptæ, ad quod requiritur modus humanus, & liber; inde non poteſt ebrius, aut amens miniſtrare Sacramentum, quamvis poſſit illud ſuſcipere.

DUBIUM VIII.

An intentio debeat eſſe abſoluta, vel ſufficiat conditionata?

41. Tripliciter intentio poteſt eſſe conditionata, juxta triplex genus conditionis, de præſenti, de præterito, vel de futuro; & quæritur, *an intentio neceſſaria ad valorem Sacramenti ſemper debeat eſſe abſoluta, vel ſufficiat conditionata, ſive de præſenti, ſive de præterito, ſive de futuro?*

42. Reſp. intentio conditionata ſub conditione de futuro, uno excepto Matrimonio, ad valorem Sacramenti non ſufficit: bene tamen ſi ſit conditionata ſub conditione præſenti, vel præterita, quæ ſit realiter poſita. Ratio primæ partis eſt, quia Sacramentum miniſtratum ſub conditione de futuro non eſt validum ſtatim, quando ponitur materia, & forma; quia conficiens Sacramentum non intendit illud conficere ſtatim, ſed pro tempore quo ponetur conditio, non antecedenter; nec eſt validum tempore adimpletæ conditionis, quia pro tali tempore non amplius exiſtunt materia, & forma, & ſic pro tali tempore non poteſt confici Sacramentum; ergo invalidum erit Sacramentum collatum ſub conditione de futuro; ut ſi dicas: *ego te baptizo*, vel *te abſolvo*, *ſi cras ta reſtitues*, vel *ſi cras venies ad Eccleſiam*, cum non poſſit manere ſuſpenſum uſque ad tempus adimplendæ conditionis. Dixi uno excepto Matrimonio, quia in Matrimonio Deus elevavit rationem contractus ad rationem Sacramenti; ideo intentio ſufficiens ad Matrimonium, ut eſt contractus, ſufficit etiam ad ipſum ut eſt Sacramentum; ſed Matrimonium in ratione contractus valet ſub conditione de futuro, quia contractus quilibet ſæpe celebrari ſolet ſub conditione de futuro, & tunc incipit eſſe validus, & obligata Contrahentes, quando ponitur conditio: illi enim actus morales durare poſſunt, & ſuſpendi uſque ad tempus aſſignatum, niſi retractentur: & ſic Matrimonium etiam ut Sacramentum valebit pro tali tempore, quo erit adimpleta conditio.

43. Ratio ſecundæ partis eſt, quia intentio conditionata, ſub conditione jam realiter poſita, eſt efficax de præſenti, & cum actum non ſuſpendat, æquivalet, quoad rem, intentioni abſolutæ; nam conditio, vel eſt realiter poſita & exiſtens a parte rei, & tunc Sacramentum eſt validum, ſi vero non ſit realiter poſita, Sacramentum eſt invalidum. Ut ſi dicas: *ſi reſtituiſti, ſi es diſpoſitus, ego te abſolvo*, nam vel de facto poſita eſt reſtitutio, & exiſtit diſpoſitio, & tunc abſolutio eſt valida, ſi non eſt poſita reſtitutio, nec exiſtit diſpoſitio, abſolutio eſt invalida, nec ſuſpenditur in futurum: ergo Sacramentum miniſtratum ſub conditione de præſenti, vel de præterito, quæ ſit realiter poſita, eſt validum. Patet etiam ex praxi, qua ſæpe in caſibus dubiis Sacramenta ſub conditione miniſtrantur: ergo quia valida eſt miniſtratio.

44. Cavendum tamen eſt, quod non ſunt facile Sacramenta ſub conditione miniſtranda; imo ſine juſta & rationabili cauſa non poſſunt licite miniſtrari, propter periculum, cui taliter miniſtrans ſe exponit irritandi Sacramentum, quod utique defectu intentionis irritatur, ſi conditio non ſit realiter poſita: juſta tamen, & rationabili cauſa exiſtente, nullum erit peccatum Sacramentum miniſtrare ſub conditione de præterito, vel de præſenti, ut ſi dicas: *ego te ba-*

Google

te baptizo, ſi non es baptizatus, quando vere dubitans an puer ſit baptizatus. Ita Doctores communiter, Madernus *art. 6.* Leander *diſp. 4. qu. 21.* Bonac. *diſp. 1. part. 2. n. 20.* Suarez *diſp. 13 ſect. 3.* Henriquez *lib. 1. c. 50. n. 7.*

45. An vero ſit peccatum mortale miniſtrare Sacramentum ſine cauſa ſub conditione de præſenti, aut de præterito, affirmat cum communi ſententia Leander *diſp. 4. qu. 22.* Palaus *punct. 5. n. 7.* Bonacina *loco cit.* propter periculum irritandi Sacramentum; ſed Antonius a Spiritu S. *diſp. 3 n. 62.* aſſerit eſſe peccatum mortale, quando conditio appoſita eſt turpis, ſecus ſi ſit indifferens, vel impertinens; tunc enim exiſtimat eſſe tantum veniale, dummodo conditio ſit vera, quia tunc ſolum intervenit quædam indecentia. Sed non eſt recedendum a ſententia communi, nec unquam Sacramenta ſub conditione miniſtranda, niſi juſta & rationabilis cauſa exiſtat.

46. Dices: Sacramenta non ſunt cauſæ phyſicæ, ſed morales, at cauſa moralis poteſt cauſare effectum, etiam quando non exiſtit; ergo etiam Sacramenta poſſunt cauſare gratiam quando non exiſtunt. Ergo Sacramenta collata ſub conditione, de futuro, adimpleta conditione, poterunt cauſare gratiam, & ſic poterunt valide miniſtrari ſub conditione de futuro.

Reſp. cauſam moralem utique poſſe cauſare gratiam, quando acta non exiſtit, dummodo tamen extiterit, non vero ſi ſolum ſit extitura; Sacramentum autem miniſtratum ſub conditione de futuro nunquam exiſtit, nam quando ponitur materia & forma, non ponitur intentio, ſed ſuſpenditur donec verificetur conditio: verificata conditione, jam non ſunt amplius materia & forma, & ſic nunquam poteſt eſſe Sacramentum, per conſequens ſic poteſt cauſare.

47. Dices 2. de facto dari poteſt abſolutio ab excommunicatione ſub conditione de futuro, *ſi reſtitues*: ergo etiam poteſt dari ſub tali conditione abſolutio a peccatis, & quodcumque aliud Sacramentum miniſtrari.

Reſp. negando conſequantiam, quia abſolutio ab excommunicatione pendet ſolum a voluntate abſolventis, quæ quia cenſetur exiſtere purificata conditione, ideo poteſt dari ſub tali conditione, etiam invito, & contra voluntatem illius qui abſolvitur: at abſolutio a peccatis, ultra intentionem abſolventis, requirit etiam materiam & formam, quæ quia non exiſtunt purificata conditione, etiam ſi tunc poſſit intelligi exiſtens intentio, ideo non poteſt abſolutio a peccatis valide impendi ſub conditione de futuro.

DUBIUM IX.

An valeat Sacramentum, quando Miniſter habeat contrarias intentiones?

48. COntingere aliquando poteſt Miniſtrum ex ignorantia, errore, aut oblivione, duas habere intentiones contrarias, & repugnantes: ut ſi intenderet conſecrare Eucharistiam, ſed non offerre Sacrificium, facere quod Chriſtus inſtituit, & non facere quod facit Eccleſia: velle celebrare Matrimonium in ratione contractus, non in ratione Sacramenti, ſuppoſita, ex ordinatione divina, neceſſaria connexione inter rationem Sacramenti & rationem contractus; & tunc quæritur: *an validum ſit Sacramentum ſub illis intentionibus celebratum, vel requiratur intentio, quæ non habeat contrarium.*

49. Reſp. ad valorem Sacramenti requiritur, ut intentio Miniſtri non habeat adjunctam intentionem contrariam ſibi prævalentem, aut æqualem. Ratio eſt, quia duæ intentiones contrariæ æqualiter efficaces, ſe invicem deſtruunt, & quælibet fertur in impoſſibile, ideo neutra valet, & ſic non conficitur Sacramentum; ſi autem una eſt efficacior, jam iſta prævalet alteri, & illam deſtruit, eo modo quo ex duobus agentibus contrariis ſimul applicatis, fortius vincit, ac prævalet. Major autem efficacitas unius intentionis præ alia dignoſcitur a poſteriori, ex majori vel minori difficultate, quam haberet Miniſter in una potius, quam altera intentione deponenda; Intentio enim, quam facilius Miniſter deponeret, & quam per conſequens minus firmiter retinet, cenſenda eſt inferior, & inefficacior; v. g. ſi dicas: *volo conſecrare Eucharistiam, ſed non offerre Sacrificium*, vel ideo hoc tantum dicis, quia putas in Miſſa non offerri Sacrificium; vel ſeparabilem eſſe conſecrationem a Sacrificio, quod ſi ſcires inſeparabilitatem, adhuc velles conſecrare, & ſacrificare, tunc vere conſecras, quia voluntas conſecrandi prævalet voluntati non ſacrificandi: ſi autem ſcires conſecrationem eſſe indiviſibiliter conjunctam cum Sacrificio, tunc potius velles abſtinere, & non conſecrare, non conſecras, quia voluntas non ſacrificandi prævalet voluntati conſecrandi: idem judicium eſt de reliquis hujuſmodi intentionibus contrariis, ut ſemper prævaleat fortior, & quam difficilius deponeres cognita contrarietate illarum intentionum. Ita ſentire videtur Antonius a Spiritu Sancto *ſect. 4. n. 66.*

DUBIUM X.

An validum ſit Sacramentum, quando contingit error circa Perſonam, cui confertur?

50. COntingere poteſt error circa Perſonam, cui confertur Sacramentum, quando aliquis putaret ſe baptizare puerum, & eſt puella; ſe abſolvere Petrum, & eſt Paulus; ſe ducere in uxorem Bertam, & eſt Caja, in quo caſu Sacramentum videtur invalidum ob defectum intentionis: non enim Miniſter habuit intentionem baptizandi puellam, ſed puerum, abſolvendi Paulum, ſed Petrum, ducendi Cajam, ſed Bertam. Et quidem ſi Miniſter in actu ſignato alligaret ſuam intentionem ad talem numero perſonam, ita ut vellet expreſſe Sacramentum eſſe nullum, ſi fuerit altera, certum eſt illud non ſubſiſtere: ac quia regulariter loquendo non ſolet, nec debet ita ſtricte ſuam voluntatem alligare huic determinate ſubjecto, ut velit ſolum baptizare puerum, non vero ſi eſt puella, ideo

51. Reſp. quod uno excepto Matrimonio, alia Sacramenta valide miniſtrantur cum tali errore. Ratio eſt, quia in ſolo Matrimonio, non in aliis Sacramentis, error perſonæ eſt error ſubſtantialis, ſolus autem ſubſtantialis error intentionis Sacramentum invalidat, non error accidentalis; ſicut error ſubſtantialis, non accidentalis in materia & forma idem Sacramentum invalidat. Cur deinde ſit ſubſtantialis error perſonæ in Matrimonio, non in aliis Sacramentis, hoc ideo eſt, quia Contrahentes propter magnum opus quod ſuſcipiunt, limitant ſuam intentionem ad talem perſonam, excludendo omnes alias; in aliis vero Sacramentis regulariter non ſolent, nec poſſunt ita facere, ſed intentio debet dirigi ad perſonam præſentem qualiſcumque illa ſit, dummodo ſit ſubjectum capax Sacramenti.

52. Inde qui abſolveret, aut baptizaret Petrum, credens eſſe Paulum, aut virum credens eſſe feminam, vere abſolveret, & baptizaret, quia intentio Miniſtri dirigitur ad perſonam præſentem, quæcumque illa ſit. Quod ſi ſuam voluntatem alligaret alicui determinatæ perſonæ, aliam quamcumque perſonam excludendo, in tali caſu invalide miniſtraret, & error perſonæ eſſet ſubſtantialis, ſi una pro altera ſupponatur. Ita Madernus *qu. 5. art. 6. n. 12.* Lugus *diſp. 8. ſect. 7.* Suarez *diſp. 13. ſect. 3.* Coninch *qu. 64. art. 8. dub. 4.* Franciſc. a Jeſu Maria *tract. 1 cap. 4. punct. 7.*

53. Hinc habes, quod licet Archidiaconus ante collationem Ordinum proteſtetur Epiſcopum non intendere conferre Sacramentum Ordinis excommunicatis, aut non examinatis, valide tamen ordinat omnes præſentes, quia eos omnes Epiſcopus practica intentione intendit ordinare, receditque a conditione generali, quam præconceperat, volens tantum exponere quid facturus eſſet, ſi agnoſceret eos, qui ſe ei tradunt, ſignificans ſe illos repulſurum; nam illa verba dicuntur ad terrorem, ad arcendos indignos, & tantum exponit quid facturus eſſet, ſi illos agnoſceret. Ita cum aliis Madernus *n. 15.* Anton. a Spiritu S. *ſect. 5. n. 72.* Marchinus *de Ordine tract. 1. part 2. cap. 11. a num. 17.* Quod ſi Epiſcopus vere habeat intentionem, quam proteſtatus eſt, nullus illorum, qui habet impedimentum, remanet ordinatus. Inde monet Antonius a Spiritu Sancto cum Lugo, & Dicaſtillo in caſu contingenti Epiſcopum eſſe interrogandum, an habuerit talem intentionem, & in caſu quo ab eo tale quid non poſſet ſciri, debet ſic Ordinatus iterum ſub conditione ordinari.

54. Quæres: *An valide conficiat Sacramentum, qui ab initio non habet intentionem conficiendi Sacramentum, illam tamen habet circa medium, aut circa finem?*

Reſp. quod verba illa, quæ Miniſter profert ſine debita intentione, aut ſunt eſſentialia, vel non; ſi ſunt eſſentialia, invalidum eſt Sacramentum; ſecus, ſi ſint accidentalia. Ratio eſt, quia intentio requiritur ad dandam ſignificationem Sacramento: inde ſi pars aliqua eſſentialis proferatur ſine debita intentione, jam totum Sacramentum non poteſt eſſe ſignificativum; ſecus vero ſi præcedat verbum accidentale. V. g. in Baptiſmo, ſi quis ſine debita intentione dicat *Ego*, deinde mutato animo veram aſſumat intentionem, & reliquum formæ proſequatur, tunc valide conficit Sacramentum; ſecus vero ſi proferret ſine debita intentione: *Ego te baptizo*. Ita Madernus *loco cit. n. 16.* Bonacina *n. 14.* Leander *diſp. 4. qu. 19.*

55. Quæres 2. *An deficiente debita intentione Miniſtri, Deus ſuppleat illum defectum, dando gratiam ſine vero Sacramento: v. g. ſi Miniſter ex malitia non intendat baptizare puerum, an Deus ex ſua infinita miſericordia conferat illi gratiam ſine vero Baptiſmo?*

Reſp. negative, quia Sacramenta tribus neceſſario perficiuntur, materia, forma, & intentione Miniſtri, ut habetur ex Concilio Florentino in decreto Eugenii; ſed ſi deſit materia, & forma, non conficitur Sacramentum, nec Deus ſupplet illius defectum, nec gratiam confert; ergo idem dicendum eſt, quando deeſt intentio Miniſtri, quæ æque eſt eſſentialis, ac materia, & forma. Adultus ſolum titulo contritionis acquireret gratiam, ſi contritus reciperet Sacramentum illud, quod de ſe eſt invalidum; multo minus Deus ſupplet, ſeu confert Characterem, ſi defectu intentionis invalidum ſit Sacramentum, quod deberet

Characterem imprimere. Ita tenent Doctores communiter apud Madernum *cit. art. 6. in fine.*

CAPUT VI.

De Subjecto ſuſcipiente Sacramenta.

DUBIUM I.

Quænam requirantur in Subjecto, ut valide recipiat Sacramentum.

CErtum eſt, regulariter, & de via ordinaria, ſolum hominem viventem, & viatorem, capacem eſſe Sacramentorum, quia ſolus homo viator de via ordinaria eſt capax recipiendi gratiam per actionem ſenſibilem: creaturæ enim irrationales non ſunt capaces ſanctitatis, & gratiæ; inde Baptiſmus Campanarum, aliorumque Valorum ſacrum, eſt pura benedictio, & deſtinatio ad ſacros uſus, non verum Sacramentum. Angeli licet ſint capaces gratiæ, non ſunt capaces actionis ſenſibilis. Damnati, & Beati non poſſunt de lege ordinaria gratiam aliquam de novo recipere; & ſic ſolus homo viator remanet capax Sacramenti. Dubitatur autem, utrum ex parte Suſcipientis requiratur aliqua diſpoſitio, & præcipue intentio, ac voluntas ſuſcipiendi Sacramentum: & quidem difficultas procedit de Adultis; qui ſunt capaces propriæ diſpoſitionis; infantes autem, & perpetuo amentes, nullam debent habere propriam diſpoſitionem, quia ſunt illius incapaces, & tamen conſtat ex uſu Eccleſiæ, quod valide illis confertur Baptiſmus, & olim conferebatur etiam Euchariſtia: immo & valide conferri poteſt infantibus Sacramentum Ordinis, & Confirmationis. Extremæ Unctionis infantes non ſunt capaces, non præciſe ob defectum voluntarii, ſed quia in ipſis non ſupponuntur peccata actualia, ad quorum reliquias delendas eſt inſtituta; igitur infantes, cum ſint incapaces diſpoſitionis, valide recipiunt Sacramenta ſine intentione, aut alia diſpoſitione propria, in Fide, ac voluntate Eccleſiæ, & Chriſti ſic inſtituentis. Loquendo autem de Adultis

2. Reſp. 1. In omnibus Adultis, qui aliquando uſum rationis habuerunt, ita requiritur intentio ad valorem Sacramenti, ut ſine illa nullum, & irritum ſit Sacramentum; excipe tamen Euchariſtiam, quæ cum non conſiſtat in uſu, ſicut alia Sacramenta, ſed ſit Sacramentum ante ſumptionem, non debet pendere ab intentione, & voluntate Suſcipientis quoad valorem, ſed tantum quoad effectum Ratio ſumitur tum ex voluntate Chriſti nolentis hominem adultum juſtificari ſine aliqua ſua cooperatione, tum ex eo quod non decuit Chriſtum ita Sacramenta inſtituere, ut valerent etiam invitis collata, ut patet conſideranti naturam ſingulorum Sacramentorum. Nam Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo imprimunt Characterem, & obligant ad novum ſtatum, ad quem nemo ſine conſenſu aliquo ſuo compelli poteſt. Pœnitentia utique voluntaria eſſe debet, quia judicium eſt, in quo reus ſe ipſum accuſat, & cum Deo reconciliatur, quod fieri non poteſt ſine voluntate illius, qui redit in amicitiam cum Deo. Idem fere munus eſt Extremæ Unctionis delentis reliquias peccatorum actualium. Matrimonium eſt contractus, qui voluntarius eſſe debet, & pendere a voluntate, & conſenſu Contrahentium, ac proinde Sacramenta ſic fuere inſtituta, ut reſpectu adulti, ab illius intentione, & voluntate dependeant, nec valide conferri poſſint, niſi conſentienti. Conf. auctoritate Concilii Carthaginenſis, Arauſicani, ac Sanctorum Patrum, quos dabit Madernus *qu.* 5, *art.* 10. ita etiam Bonacina *qu.* 6 *part,* 2. Lugus *diſp.* 9. *n.* 11. Layman *tract.* 1. *cap* 6. *n.* 4. D. Thomas, Scotus, Suarez, Vaſquez, Coninch, Hurtado, Palaus, & alii, quos affert, & ſequitur Leander *diſp.* 5. *qu.* 2.

3. Dices: ex Concilio Florentino Sacramenta tribus perficiuntur, materia, forma, & intentione Miniſtri, nulla facta mentione de intentione Suſcipientis; ergo iſta non eſt neceſſaria. Conf. auctoritate Innocentii III. cap. *Majores, de Baptiſmo*, ubi habet: *tunc ergo Characterem imprimit Sacramentalis operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obſiſtentem*; ergo ad valorem Sacramenti ſufficit, quod adultus contrariam voluntatem non habeat,

Reſp. Concilium Florent. ea tantum enumeraſſe, quæ generaliter neceſſaria ſunt ad quodlibet Sacramentum, præſertim ex parte Miniſtri: intentio autem Suſcipientis non eſt neceſſaria in omnibus Sacramentis quoad ipſorum valorem, ut patet in Baptiſmo parvulorum, & in Euchariſtia; unde mirum non eſt, quod omiſerit illam Pontifex. Ad conf. dico, Pontificem pro voluntate contraria intelligere defectum quemcumque voluntatis neceſſariæ, ut ex toto contextu patet, quia ſcilicet in Baptiſmo ſuſcipiendo, cum novus ſtatus vitæ inchoetur, nemo ſolet mere negative ſe habere, ſed quicumque obicem contrariæ voluntatis non habet, ſi eſt compos mentis, habet poſitivam intentionem, præcipue manifeſtatam per aliquem actum antecedentem; præmiſerat enim Pontifex dormientes, & amentes, quando baptizantur, Characterem ſuſcipere, ſi prius habuiſſent propoſitum baptizandi; & inde dicendo: *tunc ergo Characterem imprimit Sacramentalis operatio &c.* indicat iſtam Characterem imprimere, cum non invenit obicem contrariæ voluntatis, ratione præcedentis voluntatis, ſeu propoſiti.

4. Reſp. 2. Intentio Suſcipientis ad valorem Sacramenti requiſita non debet neceſſario eſſe actualis, & expreſſa, ſed ſufficere poteſt habitualis, imo & aliquando ſufficit generalis interpretativa tantum, quam habere cenſetur quilibet eo ipſo, quod chriſtiane vixit, illa tamen ad omnia Sacramenta non ſufficit. Ut autem cognoſcatur, pro quibus Sacramentis ſufficiat, imo etiam qua intentione unumquodque contentum ſit, diſcurrendum eſt per ſingula Sacramenta: & quidem pro Extrema Unctione ſufficit intentio illa generalis, ut patet ex eo, quod iſta miniſtrari ſolet cuilibet moribundo, & in extremis verſanti, etiamſi non illam petierit, nec ſcire poſſit quid tunc fiat, dummodo ſolum chriſtiane vixerit, quia vivendo chriſtiane cenſetur habere voluntatem non carendi mediis ad ſalutem utilibus: & hæc eadem poterit etiam aliquando ſufficere pro fructuoſa Communione; & ſi moribundo jam pene ſenſibus deſtituto, antecedenter tamen confeſſo, poſſet ſine irreverentia miniſtrari Euchariſtia, eſſet illi valde utilis, quia in voluntate mediorum ad ſalutem, quam cenſetur habuiſſe quilibet chriſtiane vivendo, ſufficienter cenſeri poteſt voluiſſe Euchariſtiam, pro eo tempore quo viget præceptum: hæc tamen intentio pro Euchariſtia non ſufficit extra mortis articulum, ut de ſe patet. Ita Suarez *diſp.* 14. *ſect.* 2. Bonacina *quæſt.* 6. *part.* 2, *n.* 8. Layman *tom.* 1. *cap.* 6. *n.* 4. Hurtado *diſput.* 4. *difficult. ult.* Coninch. *qu.* 64. *art.* 8. *dub.* 5. *n.* 103. Lugus *diſput.* 9. *nu.* 122. Palaus *punct.* 12. *n.* 6. & 7.

5. In Sacramento Ordinis non ſufficit intentio illa generalis, quia non quicumque, qui chriſtiane vivit, vult ordinari, ſufficit tamen intentio habitualis, unde poſſunt Ordines dormienti, vel etiam amenti valide, ſed non licite, conferri, ſi ante ſomnum, & amentiam illos petivit. Hoc idem valet de Confirmatione, & Baptiſmo, de quo D. Thomas *art.* 12. *ad* 3. docet, quod dormientes, periculo mortis imminente, baptizari debent, ſi prius in eis voluntas apparuit ſuſcipiendi Baptiſmum. In Matrimonio requiritur intentio ſaltem virtualis, quia Contrahentes ſunt Miniſtri Sacramenti, in quibus neceſſaria eſt, ut dixi, ſaltem intentio virtualis.

6. Reſtat Sacramentum Pœnitentiæ, de quo major eſt controverſia inter Doctores, utrum ſufficiat pro illo intentio ſolum habitualis, ſeu etiam generalis illa interpretativa deſumpta ex eo, quod quis chriſtiane vixerit, quæ difficultas ſolet ſatis fuſe ſuo loco examinari. Pro nunc breviter dico, illam ſufficere poſſe, modo tamen non deſit dolor aliquis per externa ſigna expreſſus: ſi enim ægrotus ſigna aliqua doloris dederit, poterit a ſuperveniente Confeſſario valide abſolvi, quia ille, ut ſuppono, chriſtiane vixit; ergo habet intentionem omnino eamdem cum illo, qui ſuſcipit Extremam Unctionem, nec apparet ulla prorſus diſparitas quoad hoc. Sed quia circa abſolutionem dandam moribundo, qui ſigna doloris dedit, vel etiam non dedit, ſolent plura controverti; ideo res tota relinquitur examinanda ſuo loco *de Pœnit. cap.* 9. *dub.* 5.

7. Reſp. 3. Ad valide recipiendum Sacramentum nulla alia in recipiente requiritur diſpoſitio, quam intentio, & voluntas illud recipiendi, ut conſtat ex certa traditione Eccleſiæ approbante Baptiſmum, & Ordines collatos Hæreticis, qui nullam aliam habent diſpoſitionem, præter intentionem ſuſcipiendi Sacramentum, quod de aliis etiam Sacramentis verum eſſe poteſt, ſi excipias Sacramentum Pœnitentiæ, ubi dolor pœnitentis eſt pars eſſentialis Sacramenti; in reliquis diſpoſitio pœnitentis eſt neceſſaria ad recipiendum fructum Sacramenti, non ad illius valorem. Antonius a Spiritu Sancto *diſp.* 4. *n.* 87.

DUBIUM II.

An ſit licitum petere Sacramenta ab indigno Miniſtro?

8. CErtum eſt, me non poſse petere, nec ſumere Sacramenta ab indigno Miniſtro invalide adminiſtraturo, propter defectum poteſtatis, juriſdictionis, aut alterius conditionis requiſitæ ad validam adminiſtrationem, quia eſſet petere, & recipere Sacramentum irritum, & nullum, cum gravi injuria veri Sacramenti. De Miniſtro autem peccatore, qui nonniſi in ſtatu peccati adminiſtraturus eſt Sacramentum, dubitatur: *an poſſim ab illo Sacramenta petere, & ſumere?* Aliqui diſtinguunt inter Miniſtrum paratum miniſtrare, & concedunt licitum eſſe ab iſto Sacramenta petere, quia non inducitur ad peccatum, cum jam ſit paratus; negant de Miniſtro non parato, quia talis petitio eſſet illi occaſio peccandi.

9. Reſp. quod, urgente neceſſitate, vel gravi utilitate Suſcipientis, licitum eſt petere, & ſuſcipere Sacramentum ab indigno Miniſtro, ſive ſit ſecundum ſe paratus, ſive non paratus miniſtrare: item ſive ſit ex officio ſpecialiter obligatus miniſtrare, ſive non, dummodo ſit in tali ſta-

tu,

tu, in quo poſſit digne, & ſine peccato miniſtrare, ſi velit. Ratio eſt, quia malitia Miniſtri non debet obeſſe neceſſitati, & utilitati Suſcipientis; ergo quando gravis urget neceſſitas, vel ingens utilitas Suſcipientis, licitum eſt etiam ab indigno, & malo Miniſtro Sacramentum petere; nam peto aliquid honeſtum, & mihi utile, quod Miniſter conferre poteſt ſine peccato, ſi velit ſibi per contritionem, aut alio modo conſulere. Ceſſante autem gravi neceſſitate, & utilitate, ſi nimirum poſſit Suſcipiens ſine notabili incommodo accedere ad alium digne, & ſine peccato miniſtraturum, tenetur id facere ex lege charitatis, qua unuſquiſque tenetur, dummodo poſſit, vitare occaſionem etiam remotam alterius peccati.

10. Conf. reſponſio: propter gravem neceſſitatem, aut utilitatem notabilem licet rem ſecundum ſe bonam facere, quamvis ſit alteri futura occaſio peccati, ut patet ex communi Doctorum ſententia, in materia de ſcandalo; ergo cum petitio, & ſuſceptio Sacramenti ſit aliquid ſecundum ſe bonum, licitum erit propter notabilem utilitatem petere, & recipere Sacramentum ab eo etiam Miniſtro, cui talis petitio, & ſuſceptio futura eſt occaſio peccati. Certe ſi, inſtante notabili neceſſitate corporali, licitum eſt petere mutuum ab uſurario, quamvis ſciam, non ſine uſura mutuaturum, licitum etiam erit petere in neceſſitate ſpirituali Sacramenta ab illo, quem novi adminiſtraturum in peccato gravi; non enim ipſum induco ad peccandum, ſed ipſius peccatum permitto ex juſta cauſa. Addit Leander *diſp.* 5. *qu.* 10. etiam extra caſum neceſſitatis me poſſe petere Sacramenta ab indigno Miniſtro etiam non parato, quia utor jure meo, & peto quod mihi utile eſt, & quod Miniſter facile poteſt adminiſtrare ſine peccato, ſi velit. Ita Bonacina *qu.* 6. *part.* 5. Suarez *tom.* 3. *diſp.* 18. *ſect.* 1. Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *diſp.* 5. *num.* 8. Franciſcus a Jeſu Maria *in curſu Morali tract.* 1. *cap.* 8. *n.* 34. Diana *part.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 21.

11. Hinc urgente neceſſitate poſſum Sacramenta licite ſuſcipere a peccatore etiam publico; & quamvis, ut refert Suarez *loc. citat.* videtur prohibitum de Lege Antiqua publicis concubinariis Sacramentorum miniſterium, talis tamen prohibitio, tum contraria conſuetudine, tum decreto Concilii Conſtantienſ. de medio ſublata eſt. A fortiori poſſum licite Sacramenta ſuſcipere ab habente peccatum occultum, de quo etiam ſi ſciam recenter lapſum in peccatum, debeo præſumere digne miniſtraturum, & uſurum remedio contritionis, quod breviſſimo tempore fieri poteſt. Ita Suarez *diſp.* 18. *ſect.* 1. *prope finem*, Vaſquez *qu.* 93. *art.* 1. *dub.* 2. *&* 14. Dicaſtillus *diſp.* 3. *dub.* 13. *n.* 301. *&* 302. Coninch. *qu.* 64. *art.* 6. *nu.* 45. & aliis citatis, Bonacina ſupra *num.* 5. *&* 6.

12. Idem videtur dicendum de excommunicatis toleratis, quia dum Eccleſia illos tolerat, videtur diſpenſare communicationem cum ipſis, etiam in Sacramentis ſuſcipiendis: a non toleratis vero non licet Sacramenta petere, nec ſuſcipere, niſi in caſu extremæ neceſſitatis, quia dum Eccleſia omnem cum illis communicationem prohibet, utique maxime prohibet communicationem in rebus ſacris. Ceſſat tamen hæc prohibitio in mortis articulo, in quo propter extremam neceſſitatem, quæ nulli legi alligatur, poteſt a quocumque Miniſtro, etiam non tolerato, quantumvis infideli, hæretico, vel apoſtata, & excommunicato non tolerato, ſuſcipi Sacramenta, quæ fideles tenentur ex præcepto divino recipere. Nec in tali miniſtratione peccabit excommunicatus miniſtrans, dummodo ſibi conſulat per contritionem. Quod ſi nolit ſibi conſulere, ſuſcipiens Sacramentum, ſolum per accidens, & valde remote dat illi occaſionem peccati, ſicut dicitur de quocumque alio Miniſtro malo tolerato.

13. Quæres: *utrum Suſcipiens Sacramenta a meliori Miniſtro, & cum majori Miniſtri diſpoſitione, recipiat majorem gratiam?*

Reſp. negative, quia Suſcipienti Sacramentum non datur gratia intuitu meritorum Miniſtri, ſed intuitu meritorum Chriſti, quæ non minuuntur ob indignitatem, & improbitatem Miniſtri; ſe habet enim Miniſter præciſe ut applicans merita Chriſti, ad quam applicationem probitas, vel improbitas Miniſtri per accidens ſe habet: quod expreſſit Nazianzenus *Orat.* 40. quæ eſt de Baptiſmo, ubi comparat Miniſtrum probum, vel improbum ſigillo aureo, vel ferreo, quia ſicut utrumque ſigillum eamdem figuram imprimit, ita uterque Miniſter eamdem gratiam applicat. Per accidens tamen poterit bonitas Miniſtri conducere ad majorem gratiam, quatenus impetrare poteſt auxilia congrua, quibus alter ſe diſponat per ſuos actus ad majorem gratiam recipiendam.

DUBIUM III.

An ſit licitum miniſtrare Sacramenta indignis?

14. Certum eſt apud omnes, Paſtores habentes curam Animarum obligari ex juſtitia non negare Sacramenta ſubditis digne diſpoſitis, quoties indigent, vel rationabiliter illa petunt, quia ita fert illorum officium, & eo nomine accipiunt ſtipendium a ſuis ſubditis. Difficultas eſt in præſenti: *an teneatur miniſtrare Sacramenta indigne petentibus, vel potius teneantur illis Sacramenta negare?* quod etiam proportionaliter valet de reliquis Miniſtris, & difficultas procedit maximè de peccatore petente in publico; ex una enim parte ſi Miniſter tali peccatori Sacramentum conferat, videtur irrogare injuriam Sacramento, & cooperari peccato indignæ ſumptionis: ex alia parte ſi Sacramentum negat, videtur derogare famæ petentis, qui ſi peccator occultus ſit, propter malam ſuſpicionem, quæ de ipſo adſtantibus ingeritur, notabile apud ipſos ſuæ exiſtimationis detrimentum patietur.

15. Igitur qui indigne Sacramenta petit, poteſt petere vel occulte, vel publice; poteſt item eſſe vel publicus, vel occultus peccator. Dupliciter autem poteſt quis eſſe peccator publicus, vel a jure, quando talis eſt per ſententiam Judicis, aut per ipſius confeſſionem, aut per depoſitionem teſtium in judicio; vel a facto, per commiſſionem ſcilicet Peccati in loco publico, cujus peccata majori parti Civitatis nota ſunt, vel certe cujus crimen omnibus præſentibus, aut majori parti notum eſt, ſi plures ſunt quam decem, nec poſſit aliqua tergiverſatione celari.

16. Reſp. primo: publico peccatori, ſive privatim, ſive publice petenti, ſemper eſt denegandum Sacramentum, quouſque non dederit ſigna pœnitentiæ, quia jam tunc deſinit eſſe peccator publicus; nam urget in hoc caſu præceptum Chriſti Matth. 7. *Nolite dare Sanctum canibus: neque mittatis Margaritas veſtras ante porcos*. Ratio eſt, quia Miniſtri, cum ſint tantum diſpenſatores Myſteriorum Dei, tenentur ea fideliter, & prudenter miniſtrare, & ſic tenetur, quantum poſſunt, conſulere reverentiæ debitæ Sacramentis; cum ergo ſine ullo incommodo, & ſine ullo detrimento petentis, qui certe non magis per Sacramenti negationem diffamaretur, quam ſupponatur jam diffamatus publicitate peccati; poſſint negare Sacramentum publico peccatori indigne petenti, tenentur negare ad ſervandam reverentiam debitam Sacramento. Sic tenent cum communi Doctorum Madernus *qu.* 5. *art.* 9. *n.* 19. Bonacina *qu.* 6. *part.* 4. Leander *diſp.* 7. *de Euchariſtia qu.* 55.

17. Quod ſi publicus peccator ſigna dederit pœnitentiæ, jam deſinit eſſe peccator, & fit capax Sacramentorum, ſed neceſſe eſt, ut publice pœniteat, ſeu publice conſtet de ipſius pœnitentia, ad tollendum ſcandalum, quod adſtantibus ingerere poſſet talis adminiſtratio, ſi publice fiat, & publice non conſtaret de pœnitentia: niſi forte peccator ſit in articulo mortis, quia tunc prævalet extrema neceſſitas, & ſcandalum facile tolli poteſt publicando ipſum pœnituiſſe; unde ſufficit pro articulo mortis ſi confiteatur, vel ſigna contritionis exhibeat, pro temporis opportunitate, & neceſſitate, prout docent Madernus *n.* 20. Suarez *diſp. de Euchar. ſect.* 2. Villalob. *tract.* 7. *diff.* 38. Leander *diſp.* 7. *q.* 55.

18. Si autem delictum non ſit vere publicum, attamen quis ſit graviter ſuſpectus de aliquo crimine, poterit a Sacramentorum participatione repelli, ut dictum eſt de publico peccatore, dummodo gravitas ſuſpicionis tanta ſit, ut moralem quamdam certitudinem inducat. Ita Madernus *n.* 21. & cum aliis Bonacina *punct.* 4. *n.* 3. Si vero ſuſpicio ſit levis, aut dubium ſit an peccator ſit publicus, vel occultus, non eſt repellendus, quia ille jus habet accedendi: in dubio autem melior eſt conditio poſſidentis ſuam libertatem, & famam; ergo non debet publice repelli a participatione Sacramentorum. Leander *loco cit. qu.* 58. Villalobos *n.* 5. Diana *part.* 4. *tract.* 3. *reſol.* 54.

19. Excipitur ab hac regula generali Sacramentum Matrimonii, in quo cum ipſi Contrahentes ſint Miniſtri, dum licet cum peccatore etiam publico contrahere, licet peccatori etiam publico Sacramentum Matrimonii miniſtrare. Quod autem liceat cum peccatore Matrimonium contrahere eſt communis ſententia Doctorum, qui Conjugem non obligant, ut alteri Conjugi exiſtenti in peccato conſenſum neget, & dummodo ipſe ſit in gratia, ne ponat obicem effectui Sacramenti, non debet eſſe de alterius ſtatu ſolicitus. Patet etiam ex eo, quod interdum Eccleſia diſpenſat, ut Catholici contrahant cum Hæreticis obſtinatis, & perſiſtentibus in peccato; unde ſupponit Catholicum poſſe licite & ſancte contrahere, quamvis alter cum peccato contrahat. Cur autem hoc procedat in iſto Sacramento, & non in aliis, hæc eſſe poteſt, quia in Matrimonio, cum Deus elevaverit rationem contractus ad rationem Sacramenti, magis ſequitur naturam contractus, qui in eo per ſe, & directe conſideratur, quam naturam Sacramenti, quæ conſideratur de conſequenti: contractus autem licite inter peccatores exercentur, ideo etiam Matrimonium licite contrahitur cum exiſtente in peccato, quamvis de conſequenti miniſtretur Sacramentum indigno, & ſuſcipiatur Sacramentum ab indigno. Similiter poterit Parochus aſſiſtere tali contractui, & Matrimonio, quod ab indigno, & peccatore contrahitur, maxime quia Parochus aſſiſtens non eſt proprie Miniſter, ſed ſolum aſſiſtit tanquam Judex, & teſtis publicus Matrimonii, non ut eſt Sacramentum, ſed ut eſt contractus, ſicque tenetur tantum curare ea, quæ officiunt contractui, non quæ officiunt Sacramento. Unde habetur, cur Parochus non poſſit aſſiſtere, quando ſcit in aliquo Contrahentium adeſſe aliquod impedimentum Matrimonii occultum; poſſit vero aſſiſtere

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quamvis ſciat in aliquo Contrahentium eſſe peccatum: de quo fuſe Lugus *de Sacramentis in gen. diſp. 8. ſect. 13.* ita etiam Averſa *de Matrimonio qu. 2. ſect. 2.*

20. Reſp. 2. Peccatori occulto petenti occulte Sacramentum Euchariſtiæ non poteſt concedi; ſi autem publice petat, non debet negari. Prima pars de occulto peccatore privatim petente communis eſt, & certa, quia tunc ceſſant omnia incommoda, quæ poſſent ſequi ex negatione Sacramenti, cujus petendi alter non habet jus, cum illud per peccatum amiſerit, & urget præceptum Chriſti Matthæi 7. *Nolite ſanctum dare canibus*. Dummodo tamen notitia, quam habet Miniſter peccati occulti, non habeat ſolum ex confeſſione, ex qua ſola, ſi notitiam habeat, tenetur peccatori etiam occulte petenti Sacramenta non negare, ne in odium confeſſionis, & præjudicium ſigilli videatur tali negatione exprobrare, peccatum in confeſſione manifeſtatum. Bonacina *punct.* 4. n. 4. Coninch. *q.* 80. *art.* 6. Madernus *quæſt.* 5. *art.* 9. *num.* 11. Leander *diſp.* 7. *de Euchar. qu.* 56.

21. Prob. ſecunda pars de peccatore petente publice, quia peccator occultus per negationem Sacramenti publice expetiti notabilem pateretur infamiam; ſed Miniſter tenetur non lædere famam proximi; ergo non debet negare Sacramenta occulto peccatori in publico petenti; quando enim duo præcepta ſimul concurrunt, quæ ambo ſervari non poſſunt, tunc illud ſervandum eſt, quod magis urget, & ſi ſervetur, ceſſat alterius obligatio. Hoc modo Confeſſarius poteſt omittere Sacrum die feſto, & aſſiſtere ægroto periclitanti, ſi utrumque præſtare non poſſit; ſed quando peccator occultus publice petit Sacramentum, concurrunt duo præcepta: alterum juſtitiæ de non infamando proximo, qui certe per negationem Sacramenti publice expetiti infamaretur; alterum Religionis de non porrigenda Euchariſtia, aut miniſtrando alio Sacramento indigno, & illud prius magis urget; ergo ne infametur proximus, non debet ipſi Sacramentum negari: quod confirmatur exemplo Chriſti Domini, qui Judam non repulit a Communione, quamvis ſciret eſſe indignum, quia ſcilicet illius peccatum adhuc erat occultum. Ita Sanchez, Suarez, Reginaldus, Coninch, Nugnus, Navar. Sylveſter, & alii communiter, quos affert, & ſequitur Bonacina *loco citat.* Madernus *num.* 3. Leander *qu.* 57.

22. Dices: ſi conſtaret aliquem velle communicari ad Euchariſtiam conculcandam, vel projiciendam in locum immundum, eſſet illi deneganda, quamvis publice peteret, etiamſi ex hoc ſequatur ejus infamia; ergo etiam deneganda eſt volenti indigne communicari, quia utrobique reverentia Sacramenti præferenda eſt famæ petentis.

Reſp. reverentiam poſitivam Sacramenti præferendam eſſe famæ petentis, & magis vitandam eſſe irreverentiam poſitivam Sacramenti, quam petentis infamiam, quatenus Miniſter nunquam poteſt miniſtrare Sacramentum volenti poſitive illud inhonorare, illique poſitivam contumeliam inferre, quomodo ſe habet, qui vellet illam conculcare, aut in ſterquilinium projicere. At qui indigne petit Euchariſtiam, non vult illam poſitive inhonorare, nec ordinat indignam ſumptionem in poſitivum Euchariſtiæ contemptum, ſed tantum illi infert negativam irreverentiam, quatenus indigne ſumens, licet exhibeat aliquem honorem, & cultum extrinſecum Sacramento, non exhibet tamen tantum quantum debet, cum non habeat intrinſecam diſpoſitionem; unde patet diſparitas inter utrumque caſum.

23. Dices 2. Nunquam licet cooperari peccato alterius, etiam ad vitandam ipſius infamiam; ſed ſi Miniſter indigno det Sacramentum, cooperabitur alterius peccato, nimirum indignæ ſumptioni; ergo non poteſt Sacramentum miniſtrare indigno.

Reſp. miniſtrantem Sacramenta indigno non cooperari ipſius peccato, quia non cooperatur indignæ ſumptioni formaliter, ut indigna eſt, ſed materialiter tantum, ut eſt ſumptio, quæ ex objecto eſt bona, & ſtat per ipſum peccatorem facere, quod hæc ſumptio non ſit peccatum, aut abſtinendo, aut per actum contritionis ſibi conſulendo. Miniſter autem ſolum permiſſive ſe habet ad peccatum ſumentis, quia ipſius actio eſt indifferens ad bonam, vel malam ſumptionem, prout determinabitur a ſumente, & peccatum permittit ex juſta cauſa, ut conſulat famæ proximi.

24. Limitanda videtur hæc doctrina, ut non procedat in Sacramento Ordinis, & Pœnitentiæ, de quibus eſt diverſa ratio, quia Sacramentum Ordinis nunquam confertur, niſi poſt diligentem inquiſitionem de merito ejus, qui ordinatur, unde ſi inveniatur indignus, non debet ordinari: abſolutio autem, cum non detur niſi in ſecreto, nunquam indigno conferri poteſt, cum præcipue dignitas petentis ſit pars eſſentialis Sacramenti, & Miniſter; cum non poſſit facere Sacramentum invalidum, non poteſt illud miniſtrare indigne petenti. Advertit tamen Madernus *art.* 9. *n.* 16. quod ſi Confeſſarius aliunde ſciat peccatum aliquod pœnitentis, quod videt reticeri, ſi interrogatus de illo neget ſe tale peccatum habere, non debet abſolutionem negare, quia eo ipſo quod aliquem admittit ad confeſſionem, ei debet credere tam pro ſe, quam contra ſe.

DUBIUM IV.

An peccatori occulto liceat miniſtrare hoſtiam non conſecratam pro conſecrata? ubi alia nonnulla.

25. IN duplici caſu dicebant nonnulli licitum eſſe miniſtrare hoſtiam non conſecratam pro conſecrata; primo in articulo mortis, quando nulla eſſet hoſtia conſecrata, & timeretur magnum ſcandalum ſi infirmus decederet ſine communione. Ita Altiſiodorenſis, ut refert Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 67. *ſect.* 4. §. *circa tertiam*. Secundo alii plures volebant poſſe miniſtrari peccatori occulto ad conſervandam ipſius famam, maxime ſi hoc fieret ex conſenſu, & conventione cum tali peccatore; tunc enim conſervaretur illæſa fama petentis abſque irreverentia Sacramenti. Ita S. Bonaventura, Albertus Magnus, & Adrianus, quos refert Suarez *ubi ſupra*: item Villalobos *tom.* 1. *ſum. tract.* 7. *diff.* 38. *n.* 7. & Ludovicus de S. Ivao *tom.* 1. *ſum. qu.* 7. *de Euchar. art.* 8. *diff.* 3. quos affert Diana *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 47. & noviſſime approbat P. Franc. de Lugo *de princip. Theol. Moral. part.* 2. *cap.* 6. *qu.* 7. apud Leandrum *diſp.* 7. *de Euchar. qu.* 92.

26. Reſp. in nullo caſu licitum eſſe peccatori etiam occulto ad vitandam ipſius infamiam miniſtrare hoſtiam non conſecratam pro conſecrata, quamvis hoc fiat de ipſius conſenſu, & ad ipſius petitionem. Ratio eſt, quia pernicioſa, & exectabilis eſt ſimulatio in Sacramentis, quæ etiam damnatur ab Innocentio XI. *propoſition.* 29. inter damnatas. Sed in dato caſu interveniret vera ſimulatio in adminiſtratione Euchariſtiæ, cum fingatur eſſe hoſtia conſecrata illa, quæ non eſt talis; ergo talis adminiſtratio fugienda eſt tanquam pernicioſa & damnata. Deinde quia ex tali porrectione hoſtiæ non conſecratæ ſequitur peccatum idololatriæ, quod longe gravius, & deterius eſt peccato indignæ ſumptionis, ut colligitur ex Innocentio III. qui cap. *de homine, de celebratione Miſſarum, de quodam Sacerdote*, qui, ex eo quod eſſet in ſtatu peccati, celebrabat abſque intentione conſecrandi, dicit gravius peccaſſe, & egregie addit: *falſa ſunt abjicienda remedia, quæ veris ſunt periculis graviora*. Et ita tenent Doctores communiter, D. Thomas, Cajetanus, Riccardus, Vaſquez, Suarez, Velentia, Reginaldus, Henriquez, Nugnus, quos affert, & ſequitur Diana *loco citato*: item Madernus *art.* 9. *n.* 10. Bonacina *punct.* 4. *n.* 15. Diana *part.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 47. *& part.* 3. *tract.* 6. *reſol.* 83. & alii apud ipſos. Averſa *q.* 10. *de Euchar. ſect.* 5.

27. Dices: facile vitari poſſe peccatum idololatriæ tum reſpectu Suſcipientis, ſi de ipſius ſcientia & conſenſu ei miniſtretur hoſtia non conſecrata, tum etiam reſpectu adſtantium, ſi Sacerdos ipſis oſtendat hoſtiam conſecratam, & habeat a tergo aliam non conſecratam, vel occulte conſecratam mutet, dum illa admovet ori peccatoris.

Reſp. vix moraliter fieri poſſe tale pactum, & quando fieret, non vitaretur idololatria ſaltem exterior, ſita in illa reverentia externa, qua peccator exterius hoſtiam illam reverenter ſumeret, ac ſi eſſet conſecrata: multo minus vitaretur idololatria adſtantium, qui quomodocumque Sacerdos ſe gerat, adorare ſolent id quod alteri datur ad communicandum, etiam ſi illud non videant. Nec eſt par ratio de Confeſſario fingente ſe abſolvere Pœnitentem, ut famæ illius conſulat, quia nullum hic ſequitur periculum idololatriæ, quale ſequitur in primo caſu.

28. Quæres: *An ſaltem licitum ſit Miniſtro ſimulare ſe immittere hoſtiam in os peccatoris ad evitandam ipſius infamiam?*

Negat Joan. Sanchez *in ſelectis. diſp.* 35. *n.* 9. ſed melius affirmat Henriquez *lib.* 8. *cap.* 33. *n.* 3. cui adhæret Diana *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 47. ſequitur Leander *qu.* 61. ſi id fiat ex cauſa urgenti, & neceſſaria, ut ſi Maritus minaretur mortem Uxori, ſi non communicaret, ob ſuſpicionem malam adverſus eam conceptam: tunc enim poterit mulier ſimulare ſe Euchariſtiam ſuſcipere, ſicut poteſt ſimulare ſe ſacramentaliter confiteri, quia adeſt cauſa ſimulandi, ſeu æquivocandi, abſque mendacio, & deinde poterit Sacerdos ſimulare ſe hoſtiam in os ejus immittere, quam occulte recondit in cuſtodia: quod nec ego improbaverim, ſi occulte fieri poſſit.

DUBIUM V.

An Sacramenta ficte ſuſcepta, amoto obice, reviviſcant, & cauſent gratiam ex opere operato?

29. SAcramentum aliquod poteſt ita ſuſcipi, ut validum quidem ſit, quatenus partes omnes habeat eſſentiales, & tamen non conferat gratiam ſanctificantem defectum alicujus diſpoſitionis ſe tenentis ex parte ſubjecti, quatenus peccator ad Sacramentum accedat ſine ſufficienti attritione vel etiam cum actuali complacentia peccati, & hoc Sacramentum vocatur validum, ſed informe. Dicitur etiam Sacramentum cum fictione, ſeu ficte ſuſceptum: fictio autem non ſignificat in præſenti ſimulationem, aut defectum intentionis, quæ ſi deeſſet vel Miniſtro conferenti, vel Subjecto ſuſcipienti, Sacramentum eſſet nullum

& irri-

& irritum, atque adeo non reviviſceret, ſed ſignificat defectum diſpoſitionis neceſſariæ pro recipiendo fructu Sacramenti, ſeu ſignificat obſtaculum, & obicem gratiæ, quam in Subjecto indiſpoſito Sacramentum producere non poteſt. Porro Sacramentum ſuſcipi poteſt cum obice poſitivo & culpabili vel cum obice ſolum negativo & inculpabili: tunc ſuſcipitur cum obice poſitivo, quando Suſcipiens peccat in ipſa Sacramenti ſuſceptione, accedendo ad ipſum cum voluntaria indignitate & indiſpoſitione: tunc ſuſcipitur cum obice negativo, quando Suſcipiens accedit cum indiſpoſitione inculpabili, quatenus inculpabiliter, & inſcius alicujus peccati, cujus vere reus eſt, ſuſcipit Sacramentum ſine attritione & dolore talis peccati.

30 Controvertitur autem in præſenti, an Baptiſmus v. g. ſuſceptus ab homine adulto, ſine debita diſpoſitione, aut etiam cum actuali complacentia peccati, poſita deinde poſt plures annos attritione aut contritione reviviſcat, & conferat gratiam, quam hodie dediſſet, ſi adfuiſſet debita diſpoſitio: & quænam diſpoſitio requiratur, ut Sacramentum illud reviviſcat, ſeu quomodo ſit tollendus obex ſive poſitivus, ſive negativus; & licet difficultas procedere poſſit de quocumque alio Sacramento valido, ſed informi, ſolet tamen præcipue explicari in Sacramento Baptiſmi, in quo eſt magis neceſſaria, & magis communiter admiſſa reviviſcentia; quidquid enim de illo dicitur, poterit cum proportione applicari aliis Sacramentis reviviſcentibus.

31. Reſp. primo: Baptiſmus ſuſceptus cum obice gratiæ, eo deinde amoto reviviſcit, & cauſat gratiam ex opere operato, remittit peccatum originale, & actualia commiſſa ante ſuſceptionem Baptiſmi. Sumitur ex Aug. *lib. 1. de Baptiſ. contra Donatiſtas cap. 12.* ubi de Baptiſmo ficte ſuſcepto dicit, quod tunc valere incipit ad ſalutem, cum illa fictio veraci confeſſione receſſerit. Et *cap. 13. de Baptiſmo in Schiſmate ſuſcepto* ait: *tunc incipit valere ad dimittenda peccata, cum ad Eccleſiæ pacem venerit;* quod alibi ſæpe repetit adeo clara, ut explicationem admittere non poſſint, quæ non ſtatim ex ipſis verbis appareat falſiſſima. Ratio eſt, quia ex una parte Sacramentum ficte ſuſceptum, amoto obice, reviviſcere poteſt; nam cauſæ morales etiam poſt multum tempus, cum non amplius phyſice exiſtunt, poſſunt ſuum effectum præſtare: ex alia parte maxime expedit, ut reviviſcat, & producat gratiam remiſſivam peccati originalis, quod nonniſi per Baptiſmum remitti poteſt. Deinde cum Baptiſmus ſit initerabilis, ſi quis aliquando ficte illum ſuſciperet, in æternum privaretur gratia baptiſmali, ideſt ſpecialibus illis auxiliis, quæ intuitu Sacramenti concedi ſolent ad obſervantiam totius Legis Chriſtianæ, & ad rite ſuſcipienda reliqua Sacramenta, quod certe videtur inconveniens, & ſuavitati divinæ providentiæ repugnans; ergo dicendum eſt, quod Baptiſmus ficte ſuſceptus, amoto obice, reviviſcat. Ita cum D. Thoma, Cajetanus, Nugnus, Joan. a S. Thoma, Gonet, Suarez, Lugus, Amicus, Arriaga, & alii, quos affert, & ſequitur Madernus *quæſt. 3. art.* 10. Bonacina *qu. 6. punct. 3.* Ant. a Spiritu S. *de Baptiſmo diſp. 4. ſect. 5.* Leander *tract. 2. diſp. 6. qu. 13.*

32. Dices: opus mortuum, & in peccato factum, non poteſt reviviſcere; ſed ſuſceptio Baptiſmi cum fictione eſt opus peccaminoſum, & mortuum; ergo non poteſt reviviſcere. Item Sacramentum, antequam ſuſcipiatur, non poteſt cauſare gratiam, quia non exiſtit; ſed etiam quando tranſactum eſt, non amplius exiſtit; ergo nec etiam tunc poteſt cauſare gratiam, & reviviſcere.

Reſp. opus peccaminoſum, & mortuum utique non reviviſcere; at Sacramentum non eſt opus mortuum, nec peccaminoſum, ſed in ſe eſt ſanctum, eſt vivum, quamvis cum obice, & peccato recipiatur, quo proinde ablato poterit reviviſcere, & cauſare gratiam. Sacramentum, antequam ſuſcipiatur, nullo modo exiſtit nec phyſice, nec moraliter, ideo nullo modo cauſare poteſt; illo vero phyſice tranſacto, adhuc exiſtit moraliter in divina acceptatione, & ideo poterit moraliter cauſare gratiam.

33. Reſp. 2. ad tollendam fictionem, & obicem Baptiſmi, ſufficit attritio ſupernaturalis, ſi illa fictio fuit inculpabilis, ſi vero fuit culpabilis, requiritur contritio, vel attritio cum Sacramento Pœnitentiæ. Tunc fictio dicitur inculpabilis, quando quis bona fide accedit ad Baptiſmum, putans ſe eſſe diſpoſitum per ſufficientem attritionem, & fidem: tunc dicitur culpabilis, quando mala fide accedit, ſciens ſe non habere diſpoſitionem, immo habere complacentiam alicujus peccati mortalis. Ratio eſt, quia fictio inculpabilis eſt mera carentia diſpoſitionis, & attritionis, hujuſmodi autem carentia tollitur per poſitione talis diſpoſitionis. Quare qui recepit Baptiſmum inculpabiliter ſine attritione peccati præcedentis, nec poſt illum peccavit poſtea mortaliter, ſufficit, ut ponat attritionem, ad hoc ut Sacramentum reviviſcat, & producat gratiam: immo ſi Adultus acceſſit ad Baptiſmum ſine peccato actuali, cum ſolo originali, nec in illo requiritur attritio, ſed ſufficit actus fidei ſupernaturalis, & voluntas recipiendi Baptiſmum, quia illa ſola defuit.

34. Si vero fictio fuit culpabilis, quatenus quis peccavit in ipſa receptione Sacramenti, aut ſi poſt illud ſuſceptum peccatum aliquod mortale commiſit, tunc fictio, & obex tolli non poteſt niſi per contritionem, aut per attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ. Ratio eſt, quia in tali caſu peccatum eſt aliquo modo poſterius, & ſubſequens ad Baptiſmum, ac proinde non poteſt deleri per Baptiſmum ex Trident. *ſeſſ. 7. can. 20. & ſeſſ. 14. cap. 2.* ſed tolli debet per Pœnitentiam, ideſt per contritionem, aut per attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ, ut docent D. Thomas *qu. 69. art.* 10. Vaſquez *diſp. 160. cap. 2.* Suarez *diſp. 27. ſect. 4.* Pilliuc. *cap. 5. n.* 114. Madernus *qu. 3. art.* 12, Bonacina *punct. 3.* & alii communiter.

35. Quæres: *Quantam gratiam producant Sacramenta dum reviviſcunt: an nimirum producant gratiam ſemper æqualem, vel inæqualem juxta præſentem diſpoſitionem Subjecti, ac menſuram actus, per quem removetur obex?* Conferre ſemper æqualem affirmant Suarez *diſp. 28. ſect. 4.* & Coninch. *qu. 62. art. 1. dub. 6.* & quidem minimam, quæ dari ſolet per Baptiſmum, cujuſmodi eſt illa, quæ datur infantibus, dum ſine diſpoſitione baptizantur, ſequitur Madernus *art.* 13. E contra vero, conferre gratiam inæqualem juxta inæqualitatem diſpoſitionis Subjecti, tenent Vaſquez *diſp. 159. cap. 5.* Lugus *diſp. 9. n. 70.*

36. Reſp. ablato obice, Sacramentum antea indigne ſuſceptum confert majorem, vel minorem gratiam juxta menſuram perfectionis actus, quo removetur obex, ac proinde fructuoſius reviviſcit Baptiſmus per contritionem, quam per attritionem. Ratio eſt, quia Sacramentum agit intenſius, majoremque producit gratiam, quando Subjectum meliores habet diſpoſitiones, ut dicebamus ſupra *cap. 3. dub. 5.* ſed actus melior, removens obicem in Subjecto, eſt diſpoſitio, ad hoc ut Sacramentum cauſet gratiam; nam Baptiſmus, qui ex defectu diſpoſitionis fructuoſus non fuit, incipit eſſe fructuoſus, & cauſare gratiam, quando ponitur actus removens obicem; ergo ille actus eſt diſpoſitio ad Baptiſmum ut validum, illumque indifferentem ad producendam majorem, vel minorem gratiam determinat, ut gratiam tantam producat pro menſura ſuæ diſpoſitionis. Nec eſt major ratio, cur Sacramentum, ſi primo valide conferatur, producat gratiam juxta menſuram diſpoſitionis, non ſic ut reviviſcens: actus enim ille, quamvis reſpectu obicis ſe habeat mere ut removens, in ordine tamen ad Baptiſmum ut validum eſt diſpoſitio, ſicuti calor removet formam ligni, & cauſat formam ignis; ergo Sacramentum reviviſcens majorem cauſat gratiam, quando melior eſt diſpoſitio, & perfectior actus, quo removetur obex.

37. Dices: diſpoſitio auferens obicem ſubſequitur actualem ſuſceptionem Sacramenti, & ſic non poteſt conducere ad majorem, vel minorem productionem gratiæ: in tantum enim diſpoſitio major in actuali ſuſceptione Sacramenti conducit ad majorem gratiam, in quantum diſponit ad melius ſuſcipiendum Sacramentum; ſed diſpoſitio ſubſequens ad Sacramenti ſuſceptionem non poteſt conducere ad melius ſuſcipiendum Sacramentum; ergo nec poteſt conducere ad majorem gratiam.

Reſp. diſpoſitionem in Suſcipiente non dari ad ſuſcipiendum Sacramentum, ſecus ſine tali diſpoſitione Sacramentum non poneretur, ſicuti nulla forma ponitur ſine ſua diſpoſitione, ſed dari ad effectum Sacramenti: cum autem diſpoſitio removens obicem antecedat effectum Sacramenti, bene poteſt melior hujuſmodi diſpoſitio conducere ad majorem gratiam, majoremque effectum.

DUBIUM VI.

An alia Sacramenta reviviſcant?

38. Diſcrepant Doctores circa reviviſcentiam aliorum Sacramentorum: an nimirum & ipſa ficte ſuſcepta, remoto obice, reviviſcant, & cauſent gratiam ex opere operatu, ſicut diximus de Baptiſmo. Vaſquez cum Soto *in 4. diſt. 6. qu. 1. art.* 8. id concedit ſoli Baptiſmo. Durandus *diſt. 4. quæſt.* 8. id concedit Baptiſmo, & Pœnitentiæ, quia hæc duo Sacramenta ordinantur ad remittenda peccata mortalia, tanquam media neceſſaria in re, vel in voto. Alii plures cum Ricardo, & Sylvio, concedunt ſolum Sacramentis characterizantibus: Paludanus addit Pœnitentiam: Suarez, Coninch, Lugus, Gonetus, excipiunt ſolam Euchariſtiam. Alii denique extendunt etiam ad Euchariſtiam, adeo ut Sacramenta omnia vim habeant cauſandi gratiam recedente fictione. Sic Cajetanus, Petrus Soto, Nugnus, Joan. a S. Thoma, Serra, Candidus, & Philippus a S. Trinitate; quos affert, & ſequitur Madernus *qu. 3. art.* 11. ſequitur Diana *part. 3. tract. 4. reſol.* 15. quia hæc ſententia multum extollit, & amplificat dignitatem Sacramentorum. Res, ut vides, incerta eſt, nec poteſt aliquid certum definiri, ut etiam fatetur Madernus *num.* 3. ac proinde liberum eſt unicuique opinari, & eligere ſententiam, quam maluerit.

39. Exiſtimo omnia Sacramenta reviviſcere, ac remoto obice cauſare gratiam. Et quidem de Sacramento Confirmationis, & Ordinis, cum imprimant Characterem, nec poſſint iterari, militat eadem ratio, ac de Baptiſmo, ne forte cum fictione Confirmatus, & Ordinatus, in æternum privetur gratia Sacramentali, & ſpecialibus auxiliis, quæ intuitu

tuitu Sacramenti concedi ſolent ad digne, & recte obeunda munera propria illius Sacramenti, ob quam rationem congruum fuit, ne Chriſtus Dominus gratiam baptiſmalem denegaret homini bene diſpoſito, & ſic congruum eſt, ut illam non neget cum fictione Confirmatis, & Ordinatis, quando, remoto obice, ſunt bene diſpoſiti.

40. Eadem ratio valet etiam de Matrimonio, & Extrema Unctione male ſuſcepta, quia licet hæc Sacramenta non imprimant Characterem, nec ſint ſimpliciter initerabilia, ſunt tamen aliqualiter initerabilia, illud in eodem Conjugio, iſta in eadem ægritudine, ac proinde, ſi durante eadem infirmitate, ac eodem Conjugio removeatur obex, credendum eſt illa reviviſcere, & cauſare gratiam, ne infirmos, & Conjugatus perpetuo priventur illorum effectibus. Dixi, ſi durante eadem infirmitate, & Conjugio removeatur obex; nam ſi removeretur recuperata jam ſanitate, ſeu diſſoluto Conjugio, ceſſat ratio, cur debeant reviviſcere, cum jam pro tunc non ſint neceſſaria auxilia illorum Sacramentorum: pro nova autem infirmitate, & Matrimonio, iteratur Sacramentum, intuitu cujus, nova conceduntur auxilia. Ita etiam docent Coninch. *diſp.* 5. *num.* 77. Layman *lib.* 5. *tract.* 1. *cap.* 7. & Palaus *de Sacram. in gen. p.* 9.

41. Circa Sacramentum Pœnitentiæ, plures negant illud poſſe dari validum, & informe; quia idem dolor, qui requiritur ut diſpoſitio ad effectum Sacramenti, requiritur etiam ut pars eſſentialis ad valorem. Juxta hanc ſententiam certum eſt, Sacramentum Pœnitentiæ non poſſe reviviſcere, cum, ſtante fictione, fuerit nullum, & invalidum: poſito autem quod dari poſſit Sacramentum illud validum, & informe, de quo ſuo loco videbimus, probabilius exiſtimo, recedente fictione, illud reviviſcere, ac effectum habere, non quia imprimat Characterem, & non poſſit iterari, ſed quia eſt medium neceſſarium ad remittenda peccata actualia, ſicut Baptiſmus eſt medium neceſſarium ad remittendum peccatum originale. Nam peccata actualia in illa confeſſione informi manifeſtata debent directe tolli per Sacramentum Pœnitentiæ; at ſi remoto impedimento hoc non reviviſceret, & cauſaret effectum, non tollerentur directe per Sacramentum Pœnitentiæ; non enim tollererentur per confeſſionem informem, quæ ſupponitur non reviviſcere, & cauſare effectum, non per confeſſionem ſubſequentem, quia nulla eſt obligatio iterum ſubjiciendi clavibus peccata ſemel rite confeſſa; ergo non tollerentur directe per Sacramentum. Cum autem peccatum quodlibet debeat directe tolli per aliquod Sacramentum, dicendum eſt Pœnitentiam non minus, quam Baptiſmum reviviſcere, & cauſare effectum, remiſſionem ſcilicet peccatorum, quæ in illa confeſſione informi fuerunt manifeſtata.

42. Conf. auctoritate D. Thomæ *in* 4. *diſt.* 17. *qu.* 3. *art.* 4. ubi, poſtquam docuit poſse dari Sacramentum Pœnitentiæ validum, ſed informe, ſubjungit: *& quamvis tunc non percipiat abſolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipit, ſicut etiam eſt in aliis Sacramentis*, per quas ultimas particulas innuit non ſolum Sacramentum Pœnitentiæ, ſed etiam cætera alia reviviſcere, & producere ſuum effectum remoto impedimento. Ita Palaus ſupra *num.* 7. & Averſa *de Pœnit. qu.* 14. *ſect.* 7. ubi addit, confeſſionem etiam venialium, quæ fuit informis, producere ſuum effectum ſuccedente diſpoſitione, quia licet de illis non urgeat dicta ratio neceſſitatis, tamen ob generalem vim, & legem Sacramenti, & quia illa poſsunt per contritionem remitti abſque eo quod iterum manifeſtentur, congruum eſt hoc affirmare.

43. Reſtat difficultas de Sacramento Euchariſtiæ, in quo non videtur neceſsaria efficacia reviviſcentiæ, cum poſſit ad libitum iterari, & gratia per obicem prioris ſuſceptionis impedita, per novam Sacramenti ſuſceptionem compenſari, quod non contingit in aliis Sacramentis, quorum effectus nullatenus haberi poterit, niſi cum obice ſuſcepta, ablato obice reviviſcant, cum aut ſimpliciter, aut ſecundum quid non poſſint iterari. Probabile eſt Euchariſtiam reviviſcere, & producere effectum, ſi tollatur impedimentum, durantibus adhuc in ſtomaco ſpeciebus: quia ſicut illis durantibus poteſt ſemper augeri gratia, ſi augeatur diſpoſitio; ita poterit gratia produci, ſi tollatur impedimentum. Corruptis ſpeciebus nulla eſt ratio, cur debeat reviviſcere, & gratiam producere, cum poſſit ita facile iterari; nec de illa militat eadem ratio, ac de reliquis Sacramentis, quæ aut ſimpliciter, aut ſecundum quid ſunt initerabilia, quod maxime verum eſt, quando ſumptio Euchariſtiæ fuit peccaminoſa, & ſacrilega, cum dicat Apoſtolus, indigne ſumentes judicium ſibi manducare, quod abſolute non verificaretur, ſi recedente fictione ad vitam prodeſset. Adde, quod abſurdum videtur, quod Sacerdos, qui per totam vitam ſacrilege celebravit, aut communicavit, debeat, recedente fictione, recipere totam gratiam correſpondentem illis ſacrilegis communionibus per totam vitam factis, ut optime ponderant Madernus illo *art.* 11. *num.* 7. & Averſa *quæſt.* 7. *de Euchar. ſect.* 1. ubi abſolute docet, conſumptis ſpeciebus, Euchariſtiam non amplius gratiam producere, nec reviviſcere recedente fictione poſt ſpecierum conſumptionem.

CAPUT VII.

De Sacramentalibus.

DUBIUM UNICUM

Quid & Quot ſint Sacramentalia?

POſt conſiderationem de Sacramentis in communi, non incongruum erit perpauca delibare de Sacramentalibus, quæ debitæ Sacramentorum adminiſtrioni maxime deſerviunt; ſunt enim Sacramentalia Cæremoniæ Sacræ ab Eccleſia inſtitutæ, ad honorem, & ornatum Sacramentorum, & ex hac ordinatione ad Sacramenta, Sacramentalia ſunt denominata. Solet ipſorum numerus hoc verſiculo explicari?

Orans, Tinctus, Edens, Confeſſus, Dans, Benedicens.

ORans, ſignificat orationem Dominicam. *Tinctus*, aquam luſtralem. *Edens*, panem benedictum. *Confeſſus*, Confeſſionem generalem. *Dans*, dationem, ſeu largitionem Eleemoſynæ. *Benedicens*, benedictionem Epiſcopalem. Ad hæc ſex Sacramentalium genera Doctores omnia Sacramentalia reducunt; puta ad primum genus reducunt orationem factam in Eccleſia conſecrata, & tunſionem pectoris: ad ſecundum reducunt Unctionem in Regem, aliamve omnem Sacram unctionem, & ablutionem, excepta Extrema Unctione, & ablutione Baptiſmali, quæ non ſunt Sacramentalia, ſed vera Sacramenta: ad tertium reducunt eſum cujuſcumque cibi ſolemniter benedicti; ad ultimum reducunt omnes benedictiones, & Conſecrationes Eccleſiæ, Campanarum, Calicum, & Sacrarum Veſtium.

2. Hujuſmodi Sacramentalia ſunt ab Eccleſia inſtituta ad honorem, & ornatum Sacramentorum, quia vel proxime, vel remote conducunt, ut Sacramenta majori honore, & reverentia tractentur, ut de Sacramentorum dignitate, & myſteriis ſub ipſis contentis altius homines ſentiant, & ex tali cæremoniarum apparatu excitetur animus ad majorem intelligentiam, & reverentiam myſteriorum fidei. Sicut autem Eccleſia Sacramentalia inſtituit, ita & Sacramentalium Miniſtros deſignat, ut aliqua quidem ſimplex Sacerdos; aliqua ſolus Epiſcopus, & aliqua ſolus Summus Pontifex exerceat; talis eſt Cæremonia Sacramentalis conſecrandi Cereos Dei Agnos. Ultra hoc quod eſt conducere ad honorem, & ornatum Sacramentorum, habent etiam hæc Sacramentalia alias utilitates, puta Dæmones expellere & cohibere, bonos motus excitare, aliqua bona temporalia obtinere.

3. Habent etiam hujuſmodi Sacramentalia, peccata venialia remittere, ut eſt in confeſſo apud omnes Fideles, & patet ex communi uſu, & traditione Eccleſiæ, necnon ex communi ſententia Doctorum apud Suarez *diſp.* 12. *ſect.* 2. Dubium tamen eſt: *quomodo talia peccata remittant; an ex opere operato, vel ſolum ex opere operantis?* Communis, & vera reſponſio eſt, illa ſolum remittere ex opere operantis, quia non conſtat Eccleſiam habere poteſtatem inſtituendi ſigna externa ſenſibilia, quæ ex vi ſuæ inſtitutionis, ſeu ex opere operato virtutem habeant delendi peccata venialia, quæ regulariter deleri non ſolent ſine infuſione gratiæ, quam conferre non poſſunt ſigna ab Eccleſia inſtituta. Delent ergo peccata ſolum ex opere operantis, quatenus excitant in nobis pium aliquem motum voluntatis, quo hujuſmodi peccata remittuntur: & ita tenent Alenſis, Durandus, Bonavent. Riccard. & alii, quos ſequitur Suarez ſupra *num.* 4. ita etiam Filliuc. *tract.* 6. *cap.* 5. *num.* 130. quamvis primam ſententiam putet probabilem.

4. Dices: hoc modo non ſolum Sacramentalia, ſed plura alia, peccata venialia delerent, quia plura ſunt, quæ vim habent excitandi pios motus voluntatis; nimirum lectio librorum ſpiritualium, aut contemplatio Imaginis Crucifixi poſſunt pios hujuſmodi motus excitare, & tamen non dicuntur peccata venialia delere.

Reſp. hoc ſpecialiter tribui Sacramentalibus, non ſolum quia ex genere ſuo, & modo quo fiunt, ſolent adjunctum habere dolorem peccatorum, ut eſt Confeſſio generalis, & tunſio pectoris, aut vim habent impetrandi remiſſionem peccatorum, ut ſunt opera Miſericordiæ, de quibus dicitur Luc. 11. *date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis*; ſed etiam, & præcipue, quia ſpecialem vim habent impetrandi divinum auxilium ex orationibus Eccleſiæ, quæ applicantur ad hunc finem per ſpecialem benedictionem, & inde vim habent moralem applicandi intercesſionem Eccleſiæ, ut nobis conferantur auxilia excitantia amorem, & contritionem, ſeu alios pios motus, per quos venialia delentur, quæ cum non reperiantur in aliis rebus, non dicuntur habere hunc effectum, ut optime notant Filliuc. *tract.* 4. *de Sacram. Pœnit. cap.* 5. *num.* 130. Bonacina *diſp.* 5. *de Pœnit. qu.* 6. *punct.* 2. & alii apud ipſum.

TRA-

TRACTATUS SECUNDUS
DE SACRAMENTO BAPTISMI.

POſt conſiderationem Sacramentorum jam hactenus habitam in communi; ſequitur nunc ut illa ipſa, qua fieri poterit brevitate & diligentia conſideremus etiam in particulari, abſque ulla alia mora incipientes ab eo, quod inter cætera Sacramenta primum tenet locum, ſcilicet a Sacramento Baptiſmi, qui communiter janua dicitur omnium Sacramentorum, per quam unice ingreditur quicumque fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti ſuſcipiens, Sacramentorum ipſorum particeps fieri deſiderat.

CAPUT I.

De Quidditate & neceſſitate Baptiſmi.

DUBIUM I.

Quid, & quotuplex ſit Baptiſmus,

1. ETiamſi in rigore unus ſit Baptiſmus juxta illud Pauli ad Ephef. 4. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma*: tamen minus proprie, & metaphorice triplex Baptiſmus a Doctoribus aſſignatur, nimirum Fluminis, Flaminis, & Sanguinis. Baptiſmus Fluminis eſt, quo communiter baptizantur Fideles per aquam, Baptiſmus Flaminis eſt Pœnitentia, ſeu dolor peccati ob Dei amorem, cum propoſito, & voluntate recipiendi Baptiſmum, & de hoc dicitur Lucæ 3. *Prædicans Baptiſmum Pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*. Unde habeat locum in ſolis Adultis habentibus uſum rationis, & nondum baptizatis; tunc enim hujuſmodi contritio, quæ includit Baptiſmum in voto, aut adjunctam habet expreſſam voluntatem illum recipiendi, delet omnem culpam, & aliquando etiam omnem pœnam, ſi ſit ingens, & valde intenſa: Baptiſmus Sanguinis eſt Martyrium, quo quis proprii ſanguinis effuſione baptizatur, & ſic dicitur, quia ſupplet vicem Baptiſmi, dando gratiam remiſſivam peccati, quando quis rapèretur ad Martyrium, antequam poſſet baptizari.

2. Solus Baptiſmus Fluminis, a Chriſto Domino inſtitutus, eſt verum Sacramentum, ſolus imprimit Characterem, ſolus gratiam confert ex opere operato. Baptiſmus Flaminis, & Sanguinis improprie tantum, & metaphorice dicuntur tales, quia ſupplent vicem Baptiſmi, ut habetur in cap. *Baptiſmi vicem, de conſecrat. diſt.* 4. unde nec imprimunt Characterem, nec ſunt Sacramentum, nec gratiam conferunt active ex opere operato, ſed contritio illam confert ex opere operantis, & martyrium ex privilegio Chriſti tantum, non active, ſicut Sacramenta Novæ [Le]gis, ſed in opere operato, quia Deus ad præſentiam illius cauſat gratiam, ſicut cauſabat gratiam in infantibus ſuſcipientibus circumciſionem, ut poſtea dicam. Ita tenent Doctores communiter, Candid. *diſqu.* 16. *art.* 1. *dub.* 4. *&* 5. Henriq. *l.* 2. *c.* 1. Navar. *cap.* 22. Leander *diſp.* 1. *qu.* 1.

3. In præſenti ſolum loquimur de Baptiſmo Fluminis, qui habet diverſa omnia; dicitur enim *Baptiſmus*, quæ vox græce idem eſt quod latine *Ablutio*, ſeu immerſio in aquam, & olim fieri ſolebat per immerſionem corporis in aquam, ad ſignificandam Chriſti ſepulturam, juxta illud Apoſt. ad Coloſſ. 2. *Conſepulti eſt per Baptiſmum*. Dicitur *Lavacrum regenerationis*, quia per illud denuo renaſcimur, & regeneramur, juxta illud Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*. Dicitur *Sigillum*, ſeu *Signaculum*, quia per impreſſionem Characteris ſignamur tanquam Oves ſpectantes ad Ovile, & dominium Chriſti. Alias denominationes habet apud Filliuc., Layman, & Salmat. in Curſu morali *c.* 1. *de Baptiſmo*. His præmiſſis, ut explicemus eſſentiam, & quidditatem Baptiſmi,

4. Reſp. Baptiſmum poſſe dupliciter definiri: primo phyſice per materiam, & formam ad inſtar compoſiti phyſici, & hoc modo, Baptiſmus *eſt exterior corporis ablutio facta ſub præſcripta verborum forma*, & innuitur Baptiſmum eſſe compoſitum quoddam veluti phyſicum, conſtans ex ablutione externa tanquam ex materia proximâ, & ex verbis tanquam ex forma, & videtur deſumpta ex Apoſt. ad Epheſ. 2. dicente: *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*: ubi ſecundum communem intelligentiam Doctorum fit ſermo de Baptiſmo, & dicitur eſſe *lavacrum aquæ*, ideſt ablutionem externam corporis, *in verbo vitæ*, ideſt ſub præſcripta verborum forma. Secundo definiri poteſt metaphyſice per genus, & differentiam hoc modo; *Sacramentum regenerationis per lavacrum aquæ in verbo vitæ*: ubi *Sacramentum* ponitur loco generis: reliqua vero diſtinguunt Baptiſmum ab aliis Sacramentis, tum Antiquæ, tum Novæ Legis; ab illis quidem, quia non habebant ex ſe vim regenerandi, ab iſtis, quia non regenerant per lavacrum aquæ in verbo vitæ. Utraque definitio eſt communis; prima habetur ex D. Thoma *q.* 66. *art.* 1. ſecunda affertur a Catechiſmo Romano *tit. de Baptiſmo n.* 5.

5. Quæres: *An Baptiſmus Joannis fuerit verum Sacramentum ejuſdem virtutis cum Baptiſmo Chriſti?*

Reſp. Baptiſmum Joannis fuiſſe diverſum a Baptiſmo Chriſti, nec eamdem habuiſſe virtutem, ut definitum eſt a Trident. *ſeſſ.* 7. *can.* 1. *Si quis dixerit Baptiſmum Joannis eamdem vim habuiſſe cum Baptiſmo Chriſti; anathema ſit*. Baptiſmus Joannis non erat verum Sacramentum, nec gratiam conferebat, ſed figura quædam Baptiſmi Chriſti, & diſpoſitio ad illum, ut habet D. Bonavent. *in* 4. *diſt.* 2. ſolum corpora abluebat, non animam ſanctificabat, juxta illud Matthæi 3. *Ego baptizo vos aqua, ille baptizabit vos Spiritu Sancto*.

DUBIUM II.

Quandonam fuerit inſtitutum hoc Sacramentum?

6. CErtum eſt Baptiſmum fuiſſe inſtitutum a Chriſto Domino, ſicut alia Sacramenta, ut habetur ex Tridentin. *ſeſſ.* 7. *can.* 1. *de Sacrament. in genere, & can.* 1. *de Baptiſmo*. Quo autem tempore fuerit inſtitutum non eſt ita certum, aſſerentibus nonnullis hoc Sacramentum fuiſſe inſtitutum poſt mortem, & paſſionem Chriſti, quando Matth. ult. dixit: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Sic Rupert. *lib.* 4. *in Joan.* in illa verba Joan. cap. 3. *Venit Jeſus in terram Judæam*. Albert. *in* 4. *diſt.* 3. *art.* 3. Alenſ. *q.* 12. *membr.* 3. *art.* 1. ante quando Chriſtus dixit Nicodemo Joan. 1. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*. Sic Valentia, & alii.

7. Reſp. Sacramentum Baptiſmi fuiſſe inſtitutum ante mortem, & paſſionem, quando Chriſtus in Jordane a Joanne baptizatus eſt. Ratio eſt, quia Chriſtus, poſtquam fuit baptizatus a Joanne, prædicabat, & baptizabat per ſe ipſum, & per ſuos Apoſtolos, ut habetur Joan. 3. *Poſt hæc, venit Jeſus & diſcipuli ejus in Judæam, & ibi demorabatur cum eis, & baptizabat*, quod etiam habetur *cap.* 4. Hoc autem non poteſt intelligi, quod Chriſtus baptizaret Baptiſmo Joannis, ſed Baptiſmo a ſe inſtituto, cum de illo dicatur Joann. 1. *Ipſe eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto*, ſicut etiam Baptiſmo proprio baptizavit eumdem Joannem. Deinde quia ante mortem, & paſſionem Chriſti fuerunt Apoſtoli ordinati Sacerdotes, & receperunt Sacramentum Euchariſtiæ, quod eſt ſignum ipſos fuiſſe baptizatos Baptiſmo Chriſti, qui eſt janua omnium Sacramentorum. Nec dici poteſt fuiſſe in Apoſtolis diſpenſatum, quia talis diſpenſatio non debet aſſeri ſine aliquô fundamento, quod nullum eſt.

8. Fuit ergo inſtitutus Baptiſmus, quando in Jordane a Joanne baptizatus eſt Chriſtus; tunc enim tactu ſuæ mundiſſimæ carnis aquas deſignavit pro materia Baptiſmi, eas conſecrando, & virtutem ſanctificandi tribuendo, non quod impreſſerit illis aliquam qualitatem activam, ſed quia illas deputavit ad uſum, & effectum Baptiſmi. Deſignavit etiam formam non verbo, ſed facto, quia in illo Baptiſmo tota Trinitas viſibiliter apparuit: Filius, quia baptizabatur a Joanne, Pater; quia teſtimonium de illo dedit, & Spiritus Sanctus in ſpecie Columbæ apparuit. Et ita tenent communiter Doctores cum D. Th. *q.* 66. *ar.* 2. Salm. *in curſu morali tr.* 2. *c.* 1. *n.* 33. Filliuc. *c.* 1. *tr.* 2. *n.* 8. Suarez *diſp.* 19. *ſect.* 1. ubi affert in comprobationem teſtimonia Patrum. Bonaccina *diſp.* 2. *qu.* 2. *punct.* 1. *n.* 2. Candid. *diſq.* 16. *art.* 1. *dub.* 1. Leander *quæſt.* 5. Palaus *punct.* 2.

9. Quan.

9. Quando autem Matth. ult. Chriſtus dixit Apoſtolis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, Baptiſmum non inſtituit, ſed præceptum dedit Apoſtolis prædicandi, & baptizandi, & obligationem, ac neceſſitatem induxit omnibus hominibus recipiendi Baptiſmum. Quando Joan. 3. Chriſtus dixit Nicodemo *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto*, Baptiſmum non inſtituit, ſed ejus neceſſitatem expreſſit, ut patet conſideranti.

10. Dices primo: cauſa debet præcedere effectum, ſed Baptiſmum habet efficaciam a paſſione Chriſti; ergo ante illam non fuit inſtitutus, quia D. Paulus Rom. 6. ait: *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus*; ergo mors Chriſti debuit præcedere Baptiſmum.

Reſp. Baptiſmum habere efficaciam a paſſione Chriſti prævila, & ad id acceptata, vel etiam a paſſione Chriſti jam inchoata, quatenus tota vita Chriſti fuit continuum ſacrificium, quod fuit conſummatum in Cruce. In morte Chriſti baptizati ſumus, quia Baptiſmus habuit perfectam, & completam ſignificationem poſt mortem, & paſſionem Chriſti, poſtquam Cælum fuit apertum, & datum Apoſtolis præceptum prædicandi, & baptizandi, & omnibus hominibus præceptum ſumendi Baptiſmum, & hoc modo omnia Sacramenta dicuntur fluxiſſe a latere Chriſti in Cruce pendentis, quoad perfectam, & conſummatam ſignificationem, & obligationem illa ſumendi.

11. Dices 2. Per Baptiſmum Chriſti confertur Spiritus Sanctus; at hic non fuit datus ante mortem, & paſſionem Chriſti, ut patet ex illo Joan. 7. *Nondum Spiritus erat datus, quia Jeſu nondum erat glorificatus*, ideſt nondum erat mortuus, & reſuſcitatus; ergo ante mortem non fuit Baptiſmum inſtitutus.

Reſp. ante Chriſti mortem, & paſſionem Spiritum Sanctum non fuiſſe datum modo, & forma viſibili, nec cum illa abundantia, qua datus fuit Apoſtolis in die Pentecoſtes, fuiſſe tamen datum inviſibiter; nam de facto Magdalenæ fuit datus per gratiam remiſſivam peccati, ſicut etiam fuit inſtituta Euchariſtia conferens gratiam, & inde potuit etiam inſtitui Baptiſmus conferens gratiam.

DUBIUM III.

An, & quomodo Baptiſmus ſit neceſſarius ad ſalutem?

12. RESp. 1. Baptiſmum in re, vel in voto eſſe ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem neceſſitate medii. Sic colligitur ex illo Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*: & ita definitur in Trid. *ſeſſ. 7. can.* 5. illis verbis: *Si quis dixerit Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt non neceſſarium ad ſalutem; anathema ſit*. Et *ſeſſ. 6. c. 4.* habetur quod *Translatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ in ſtatum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per ſecundum Adam Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum poſt Evangelium promulgatum, ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non poteſt, ſicut ſcriptum eſt: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in Regnum Dei*. Ratio eſt, quia illud dicitur neceſſarium neceſſitate medii, ſine quo ſalus haberi non poteſt, ut dictum eſt *tr. præc. c. 2. dub. 5.*; ſed ſine Baptiſmo in re, vel in voto ſalus haberi non poteſt; ergo Baptiſmus in re, vel in voto eſt neceſſarius ad ſalutem neceſſitate medii. Sic tenent Sancti Patres, & Doctores communiter, ut videre eſt apud Bellarm. *t. 3. lib. de Baptiſmo, cap. 5.* Suarium *diſp. 27.* & Bonaccinam *punct. 2. num. 3.*

13. Dixi *vel in re, vel in voto*, ad innuendum, poſſe Adultum juſtificari & ſalvari ſine Baptiſmo in re ſuſcepto, quando defectu Miniſtri, aut materiæ, vel alterius eſſentialiter requiſiti; non poteſt haberi; tunc enim juſtificari poteſt per actum contritionis & amoris, in quo implicite includitur votum Baptiſmi, vel etiam cum voluntate explicita illum recipiendi ſimul cum actu amoris, ſeu contritionis, in quo differt Adultus a Parvulis, qui cum ſint incapaces eliciendi aliquem actum proprium, non poſſunt juſtificari per Baptiſmum in voto, ſed per ſolum Baptiſmum in re acceptum, quo deficiente, non poſſunt ſalutem conſequi. Excipe caſum martyrii, quando ſcilicet infans ante ſuſceptum Baptiſmum aquæ in odium Fidei, & Chriſti occiditur; tunc enim ſalvatur per Baptiſmum Sanguinis, ut conſtat exemplo Sanctorum Innocentium. Eadem ratione ſalvatur, ſi in viſceribus ſuæ matris occidatur pro Chriſto, ut cum Suarez, Vaſquez, & aliis tenet Ant. a Spiritu S. *de Baptiſmo diſp. 1. ſect. 2. n. 8.*

14. Reſp. 2. Baptiſmum in re ſuſceptum eſſe neceſſarium neceſſitate præcepti divini obligantis omnes Adultos. Ratio eſt, quia quod eſt neceſſarium ad ſalutem neceſſitate medii, eſt etiam neceſſarium neceſſitate præcepti, cum unuſquiſque teneatur ſub præcepto divino adhibere media neceſſaria ad ſalutem; ſed Baptiſmus ex dictis eſt neceſſarius neceſſitate medii; ergo etiam eſt neceſſarius neceſſitate præcepti. Inde licet quis poſſit ſibi conſulere per contritionem continentem Baptiſmum in voto, tamen ſi negligant illum in re ſuſcipere, ſi poteſt, peccat mortaliter contra præceptum divinum ſuſcipiendi Baptiſmum; quod quidem præceptum obligat omnes Adultos; cum pro omnibus Sacramenta ſint inſtituta, & univerſaliter dicatur Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit*; & Matth. 28. *Euntes in Mundum docete omnes gentes, baptizantes eos*. Et ita tenent Doctores communiter.

15. Quæres: *Quandonam obliget præceptum divinum ſuſcipiendi Baptiſmum?*

Reſp. Adultos obligari ad recipiendum Baptiſmum quam primum, moraliter loquendo, commode poſſunt. Ratio eſt, quia præceptum Baptiſmi obligat aliquando; ſed hæc obligatio non debet reſtringi ad ſolum articulum mortis, cum non poſſit quis uſque ad illud tempus manere ſeparatus a Chriſto, ab Eccleſia, & ab uſu Sacramentorum, & cum periculo damnationis æternæ; ergo dicendum eſt obligare, cum quis ſufficienter inſtructus in rebus fidei poteſt Baptiſmum commode recipere. Conf. quia unuſquiſque tenetur credere in Chriſtum ſtatim ac fides eſt illi ſufficienter propoſita; ergo etiam tenetur fidem profiteri per externum ſignum; ergo etiam recipere Baptiſmum, in quo fit profeſſio Chriſtianæ Fidei, & Religionis. Ita Fill. *c. 6. n.* 131 Bon. *q. 2. p. 2.* Suar. *diſp. 31. ſect.* 2. Reginal. *l. 27. n.* 36. Diana *p. 9. tract. 6. reſol.* 2. Leander *diſp. 1. q.* 12.

16. Quandonam præciſe obliget, ſeu quanto tempore differri poſſit, relinquitur arbitrio prudentum; poſſunt enim tales occurrere circumſtantiæ, ut licite Baptiſmus differi poſſit etiam ad longum tempus, & hac de cauſa Diana *l. c.* & Salm. *c. 5. punct. 2. n.* 16. excuſant ſanctum Ambroſium, & ſanctum Martinum, qui Baptiſmum non ſtatim receperunt; excuſant etiam alii plures, qui olim uſque ad finem vitæ Baptiſmum diſtulerunt, quia vel ex rationabili cauſa id fecerunt, vel ex ignorantia invicibili, vel probabili a dicta obligatione excuſati ſunt.

17. Pueri ante uſum rationis non obligantur directe ad obſervantiam ipſius præcepti, cum ſint præceptorum incapaces, obligantur tamen Parentes, Domeſtici, & Tutores, & qui eorum curam gerunt, curare, ut cito baptizentur, & peccant mortaliter ſi diu differant: & quidem in periculo mortis manifeſta eſt obligatio, non ſolum ex charitate, & pietate, ſed etiam ex lege Baptiſmi, quæ lex obligat etiam extra tale periculum ne diu differant Baptiſmum puerorum ſine neceſſitate, & rationabili cauſa, & rationem affert Catechiſmus Rom. p. 2. de Bapt. n. 28. dicens: *Nam cum pueris infantibus nulla alia ſalutis comparandæ ratio, niſi Baptiſmum præbeatur, relicta, ſit, facile intelligitur, quam gravi culpa illi ſeſe obſtringant, qui eos Sacramenti gratia diutius, quam neceſſitas poſtulat, carere patiuntur, cum præſertim propter ætatis imbecillitatem infinita pene pericula illis impendant*. Quod ſi Parentes, & Tutores in hoc negligentes ſint, tenentur Paſtores ex officio ipſorum negligentiam corrigere, ut docent Suar. *diſp. 31. ſect.* 1. Paulus *punct. 8. n. 4.* Leander *diſp. 1. q. 13. & 14.* Bonacina, & alii.

„ *Vide Notific. poſitam numero X. lib. 5. in qua ſic legi-*
„ *tur*: Quod autem differatur Pueris Baptiſmus, & poſt
„ multos dies ad Eccleſiam noſtram Metropolitanam bapti-
„ zandi dicantur, illud quidem adnotamus, quod Eugenius
„ IV. Pont. Max. in ſua Bulla XXIII. §. 13. Tom. 1. Bullar.
„ Rom. ait: *Quamprimum commode fieri poteſt &c.: Quod*
„ *optime conveniunt cum iis, quæ & ab Auct. noſtro hoc loco, &*
„ *in eadem Notific. producuntur ex Catechiſmo potiſſimum*
„ *decerpta*: nam cum pueris &c *Ideo nonnullis interjectis*
„ *ſic in Notific. ipſa legitur*: quapropter nihil in hoc inno-
„ vando Parentes monemus, ut qua fieri poterit celeritate
„ Natos ſuos ad Eccleſiam mittant, ut ſanctus eis mini-
„ ſtretur Baptiſmus, & ne unquam nonam diem excedant
„ ſub pœna *excommunicationis*, quam in ſua Synodo Card.
„ Boncompagnus tulit; hortaturque præterea Parochos ne
„ opportunis admonitionibus hac in re populum ſinant im-
„ buere ſemel ſaltem in anno, cum ſacras præſertim ad
„ Altare Inſtitutiones de more ſuſcipiunt.

18. Quænam autem dicenda ſint diuturna dilatio, ſufficiens ad peccatum mortale, judicandum relinquitur arbitrio prudentis, qui omnibus conſideratis hoc judicare debet. Leander *qu.* 14. dicit, Parentes peccare mortaliter, ſi Baptiſmum differant ſine neceſſitate uſque ad decimum vel duodecimum diem. Idem docet Diana *part. 9. tr. 6. reſol.* 1. ex Valentia, Soto, & Granado, quia conſuetudo Eccleſiæ eſt baptizandi octavo die, ultra quem dilatio duorum, vel trium dierum non videtur gravis. Palaus *tom. 4. tract. 19. diſp. unica punct. 9. n. 4.* apud Leand. *l. c.* ait: *crederem, ſecluſa gravi cauſa, ultra menſem a nativitate diuturnam eſſe dilationem, quia eſt dilatio contra communem praxim, & periculo ſcandali ſatis expoſita: ſtante vero cauſa gravi, qualis forte eſt, ut Baptiſmus majori cum ſolemnitate fiat, permitti poteſt dilatio ultra menſem unum, ſed non duos, adhibita tamen ſpeciali diligentia, ne parvulo periculum contingat decedendi ſine Baptiſmo.*

„ *Sequitur hic tandem Notific. hiſce fere verbis*: De-
„ prehendimus etiam variam eſſe Eccleſiarum diſciplinam
„ in ſtatuendo temporis ſpatio, quo infantes ad Baptiſmum
„ ſuſcipiendum deferri debent. Romæ tempus fuit reſtri-
„ ctum intra dies tres per edictum promulgatum an. 1723.
„ Idipſum in Gallia ſervatur inſtitutum, ut videre eſt apud
„ Genet. tom. 3. Theol. Moral. pag. 78. Diem nonum in
„ ſuis Mediolanenſibus Conciliis S. Carolus Borromeus con-

„ ſtituit, eamque ſententiam plures aliæ Synodi ſequuntur, quas Clericatus, cum de Sacramento Baptiſmi deciſ. 23. enumerat: & digniſſimus Anteceſſor noſter Cardin. Jacobus Boncompagnus ita in ſua Synodo ſanxit: *Nefas ſit ultra nonum diem Baptiſmum infantibus conferre, memores, Excommunicationis pœna parentes effici, ſi terminum nonæ diei præterierint.*

„ Deprehendimus tandem hanc inductam eſſe conſuetudinem nonam diem non excedendi, cum priſtina deſiit diſciplina non conferendi Baptiſmum, quando aliter neceſſitas non poſtularet, niſi in celebritatibus Paſchatis, ac Pentecoſtes, ut optime advertit eruditus Vicecomes in ſuo tractatu de Ritib. Bapt. c. 23. in fine: *Sane, ex quo ea tempora mutari Sanctis Patribus eſt viſum, omnes in id toto pectore incubuerunt, ut nati infantes in Eccleſiam quamprimum, aut omnino ante nonam diem ad Baptiſmum deferrantur.*

„ Hic autem nonus dies non ſtatuitur ita, ut Baptiſmi Sacramentum infantibus ante id tempus adminiſtrari nequeat. Immo id exequi ſemper conducit quamprimum fieri poteſt ob maxima pericula, quæ vitæ infantium impendent, ſed nonus dies præſcribitur ne Baptiſmus magis protrahatur. Equidem anno 252. celebratum fuit in Africa Concilium, in quo Epiſcopus nomine Fidus petiit, utrum Baptiſmus pro expiandis ab originalis labe infantibus ante octavum diem conferendus eſſet, cum in Veteri Lege ob eamdem cauſam die ſolum octava Circumciſio indiceretur: quamvis autem eo penderet ſententia Epiſcopi, ut octava ſolummodo die Baptiſmus infantibus adminiſtraretur, Patres tamen contra ipſius ſententiam ita ſtatuerunt, ut videre eſt in Epiſt. 59. ad eumd. Epiſcopum inter eas S. Cypriani: *quantum vero ad cauſam infantium pertinet quos dixiſti intra ſecundum, vel tertium diem, quo nati ſunt conſtitutos baptizari non oportere, & conſiderandam eſſe legem Circumciſionis antiquæ, ut intra octavum diem eum, qui natus eſt, baptizandum, & ſanctificandum non putares, longe aliud in Concilio noſtro omnibus viſum eſt. In hoc enim quod tu putabas eſſe faciendum nemo conſenſit, ſed univerſi potius judicavimus, nulli homini nato miſericordiam Dei, & gratiam denegandam.*

„ Cardinalis Thomas de Tournon pietate, atque conſtantia celeberrimus, Commiſſarius, ac Viſitator Apoſtolicus, cum poteſtate Legati *a Latere* in Indiis Orientalibus, Sinenſi Imperio, Inſuliſque adjacentibus, ut ſacræ expeditiones Madureenſes, aliæque finitima recte adminiſtrarentur, hoc Decretum die 12. Junii an. 1074. in lucem edidit: *& quia audivimus Baptiſmum infantium ex Chriſtianis parentibus ortorum, eorumdem incuria ſæpe ſæpius diu protrahi, non ſine maximo dictorum infantium ſalutis diſcrimine, monemus Evangelicos operarios, ut, ſacrorum Canonum memores, terminum breviorem, quam fieri poſſit, attentis circumſtantiis genitoribus præfigant, graviter conſcientiam eorum onerantes, niſi filios intra præfixum tempus ad Eccleſiam deferant ſacro fonte abluendos.*

„ Plures ſane huic decreto adverſati ſunt aſſerentes diem certum ad Baptiſmum Infantibus conferendum inſtitui nequaquam poſſe. Illud tamen Pater Lucinus S. Officii Commiſſarius Generalis, multiplici, ſolidaque eruditione defendit in ſuo Opere Romæ impreſſo an. 1728. cap. 7. pag. 112. *& ſeqq.* idemque Decretum Benedictus XIII. an. 1727. & Clemens XII. an. 1734. auctoritate ſua confirmarunt.

19. Quæres 2. *Quandonam cœperit obligatio ſuſcipiendi Baptiſmum?*

Reſp. non fuiſſe neceſſarium Baptiſmum ante Chriſti mortem, quia tunc durabat adhuc Lex Vetus, ad cujus obſervantiam tenebantur homines, nec ſtatim poſt Chriſti mortem, ſed ſolum cœpiſſe illius obligationem poſt ſufficientem Evangelii promulgationem factam ab Apoſtolis, ut colligitur ex Trid. *ſeſſ. 6. c. 4.* dicente, poſt Evangelium promulgatum neminem juſtificari ſine Baptiſmo. Et ratio eſt, quia lex non obligat niſi poſt ſufficientem promulgationem; ſed lex præcipiens Baptiſmum non fuit promulgata ſtatim poſt Chriſti mortem; & ſic obligatio Baptiſmi non cœpit ſtatim poſt Chriſti mortem. Quandonam autem facta fuerit hujuſmodi promulgatio? Aliqui dicunt factam fuiſſe in die Pentecoſtes, quo tempore Apoſtoli prædicaverunt variis linguis omni Nationi Judæorum, qui erant in Jeruſalem: & ita tenent Bellarm. *de Baptiſ. c. 5.* Filliuc. *c. 6. n.* 128. Coninchus *qu. 68. art. 2. dub.* 2. Alii vero cum Leandro *diſp. 1. de Baptiſm. q. 9.* tenent completam hujus præcepti promulgationem factam fuiſſe anno 40. elapſo poſt paſſionem Chriſti, quando deſtructa Civitate Jeruſalem a Tito & Veſpaſiano Apoſtoli diſperſi erant in omnem terram, & Evangelium ubique prædicaverunt. Nam poſt Pentecoſtem Paulus circumciſit Timothæum, & Petrus ſervavit legalia *Actor.* 10. quod eſt ſignum in die Pentecoſtes non fuiſſe ſufficienter promulgatum Evangelium. Utramque Sententiam probabilem putat Bonac. *diſp. 2. qu. 2. punct. 2. n.* 13. ubi notat, quod ignorantes legem Baptiſmi poſt paſſionem Chriſti, antequam Evangelium univerſo Mundo prædicaretur, poterant, & debebant adhibere Circumciſionem, ſeu remedium Naturæ, quia nullum aliud datur remedium pro remiſſione Originalis, & tunc illos non obligabat lex Baptiſmi defectu ſufficientis promulgationis; ergo poterant, & debebant adhibere Circumciſionem, vel remedium Naturæ, cujus præceptum pro illis nondum erat abrogatum, nec aliud remedium erat ſubſtitutum.

20. Nec dicas Legem Veterem ceſſaſſe in Morte Chriſti, ac proinde poſt illam non potuiſſe adhiberi Circumciſionem, ſeu remedium Naturæ. Nam verum eſt illam ceſſaſſe in morte Chriſti reſpectu illorum, quibus Nova Lex fuit promulgata, non vero reſpectu illorum, qui Novam Legem adhuc ignorabant, apud quos ceſſavit poſt ſufficientem Novæ Legis promulgationem, prout docent D. Thomas *q. 66. art. 2. ad 3.* Medina 1. 2. *q.* 103. *ar. 3. ad finem*, & alii Doctores communiter. Ex quo inferunt nonnulli, quod invincibiliter ignorantes promulgationem Evangelii non ſolum per aliquod tempus poſt mortem Chriſti, ſed etiam hodie, poſſe mundari ab Originali per Circumciſionem, aut remedium Legis Naturæ, & etiam poſſe ſalvari, dummodo ſervent Legem Naturalem, quia videtur congruere ſummæ Dei miſericordiæ, ut iſtis ſupernaturale lumen, & auxilium infundat, quo valeant ſeſe in Deum ſuum Creatorem convertere, ut æternam ſalutem conſequi valeant, ut docet Divus Thom. 2. 2. *qu.* 10. *art.* 4. Verum probabilius eſt hodie neminem ſalvari poſſe ſine Baptiſmo in re, vel in voto, quia poſt generalem Evangelii promulgationem non reſtat aliud remedium pro Originali præter Baptiſmum in re, vel in voto. Qui ignorando Legem Evangelii, obſervaret Legem Naturalem, illuminaretur a Deo, juxta doctrinam D. Thomæ, ita ut poſſet ſalvari; ſed hoc non contingeret ſine Baptiſmo in re, vel in voto, ut cum Vega, Ledeſma, & aliis, docet Leander *tr. 2. diſp. 1. q.* 19. & ſumitur ex Trid. *Seſſ. 6. c.* 4. dicente: *Juſtificat. a peccatis, poſt Evangelium promulgatum ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto, fieri non poſſe.*

C A P U T II.

De Materia & Forma Baptiſmi,

D U B I U M I.

Quænam ſit Materia remota Baptiſmi.

De fide eſt, aquam naturalem eſſe Materiam remotam Baptiſmi; ſic enim definitum eſt in Concil. Lateran. relato in cap. *Firmiter de ſumma Trinit.* & in Concil. Florent. *in decreto Eugenii*, ubi de Sacramento Baptiſmi dicitur: *Materia hujus Sacramenti eſt aqua vera & naturalis*, & in Trident. *ſeſſ. 7. can.* 2. & colligitur aperte ex illo Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, quæ verba de Sacramento Baptiſmi per aquam naturalem conferendo intelligenda eſſe declaravit Trident. *loco citat.* Sumitur etiam ex aliis Scripturæ locis, ut ad Eph. 4. *mundans lavacro aquæ*. Actor. 8. *venerunt ad aquam*. Sic etiam conſtat ex communi, uſu, & traditione Eccleſiæ, & communi Doctorum conſenſu. Ratio a priori nulla alia poteſt aſſignari, quam voluntas Chriſti Sacramenta inſtituentis: congruentias plures aſſignat D. Thom. 3. *p. q. 66. art.* 3. quarum duæ ſunt præcipuæ; prima, quia cum Baptiſmus ſit omnibus neceſſarius ad ſalutem neceſſitate medii, debuit inſtitui in re communiſſima, quæ facile ab omnibus haberi poſſet; altera, quia cum per aquam abluantur corporis maculæ, valde conveniens Symbolum eſt ad repræſentandam ablutionem peccatorum, quæ fit per Baptiſmum, quo mundantur homines a peccato.

2. Nomine aquæ naturalis intelligitur illa, quæ eſt elementaris, & ſimplex, ſive deinde ſit aqua Maris, Fluvii, Paludis, Putei, Fontis, & Balnei etiam ſulphurei; & ſufficit ad Baptiſmum, quamvis ſit calida, frigida, turbida, colorata, pluvioſa, vel ex glacie, nive, ſeu grandine expreſſa. Sufficit etiam ros, pruina non concreta, aqua collecta ex vaporibus denſatis, & quæ in tegumento ollæ reperitur, quæ hyemali tempore ex parietibus, & lapidibus fluit, quia hujuſmodi vere ſunt aqua naturalis; unde qui illis uteretur, valide baptizaret in quocumque caſu, niſi quod extra caſum neceſſitatis peccaret mortaliter, qui cum poſſet habere aquam meliorem, mundam, & puram, acciperet deteriorem, impuram, & alteratam, quia faceret contra reverentiam debitam Sacramento. Aqua, quæ exivit de latere Chriſti, cum juxta Sanctos Patres fuerit vera aqua, eſt etiam ſufficiens ad Baptiſmum: ita Leander *diſp. 2. q. 1. 6. 10. &* 11. Salm. in curſu morali ſeu Franc. a Jeſu Maria *tr. 2. c. 2. punct.* 1. Filliuc. *tr. 2. c.* 2. Bonacina *qu. 3. punct.* 3. Gaſpar Hurtado *diſp. 2. diff.* Diana *part. 3. tract. 3. reſol.* 5. Candidus *diſquiſit. 16. art. 2. dub.* 1. & alii communiter.

3. E contra vero non ſunt Materia Baptiſmi aquæ artificiales, quamvis aquæ nomen retineant, ut aqua ardens, aqua roſacea, aqua florum, herbarum, quæ diſtillat ex vite, vel aliqua arbore, quia non ſunt aqua elementaris,

ſed

ſed ſunt mixta quædam ſubſtantialiter diverſa ab aqua. Multo minus ſunt materia apta Vinum, Oleum; Lac, Cerufia, quia non ſunt aqua. Similiter non ſufficiunt Saliva, Urina, Sudor Lacrymæ, quia non ſunt aqua, ſed excrementa, ab aqua naturali ſubſtantialiter diverſa, ut cum aliis docet Leander *locis cit.*

4. Lixivium non admodum cineribus imbutum, brodeum carnium non admodum ſpiſſum, ſi parum ſucci carnium habeat admixtum, aqua ſulphurea, aqua expreſſa a luto, aqua reſoluta ex ſale, ſunt materia dubia, quia incertum eſt, an ſervent naturalem ſpeciem, & uſum communem aquæ; unde qui illis uteretur extra caſum neceſſitatis peccaret utique lethaliter, quia redderet Baptiſmum dubium. At in caſu extremæ neceſſitatis, quando deficeret alia aqua, & puer eſſet proxime moriturus, adhiberi poſſe materiam dubiam ſub conditione, docent communiter Doctores apud Boſſium *Varior. morali p.* 1. *tit.* 1 *n.* 356. quia nulla irreverentia irrogatur Sacramento, ſi proxime alioquin morituro per medium dubium ſuccurratur, quando non poteſt haberi medium certum, & Charitas in tali circumſtantia obligat, ut adhibeatur omne medium, quo forte poſſit eidem puero ſuccurri; fieri enim poteſt, ut ſit vera materia, & conſequenter fiat verus Baptiſmus, & puer æternam ſalutem conſequatur. Verum tamen eſt, quod ſi puer convaleſcat, deberet iterum ſub conditione baptizari aqua vera, & certa, cum adſit juſta cauſa repetendi Baptiſmum ſub conditione, cum primus potuerit eſſe invalidus. Ita Boſſius *ſupra*, Lugus *diſp.* 8. *ſect.* 9. *num.* 140. Bonacina *q.* 2. *punct.* 3. *num.* 11. Diana *part.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 1. & 2. & alii communiter apud ipſos.

5. Refert Diana *eadem reſol.* 2. plures aſſerentes in extrema neceſſitate, deficiente aqua naturali, poſſe Baptiſmum conferri ſub conditione cum aqua roſacea, vel ex aliis herbis, ſeu floribus expreſſa, quia non eſt certum illam differre ſubſtantialiter ab aqua naturali, cum aqua maximam habere videtur affinitatem. Contrarium tamen tenendum eſt, cum nulla aqua, vel ſuccus ex herbis, aut floribus expreſſus, ſit ſubſtantialiter aqua, ſed ſuccus eſſentialiter differens ab aqua naturali, & per conſequens ſufficiens ad Baptiſmum, ut docent Leander *diſp.* 2. *q.* 15. Homobonus *in conſult. caſuum conſcient. tom.* 2. *reſp.* 3. alii quamplures apud Dianam *reſol.* 2. Multo minus inſtante etiam neceſſitate poteſt quis baptizari cum ſaliva, ſudore, & hujuſmodi humoribus excrementitiis, cum hoc ſit expreſſe prohibitum in cap. *penult.* de Baptiſmo, & tenent omnes Doctores.

D U B I U M II.

Quænam ſit Materia proxima Baptiſmi?

6. RESp. Materiam proximam Baptiſmi eſſe ablutionem ex aqua elementari. Colligitur ex Apoſtol. ad Epheſ. 5. *Mundans lavacro aquæ* & Matth. ult. *Baptizantes eos*. Ratio eſt, quia Sacramenta, quæ conſiſtunt in uſu, habent pro materia proxima uſum materiæ remotæ, ſeu actionem ſignificatam per formam; ſed ablutio eſt actio determinata, & ſignificata per formam Baptiſmi: *Ego baptizo*, quod latine eſt idem, ac *abluo*, ſeu *lavo*; & ſic ablutio eſt materia proxima Baptiſmi, ut cum D. Thoma *q.* 66. *artic.* 1. tenent communiter Doctores.

7. Hæc ablutio in eo conſiſtit, ut aqua phyſice applicetur corpori illius, qui baptizatur, & phyſice illud tangat contactu ſucceſſivo; non enim aqua poteſt abluere, niſi corpus ſucceſſive tangat, quouſque enim continetur in vaſe non dicitur corpus abluere, niſi per illud diffundatur, quæ diffuſio importat contactum ſucceſſivum, quo vel aqua corpori, vel corpus aquæ ſucceſſive applicetur. Hinc glacies, & grando, quamvis non differant ſubſtantialiter ab aqua, non ſunt materia ſufficiens ad Baptiſmum, niſi liqueſiant, quia aliter non poſſunt habere ſucceſſivum fluxum ad corpus abluendum. Ita Suarez *diſp.* 20. *ſect.* 2. Reginal. *lib.* 27. *num.* 14. Bonacina *diſput.* 2. *q.* 2. *punct.* 3. *num.* 13. Coninch. *q.* 66. *art.* 4. *dub.* 1. *num.* 23. & *dub.* 2. *numer.* 29. Quidquid dicat Leander, qui *diſp.* 2. *q.* 7. tenet nivem, & glaciem poſſe ſufficere ad Baptiſmum, quod ſolum verum eſt, ſi per contractum corporis reſolvantur, & diffluant. Affert Diana *tom.* 5. *tract.* 2. *reſol.* 3. nonnullos aſſerentes in extrema neceſſitate licitum eſſe uti aqua, quamvis notabiliter permixta, immo & dubia, ut nive ſeu glace nondum reſoluta, ſub hac conditione, ſive exterius, ſive mentaliter tantum appoſita, nempe: *ſi materia hæc eſt idonea*, quia extrema neceſſitas excuſat irreverentiam, quæ alias fieret Sacramento, ut diximus ſupra.

8. Tribus modis fieri poteſt ablutio, ſcilicet per *infuſionem* infundendo, & applicando aquam corpori, per *aſperſionem*, & per *immerſionem* immergendo corpus in aquam: quolibet ex his modis fiat ablutio, eſt ſufficiens ad validitatem Baptiſmi, ut docet Catechiſmus Pii V. cap. *de Sacramento Baptiſmi*, & traditur in Rituali Romano §. de forma Baptiſmi his verbis: *Baptiſmus, licet fieri poſſit, aut per infuſionem aquæ, aut per immerſionem, aut per aſperſionem, primus tamen, & ſecundus modus, qui magis ſunt in uſu pro Eccleſiarum conſuetudine, retineatur, ut trina ablutione caput baptizandi perfundatur, aut immergatur*, & ita tenent Doctores communiter. Qui tamen advertunt Miniſtrum ſolemniter, ſeu ex officio baptizantem, debere ſervare conſuetudinem ſuæ Eccleſiæ, ſub peccato ſaltem veniali, niſi rationabilis aliqua cauſa, ſeu honeſtas aliter perſuadeat, ut contingeret, ſi Adultus eſſet baptizandus, vel non adeſſet ſufficiens aquæ copia; tunc enim licite fieri poſſet Baptiſmus per infuſionem, quamvis ſecundum conſuetudinem illius Eccleſiæ debuiſſet fieri per immerſionem. Valide etiam confertur ſive per unam, ſive per trinam immerſionem, ut conſtat ex reſponſionem D. Gregorii Papæ relata in Conc. Toletano 4. *c.* 3. qui conſultus a Leandro ſuper quorumdam Hiſpanorum conſuetudine baptizandi aliquando una, aliquando trina immerſione, reſpondit, utrumque baptizandi modum retineri poſſe. Quod ſi D. Thomas dicit, non valere Baptiſmum, niſi poſt tertiam immerſionem, hoc eſt, quia non perficitur communiter prolatio verborum, niſi cum tertia ablutione; & licet fuerit olim in Eccleſia præceptum de trina immerſione, jam per contrariam Eccleſiæ conſuetudinem abrogatum eſt. Similiter dicas non eſſe neceſſariam trinam, ſed ſufficere unicam infuſionem ad validitatem Baptiſmi per infuſionem collati. Coninch. *q.* 66. *art* 8. Layman *l.* 5. *tr.* 2. *c.* 3. Palaus *diſp. unica de Baptiſmo punct.* 4. *num.* 2. Bonacina *p.* 3. *num.* 17.

9. Quæres; *An validus ſit Baptiſmus factus ea immerſione, qua ſuffocatur Infans, ut ſi quis Infantem proiiciat in flumen, & puteum, & proferat Formam animo baptizandi.*

Prima Sententia negat hujuſmodi Baptiſmum eſſe validum, quia talis projectio non eſt ablutio, ſed ſuffocatio, & ſic ſufficiens ad Baptiſmum, qui eſt ablutio hominis vivi, non occiſi. Secundo, quia immerſio debet dicere relationem ad emerſionem, ut non ſolum denotetur mors, ſed etiam reſurrectio Chriſti; ſed in dato caſu non ſuccedit emerſio; ergo non fit immerſio ſufficiens ad Baptiſmum. Ita Scotus *in* 4. *dict.* 3. *q.* 3. Sylveſter verbo *Baptiſmus* 4. *num.* 8. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 9. Tabiena verb. *Baptiſmus* 5. *num.* 7. Armilla *num.* 29.

10. Secunda Sententia probabilior tenet, Baptiſmum eſſe validum, ſi materia ſimul cum forma finiatur, antequam Infans moriatur, quia in eo caſu adſunt omnia neceſſaria ad validitatem Baptiſmi, quia adeſt ablutio Infantis, adeſt forma, & intentio Baptizantis. Nec obſtant rationes in contrarium adductæ; non prima, quia talis actio per ſe, & ex intentione Baptizantis, non eſt ſuffocatio, ſed ablutio ordinata ad vitam ſpiritualem Infantis, licet per accidens mors naturalis ſequatur; & cum ablutio aliquo tempore præcedat ſuffocationem, erit ablutio hominis vivi, non occiſi. Ad 2. dico Baptiſmum ſignificare mortem, & reſurrectionem Chriſti, per hoc quod Baptizatus moriatur peccato, & Chriſto vivat per gratiam, quod fieri poteſt per ſolam immerſionem ſine emerſione. Sic Suarez *diſp.* 20. *ſect.* 3. Bonacina *diſp.* 2. *q.* 2. *punct.* 4. *nu.* 27. Layman *cap.* 3. *de Baptiſmo n.* 5. Palaus *punct.* 4. *n.* 10. Leander *q.* 28. Fran. a Jeſu M. in curſu morali Salmat. *cap.* 2. *p.* 2. *dub.* 4.

Quæres 2. *An ſit aliquando licitum tali modo conferre Baptiſmum: ſi nimirum Puer certo moriturus aliter baptizari non poſſit ob deſſicientiam aquæ?*

11. Reſp. negative, quia non ſunt facienda mala, ut eveniant bona, & quiſque tenetur magis vitare peccatum mortale in ſe ipſo, quam quærere ſalutem proximi, nam ordinata charitas magis eſt ad ſe ipſum; talis autem projectio eſt intrinſece mala, cum per ſe, & directe tendat ad occiſionem innocentis, quæ cum ſit jure naturæ, & divino, prohibita, nec etiam pro conſequenda ſalute ſpirituali pueri, poteſt a peccato excuſari, unde qui totaliter Infantem in puteum, ſeu flumen proiiceret, peccaret mortaliter, & incurreret irregularitatem. Ita Suarez *qu.* 68. *art.* 11. Diana *p.* 10. *tr.* 16. *reſol.* 20. Palaus *punct.* 4. *n.* 12. Bonac. *punct.* 3. *nu.* 26. Salmat. *p.* 2. *num.* 35. qui bene inferunt non eſſe ſecandam Matrem alias proxime morituram, ut Infanti in utero illius exiſtenti miniſtrari poſſit Baptiſmus, quia nemini licet homicidium facere propter bonum; quod inde conſequi poſſit.

12. Facilius permitti, & miniſtrari poteſt, ac debet Baptiſmus, etiamſi Infanti, probabiliter alioquin morituro, timeatur acceleratio mortis ex infuſione aquæ etiam modicæ; quamvis enim caſus videatur mortaliter impoſſibilis, ſi cautio adhibeatur, ut aqua ſit modica, & tepefacta, tamen ſi daretur caſus, Baptiſmus deberet miniſtrari, quia ſolum per accidens ſequitur acceleratio mortis ex aquæ infuſione, quæ per ſe, & directe ad abluendum tendit, non ad occidendum, ut notavit Suarez *diſp.* 20. *ſect.* 3. & ſic conſulendum Puero, ut æternam ſalutem conſequi poſſit, & valeat.

Quæres 3. *An valeat Baptiſmus, quando quis aquæ defluenti e tecto, aut alio loco ſubmittit puerum abluendum, & verba Baptiſmi profert?*

13. Reſp. Affirmative, quia in tali caſu vere, formaliter, & materialiter puer denominatur ablutus a ſubmittente, & proferente verba Baptiſmi, ſicut denominatur a proiicien-

ciente in flumen: ut enim quis dicatur ablutus, ſufficit, ut aqua corpori applicetur; ita Bonacina *num.* 28. Diana *loco ſupra cit.*

14. An vero ſimiliter valeat Baptiſmus, quando quis, videns puerum labentem, aut ab alio projectum in flumen, profert verba Baptiſmi, affirmat Leander *q.* 30. Nam ſi puer e manibus Baptizantis forte elapſus, eſſet, & tunc ipſe Baptizans proferat verba Baptiſmi, vere efficeret validum Sacramentum; ergo etiam Baptizans in dato caſu. Secundo quia formaliter tunc verificarentur verba Baptiſmi, licet materialiter ab ipſo Baptizante non eſſet puer ablutus: ſed melius negat Diana *p.* 1e. *tract.* 16. *reſol.* 20. quia ablutio, quæ eſt materia proxima Baptiſmi, conſiſtere debet in actione Miniſtri, & ab eo procedere, ut conſtat ex verbis formæ *ego te baptizo*, quæ ſignificant actionem procedentem a Miniſtro, & ab eo exercitam. At quando puer labitur, aut ab alio projicitur in flumen, talis projectio non procedit a Miniſtro, nec eſt ejus actio, ut per ſe patet; ergo talis puer non poteſt dici baptizatus, ſeu ablutus a Miniſtro proferente verba.

D U B I U M III.

Quænam pars Corporis ſit neceſſario abluenda ad valorem Baptiſmi?

15. CErtum eſt non requiri ad validitatem Baptiſmi, ut totum corpus abluatur, cum hoc ſit contra praxim, & conſuetudinem Eccleſiæ; requiritur tamen, & ſufficit ablutio talis partis, per quam poſſit homo vere, & ſimpliciter denominari ablutus: unde per omnes validus eſt Baptiſmus, ſi caput hominis abluatur, cum ſit pars præcipua corporis, in qua ſenſus omnes tam interni, quam externi radicantur, & in praxi debet ſemper Baptiſmus conferri per ablutionem capitis, ut tenet Univerſalis conſuetudo Eccleſiæ, quam graviter obligare docent Salmat. ſeu Franc. a Jeſu Maria in curſu Morali *punct.* 3 *n.* 28. Inde non eſſet rebaptizandus Infans poſtquam fuit perfecte natus, ſi, antequam totus egrederetur e ventre, propter aliquod periculum, fuit in capite baptizatus.

16. Certum inſuper eſt non valere Baptiſmum, ſi veſtes tantummodo abluantur, non corpus, quia veſtes non ſunt pars corporis; valeret tamen, ſi Baptizandus eſſet coopertus aliquo panno lineo, ita ut aqua attingat carnes, quia tunc dici poteſt quis ſufficienter ablutus, ut docent Henriq. Vallentis, Filliuc., Hurtad., Candid., Bonacina, Palaus, quos affert, & ſequitur Leander *diſp.* 2. *q.* 23. Difficultas tota reducitur ad alias partes corporis, pectus, brachium, pedem, digitum, & capillos, an nimirum valeat Baptiſmus in illis partibus collatus, in quo diſcrepant Doctores. Ut autem diſtincte procedamus:

17. Quæres 1. *an valeat Baptiſmus, ſi Infans in pelle ſecundina, qua involutus naſcitur, baptizetur?*

Prima Sententia affirmat, quia pellis illa ſecundina, dum corpori adheret, cenſetur eſſe pars hominis, & veluti cutis ejus, ac proinde ſufficiens, ut ejus lotione, homo lotus eſſe dicatur: ita Vaſquez, Coninch, Layman, quos affert, & ſequitur Caſtro Palao, *punct.* 4. *num.* 8. Sylveſter verbo *Baptiſmus* 4. *num.* 2. Armilla *num.* 38. Reginald. *lib.* 27. *num.* 16. Ochagavia, & alii apud Dianam *p.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 4.

18. Secunda Sententia negat validum eſſe Baptiſmum, niſi forte illa pellis ſecundina ita eſſet poroſa, ut aqua illam penetrare poſſet, & ad carnem Infantis pervenire. Ratio eſt, quia pellis illa non eſt pars pueri, ſed veluti indumentum, ſeu tegumentum, in quo continetur, unde niſi ita ſit poroſa, ut per eam aqua penetrare poſſit ad carnem, non erit validus Baptiſmus, ad quem neceſſario requiritur, ut abluatur aliqua pars corporis: in extrema tamen neceſſitate poterit ſub conditione Baptiſmus conferri, quia nulla committitur irreverentia erga Sacramentum, ſi puero alioquin perituro conſulatur per medium probabile, quamvis incertum, cum melius ſit puero tale medium adhibere, quod forte poterit prodeſſe, quam nullum. Si tamen puer evaderet periculum, eſſet ſub conditione rebaptizandus, ne illius ſalus magno periculo exponatur, ſi forte prior Baptiſmus fuerit invalidus, Ita Præpoſit. 3 *p. q.* 66. *art.* 8. *dub.* 3. *n.* 90. apud Dianam *loc. cit.* Leander *q.* 22. Layman *cap.* 3. *n.* 3. Franc. a Jeſu M. in curſu morali *cap.* 2. *punct.* 3. Hurtad. Granado, Cabrera, & alii apud Dianam.

19. Quæres 2. *An ſufficiat ad validitatem Baptiſmi, ſi aqua ſolum Capillos abluat?*

Communis Sententia negat, quia Capilli non ſunt pars hominis, ſed quædam ſuperfluitas, & excrementum carens anima rationali, & ſic, illis aſperſis, non poteſt homo denominari ablutus: idem valet de unguibus. Ita Bonac. *n.* 21.

20. Contraria Sententia valde probabilis affirmat, quia licet Capilli non vivant anima rationali, ſpectant tamen ad ornatum hominis, ſuntque pars illi conjuncta, unde illis ablutis homo ſimpliciter dicatur ablutus. Ita Filliuc. *tract.* 2. *c.* 2. *n.* 32 Vaſquez *diſp.* 145. *n.* 31. Tolet. *lib* 2. *c.* 18. Leander *q.* 24. quia tamen Sententia oppoſita, eſt & ipſa probabilis, ideo ablutus ſolum ſecundum Capillos deberet iterum ſub conditione rebaptizari propter rationem ſuperius allatam; & in praxi maxime curandum eſt a Miniſtro Baptiſmi, ut aqua pertingat ad carnem, ne ſe exponat periculo faciendi Sacramentum invalidum.

21. Quæres 3. *An valeat Baptiſmus, ſi ſolum pes, aut digitus, vel alia minima pars Infantis fuerit abluta?*

Alii affirmant, non ſolum quia anima rationalis tota eſt in qualibet minima parte corporis, ſed etiam quia per ablutionem cujuſcumque partis etiam minimæ, ut digiti, homo denominatur ſimpliciter ablutus, ſicut dicitur vulneratus in quacumque parte vulneretur.

22. Alii negant, quia juxta communem modum loquendi non dicitur quis ablutus, ex eo quod digitus tantum abluatur: certe quo in minori parte Baptiſmus confertur, eo magis dubius evadit; ſi confertur in pectore, ſcapulis, aut brachio, materia videtur ſatis certa; ſi vero in pede, aut digito, magis dubia. In caſu neceſſitatis debet Baptiſmus conferri ſub conditione, in brachio, pede, digito, vel alia quacumque parte apparente extra uterum, ſed ſi poſtea puer vivus egrederetur, deberet iterum ſub conditione baptizari propter rationem ſuperius allatam; fieri enim poteſt, ut Baptiſmus in tali parte collatus non ſit validus, & ſic damnum graviſſimum eveniret puero. Quapropter D. Thomas 3. *p. q.* 68. *art.* 11. *ad* 4 ait: *ſi puer propter periculum baptizetur in capite, non eſt iterum baptizandus ſub conditione: ſi vero in quacumque alia parte baptizetur, erit iterum ſub conditione baptizandus.* Cum D. Thoma tenent Boſſius *varior. moral par.* 1. *tit.* 1. *n.* 300. Salmat. in curſu morali *cap.* 2. *punct.* 3. Leander *q.* 26. Bonacina *qu.* 2. *p.* 3. *n.* 23. & alii apud ipſos.

23. Quæres 4. *Quænam quantitas aquæ requiratur, & ſufficiat ad baptizandum?*

Omnes conveniunt ad validitatem Baptiſmi illam quantitatem aquæ requiri, & ſufficere, quæ poteſt contingere corpus, & ſucceſſive fluere per partem corporis, quod quia facere poteſt exigua quantitas aquæ, inferunt nonnulli unam, aut duas guttas aquæ ſufficere ad Baptiſmum, quia per aſperſionem unius, aut duarum guttarum aquæ, maxime ſi per corpus fluant, vere denominatur homo ablutus & tinctus aqua, & per conſequens validum fuiſſe Baptiſmum, quem contulit quædam Mulier moribundo Infanti, baptizando illum ſigno Crucis impreſſo in fronte digito aqua madefacto, ut refert Paulus Comitolus *in reſponſ. moral. lib.* 7. *q.* 18. quem ſequitur Filliuc. *cap.* 2. *nu.* 34. Leander *diſp.* 2. *q.* 3. & 4. nec diſſentit Diana *p.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 5.

24. Alii e contra unam, aut duas guttas aquæ corpus tangentes cenſent eſſe inſufficientes ad valorem Baptiſmi, quia ſecundum communem & uſitatum modum loquendi, qui una, aut duabus guttis aquæ ſolum aſpergeretur, non poſſet dici lotus, nec proinde baptizatus. Ita Bonac. *q.* 2. *p.* 3. *n.* 18. Caſtro Palao *tract.* 19. *punct.* 4. *n.* 5. Reginald. *lib.* 27. *c.* 3. *n.* 15. Layman *cap.* 3. *de Baptiſmo n.* 1. Suarez *diſp.* 20. *ſect.* 2. *§. quare.* Tempore mortis, deficiente alia quantitate aquæ, poſſe Baptiſmum miniſtrari cum una gutta refert, alios adducens, Diana *p.* 5. *tract.* 3. *reſ.* 5. quia ex opinione probabili in tali adminiſtratione Sacramenti nulla ei fit injuria, & moribundo datur remedium eo modo, quo dari poteſt, ut ſæpius dictum eſt ſupra.

D U B I U M IV.

De Forma Baptiſmi.

25. FOrma Baptiſmi, qua utitur Eccleſia Latina, eſt hæc: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen*, ut patet ex Concil. Florent. in Decreto Eugenii: & Trident. *ſeſſ.* 7. *can.* 4. *de Baptiſmo.* Ratio a priori eſt voluntas Chriſti, inſtituentis Sacramenta nobis manifeſtata Matt. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, & ex traditione Eccleſiæ. Congruentia eſt, quia Baptiſmus eſt janua Sacramentorum, & introitus in Eccleſiam Chriſti, & ſic congruum fuit, ut in ejus ſuſceptione fieret expreſſa Fidei Chriſtianæ profeſſio, per invocationem Dei Unius & Trini, cum hoc ſit primarium objectum Fidei Evangelicæ, nec non cauſa principaliter efficiens regenerationem ſpiritualem, ut notavit S. Thomas *q.* 66. *art.* 5.

26. In hac Forma quatuor poſſunt conſiderari, nimirum perſona Miniſtri conferentis Baptiſmum, perſona quæ baptizatur, actus baptizandi, & invocatio expreſſa Sanctiſſimæ Trinitatis, de quibus omnibus dubitari poteſt, an ſingulorum expreſſio ſit ita neceſſaria, ut per omiſſionem cujuslibet Baptiſmus reddatur invalidus. Dictum eſt *tract. præced. c.* 1. *dub.* 5. ſolam mutationem ſubſtantialem Formæ invalidare Sacramentum, non ſic mutationem accidentalem, & ibidem innuimus, quænam dicenda ſit mutatio ſubſtantialis, & quænam accidentalis. Loquendo autem de Baptiſmo, ut diſtincte procedamus.

Quæres 1. *An ſit de eſſentia Formæ Baptiſmi exprimere perſonam Miniſtri, ſeu Baptizantis, & perſonam Baptizandam?*

27. Reſp. non eſſe de neceſſitate Sacramenti expreſſe, & formaliter exprimere perſonam Miniſtri, ſed ſufficit, ſi exprimatur implicite; unde ſi quis baptizando omitteret particulam *Ego*, verum conficeret Sacramentum, & con-

ſtat

ſiat exemplo illius Presbyteri, qui eam omittebat, de quo in c. *Retulerunt de Conſecrat. diſt.* 4. & exemplo Eccleſiæ Græcæ, quæ ſine tali pronomine baptizat, dicendo: *Baptizetur*, aut *Baptizatur ſervus Chriſti N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quam formam approbat Concil. Florentinum, & D. Th. *q. 66. ar.* 5. & cum illo omnes alii Doctores; & ſi Latinus tali forma uteretur in collatione Baptiſmi, verum conficeret Sacramentum, peccaret tamen graviter, quia diſcederet a communi uſu totius Eccleſiæ Latinæ in re gravi.

28. Peccaret etiam qui in forma conſueta Latinorum omitteret particulam *Ego*, quæ, licet non ſit de eſſentia formæ, eſt tamen de præcepto Eccleſiæ ob conſuetudinem præſcriptam; illius tamen omiſſio non excederet culpam venialem, ut docent Franc. a Jeſu M. *c. 3. n.* 2. Leander *diſp. 3. q.* 3. Palaos *punct.* 5. *n.* 2. Conſentit Filliuc. *c. 3. n.* 40. ſi omittatur privatim ſecluſo ſcandalo, & contemptu, ſecus ſi omittatur publice, & ſolemniter, quia tunc eſſet peccatum mortale. Valet autem Baptiſmus, ſive quis dicat: *Ego te baptizo*, ſive: *Ego Petrus: Ego Sacerdos*, ſive etiam: *Nos te baptizamus*, quia ex communi uſu loquendi ly *Nos* denotat perſonam ſingularem in dignitate conſtitutam, & idem ſignificat, ac *Ego*.

29. Reſp. 2. debere neceſſario exprimi perſonam baptizandam, ut colligitur ex verbis Chriſti Matth. ult. *Baptizantes eos*. Ratio eſt, quia ſicut materia proxima, ſeu ablutio, debet verſari circa determinatam perſonam, quæ abluitur, ſic & verba formæ debent talem perſonam exprimere, utique diſtinctam a baptizante, quæ diſtinctio baptizantis a baptizato, ſicut generantis a genito, debet neceſſario exprimi: c. *Debitum* de Baptiſmo. Unde ſi quis baptizando ſolum dicat: *Ego baptizo in nomine Patris* &c. omiſſa particula *te*, aut alia æquivalenti, invalide baptizaret. Sufficit tamen, ſi dicas *baptizo te*, ſeu æquivalenter *baptizo hunc*, ſeu *baptizo Petrum*, ſeu *is baptizatur a me*, quia ſufficienter exprimitur perſona baptizata. Sufficit etiam, ſi baptizando plures, dicas *baptizo vos*, quæ particula *vos* valide etiam adhibetur in Baptiſmo perſonæ illuſtris, dummodo baptizans per ly *vos* intendat perſonam ſingularem baptizandam, & hoc faciat ſolum, aut propter ignorantiam, aut propter honorem, ſeu dignitatem, ſicut etiam dicendo, *baptizo Dominationem veſtram*: qui tamen hoc modo conferret voluntarie Baptiſmum, peccaret ſaltem venialiter. Ita communiter Doctores cum D. Th. *q. 66. art.* 5. Franc. a Jeſu M. *in curſu Morali Salm. c. 3. punct.* 2. Filliuc. *c. 3. n.* 53 Bonacina *q. 2. p. 4. n.* 2. & alios referens Leander *diſp. 3. q.* 7. 8. & 9.

Quæres 2. *An debeat neceſſario exprimi actio Baptizantis contenta in verbo* baptizo?

30. Reſp. affirmative, ut habetur ex Concil. Florent. *c. 2. de Baptiſmo*, dicente: *Si quis puerum ter in aquam immerſerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & non dixerit ego te baptizo, puer non eſt baptizatus*. Ratio eſſe poteſt, quia Sacramenta Novæ Legis efficiunt id, quod ſignificant, ſi autem in Forma Baptiſmi non exprimatur actio Baptizantis, illa ablutio non ſignificat internam lotionem a peccatis, cum talis ablutio poſſit ad alios fines ordinari, ut ad refrigerium, & ludum, & ſic illam non efficeret, nec gratiam cauſaret. Verbum *baptizo* determinat illam externam lotionem factam a Miniſtro, ut ſignificet internam lotionem a peccatis, ac proinde eſt de eſſentia Formæ. Talis actio poteſt exprimi verbo activo dicendo: *Ego te baptizo*, ſive verbo paſſivo: *tu baptizaris a me in nomine Patris* &c. vel imperativo, ut *baptizetur ſervus Chriſti*, ſicut faciunt Græci, vel *baptizeris a me*. Sufficit etiam, ſi quis utatur nomine ſynonimo: *Ego te lavo, abluo, intingo, immergo, aſpergo, mundo*, quia hæc omnia æquivalent verbo *baptizo*. Non licet tamen ſine peccato ſaltem veniali recedere a communi uſu Eccleſiæ. Valeret etiam Baptiſmus, ſi quis ter repeteret verbum *baptizo*, ut *Ego te baptizo in nomine Patris, Ego te baptizo in nomine Filii, Ego te baptizo in nomine Spiritus Sancti*, dummodo eodem tempore morali verba proferantur. Nec obſtat, quod ter repetatur *in nomine*, quia talis repetitio cum ſit unius & ejuſdem nominis, non mutat ſenſum, ſicut idem omnino eſt dicere: *Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*, ac dicere: *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus*. Ita Suarez *diſp. 21. ſect. 3. concl.* 2. Filliuc. *tr. 2. n.* 62. Diana *p. 2. tr. 3. miſcell. reſ.* 15 Candidus *diſquiſ. 16. ar. 4. dub.* 5. Valide etiam quis baptizaret dicendo: *Baptizo te in nomine Dei Patris, in nomine Dei Filii, & in nomine Dei Spiritus Sancti*, ut aſſerit Layman *c. 4. n.* 5.

31. Hinc facile ſolvitur difficultas propoſita a Diana *l. c.* de illa Muliere, quæ puerum domi baptizavit italice ſub hac forma: *Io ti battezo col nome del Padre, col nome del Figlio, e col nome dello Spirito Santo*; quem quidem Baptiſmum hac forma collatum, eſſe invalidum docet Bonac. *diſp. 2. q. 2. punct. 4. n.* 5. cum aliis ab ipſo relatis, quia non oſtenditur Unitas Divinæ Eſſentiæ; quæ eſt de ſubſtantia Baptiſmi, ſed tantum Trinitas Perſonarum. Verum dicendum eſt validum eſſe Baptiſmum; nam licet baptizans in nominibus Patris, Filii, & Spiritus Sancti, non conficiat Sacramentum, bene tamen ſi Baptiſmus conferatur in nomine Patris, in nomine Filii, & in nomine Spiritus Sancti, quia ſic baptizans non aſſerit eſſe plura nomina, ſicut qui diceret in nominibus, ſed idem eſſentiale Dei nomen, commune tribus Perſonis, ter repetit, quod recte fieri poteſt abſque pluralitate, ut cum Suarez, & Coninch docet Diana *p. 2. tract. 3. miſcell. reſol.* 15. favet Tolet. *lib. 2. c. 9. ſub n.* 2. in praxi tamen non eſt recedendum a Sententia communi, & uſitata Eccleſiæ Forma, ne Sacramentum exponatur periculo invaliditatis, ſi forte tradita forma eſſet inſufficiens.

D U B I U M V.

An ſit de eſſentia Formæ Baptiſmi invocatio explicita Trinitatis, vel ſufficiat implicita?

32. PRæcipuum requiſitum in Forma Baptiſmi eſt invocatio explicita Trinitatis, nec ſufficit implicita, aut per verba æquivalentia, ut habetur ex inſtitutione Chriſti Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: quibus verbis Formam Baptiſmi a Chriſto traditam eſſe teſtatur traditio Eccleſiæ, & communis conſenſus Sanctorum Patrum, ut proinde expreſſio Unitatis, & Trinitatis Divinæ, ſit eſſentialis ad Baptiſmum. Dum enim dicis *in nomine*, Unitatem Perſonarum exprimis, & cum dicis *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, Perſonarum Trinitatem declaras. Ratio a priori nulla eſt, niſi voluntas Chriſti inſtituentis Sacramenta; congruentia vero eſſe poteſt, quia Baptiſmus eſt Sacramentum Fidei, & introitus in Eccleſiam Chriſti, cum autem ingreſſurus Eccleſiam Chriſti debeat explicite credere Myſterium Trinitatis, & habere fidem explicitam Dei Unius, & Trini, ita debet illam explicite profiteri in Baptiſmo. Ita S. Thomas *q. 66. art.* 6. S. Bonavent. *in 4. diſt. 3. art. 2. q.* 2. Sotus *diſt. 3. ad* 6. Vaſquez *diſp. 143. c.* 3. Suarez *diſp. 21. ſect. 3. & 4.* ubi affert auctoritates Sanctorum Patrum.

33. Hinc ſequitur; primo non eſſe validum Baptiſmum datum in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis vel in nomine Dei Unius, & Trini, vel in nomine trium Perſonarum, quia expreſſe, ac diſtincte non exprimuntur tres Perſonæ Trinitatis, quarum explicita invocatio, & expreſſio, eſt de eſſentia Formæ. Multo minus valet, ſi quis dicat: *te baptizo in nomine Dei*, aut *in nomine Dei omnipotentis*, aut etiam *in nomine Jeſu Chriſti*, nam in Canone 49. Apoſtol. improbatur Baptiſmus datus in morte Jeſu Chriſti, & redditur ratio, quod Chriſtus non dixit baptizantes eos in morte mea; ſed *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Et in c. *Multi ſunt* de conſecrat. diſt. 4. Pelagius Papa dicit, Baptiſmum datum ſolummodo in nomine Chriſti eſſe nullum: ratio eſt, quia invocatio Chriſti non eſt expreſſa invocatio Trinitatis, quam in forma Baptiſmi diximus eſſe neceſſariam, & tenent communiter Patres, & Doctores.

34. Nec obſtat, quod Apoſtoli baptizarent tantum in nomine Jeſu Chriſti, ut innuitur *Actor.* 6. ubi dicitur: *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti baptizabantur Viri, & Mulieres*; & iterum *Baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu*. Reſponderi enim poteſt dupliciter: primo probabile eſſe, initio naſcentis Eccleſiæ adminiſtratum fuiſſe Baptiſmum in nomine Jeſu Chriſti, ex ſpeciali diſpenſatione ipſius Chriſti ad tempus conceſſa, ut Nomen *Jeſu Chriſti*, quod inviſum & odioſum erat Judæis, redderetur amabile Fidelibus, ut habetur in Catech. Pii V. cap. *de Baptiſmo*; talis autem diſpenſatio non amplius durat, nec nobis permiſſa eſt, eo quod ceſſaverit cauſa baptizandi hoc modo. Secundo probabilius videri, nunquam adminiſtratum fuiſſe Baptiſmum in nomine Chriſti tantum; quando autem in Scriptura legitur, Apoſtolos baptizaſſe in nomine Chriſti, ſenſus eſt, Baptiſmum adminiſtratum fuiſſe in merito, & virtute Chriſti, ſeu Baptiſmo, quem Chriſtus inſtituit, ut diſtingueretur Baptiſmus Chriſti a Baptiſmo Joannis, vel etiam in nomine Chriſti, ſed non ſolius, ſed quia cum aliis Perſonis conjungebatur, hoc modo: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii ejus Jeſu Chriſti, & Spiritus Sancti*, ex quo factum eſt, ut nomen Chriſti redderetur amabilius apud Judæos, quibus erat odioſum. Ita Bonac. *q. 2. p. 4. n.* 8. Filliuc. *tr. 2. c. 3. n.* 57. Suarez *diſp. 21. ſect.* 3. Vaſquez *diſp. 143. c.* 2. Palaus *p. 5. n.* 12. Leander *q.* 21.

35. Sequitur 2. non eſſe validum Baptiſmum datum *in nominibus Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quia in Forma Baptiſmi non minus exprimenda eſt Unitas Divinæ Eſſentiæ, quam Trinitas Perſonarum: talis Unitas exprimitur dicendo *in nomine Patris*, ſi enim quis diceret *in nominibus*, non exprimeret unitatem, ſed potius pluralitatem Eſſentiæ, quod eſt error in fide. ſimiliter non valeret Baptiſmus, ſi quis diceret: *Ego te baptizo in Patre, & in Filio*, ſeu *cum Patre, & Filio, & Spiritu Sancto*, quia ſubtractio illius particulæ *In nomine*, eſt defectus eſſentialis, quia non exprimeretur Unitas Eſſentiæ. Sic D. Th. *q. 66. art.* 6. Suarez *diſp. 21. ſect.* 3. Layman *c. 4. q. 3. n.* 5. Diana *p. 2. tr. 3. miſcell. reſol.* 15. Filliuc. *tr. 2. c. 3. n.* 62. aliique communiter.

36. Quæres: *An valeat Baptiſmus datus ſub illa forma: Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Spirati, ſeu procedentis ab utroque?*

Ne-

Negant quamplures valere Baptiſmum, quia Chriſtus viderur inſtituiſſe, ut traderetur ſub his nominibus: *Patris, Filii, & Spiritus Sancti*, ut patet ex communi praxi, & uſu Eccleſiæ. Ita Candid. *diſq. 16. art. 4. dub. 7.* Palaus *punct. 15. n. 15.* Suarez *l. c. ſect. 4.* Alii tamen abſolute tenent validum eſſe Baptiſmum, nam talis mutatio eſt ſolum accidentalis per verba ſynonima, quæ non invalidat Baptiſmum, cum non mutet eſſentialiter Formam. Et certe ſi loco *Filii*, dicatur *Chriſti*, omnes concedunt Baptiſmum eſſe validum: ergo etiam debet valere, ſi loco *Filii* ponatur *Geniti*, & loco *Patris* ponatur *Genitoris*, cum hæc nomina ſint ſynonima, & per conſequens mutatio ſit ſolum accidentalis. Ita Gloſſ. in c. *Multi de Conſecr. diſt. 5.* Cajet. *q. 66. ar. 5.* Valentia *diſp. 1. q. 4. punct. 3.* eamdem ſpeculative probabilem vocat Bonac. *n. 12.* primam tamen eſſe tutiorem, & in praxi ſuadendam, ne Baptizandus periculo damnationis exponatur per mutationem Formæ; & ſi daretur caſus, quod aliquis ſub talibus nominibus *Genitoris, Geniti, & Spirati* baptizatus eſſet, iterum ſub conditione, forma conſueta baptizari debere docet cum aliis Layman *loc. c.* quia eſſet dubium Sacramentum, & hoc maxime verum eſt poſt propoſit. primam damnatam ab Innoc. XI.

37 Particulæ *In, &, Amen*, non ſunt eſſentiales, ac proinde valeret Baptiſmus, ſi aliqua ex illis omitteretur, nam ſine illis ſufficienter exprimitur tota Trinitas, & remanet ſenſus ſubſtantialis formæ, non poſſunt tamen omitti ſine peccato ſaltem veniali, ut docent Diana *p. 2. tr. 15. reſol. 46.* & Bonac. *punct. 4. n. 16.* imo Filliuc. *n. 63.* dicit, quod omittere ſcienter *in, &*, eſt peccatum de genere ſuo mortale, tum propter dubium, tum propter uſum communiſſimum Eccleſiæ, tum quia illæ particulæ ſpectant ad facilem, & claram intelligentiam formæ. Particula *Amen* eſt ſolum quædam confirmatio, & deprecatio Baptiſmi facti, ut ſit proficuus, illiuſque omiſſio eſt ſolum peccatum veniale, ut docent Bonacina, & alii.

Quæres 2. *An ſit de neceſſitate præcepti, ut Forma proferatur latino ſermone. Certum eſt hoc non eſſe de neceſſitate Sacramenti, quia per diverſitatem Idiomatis non variatur ſubſtantialiter Forma.*

38 Reſp. non eſſe de neceſſitate præcepti, niſi ad ſummum in Baptiſmo ſolemni, quia uſus jam ſatis invaluit, ut talis Forma, etiam vulgari lingua, proferatur, ac proinde Feminæ, & alii in neceſſitate baptizantes, melius facerent, ſi nativo ſermone proferrent, cum enim ſint ignari linguæ latinæ ridiculas ſæpe voces emittunt. In Baptiſmo tamen ſolemni Sacerdotes Latini latino Sermone uti debent ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ; ſi tamen & ipſi uterentur ſermone vulgari, peccarent ſolum venialiter, ut docent Diana *p. 2. tr. 15. reſol. 46.* Reginald. *lib. 28. num. 31.* Bonacina *punct. 4. num. 17.*

39 Circa ſimultatem neceſſariam inter ablutionem, & prolationem Formæ ſatis diximus *tr. præcedenti c. 1. dub. 3.* non requiri de neceſſitate, ut habeant omnimodam ſimultatem phyſicam, ſed ſufficere ſimultatem moralem: in praxi tamen curanda ſemper eſt ſimultas phyſica, quantum fieri poteſt. Diana *p. 3. tr. 4. reſol. 6.* Layman *lib. 6. tr. 2. c. 7.* Leander *diſp. 3. q. 41.*

CAPUT III.

De Miniſtro Baptiſmi.

DUBIUM I.

Quinam ſit Miniſter Baptiſmi in caſu Neceſſitatis?

Duplex aſſignari ſolet Miniſter Baptiſmi, alter dicitur Miniſter Solemnitatis, qui ex officio & cum ſolemnitate baptizat, alter Miniſter Neceſſitatis, qui ſine ſolemnitate ob ſolam neceſſitatem Baptiſmum adminiſtrat: de utroque dubitari poteſt, quinam ſit, & quidem de Miniſtro Solemnitatis videbimus dub. ſequenti.

1 Reſp. Miniſter neceſſitatis eſt quilibet homo compos rationis, ſive vir, ſive mulier, ſive Catholicus, ſive Hæreticus, ſive Fidelis, & Baptizatus, ſive Infidelis, & non Baptizatus, dummodo loqui ſciat, & abluere poſſit, ut habetur ex Concilio Florent. in Decreto de Armenis, ubi dicitur: *In caſu neceſſitatis non ſolum Sacerdos, vel Diaconus, ſed etiam Laicus, vel Mulier, imo etiam Paganus, & Hæreticus baptizare poteſt, modo Eccleſiæ formam ſervet, & facere intendat, quod illa facit.* Sumitur ex cap. *Firmiter* de ſum. Trinit. cap. *in neceſſitate*. Cap. *Romanus* de Conſecr. *diſt.* 4. cap. *Ad Limina* 30. *q.* 1. ex quibus, & ex traditione Eccleſiæ colligitur, ita Baptiſmum fuiſſe a Chriſto inſtitutum, ut a quolibet poſſet miniſtrari, quia cum Baptiſmus ſit hominibus præ omnibus aliis Sacramentis ad ſalutem maxime neceſſarius, conveniens fuit ut ita inſtitueretur, ut & materia ipſius omnibus obvia eſſet, & forma verborum facillima, omnibuſque nota, & Miniſter quilibet ratione præditus eſſet.

„ *Hoc autem loco non abs re quidem erit, quidquid habetur in Notif. 8. lib. 1. circa Miniſtros Neceſſitatis, & monitiones, Obſtetricibus potiſſimum, a Parochis tradendas, apponere. Sic enim legitur*: Etſi Parochus, legitimus ſit Baptiſmi miniſter, ſive quilibet alius Sacerdos ab eodem Parocho, ſeu ab Epiſcopo delegatus; inque ſummo Baptizandi vitæ diſcrimine Baptiſmus ſine ullo ritu, ac cæremonia, & quocumque idiomate, a quolibet vel Clerico, vel Laico, vel Fideli, vel Infideli, vel Hæretico vel Catholico, vel etiam Excommunicato, ſive vir ſit, ſive mulier, adminiſtrari queat, dummodo materia, forma, atque Eccleſiæ intentio ſervetur, itidemque Diacono Sacerdos, & Subdiacono Diaconus, Laicoque Clericus præferatur, nec non virorum potiſſimum præ mulieribus habeatur ratio, niſi forte modeſtiæ cauſa, cum videlicet proles ex utero matris non integre demiſſa, magno in diſcrimine conſtituta cernatur, aliter faciendum videretur; aut forte contingeret, quod mulier pro eodem Sacramento adminiſtrando, magis quam vir, apta judicetur: attamen frequentiſſime accidit, ut Infantes in ſummo vitæ periculo conſtitutos Mulieres ipſæ, quæ Obſtetrices, ſeu *Mammane* vulgo vocantur, ſalutare hoc lavacro expiare cogantur.

Itaque ſi ſtudium, quod circa temporalem hominis vitam a Medicis impenditur, nullam certe Mulierem, quæ prius, & examinata, & prudentiorum Judicio probata non fuerit, verſari in eo miniſterio patitur: quanto magis ad Apoſtolicum Miniſterium noſtrum, cujus potiſſimum eſt, perpetuam incolumitatem, beatamque illorum vitam, qui nobis maxime a Deo commendati ſunt, curare, omnem diligentiam, ſtudiumque impendere ſpectabit, ut hujuſmodi Mulieres, a quibus tam crebro Baptiſmus adminiſtratur, examinentur, utrum iis omnibus, quæ ad rem hanc gerendam neceſſario requiruntur, ſatis imbutæ ſint?

S. Carolus Borromæus, verus Eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtitutor, hanc certe nunquam neglexit diligentiam, cum in Actis potiſſimum Mediolanenſis Eccleſiæ Lugduni impreſſis an. 1682. Tom. I. pag. 178. quæ hic ad verbum apponimus, legantur: *Obſtetrices, tribus poſt hujus Decreti promulgationem menſibus, pœna arbitratu Epiſcopi propoſita, officium ne præſtent, niſi per Vicarium Foraneum, ſi in Diœceſi ſint, ſi vero Urbe, per eum, cui Epiſcopus id curæ dederit ſcripto probatæ ſint idoneæ ad Sacramentum Baptiſmi, cum neceſſe erit, miniſtrandum. Quæ autem probata eſt, cum baptizabit, curet, quoad fieri poteſt, ut duæ ſaltem Mulieres, ac Mater præſertim, ſi poteſt, teſtes præſentes adſint, quæ in baptizando verba ab ea prolata audiant. Parochus vero cum perquiret ex Decreto Provinciali, an Infans baptizatus ſit, diligenter Obſtetricem, & Teſtes etiam de verbis prolatis interroget, ut ſibi conſtet, an Baptiſmi forma recte adhibita ſit, an vero ſecus, quamobrem oporteat Infantem a ſe baptizari.*

Et Nos ergo, Sanctiſſimi hujuſce Archiepiſcopi exemplo potiſſimum ducti, decernimus, ut nulla in noſtra hac Civitate, & Diœceſi Mulier, Obſtetricis munus præſtare poſſit, vel nulla alia ad hoc eligatur, quin prius in examen vocetur, & ſatis idonea ad Sacramentum hoc adminiſtrandum fuerit in examine inventa. Examen hoc inſtituendum potiſſimum erit ſupra Materiam, ac Formam; quave ratione ſimul ac applicatur Materia Forma ſit pronuncianda, qualiſve baptizandi intentio ſimul ſit neceſſaria: nec omittendæ etiam interrogationes ſupra aliquos ex iis eventibus, qui in Rituali Rom. *de Sacram. Bapt. tit. de baptizandis Pueris*, continentur, ac præcipue quid agendum ſit cum Infans ex utero parentis caput, aut aliam corporis partem ſolummodo porrigit, ipſiuſque vita in dubium magnopere revocatur.

Metropolitanæ Eccleſiæ Archipresbyter, qui duos alios Religioſos Viros ſuo eliget arbitratu, urbanas Obſtetrices examinabit, cumque aliquam approbaverit, ſcriptum ratumque teſtimonium eidem impartiet. Pro Diœceſi vero Obſtetrices a Parocho Eccleſiæ, cujus adſcriptæ ſunt, diligenter examinentur. Ita in hunc locum Ritual. Rom. *Curare debet Parochus, ut Fideles, præſertim Obſtetrices rectum baptizandi ritum probe teneant, & ſervent.* Et quoniam difficile eſt Religioſos alios in Diœceſi invenire qui Parocho aſſociari in examine vellint; ideo volumus, atque mandamus, ut examen iſtud ab ipſo Parocho una cum Vicario Foraneo habeatur, eodemque modo, quotieſcumque Vicario examinare contigerit Obſtetrices Mulieres adſcriptas eidem Eccleſiæ, cujus ipſe erit fortaſſe Rector, quilibet tunc alius Parochus beneplacito ſuo, ipſi tamen ſubjectus, in examen ſocius advocetur, & ab eo ſcripta ſimiliter teſtimonia examinatæ & approbatæ Mulieri concedantur. Illud præterea adjungimus, Examen hoc quotannis habendum eſſe, perfectumque jam ſignificabunt Vicarii Foranei iiſdem litteris, quos dare nobis ſinguli conſueverunt. Pœnam vero arbitrio noſtro infligendam reſervamus non modo Vicariis, qui hac in re negligenter ſe geſſerint, verum & Mulieribus, quæ, aut non peracto examine, aut non obtenta prius facultate, quam ſupra diximus, Obſtetricis munus exercere minime dubitaverint.

Et clarius hoc idem in fine Notif. 10. Lib. 5. hiſce verbis: „

„ *verbis*: Tandem circa Obſtetrices Inſtitutionem noſtram octavo loco poſitam lib. 1. renovamus; eaſque diligenter examinari præcipimus, ut jam dictum eſt, nullamque admitti volumus, quæ prius peracto examine approbata non fuerit. Quod ſi quæ forte venire in Examen abnuerit, vel ipſo prætermiſſo, ac ſine debita facultate munus exercere ſuum non dubitaverit, illam ex Urbe, ac Diœceſis finibus depellemus.

2 Quamvis poſſit quilibet in extrema neceſſitate baptizare, ordo tamen ſervari debet, ut præſente Sacerdote non baptizet Clericus inferior, præſente Clerico non baptizet Laicus, nec Mulier præſente Viro, niſi forte Mulier magis perita eſſet, quam Vir, ut habetur ex Catechiſ. Pii V. cap. *de Baptiſmo*.

„ *Vide ſupra hunc locum principium Notificationis allatæ in §. ſuper. ex. Lib. 1. Not.* 8.

An vero ſit peccatum mortale invertere hunc ordinem, communis Sententia docet non eſſe, niſi peccatum veniale, ſi Fœmina præſente Viro, aut Laicus præſente Clerico in minoribus conſtituto baptizet, quia in hoc ſolum reperitur aliqua indecentia levis & venialis. Ita Suarez *diſp.* 21. *ſect.* 4. Sotus *in* 4. *diſt.* 4. *art.* 2. Leander *diſp.* 4. *ſect.* 9. Bonacina *punct.* 5 *n.* 12. & alii communiter.

3 Major difficultas eſt de Laico, vel Clerico inferiore baptizante coram Sacerdote, aut Diacono; & quidem illos peccaturos ſolum venialiter, ſi ſecluſo contemptu, baptizarent etiam præſente Sacerdote, docuit Valentia *t.* 4. *diſp.* 4. *q.* 2. *p.* 1. & Pater Alarius in Canone caſuum conſcientiæ *lib.* 5. verbo *Baptiſmus*, quia non uſurpant officium Sacerdotis; in caſu ſiquidem neceſſitatis Sacerdos non baptizat ex officio, & ſic non peccant mortaliter. Communis tamen, & vera Sententia docet, illos peccaturos mortaliter uſurpando officium Sacerdotis, ipſo præſente, quia ſolus Sacerdos vi ſuæ ordinationis eſt inſtitutus Miniſter Baptiſmi, non Laicus, cui tantum conceditur facultas ob neceſſitatem, deficiente Sacerdote, qui ſi ſit præſens non poteſt conſentire, nec dare licentiam, ſine injuria Ordinis & Sacramenti, ut non Sacerdos baptizet. Ita Bonacina *punct.* 5. *num.* 11. Leander *diſp.* 4. *q.* 7. Salmat. in curſu Morali *c.* 4. *num.* 11. & alii plures, quos affert, ac ſequitur Diana *p.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 4.

4 Ratio adducta pro Sacerdote non militat pro Diacono, qui licet in caſu neceſſitatis poſſit ex commiſſione Baptiſmum etiam ſolemniter miniſtrare, ut poſtea dicam, re vera tamen non eſt Miniſter ex officio, unde Laicus in ipſius præſentia baptizans, non uſurpat ipſius officium, & ſic non peccat mortaliter, ſed venialiter tantum, ut docent Suarez *diſp.* 31. *ſect.* 4. *verſ. unde tertio*. Bonacina *loco cit. n.* 11. Layman *tract.* 7. *cap.* 7. *n.* 4. Salmat., & Diana *locis cit.* Leander *q.* 8. quamvis Filliuc. *cap.* 4. *nu.* 82. oppoſitum teneat.

5 An vero Laicus non excommunicatus in dicto caſu neceſſitatis ſit præferendus Sacerdoti excommunicato, affirmant plures, quia Sacerdos excommunicatus eſt ſuſpenſus a munere baptizandi, nec baptizare poteſt, niſi in caſu neceſſitatis, deficiente alio Miniſtro, qui baptizare poſſit, & velit, qui certe non deficeret, ſi eſſet præſens Laicus non excommunicatus, quæ Sententia eſt mihi valde probabilis, maxime ſi Sacerdos ille ſit excommunicatus vitandus, eamque ſequuntur Suarez *diſp.* 11. *de cenſur. ſect.* 7. *num.* 11. & 12. Sylveſter verbo *Baptiſmus* 3. *num.* 1. & Navar. *in ſum. cap.* 22. *n.* 7.

6 Oppoſita tamen Sententia videtur probabilior, ac proinde negandum eſt Laicum eſſe præferendum Sacerdoti etiam excommunicato, quia nimirum urgente caſu neceſſitatis ceſſat ſuſpenſio, & conceditur omnibus ſive excommunicatis, ſive non, facultas baptizandi; ſi ergo in eo caſu licite poteſt Sacerdos baptizare, eſt ſine dubio præferendus Laico, quia ex vi ſuæ ordinationis ſibi competit munus baptizandi, quod non competit Laico. Et ita ſentiunt Leander *tract.* 2. *de Excommun. diſp.* 5. *q.* 9. Ugolinus *tab.* 1. *cap.* 13. §. 27. *num.* 10. Cornejo *diſp.* 10. *de Excom.* §. 1. *dub.* 2. *quæſito* 4. Henriquez *lib.* 2. *c.* 18.

D U B I U M II.

Quinam ſit Miniſter Solemnitatis, & ex Officio?

7 RESP. Miniſtrum Solemnitatis eſſe ſolum Sacerdotem, & Parochum, cujus nomine venit etiam Epiſcopus; iſte enim ratione Sacerdotii habet jure divino poteſtatem Ordinis, ut poſſit eſſe Paſtor animarum, & quatenus Parochus habet jure Eccleſiaſtico poteſtatem juriſdictionis in ſuos ſubditos, quibus licite poteſt, ac tenetur Sacramenta miniſtrare, & maxime Sacramentum Baptiſmi, quod eſt Sacramentum neceſſitatis, introitus in Eccleſiam, & janua aliorum Sacramentorum: cæteri vero ſolum poſſunt, & tenentur lege charitatis Baptiſmum miniſtrare in caſu neceſſitatis, deficiente Parocho, non extra caſum neceſſitatis, ut conſtat ex cap. *interdicimus* 16. *q.* 1. quia cum per Baptiſmum recipiantur homines in Eccleſiam, & fiant ejus membra, conveniens fuit, ut poteſtas & jus admittendi homines ad Eccleſiam eſſet penes Paſtores illius.

„ *Eruditionis gratia hic non omittenda videntur quæ in Notif.* 1. *Lib.* 1. *circa Miniſtrum Solemnitatis leguntur hiſce verbis*: Nimis equidem novus, atque peregrinus in Sacris literis eſſet, qui Baptiſmum primis Eccleſiæ ſæculis a ſolis Epiſcopis collatum neſciret. Gregorius quippe Magnus ad Romanum Italiæ Præfectum ſcribens qui Blandum Hortanum Epiſcopum Ravennæ detinebat ſic ait lib. 1. Epiſt. 32. *Eccleſia ſine Rectore, & Populus quaſi ſine Paſtore grex deperit*, & ibidem: *Infantes ſine Baptiſmate moriuntur*. Plura quamfacillime in hanc rem afferri poſſent documenta; verum ſatis hic exponere erit, conſuetudinem hanc, quæ hodie in Civitatibus etiam, licet multitudine affluentibus, viget, principium ab eo facto duxiſſe; in Eccleſia ſcilicet ſolummodo Cathedrali, aut prope ipſam, Baptiſmi Fontem ſervari, quo nulla alia Urbis Eccleſia gaudere debet. Apud Martenem vero, qui plura de antiquis Eccleſiæ ritibus erudite ſcripſit lib. 1. pag. 12. hæc leguntur: *Primum eſt olim in ſolis fere Cathedralibus Eccleſiis extitiſſe Baptiſteria: nam cum ſoli priſcis temporibus baptizarent Epiſcopi, ſolæ etiam, in quibus reſidebat Epiſcopus, Eccleſiæ Baptiſteria habebant*.

„ Verum hanc eamdem ſententiam ante ipſum Martenem, vir omni laude dignus, atque clariſſimus, Chriſtianus Lupus, Poſteris commendavit, *tom.* 1. *antiquæ Editionis obſervat. in Decret. & Canon. Concil. pag.* 855. Quamvis autem Chriſtianorum numero, ſingulari Dei beneficio, magis in dies propagato, opus fuerit non modo permittere, ut, nulla urgente neceſſitate, Baptiſmi Sacramentum adminiſtrare omni tempore, & pluribus etiam, præter Epiſcopos, liceret, verum ut etiam & Fontes in multis Urbium partibus, ac potiſſimum in agris a Civitate longe disjunctis pro commoditate Populi collocarentur; illi vero, qui tanto huic muneri præfecti eſſent, *Chriſtianitatis Decani* nuncuparentur, juxta monumenta, quæ a Thomaſ. afferuntur de veteri, & nova Eccleſiæ Diſciplina part. 1. lib. 2. c. 6. ſub n. 2.: ſemper tamen antiquæ hujuſce diſciplinæ veſtigia, & ſuperioribus, & vel noſtris etiam temporibus retenta ſunt, nuncque etiam religioſe obſervantur. Sæculis quippe XII. XIII. Cencio, qui Sæculo XII., & Benedicto Canonico, qui Sæculo XIII. floruerunt confirmantibus, quorum Opera in Bibliotheca aſſervantur Capituli Vaticanæ Baſilicæ, cui nos Cuſtodes per annos quatuordecim, dum in eadem Baſilica Canonici locum, atque dignitatem obtineramus, præfecti fuimus, id conſuetudinis erat, quod poſtquam Pontifex Sabbatho Majoris Hebdomadæ cum ſacro comitatu Templum ingreſſus erat, ut Baptiſmi Fontem conſecraret, Cardinales qui aderant, Pontificis facultate accepta, ad Eccleſias, quarum titulis præditi erant profecti, Baptiſmi Sacramentum miniſtrabant. Verum ad hæc poſteriora tempora deveniamus: cum enim Clemens VIII. optimum judicaſſet, ut omnes Eccleſiæ Parochiales, Metropolitanæ, Cathedrales, & Collegiatæ in ſacris ritibus exequendis conformarentur, Cærimoniale Epiſcopale imprimi juſſit, quod deinde Innocentius X. & Benedictus XIII. novis quibuſdam additis Conſtitutionibus, quæ prorſus neceſſariæ videbantur, auctoritate ſua confirmarunt: decrevit enim vigilantiſſimus Pontifex lib. 2. cap. 27. ut Baptiſmi Fontes Sabbatho Majoris Hebdomadæ ab Epiſcopo, vel, ipſo impedimento quoppiam detento, ab alio inter cæteros digniori, ſacra fierent de more, & Cathecumeni, ſi qui adeſſent, ſacrum ab ipſo lavacrum acciperent.

„ Quo autem magnificentius, ac pro rei dignitate id geratur, in Cærimoniali ipſo præcipitur, ut Canonicorum Collegium, cæterique Eccleſiæ Adminiſtri ſimul interſint; ſicuti etiam, ne ullus contentioni locus ſuperſit; quinam ſcilicet in hac obligatione fuerint comprehendendi, non ſemel a Sacra Congregatione declaratum fuit, ad Fontis conſecrationem convenire potiſſimum debere, id, vel in Metropolitana, vel in Cathedrali, vel ab Archiepiſcopo, Epiſcopo, vel alio in ejus locum, fiat, non modo Canonicos, alioſque Clericos, qui fidem nomenque ſuum ipſi Eccleſiæ dederunt, verum & Parochos, alioſque ſive Presbyteros, ſive Clericos, quos Epiſcopus acciverit: in aliis autem inferioribus Eccleſiis, in quibus Fons hujuſmodi ſervatur, Parochi eiſdem ſubjectis ac reliqui Sacerdotes, ſeu Clerici, qui fuerint ipſis adſcripti, debeant ſemper adeſſe. In cæteris tandem Eccleſiis, quæ unius Sacerdotis poteſtate ac regimine curantur, Fons minime conſecrari poſſit, niſi cum ipſo alii quoque Presbyteri ſimul operentur. Hæc omnia accurate complectitur Braſchius in ſuo recentiori Opere, quod Promptuarium Synodale nuncupavit, *cap.* 5. *num.* 29. Sacraque Concilii Congregatio, communi Patrum conſenſu, atque judicio, ita ſtatuit in Cauſa Savonen. *die* 17. *Nov. an.* 1691. Parochos nempe in Eccleſiis Cathedralibus, quibus ſubjiciuntur, adeſſe debere, cum ſolemnis Fontis conſecratio quotannis peragitur, uti memorat Card. Petra, qui per plures annos ejuſdem Congregationis a Secretis præclarum munus cum laude ſuſtinuit, *t.* 3. *pag.* 53. *n.* 19.

„ *Hæc*

„ *Hæc obiter dixiſſe juvabit, ut cuilibet clare innoteſcat, cum de Miniſtro Solemnitatis agatur, quanam reverentia, ac animi pietate hoc Sacramentum ſit adminiſtrandum, ſi primis Eccleſiæ temporibus ad ejus collationem ſoli admittebantur Epiſcopi, & ſtatutis ſolummodo diebus; iidem ſane fuere, quibus nunc præcipit Eccleſia, ut Benedictiones hæ ſolemniter peragantur, die nempe Epiphaniæ, Sabbathi Majoris Hebdomadæ, & in Pentecoſtes Pervigilo. Nec obſcurum eodem tempore manet quibuslibet vel Parochis, vel Sacerdotibus aliis cujuſcumque Eccleſiæ Baptiſmalis addictis ſervitio, quanam obſtringantur obligatione hiſce diebus; ut nempe ad Benedictionem Fontis conveniant: ſic enim in fine ejuſdem Notificationis legitur.* Satis exploratum non habemus, utrum, poſtquam Card. Paleottus vita deceſſit, nonnulli Fontis conſecrationi intereſſe ob negligentiam prætermiſerint: id tamen eveniſſe ſuſpicamur ex iis, quæ leguntur in Synodo ab Hieronymo Boncompagni an. 1654. coacta, *ad tit. de Font. Bapt.: Parochi Civitatis, & Suburbiorum interſint Benedictioni, & renovationi Fontis Baptiſmalis faciendæ in hac noſtra Metropolitana; alii vero Parochi Diœceſani in Plebaniis, quibus ſubduntur, prædictæ interſint functioni ſub pœna duorum aureorum.* Nos interim ſatis cognita, perſpectaque Parochorum probitate, confidimus, neminem in poſterum huic publico muneri defuturum, niſi forte gravi aliqua cauſa impediatur, qua Nobis, vel Vicario noſtro producta, facultatem ea conditione facile impetrabit, ut alius Sacerdos ejus loco ſufficiatur. Id vero a ſingulis etiam Parochis, qui longe ab Urbe in agris conſtituti ſunt, integre, ac religioſe obſervandum minime dubitamus. Attamen, ut in officio contineantur Univerſi, propoſitas a Cardinali Boncompagno pœnas iterum infligimus in eos, qui Fontis conſecrationi ſtatis diebus non adfuerint, vel alium minime ſubrogaverint, ſi neceſſario aliquo impedimento, ut ſupra diximus, implicati, vacationem obtinuerint.

8. Defectu Ordinis Sacerdotalis nullus, qui non ſit Sacerdos, poteſt Baptiſmum ſolemniter miniſtrare, ſi excipias Diaconum, qui hoc poterit ex commiſſione Sacerdotis, ut poſtea dicam; inde non ſolum peccant mortaliter Laicus, & Clericus non Sacerdos, ſi ſolemniter baptizent, ſed etiam incurrunt irregularitatem. Et quidem de Clerico ſolemniter baptizante certum eſt apud omnes, quia ſic habetur *in c.* 1. *de Clerico non ordinato Miniſtrante*, nam exercet actum, ad quem non eſt ordinatus, & uſurpat munus alienum: de puro Laico negat fieri irregularem Henriq. *de Baptiſmo c.* 29. *n.* 1. quia textus ſolum loquitur de Clerico non ordinato baptizante, non de Laico; ſed alii melius docent contrarium, quia textus abſolute dicit: *Si quis baptizaverit non Ordinatus*, quæ verba cum ſint generalia, omnem non ordinatum ſive Laicum, ſive Clericum compræhendunt: & hæc pęna irregularitatis extenditur etiam ad Diaconum ſolemniter baptizantem propria auctoritate ſine commiſſione Sacerdotis, quia ſoli Sacerdoti ex vi ſuæ ordinationis conceditur ſolemniter baptizare. Ita Salmat. in curſu Morali *c.* 4. *n.* 20. Suarez *diſp.* 31. *ſect.* 4. Bonac. *punct.* 5. *n.* 3. Leander *diſp.* 4. *q.* 20. aliique communiter, qui bene docent id eſſe verum, etiamſi baptizent in extrema neceſſitate, quia neceſſitas, licet faciat licitam Baptiſmi collationem, non tamen ejus ſolemnitatem, quæ minime eſt neceſſaria.

9. Quod ſi Laicus, ſive Clericus privatim baptizarent ſine neceſſitate, & ſine ſolemnitate, peccarent utique lethaliter, quia facerent contra præſcriptum Eccleſiæ, ſed nullam incurrerent irregularitatem, quia non exercerent actum proprium Sacerdotis, ſiquidem Baptiſmus privatus non eſt actus proprius Ordinis Sacri, & Sacerdotii, cum poſſit præſtari a Laico. Deinde *cap.* 1. *de Clerico non Ordinato*, ſolum loquitur de Baptizante ſolemniter, & tanquam odioſum debet reſtringi ad caſum expreſſum. Navar. *cap.* 22. *num.* 7. & *cap.* 27. *num.* 242. Sotus *diſput.* 4. *q.* 1. *art.* 3. Bonacina *punct.* 5. *nu.* 3. Sylveſter de irregul. *num.* 12. & 27. Filliucius *cap.* 5. *num.* 85.

10. Defectu juriſdictionis graviter peccat Sacerdos, ſive Regularis, ſive Sæcularis, qui baptizat extra caſum neceſſitatis, quia ſibi uſurpat officium, & juriſdictionem Parochi, ad quem ſpectat Sacramenta miniſtrare in ſua Parochia; nullam tamen incurrunt irregularitatem, quia non uſurpant actum Ordinis, ſed Juriſdictionis. Peccat etiam Parochus, ſi baptizat Puerum alterius Parœcię ſine neceſſitate, quia ſibi uſurpat alienam juriſdictionem; non incurrit tamen irregularitatem, aut excommunicationem, quæ nullibi reperitur expreſſe. Sic Bonacina *n.* 10. Suarez *diſp.* 23. *ſect.* 2. & *diſp.* 31. *ſect.* 4. Valentia *diſp.* 4. *qu.* 2. *punct.* 1. Salmat. *cap.* 4. *num.* 35. qui *n.* 36. advertunt graviter peccare Parentes, ſi ſuam prolem Parocho alieno, inconſulto, & ſine licentia proprii Parochi, baptizandam offerunt, quia peccato alieno cooperantur, & Eccleſiæ ordinationi cum violatione juris alieni adverſantur. Ita etiam tenent Layman *cap.* 7. *num.* 2. Barboſa *de officio, & poteſt. Parochi part.* 2. *cap.* 18. *n.* 7.

„ *Et quoniam hic de juriſdictionis legibus in baptizandi miniſterio leviter nonnulla attinguntur, vide quæ in hanc rem adnotantur in Notif.* 10. *lib.* 5. *hiſce verbis:* Pervenit ad aures noſtras a quibuſdam dictitari, Parochi munus eſſe Baptiſmum conferre. Itaque iis omnibus prætermiſſis, quæ modo expoſuimus, ut clarum perſpectumque fiat non licere in privatis domibus Baptiſmum adminiſtrari, niſi neceſſitas urgeat, iis, inquam, prætermiſſis, nos ipſi affirmabimus, Baptiſmum eſſe a Parocho conferendum. Sic enim habetur in Rituali Romano *titul. de Sacram. Bapt.: Legitimus quidem Baptiſmi Miniſter eſt Parochus, vel alius Sacerdos a Parocho, vel ab Ordinario loci delegatus.* Illud pariter addemus idem baptizandi munus ad Sacerdotes pertinere: quippe dum Sacerdotium confertur, Epiſcopus his verbis utitur: *Sacerdotem enim oportet offerre, benedicere, præeſſe, prædicare, & baptizare.* Similiter & Divus Thomas *p.* 3. *qu.* 67. *art.* 2. docet, quod quemadmodum Sacerdotis eſt conficere Sacramentum Corporis Chriſti, quod unitatem Eccleſiaſticam explicat, ita Sacerdotis eſt Baptiſmi Sacramentum adminiſtrare, quod ejuſdem unitatis nos participes efficit, & jus ad menſam Domini nobis comparat. Id totum fuſius in Romano Catech. declaratur *part.* 2. *de Sacram. Bapt. num.* 23.

Qui tamen ita prædicant, illud pariter expendant, olim a ſolo Epiſcopo Baptiſmum conferri conſueviſſe, uti in prima Notif. demonſtravimus. (*Hic ipſam videre poteris loco ſuperiori poſitam*) Præter illorum auctoritatem, quos Nos eo loco nominavimus, id comprobat his verbis Thomaſſinus de veteri, & nova Eccleſiaſtica diſciplina p. 1. lib. 2. c. 21. n. 8. *primis illis initiis ſolus vulgo baptizabat Epiſcopus.* Hujus rei documentum deſumitur ex eo, quod in multis Italiæ Civitatibus Fons unus Baptiſmalis in Cathedrali, aut prope ipſam poſitus reperitur, ut Nos eodem loco cum Martene, ac Lupo indicavimus in Notif. cit. quod rurſus auctoritate Thomaſſini loco allato confirmamus: *quare & in maximis quibuſque Urbibus una erat tantum Eccleſia, Fons unus Baptiſmalis, quem uſum baptizandi retinet adhuc Italia.* Præclarus vir Du Cange in ſuo Gloſſ. ad vocab. Bapt. poſtquam Fontem Baptiſmi magni operis, atque elegantiæ conſtitutum Florentiæ prope Eccleſiam Metropolitanam deſcripſit, hæc inſuper addere non omittit: *quæ quidem adnotare libuit tanquam veteris moris inſtitutum; cum olim in Civitatibus in Eccleſiis tantum Cathedralibus, aut iis adjunctis Baptiſteriis Baptiſmus conferretur.*

Cum hæc ita ſe habeant, qui Parocho tribuunt baptizandi munus ſecum perpendant, Baptiſmalem Fontem hujus Civitatis poſt immemorabile tempus in Metropolitana collocari, & ad ipſum ſemper delatos fuiſſe Infantes, qui procreantur in Urbe, vel ipſius ambitu, quem *Cerchiam* appellant, ut Baptiſmum accipiant. Quamobrem nequit Parochus abſque ullo diſcrimine Baptiſmum adminiſtrare, ſed tum ſolum id facere poterit, cum neceſſitas requirat; quippe primus ipſe Miniſter Baptiſmi inter eos procul dubio recenſetur, qui urgente ſolum neceſſitate baptizant: id vero munus ſibi tribuere nequaquam debet, cum in ſua Eccleſia Fons Baptiſmalis non habetur. Qui enim Præpoſitus eſt Eccleſiæ, in qua Fons idem conſtituitur, ipſe Baptiſmum adminiſtrare debet, uti Romano in Rituali præſcribitur: *Ac licet urgente neceſſitate ubique baptizare nihil impediat; tamen proprius Baptiſmi adminiſtrandi locus eſt Eccleſia, in qua ſit Fons Baptiſmalis, vel certe Baptiſterium prope Eccleſiam.* Idem tradit ſapienter Card. Petra to. 4. ſuorum Commentarior. in Conſtit. Apoſtol. pag. 286. *Unde poſt Epiſcopos, Sacerdotes ſunt Miniſtri Baptiſmi, non quidem omnes indiſtincte, ſed ii, quibus ex officio competit baptizare; quinimmo non omnes Parochi Baptiſma ſuis ovibus miniſtrare poſſunt, ſed ii tantum, qui Eccleſiis Matricibus, aut Baptiſmalibus præſunt.* Neque illud argumentum ullam vim habet: *Eccleſia eſt Parochialis; ergo etiam eſt Baptiſmalis*: contrarium enim deſumitur ex Tridentina Synodo ſeſſ. 21. c. 4. de Refor. quæ diſcrimen aliquod illis verbis dignoſcit: *Eccleſiis Parochialibus, vel Baptiſmalibus.* Imo nec veritati conſentaneum eſt ejuſmodi argumentum: *Eccleſia eſt Baptiſmalis; ergo etiam eſt Parochialis;* nam poteſt Epiſcopus Fonti Baptiſmali locum decernere in Eccleſia haud Parochiali, quæ populo commodior eſſe videatur, uti ſequitur Cardinalis Petra loco cit. Quare in Synodo Cardinalis Columnæ Archiepiſcopi hujus Urbis part. 1. c. 7. & etiam in Synodo Cardinalis Boncompagni lib. 2. cap. 2. hæc docentur: *Cum autem Parochi officium dicimus baptizare, non hinc derogare juribus intendimus, & Eccleſiæ Metropolitanæ, & Eccleſiarum Archipresbyteralium, quæ illæſa ſervari mandamus.* „

11. Reſp. 2. Ex commiſſione proprii Sacerdotis ſeu Parochi, non ſolum quilibet Sacerdos, ſed etiam Diaconus, juſta tamen interveniente cauſa, poteſt Baptiſmum ſolemniter conferre. Ratio eſt, quia Diaconi ad hoc ordinantur, ut ſint Miniſtri Sacerdotum in miniſtratione Sacramentorum, & ſic convenienter ex rationabili cauſa committuntur illis Miniſteria Sacramentalia, quorum ſunt capaces, cujuſmodi ſunt prædicare, baptizare, & Sacram Euchariſtiam Populo miniſtrare, ac proinde poſſunt ex commiſſione Sacerdotis Baptiſmum ſolemniter miniſtrare; dicitur enim illis in ſua Ordinatione ab Epiſcopo: *Diaconum oportet miniſtrare ad Altare, baptizare, & prædicare.*

12. In hoc tamen diſtinguuntur Diaconi a Sacerdotibus, & aliis Clericis inferioribus, quod Sacerdotibus poteſt committi Baptiſmus ſolemnis, etiam abſque ulla cauſa; vi enim ſuæ Ordinationis, & Ordinis Sacerdotalis ſunt apti recipere poteſtatem ordinariam: Diaconis poteſt committi ſolum ex rationabili, & neceſſaria cauſa, puta ſi Parochus ob baptizandorum multitudinem, gravem infirmitatem, vel excommunicationis cenſuram, Baptiſmum petentibus neque per ſe, neque per ſubſtitutum Sacerdotem ſatisfacere poſſet: Clericis autem inferioribus nullo modo, neque etiam ex cauſa neceſſaria, niſi a ſummo Pontifice in jure Eccleſiaſtico diſpenſante, poteſt ſolemnis Baptiſmus committi: ſecluſa ſpeciali commiſſione, neque etiam in neceſſitate, poteſt Diaconus ſolemniter baptizare, quia, ut habet D. Thomas *q.67. art.1.*, ad Diaconum non pertinet præbere aliquod Sacramentum principaliter, & quaſi ex proprio officio, ſed aſſiſtere, & miniſtrare majoribus in Sacramentorum exhibitione. Ita Laym. *c.7.n.3.* Suar. *diſp. 23. ſect.2.* & *diſq.3. ſect.4.* Caſtro Palaus *pun.9 n.4.* Barb. *abi ſap.n. 9.* Coninc. *q.67. ar.5. dub.3.* & alios referens Bonac. *q.2. pun.5. n.3.*

DUBIUM III.

An Miniſter Baptiſmi debeat eſſe unus, vel poſſint eſſe plures?

13. Dupliciter intelligi poteſt plures eundem baptizare: primo tanquam cauſæ totales, itaut quilibet per ſe, & integre baptizet, proferendo totam formam, & lavando cum intentione abſoluta baptizandi: ſecundo tanquam cauſæ partiales, ita ut unus puerum lavet, & alter formam proferat; vel ſi unus intendat baptizare dependenter ab intentione, & concurſu alterius.

14. Reſp. 1. Validum eſſe Baptiſmum, ſi plures eumdem Puerum baptizent tanquam cauſæ totales. Ratio eſt, quia quilibet integre & adæquate baptizat, adhibendo Materiam, & Formam, perinde ac ſi eſſet ſolus, nec actio unius impedit actionem alterius, cui non contrariatur, Conf. quia de facto plures Sacerdotes de novo ordinati ſimul cum Epiſcopo conſecrant eandem Hoſtiam, dummodo ſimul cum eo verba in eodem inſtanti proferant; ergo etiam plures ſimul valide baptizant, ſi verba ſimul proferant, & adhibeant Materiam neceſſariam: ſi enim unus altero citius proferat Formam, ille ſolus baptizat, non alii, qui poſterius Formam perficiunt. Confirmari poteſt ex dictis in phyſica, ubi vidimus duas cauſas totales ſimul applicatas poſſe producere eumdem numero effectum, quod a fortiori valet de cauſis moralibus, cujuſmodi ſunt Sacramenta. Verum Miniſtri ſic baptizantes peccarent graviter contra uſum, & conſuetudinem Eccleſiæ; & propter periculum nihil efficiendi, ſi unus altero citius Formam proferret. Ita cum D. Thoma *q.67. art.7.* ſentiunt fere omnes Doctores, Laym. *c.7.n.5.* Vaſq. *diſp.148. c.1.* Suar. *diſp.23. ſect.3.* Filliuc. *c.4. q.4.* Bonac. *q.2. p.4. n.25.* Salmat. in curſu morali *c.4 punct.3.*

15. Reſp. 2. Non eſſe validum Baptiſmum, ſi plures eumdem baptizent tanquam cauſæ partiales, dividendo ſibi miniſterium, ut unus verba proferat, & alter aquam infundat, ut contingere poteſt, quando unus eſſet mutus, & alter truncus, & urgeret neceſſitas baptizandi Puerum, qui eſſet in periculo mortis. Ratio eſt, quia Miniſter Baptiſmi debet repræſentare perſonam Chriſti immediate, quæ una eſt, & ſic debet eſſe unus, ſicut unus eſt Chriſtus, ſaltem quoad integritatem miniſterii. Deinde quia Forma redderetur falſa, cum vere non baptizet qui dicit: *Ego te baptizo*, quia de facto non lavat. Hoc idem dicendum, ſi unus intendat baptizare ſolum dependenter ab intentione, & concurſu alterius, quia etiam in iſto caſu Forma redditur falſa dicendo: *Ego te baptizo*, cum de facto non baptizet ſolus, ſed ſimul cum alio. Unde patet ſolutio caſus communiter allati de trunco, & muto ſimul baptizantibus eumdem puerum, tum alterius allati a Camitolo, *q.11.* de duabus mulieribus, quarum una abluit Infantem, & altera profert Formam; non enim valet in eo caſu Baptiſmus, ut cum D. Th. *q.67. art.6.* docent Vaſq. *diſp.148. c.4. a.22.* Bonac. *pun. 4. n.23.* Filliuc. *c.4 n.79.* Diana *p.3. tr.4. reſol.1.* & *p.5. tract.3. reſol. 26.* ubi dicit opinionem contrariam non eſſe probabilem, nam communiter Doctores hanc docent.

16. Non obſtante Sententia communi in contrarium; Leander *diſp.4. q.16.* citans Cajet. Marſilium, Paludanum, Angelum, Sotum, & Henriquez, probabile putat Baptiſmum collatum a muto infundente aquam, & a trunco proferente Formam in caſu illo neceſſitatis eſſe validum, & licitum; nam ſi quis aquæ defluenti e tecto puerum ſubmittat abluendum, & verba Baptiſmi proferat, valide baptizat, ut ſupra dictum eſt; ergo etiam ſi truncus manibus quomodo poſſet, applicaret puerum aquæ a muto projectæ, & proferret verba, valide baptizabit. Nota, ſi truncus aliquo modo applicaret puerum aquæ; ſi enim nullo modo puerum tangat nec applicat, ſolumque proferat verba, non video quomodo Baptiſmus poſſit eſſe validus, nulla exiſtente actione trunci circa puerum. Baptiſmum tali modo collatum approbat Suar. *diſp. 23. ſect.3.* dicens. *Non nego tamen, ſi occurrere: talis neceſſitatis articulus, poſſe juxta aliam ſententiam conferre Baptiſmum, quia melius eſt accipere Baptiſmum dubium, & aliquo modo probabilem, quam omnino nullum:* quod idem docet Hæredia de Bapt. *p.5. lib 9.* Verum tamen eſt, quod ſi puer ille mortis periculum evaderet, eſſet iterum ſub conditione baptizandus.

Quæres 1. *An unus poſſit ſimul baptizare plures, vel idem baptizare ſe ipſum.*

17. Reſp. poſſe unum valide baptizare plures unica aſperſione, dicendo: *Ego vos baptizo*, &c. quia de facto Principem Apoſtolorum ita plures baptizaſſe conſtat ex Actib. Apoſtol. Deinde quia non mutatur ſenſus formæ; idem enim eſt dicere: *Ego vos baptizo*: ac *Ego baptizo te & te*: nam vos nihil aliud importat, quam plures ſingulares. Confirmari poteſt a pari de Confeſſario, qui unica abſolutione poteſt plures abſolvere, & Epiſcopus in Ordinatione plures ſimul ordinare. Ita S. Thomas *q.66. art.5. ad 4.* & cum eo alii Doctores communiter, Henriquez *lib.1. c.7. n.5.* & *lib.2. c.2.* Vaſquez *diſp.148. c.7. num.50.* Bonacina *punct.4. n.21.* Caſtro Palaus *punct.9. n.15.* Diana *p.9. tr.6. reſ.30.* Qui autem plures ſimul baptizaret extra caſum neceſſitatis, peccaret ſaltem venialiter, quia faceret contra conſuetudinem Eccleſiæ, quamvis Vaſquez Filliucius, Palaus, Diana, & alii, putent ipſum peccaturum mortaliter: re vera tamen non videtur tam gravis irreverentia, ut peccatum mortale cenſeri debeat.

18. Reſp. 2. Neminem poſſe ſe ipſum baptizare dicendo: *Ego me baptizo*, non ſolum quia ſubſtantialiter mutatur ſenſus Formæ; ſed etiam quia ſicut in generatione naturali nemo ſe ipſum generare poteſt, ita neque in generatione ſpirituali poterit ſe ipſum regenerare. Adde, quod Chriſtus de facto non ſe ipſum baptizavit, ſed a Joanne baptizari voluit. Sic Doctores communiter cum Innocent. III. *cap.4. de Baptiſmo*.

Quæres 2. *Quonam loco Baptiſmus conferri debeat: an poſſit conferri domi ſine ſolemnitate?*

19. Reſp. Miniſtrum extra caſum neceſſitatis non poſſe ſine gravi peccato Baptiſmum conferre ſine ſolemnitate & ritibus ab Eccleſia præſcriptis, quia ob reverentiam Sacramenti textus *in Clement. unica, de Baptiſmo*, ſevere præcipit, ne Baptiſmus ſine ſolemnitate fiat. Unde graviter peccaret tam Sacerdos, quam qui baptizatur, ſi ſit Adultus, & Pater etiam conſentiens, ut ejus Filius baptizetur a non Sacerdote, & ſine Cæremoniis Eccleſiæ, niſi forte excuſarentur ignorantia invincibili, putantes id eſſe licitum. Imo etiam peccaret mortaliter Sacerdos, ſive quicumque alius, qui ſine neceſſitate baptizaret extra Eccleſiam, Domi, ſive in Oratorio privato, quia eſt contra ſolemnitatem, & ritum ab Eccleſia obſervatum, niſi forte baptizandi eſſent Filii Regum, & Principum, qui poſſunt per Sacros Canones baptizari Domi; in Oratorio tamen, licet privato, cum ſolemnitatibus conſuetis. Ita Suar. *diſp. 31. ſect.2.* Leander *diſp. 4. quæſt. 6.* Tambur. *de Baptiſmo cap.2. §.3.* Layman *cap.7. quæſt.1. concl.2.* Coninch. *q.67. art.5. num.3.* Caſtro Palaus *punct. 9. num.6.* Reginald. *lib.27. cap.6. num.46.*

*Vide ad hunc locum Notificat. 10. lib.5. cujus verba „
ſunt hæc:* .·. alienum quippe ab Eccleſiæ legibus eſt, „
privatim Baptiſmum Domi conferre, cum in Eccleſiis ſit „
miniſtrandum. Id ſatis conſtat ex Canon 31. Trullani „
Concilii. *Deponatur Clericus, qui ſine licentia Epiſcopi „
intra Domum, in Oratorio Domus ſacrificat, vel baptizat.* „
Idem rurſus in Can. 19. ſic decernitur: *In Eccle- „
ſiis, non in Domibus, aut privatis Oratoriis, Baptiſma „
celebretur; contrafaciens Clericus deponatur, Laicus ex „
communicetur.* Clemens V. in Concilio Vienneſi, ut „
videre eſt in Clementina unica de Bapt., generatim pro- „
hibet in privatis Domibus ſacro hoc lavacro quempiam „
expiari, quod obſervandum potiſſimum & in privatis „
Oratoriis præcipit, niſi gravis aliqua neceſſitas urgeat, „
& niſi de Regum, vel Regnantium Filiis agatur: *Niſi „
Regum, vel Principum, quibus valeat in hoc caſu de- „
ferri, Liberi extiterint, aut talis neceſſitas emerſerit, „
propter quam nequeat ad Eccleſiam abſque periculo pro- „
pter hoc acceſſus haberi.* Cardinalis autem Boncompa- „
gnus in Synodo, quam modo commemoravimus, hæc „
habet: *Nec in Oratorio, nec Domi ſine licentia noſtra, „
vel Vicarii Generalis, audeat baptizare, præter caſum „
neceſſitatis* .·. *Et paulo poſt*: Legibus Eccleſiaſticis plu- „
rimum adverſantur illi, qui collato privatim Infantibus „
Baptiſmo, nonniſi poſt longum tempus ipſos in Eccle- „
ſia deportari curant, ut ritus conſueti impleri poſſint. „
In Synodo Cardinalis Boncompagni, quod jam toties „
memoravimus, excuſantur illi, qui facultatem ante ob- „
tinuerint a Nobis, ſeu Vicario noſtro Generali, ut pri- „
vatim Domi Baptiſmus conferatur, ac deinde expecta- „
ri debeat vir dignitate, aut genere inſignis, qui Patri- „
ni munere fungatur, aut alium loco ſuo ſubſtituendum „
deſignet. Eaſdem tamen ſacras cæremonias in multos „
dies ſine cauſa protrahere nullo modo ferri, ac diſſi- „
mulari poteſt; magna enim cum bonorum offenſione, „
ac ſcandalo in eam ætatem aliqui venerunt, ut ipſi ſe „
contulerint ad hanc Metropolim, ut ritus, ac cæremo- „
niæ, quæ Domi omiſſæ fuerant, in Eccleſia ſupple- „
rentur. Illud enim gravius fuit, quod aliqui inter ipſos „
jam viginti annos attigerant. „
Paucis autem rurſus interjectis ſic ſequitur: „
Singulos itaque Parochos, ac Sacerdotes, aut alios, „
qui ad Baptiſmum conferendum, tanquam extraordina- „
rii Miniſtri eligi queant, eos iniquam monemus, ne Ba- „
ptiſmum in privatis Domibus adminiſtrent, ut morem ali- „
cui gerant, vel ut alieno munere perfungantur, niſi forte „
neceſſitas id poſtulaverit, nempe cum Puero recenter „
„ nato

„ nato mortis periculum imminere videtur. Nullam pœnam nunc decernimus in eos, qui hæc juſſa facere detrectaverint; quippe neminem futurum ſuſpicamur, qui illis ſtatim non pareat, eo quod ex ipſo jure Pontificio deſumuntur. Attamen pro certo teneant debitas pęnas, etiam ſuſpenſionis in Parochos, ac Sacerdotes a Nobis quidem invitis indicandas eſſe, ſi quis obtemperare neglexerit. Quoniam vero ſuſpicamur aliquos tam pravo ingenio reperiri poſſe, qui ad evitandas propoſitas pœnas, aſſerere non dubitabunt, Baptiſmum, urgente neceſſitate, a ſe miniſtratum fuiſſe, licet id prorſus alienum a veritate ſit, eos admonendos putamus, ut accurate perpendant, quod *Speculator adſtat deſuper*, qui parendum Eccleſiæ mandatis jubet, & qui clariſſime videt, utrum revera neceſſitas intervenerit.

„ *Et in fine ejuſdem Notif.* Quiſquis autem facile deprehendit quot mala ſimul cumulentur, cum Baptiſmus in privatis Domibus abſque ulla neceſſitate miniſtratur, neque res peracta iis, ad quos pertinet, innoteſcit, ſi omittantur etiam ſolemnes cæremoniæ, eo quod Pueri nunquam ad Eccleſiam delati fuerint, ut ſacri ritus, ac cæremoniæ ipſæ perſolvi queant. De illis Pueris agimus, qui ex legitimo, quamvis occulto, Matrimonio procreati ſunt; primum enim Baptiſmus privatim confertur, quod fieri nequit, niſi aliqua neceſſitas urgeat, uti nuper oſtendimus. Secundo falſa neceſſitas effingitur, quam in periculo mortis ſolum eſſe conſtitutam explicavimus. Tertio Baptiſmus a conſuetis cæremoniis disjungitur, quod abſque neceſſitate permitti nequit, & ſi contrarium fiat, culpa lethalis admittitur. Id probant Theologi, quos Romaguerra *ad Synod. Gerunden. lib. 3. tit. 18. cap. 2. num. 19. & ſeqq.* recenſet. Quarto aditus quidam recluditur, ut negligantur ſacræ Baptiſmi cæremoniæ, cum aliqua fortaſſe contemptus ſpecie, quas ſane cæremonias Apoſtoli inſtituerunt, & Eccleſia ſemper excoluit; idque contingeret in hac Civitate, in quam ab ipſis Apoſtolorum temporibus Chriſtianorum Fidem Sanctus Apollinaris invexit. Equidem Alexander VII. 1656. non ſine magna difficultate permiſit omitti aliqua Sacramentalia, dum Baptiſmus conferretur apud Sinenſes recenter ad Fidem adductos, Mulieribus jam adultis, ne ullum diſcrimen afferri poſſet pudicitiæ, qua Sinenſes ipſæ Mulieres tantopere commendantur. Inſuper clariſſimus vir Cardinalis de Turnon hæc præſcripſit Apoſtolicis viris, qui in Madurenſi Regione, aliiſque finitimis Chriſti Legem diſſeminabant: *Diſtricte probibemus, ne in baptizandis tam Pueris, quam Adultis, cujuſcumque ſexus, & conditionis, omittantur Sacramentalia, ſed omnia palam adhibeantur, & ſignanter Saliva, Sal, & Inſufflatio, quæ ex Apoſtolica traditione Catholica Eccleſia recepit, & ob recondita in iis ſacris cæremoniis Divinæ erga nos Bonitatis Myſteria, ſancte, & inviolabiliter cuſtodivit.* Neque profecerunt quidquam illi, qui contra dictabant Salivam, & Inſufflationem Sinenſibus exoſas eſſe maxime, ideoque neminem deinceps acceſſurum, qui Baptiſmum expoſceret; quippe P. Lucinus, quem ſuperius nominavimus, eorumdem rituum vetuſtatem, cultumque ſapienter oſtendit, & rationes omnes, quæ contra afferri ſolebant, omnino refutavit. Item Clemens XII. Miſſionariis ad promulgandum Madurenſibus Evangelium deſignatis hæc præcepit: *diſpenſationem concedit ad decennium duraturam omittendi in collatione Baptiſmi Salivam, & occulte utendi Inſufflationibus, in caſibus tamen particularibus, & in quibus gravis, & proportionata neceſſitas urgeat, ſuper qua conſcientia Miſſionariorum oneratur.* In Adultis vero hæc cavenda monet Pontifex: *dummodo non laborent errore habendi Salivam, & Anhelitum tanquam materiam ineptam, & incapacem ad inſerviendum pro Sacramentalibus cæremoniis in Baptiſmo, utpote omnino incapaces Baptiſmi, eiſque Miſſionariis injungendum, ut debitam inſtructionem, aliaſque omnes poſſibiles diligentias adhibeant, ut averſio populorum a Saliva, & Inſufflatione amoveatur, & de inſtructione, aliiſque diligentiis adhibitis Sanctam Sedem intra tempus decennii certiorent. Inſuper monendos eſſe Miſſionarios ſuper gravi negligentia non recurrendi ad Sanctam Sedem pro obtinenda facultate diſpenſandi, & male ſe geſſiſſe Epiſcopos concedendo hujuſmodi diſpenſationem inconſulta Sancta Sede.* Hæc omnia, ſi accurato ſtudio perpendantur, ſatis declarant rei, de qua agimus, magnitudinem, & gravitatem, nempe ſi negligantur cæremoniæ, quæ Baptiſmo adjungi conſueverunt. Quapropter delinquentes, ut ſibi conſulant vehementer hortamur . . . . Poſtremo admonendi ſunt, qui parere recuſaverint, pœnas a Nobis in ipſos arbitrio noſtro decernendas, quæ ipſorum fortaſſe opinionem ſuperabunt.

20. Quæres 3. *An ſi deſit neceſſaria intentio in Miniſtro Baptiſmi, Deus illam ſuppleat quoad effectum gratiæ?*

Prima Sententia affirmat in Baptiſmo Infantium Deum ſupplere defectum intentionis malitioſe a Miniſtro ſubtractæ, non quidem quoad Characterem, ſed quoad Gratiam, quia non videtur juſtum, & conveniens, propter ſolam malitiam Miniſtri Puerum ſpirituali remedio privari abſque culpa. Ita Bartholom. ab Angelis *de Sacrament. in communi Dialogo* 1. §. 31. ubi citat D. Thomam *in 4. diſt. 24. quæſt. 1. artic. 2. quæſtiunc. 3.* Sylveſter verbo *Baptiſmus 6. num. 3.* Zanardus *part. 1. de Sacrament. Baptiſmi cap. 4. in fine.* Valentia *tom. 4. diſp. 3. quæſt. 5. punct. 3.* Alenſis, Gabriel apud Filliucium *tract. 1. num. 80.*

21. Secunda, & vera Sententia negat intentionem Miniſtri ſuppleri a Deo, quia de fide eſt intentionem Miniſtri eſſe neceſſariam, nec ulla lege, promiſſione, aut neceſſaria ratione conſtat illius defectum ſuppleri a Deo; tum quia ſi Miniſter malitioſe non adhibeat veram Materiam, aut veram Formam, Deus non ſupplet illius defectum; ergo nec ſupplet defectum intentionis, quæ non minus neceſſaria eſt, quam Materia, & Forma, ut dixi tractatu præcedenti, cum Maderno *cap. 4. dub. 6.* eamque tenent D. Thomas *q. 64. art. 8. ad 4.* Homobonus de bonis *in Exam. Eccleſ. part. 1. tract. 4. cap. 2. q. 10.* Henriquez *lib. 1. cap. 10. num. 3.* Filliucius *tract. 1. cap. 5. n. 80.* Diana *part. 3. tract. 4. reſol. 17.* Leander *diſp. 4. tr. 2. q. 25.*

CAPUT IV.

De Subjecto Baptiſmi.

DUBIUM I.

Quodnam ſit Subjectum Baptiſmi?

1. RESp. Subjectum Baptiſmi eſt omnis, & ſolus homo viator nondum baptizatus, tam parvulus, quam adultus: eſt aſſertio de fide; quæ ſumitur ex illo Matth. cap. ult. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos.* Ratio eſt, quia omnis, & ſolus homo eſt capax æternæ ſalutis, quæ poſt promulgationem Evangelii conſequi non poteſt ſine Baptiſmo, juxta illud Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*, ut vidimus ſupra *cap. 1. dubio 3.* & quidem, quod Infantes abſque Baptiſmo morientes vitam æternam non conſequantur adverſus Pelagianos definierunt Patres Concilii Africani ſub Cæleſtino *cap. 77.* Milevitani *cap. 1.* & Innocent. I. *Epiſt. 25 ad Concil. Milevitanum*, ut refert Layman *cap. 6. num. 1* & concedunt omnes Catholici.

2. Primo igitur requiritur, ut ſit homo; ſi enim ſit Monſtrum, & certo conſtet non eſſe hominem, non poterit baptizari, quia ſolus homo eſt capax gratię, & beatitudinis æternæ: inde Satyrus conceptus ex Femina & Bruto baptizari non poteſt, quia vere non eſt homo rationalis, nec habet peccatum originale, quod traducitur ex Adamo per virilem virtutem, ut docet Trident. *ſeſſ. 5. can. 3. & 4. ſeſſ. 6. cap. 3.* & ita tenent Henriquez *lib. 2. c. 21.* Poſſevinus *de officio Curati cap. 6.* Bonacina *punct. 6. nu. 2.*

3. Si vero Monſtrum generetur ex homine & bruta, tunc baptizari poterit, quia eſt homo conſtans ex corpore, & anima rationali. Quod ſi omnibus perpenſis dubitetur, an ſit homo, ut ſi habeat caput terinnm cum ceteris membris humanis, baptizari debet ſub conditione, *ſi es capax Baptiſmi.* Ita Leander *diſp. 5. qu. 5.* Filliucius *cap. 6. in fine*, Palaus *punct. 6. n. 4.* & alii paſſim.

4. Si certo conſtet, Monſtrum eſſe hominem præditum anima rationali, ſed dubitetur, an ſint duo, vel unus tantum, ut quia non ſunt duo capita bene diſtincta, aut ſunt duo capita cum uno pectore, tunc Baptiſmus conferri debet in ſingulis capitibus, in eo quod perfectius apparet *abſolute*, & in altero *ſub conditione: Si non es baptizatus, ego te baptizo &c.* Ita Bonacina, Filliucius, Palaus, & alii, *locis citatis*, apud Bonacinam.

5. Secundo requiritur, ut ſit vivus, quia ſicut ſolus homo viator, vivens, & exiſtens in hac vita mortali, eſt capax acquirendæ beatitudinis æternæ, ita ſolus homo vivus eſt capax Baptiſmi: inde ſi Puer moriatur antequam ablui poſſit, vel antequam ſit finita forma, Baptiſmus eſt nullus. Si autem dubitetur, an Puer vivat, vel non, baptizandus eſt ſub conditione. Ita communiter.

6. Tertio requiritur, ut ſit natus, quia Puer in utero Matris exiſtens baptizari non poteſt, cum non poſſit in ſe ipſo ablui; non enim ſufficit ablui Matrem, illiuſque ventrem, quia Mater eſt perſona diſtincta a Filio, qui non poteſt dici ablutus per hoc quod aſpergatur Mater; & inde communiter dicitur, quod non poſſit per Baptiſmum renaſci, qui nondum eſt corporaliter natus, quia nimirum non poteſt in ſe ipſo ablui. Utrum vero valeat Baptiſmus, ſi Puer adhuc in utero Matris exiſtens manu, aut arte Obſtetricis abluatur in ſe ipſo, negat Comitolus *in reſp. moral. lib. 1. quæſt. 13.* quem ſequitur Filliucius *tract. 2. num. 33.* quia nemo naſcitur ſpiritualiter, niſi prius naſcatur naturaliter; ſed ego cenſeo validum eſſe Baptiſmum, ſi Puer in utero Matris exiſtens poſſit in aliqua ſui parte lavari. Ratio eſt, quia tunc adſunt omnia eſſentialia ad validitatem Baptiſmi, nempe ablutio cum debita forma verborum. Nec obſtat, quod Puer nondum ſit natus, quia ad validitatem Baptiſmi

ſufficit, ut ſit natus a non eſſe hominis ad eſſe hominis, dummodo poſſit lavari; & certe ſi Puer ſolum caput emittat e ventre Matris, aut venter Matris mortuæ ſecetur, poterit Puer vivus baptizari, quamvis non ſit naturaliter natus. Et ita tenent Suarez *q.68. art.11. diſp.20. ſect.2.* Valentia *to.4. diſp.4. q.1. punct.2.* Victoria *in ſum. qu.32.* Coninchus *q.68. art.11. n.90.* Diana *part.9. tr.1. miſcell. reſol.43.* & *part.5. tract.3. reſol.12.* Leandet *q.21.*

7. Quarto requiritur, ut nondum ſit baptizatus, quia non valet Baptiſmus iteratus, nam Puer ſemel valide baptizatus, non eſt amplius capax Characteris, & per conſequens novi Baptiſmi. Quod ſi Baptiſmus iteretur, tam qui baptizat, quam qui voluntarie rebaptizatur, peccant mortaliter, & fiunt irregulares. Cap. *eos quos, de Conſecrat. diſt.* Navar. *c.27. n.247.* Suarez *diſp.22. ſect.1.* & *diſp.31. ſect.9.* Valentia *diſp.4. q.1. punct.4.* imo ſecundum Leges Civiles puniuntur pœna mortis, ut notat Caſtro Palaus *tract.18. punct.9. & ſeqq.* & *tr.19. punct.10. nu.6.* Hanc pœnam irregularitatis non incurri, ſi ſecundus Baptiſmus conferatur non abſolute, ſed ſub conditione, docet cum aliis Leandet *diſp.7. q.9.* quia talis irregularitas non habetur expreſſe in jure, cum non ſit vera, & abſoluta rebaptizatio.

„ *Vide melius, & clarius quid circa hoc habeatur in fine primæ partis Notific. jam allatæ, & poſitæ n.17. lib.4. in qua ad Vicarium Foraneum, nonnulla ſupra hanc materiam quærentem, reſponſum redditur, hiſce verbis.* Eadem noſtra Inſtitutio, quæ ſcribendi occaſionem tibi præbuit, de irregularitate pariter agit, quæ a Parocho contrahitur, ſi Baptiſmus *ſub conditione* adminiſtretur, antequam diligenter examinaverit utrum, & nequaquam temere, ſuſpicari poſſit aliquid ad Baptiſmum neceſſarium fuiſſe prætermiſſum. Porro hujuſmodi irregularitas colligitur ex cap. *ex litterarum* Alexandri III. *de Apoſtatis, & iterantibus Baptiſma*. Scriptores autem inquirunt; an hæc pœna illos tantum afficiat, qui iterum Baptiſmum conferunt, nulla adhibita conditione; an eos pariter, qui abſque ullo examine Baptiſmum iterum *ſub conditione* adminiſtrant. Inſuper: an eadem pœna contra Baptizatum, & Baptizantis adminiſtrum ſolum infligatur, an Baptizantem quoque ipſum comprehendat. Poſtremo; utrum hæc irregularitas ad ulteriores Ordines aditum intercludat, an vero impediat ſolum exercere Ordines, qui jam percepti fuerunt?

„ Aliqui profecto pœna hujuſmodi eos minime illigari putant, qui Baptiſmum *ſub conditione* iterum conferunt, ob eam cauſam, quod adjuncta conditio rem ſuſpenſam, & ancipitem relinquit, itaut Baptiſmum reipſa adminiſtrare non intelligat, niſi forte in primo Baptiſmo neceſſarium aliquod defuerit. Ita Suarez *in 3. p. to.3. q.71. art.4. diſp.31. ſect.6. dub.5.* Navarr. *in Manuali to.1. c.27. n.246.* Bonacina *Oper. Moral. tom.1. intr. de Cenſuris diſp.7. q.3. punct.3. n.4.* Layman *Theol. Mor. lib.1. tr.5. part.5. c.2. verſ.4.* Gibalin. *de Irregularit. c.5. conſectar. 4. per totum pag.312.* Tamburinus *Oper. Moral. tom.2. lib.10. tract.4. cap.13. §.2.* Leandet *Oper. Moral. to.1. tract.2. diſp.6. q.9.* & *tom.5. tract.2. diſp.18. q.12.* Diana *in Editione coordinat, to.5. tr.5. reſ.20.* Franc. de Magiſtris *in praxi Fori Eccleſiaſt. to.2. lib.1. tit.8. cap.4. n.7. verſ. Et nota.* Caſtro Palaus *Oper. Moral. tom.6. diſp.6. punct.10. num.6.* Pyrhing. *in quintum Decretal. tit.9. n.13.*

„ Alii tamen judicant hanc pœnam irregularitatis in illos quoque decerni, qui baptizant *ſub conditione*, licet prudenter dubitare nequeant, an primus Baptiſmus rite collatus fuerit juxta Eccleſiæ diſciplinam, & inſtituta; nam temere, & inconſulto rem maximi ponderis ſuſcipiunt. Accedit etiam, quod interpoſita conditio deliberatum baptizandi animum nequaquam immutat; ſiquidem qui hoc modo baptizat, nullum in dubium revocat, an vere, & valide primus Baptiſmus fuerit adminiſtratus. Hinc dicitur ipſe Baptiſmum ſecundum re ipſa contuliſſe; quippe novum Baptiſmum jam baptizato tradit, qui ſane verus Baptiſmus nuncupari debet, licet ea conditio interponatur. De his plures Auctores copioſe dixerunt, inter quos Salzed. ad Diaz *in Praxi Can. c.13. verſ. A qua quidem irregularitate.* Says. *de Cenſuris lib.7. cap.8. nu.23. & ſeqq.* Majol. *de irregularitate lib.3. cap.14. num.5.* Hugolin. *in eod. tract. cap.35. §.3. num.4.* Barboſa *cap. de quibus au.3. de Bapt.* Filliuc. *Oper. Moral. tract.20. num.182.* Vulp. *Reſol. Moral.103. nu.3. & ſeqq.* Fernandez da Herrodia *de Sacram. Bapt. part.4. dub.2. nu.4.* Megal. *part.3. Inſtit. Confeſſ. & Pœnit. lib.7. cap.2. n.36.*

„ Perpauci exiſtimant hac pœna irregularitatis Baptizantem non devinciri, ſed plurimi arbitrantur ob eamdem pœnam ſolum aſcenſum ad ſuperiores Ordines impediri, inter quos Gibalinus *in eod. cap.5. part.4. num.7.* ac Pyrhinghius in allato *tit.9. §.3.* numerantur: non deſunt tamen qui cenſeant ob hanc irregularitatem ſuſceptos Ordines exerceri non poſſe, & eos Syrus fuſe commemorat *lib.7. de Cenſuris cap.8. num.5.*

„ Nos quidem expoſita inſperius Catechiſmi Romani auctoritate adducti, illorum opinionem probavimus, qui putant irregularitatem ab illis contrahi, qui *ſub conditione* Baptiſmum adminiſtrant, cum nulla eſt ſuſpicandi cauſa, an primus Baptiſmus rite peractus fuerit. Illorum quoque ſententiam amplectimur, qui tradunt ob hanc irregularitatem ſuſceptos Ordines exerceri nequaquam poſſe; nam Romanus Catechiſmus Sacerdotes etiam, ac Parochos commemorat, quos etiam nominat S. Carolus Borromæus, qui in tertia Synodo Mediolanenſi irregularem eum pariter declarat, qui *ſub conditione* Baptiſmum iterum confert: conſtat autem nullum Ordinem inveniri, ad quem Sacerdotes, & Parochi provehantur. Idem monuit Altovitus a Secretis Sac. Congregationis Concilii in Cauſa Tudertina Bapt. ſeu Irregularit. die 17. Novemb. an. 1685. *Siquidem*, inquit, *Synodus Mediolanenſis, & Catechiſmus Romanus, quorum maxima eſt auctoritas, & cæteris præferenda, loquuntur expreſſe de Sacerdotibus, & Parochis rebaptizantibus ſub conditione: unde irregularitas, quæ inibi ſtatuitur, & reſpective præſupponitur adverſus dictos Sacerdotes, & Parochos, neceſſario intelligenda eſt de impediente exercitium Ordinum ſuſceptorum, cum non detur alius Ordo ſacer, ad quem Sacerdotes, & regulariter Parochi, aſcendere poſſint.*

DUBIUM II.

An, & qualis diſpoſitio requiratur in Suſcipiente Baptiſmum?

8. CErtum eſt, nullam requiri diſpoſitionem in Pueris, uſu rationis carentibus, quia cum ſint incapaces alicujus actus liberi, Chriſtus, & Eccleſia ſupplet in eis intentionem, & diſpoſitionem; ſicut enim voluntas Adami ſufficit ad contrahendum peccatum originale, ita etiam ſufficit voluntas, & fides Eccleſiæ reſpectu Infantium, qui liberum voluntatis actum nequeunt elicere; quod idem dicendum eſt de Adultis perpetuo amentibus a nativitate, nec habentibus lucida rationis intervalla, ut cum D. Thoma *q.68. art.9. & 12.* docent omnes Catholici. Loquendo autem de Adultis, triplex in eis requiri poteſt diſpoſitio: prima eſt intentio, ſecunda Fides, tertia Contritio, ſeu Attritio ſupernaturalis, de quibus dicendum eſt.

9. Reſp. 1. In omnibus Adultis, qui aliquando uſum rationis habuerunt, ita requiritur intentio aliqua ſaltem habitualis ad valorem Baptiſmi, ut ſine illa nullus, & invalidus ſit Baptiſmus; ſequitur ex dictis *tract. præced. c.6. dub.1.* & habetur in cap. *Majores §. item quæritur, de Baptiſmo*. Ratio ſumitur ex ſuavi providentia Dei, nolentis hominem adultum juſtificari ſine aliqua ſua cooperatione, & conſenſu: tum quia Baptizatus per Baptiſmum ſuſcipit plures obligationes, & novum ſtatum, ad quem nemo ratione utens ſine conſenſu aliquo ſuo compelli debet; inde non valet Baptiſmus collatus Adulto, qui nunquam voluit baptizari, vel ſi aliquando voluit, voluntatem illam retractavit. Ita D. Thom. *q.68. art.7.* Henriquez *lib.2. cap.24. n.3.* Vaſquez *diſp.138. nu.65.* Filliuc. *cap.6. n.132.* Bonac. *q.2. punct.6. n.17.*

10. Hæc intentio Suſcipientis ad valorem Baptiſmi requiſita, non debet neceſſario eſſe actualis & expreſſa, ſed ſufficere poteſt habitualis; unde dormienti, vel etiam amenti, poteſt valide conferri Baptiſmus, ſi ante ſomnum, vel amentiam illum petiit, ut docet D. Thomas *art.12. ad 3.* dicens, quod dormientes, periculo mortis imminente, baptizari debent, ſi prius in eis voluntas apparuit ſuſcipiendi Baptiſmum. Nec officit, ſi amens, aut furioſus in actuali receptione Baptiſmi obſtare videatur, quia illa reſiſtentia, cum non ſit actus humanus, non repugnat intentioni antea elicitæ. Obſervat tamen, & bene, Bonac. *punct.6. nu.19.* expectandum eſſe, ut reſipiſcat, ſi adſit ſpes reſipiſcendi, & recuperandi uſum rationis, tum propter majorem certitudinem, tum propter majores fructus, & reverentiam Sacramenti; ſpe autem illa ſublata, eſſe baptizandus, cum Sacramentum hoc ſit maximæ neceſſitatis. Ita Henriquez *lib.2. c.24. n.3. & 4.* Sylveſter verbo *Baptiſmus 4. §.3.* Graffi *2. p. l.1. c.4. n.45.* Filliuc. *c.6. n.132.*

11. Si dubitatur, utrum amens petierit Baptiſmum, necne, ante amentiam, baptizandus eſt ſub hac conditione; *Si petiiſti Baptiſmum, Ego, te baptizo &c.* quia hoc modo nulla irrogatur injuria Sacramento, & poteſt prodeſſe amenti baptizato: niſi forte conſtaret amentem in ſtatu peccati permanſiſſe, ut in concubinatu, quia tunc non eſſet baptizandus, quia baptizaretur cum obice, & Sacramentum daretur indigno. Ita Henriquez *lib.2. cap.24. n.4.* Bonacina ſupra *num.20.* & alii communiter.

12. Qui baptizatur ex metu gravi, puta ex metu ſervitutis, vel alterius mali gravis, ſi interne, & vere conſentiat, & non ſolum externe, & ficte, valide baptizatur, quia metus non tollit voluntarium ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid, ut habetur *3. Ethicor.* Secus dicendum eſt de illo, qui per vim & metum coactus recipit Baptiſmum ſine ulla intentione, aut cum intentione contraria. Nec obſtat, quod Matrimonium, & vota non ſubſiſtant, ſi fiant ex metu gravi; ergo nec Baptiſmus. Contra enim eſt, quia Matrimonium, & vota facta ex metu gravi, ſunt irrita ſolum jure poſitivo ob injuriam illatam, & quia Matrimonium

nonium eſt contractus oneribus plenus, qui debet eſſe omnino liber. Ita Filliuc. *cap. 6. numer.* 134. Henriquez *loco cit.* Reginaldus, & alii apud. Bonacinam.

13. Reſp. 2. Non eſſe neceſſariam fidem ſupernaturalem in Adultis ad valide recipiendum Baptiſmum, bene tamen ad recipiendum illum cum fructu, & gratia. Sequitur ex dictis *tr. præced. cap. 6. dub.* 5. unde qui ſine fide accederet ad Baptiſmum, reciperet Characterem, ſed non Gratiam; quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, colligitur ex illo Matth. ult. *Docete omnes gentes, baptizantes eos*, ubi præcipitur prius doceri gentes, deinde baptizari; & ex illo Marci 11. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Itaque Baptizandus debet prius inſtrui, ut non ſolum Præcepta Decalogi, & Orationem Dominicam diſcat; ſed etiam Articulos Fidei ſaltem craſſo modo intelligat, actum Fidei eliciat, niſi periculum ſit in mora, quia tunc ſufficeret Baptizando explicite credere Myſterium Trinitatis, & Incarnationis. Ita Sotus *in* 4. *diſt.* 6. *qu.* 2. *art.* 1. Sanchez in Præcepta Decal. *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 24.

14. Reſp. 3. in Adultis neceſſariam eſſe attritionem ſupernaturalem ad digne, & fructuoſe recipiendum Baptiſmum, ſi ultra originale habeant peccata mortalia; ſic enim colligitur ex illo Actor. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum*, & ex Trident. *ſeſſ.* 6. *c.* 6. Ratio eſt, quia Baptiſmus confert gratiam, & delet peccata omnia, non ſolum originalia, ſed etiam actualia; ſed iſta de lege ordinaria deleri non poſſunt ſine retractatione peccatoris; ergo retractatio, & dolor peccatorum eſt neceſſarius ad fructuoſe recipiendum Baptiſmum. Non eſt tamen neceſſe, quod Baptizandus diſponatur ad Baptiſmum per Sacramentum Confeſſionis, cum Baptiſmus ſit janua omnium Sacramentorum, & ante Baptiſmum quis eſt incapax aliorum Sacramentorum. Nec debet neceſſario præmittere contritionem, ſed ſufficit quod habeat attritionem etiam cognitam, ut talem, quæ ſimul cum Sacramento Baptiſmi faciat ex attrito contritum, ut ſæpe docet D. Thomas *q.* 68. *art.* 4. & *q.* 79. *art.* 3. *ad* 2. ubi ait: eum non inconvenienter accedere ad Baptiſmum, qui habet conſcientiam peccati mortalis; & *q.* 80. *art.* 4 *ad* 2. aſſerit: hoc eſſe diſcrimen inter Sacramentum Euchariſtiæ, & Sacramentum Baptiſmi, ac Pœnitentiæ, quod Euchariſtia ſit medicina hominem confortans, quæ dari non debet, niſi liberatis a peccato: Baptiſmus autem, & Pœnitentia ſunt quaſi medicinæ purgativæ, quæ dantur ad tollendam febrem peccatorum; ſunt enim hæc Sacramenta per ſe inſtituta, ut hominem juſtificent, ac proinde non requirunt ante juſtificatum eſſe. Idem habet *q.* 68. *art.* 6. & cum eo Doctores communiter.

15. Requiritur tamen, quod hæc attritio ſit ſupernaturalis procedens ex auxilio gratiæ, & motivo aliquo ſupernaturali, ut ſit proportionata diſpoſitio ad gratiam, quæ eſt ordinis ſupernaturalis; nec ſufficit attritio ſolum naturalis, quamvis putata ſupernaturalis, quia debet in ſe eſſe ſupernaturalis, ut colligitur ex Trident. *ſeſſ.* 6. *cap.* 6. & *ſeſſ.* 14. *c.* 4. ubi inter diſpoſitiones ad juſtificationem ponitur attritio, quam dicit eſſe donum Dei, & Spiritus Sancti, & quia naturalis attritio, quantumvis putata ſupernaturalis, non eſt proportionata diſpoſitio ad gratiam, quæ eſt vere ſupernaturalis. Ita Suarez *diſput.* 28. *ſect.* 2. *concl.* 3. Layman *cap.* 6. *n.* 4. Bonac. *punct.* 6. *n.* 24. & 25. Dixi ſi ultra originale habeat peccata actualia, quia ſi nullum habet actuale, ſufficiet in hujuſmodi Adulto fides ſupernaturalis, cum voluntate recipiendi Baptiſmum, & obſervandi Legem Dei, abſque eo quod præmittat actum doloris, ſeu attritionis, quæ ſolum verſatur circa peccata actualia. Ita Suarez *diſp.* 28. *ſect.* 7. Henriquez *lib.* 23 *cap.* 24. *num.* 3. Bonacina *loco cit. num.* 26.

DUBIUM III.

An ſint baptizandi Filii Infidelium invitis Parentibus?

16. Certum eſt, Baptiſmum collatum Filiis Infidelium, invitis Parentibus, eſſe validum, ſive illi uſum habeant rationis, ſive non, quia ad valorem Baptiſmi in Pueris, uſu rationis carentibus, requiritur ſolum Materia, Forma, & Intentio Miniſtri, quæ omnia adeſſe ſupponimus. Unde voluntas Parentum, aut eorum repugnantia obeſſe non poteſt Baptiſmo Filiorum, nec requiritur voluntas propria ipſorum Infantium, cum illius loco ſuccedat voluntas Chriſti & Eccleſiæ, & certe Eccleſia non rebaptizat Infantes, invitis Parentibus, baptizatos. Si pueri occidantur propter Chriſtum, invitis parentibus, nullus dubitat eſſe Martyres, ut patet in Sanctis Innocentibus; ergo etiam validus erit Baptiſmus illis collatus, invitis Parentibus, ut docent Henriquez *lib.* 2. *c.* 25. Vaſquez *diſp.* 155. Reginaldus *lib.* 27. *n.* 68. Cajet. 3. *p. qu.* 68. *art.* 10. Suarez *diſp.* 25. *ſect.* 1. & alii plures, quos citat, & ſequitur Bonacina *q.* 2. *p.* 6. *num.* 11. & Palaus *punct.* 6. *n.* 7.

17. An vero poſſit licite miniſtrari Baptiſmus Filiis Infidelium, valde controvertitur. Pro explicatione videndum eſt: an illi careant uſu rationis, vel non: an ſint in periculo mortis: an habeant utrumque Parentem infidelem, vel unum tantum: an unus Parentum conſentiat, vel uterque diſſentiat: an ſint ſubditi, vel ſervi alicujus Principis Chriſtiani; pro diverſa enim illorum conditione, debet diverſimode reſponderi, proinde;

18. Reſp. 1. Si Filii Infidelium habeant uſum rationis, & petant Baptiſmum, baptizari debent, invitis Parentibus. Ratio eſt, quia jus habent petendi, quod ſibi neceſſarium eſt ad ſalutem, cum ſint ſui juris in iis, quæ pertinent ad bonum animæ, nec tenentur Patri obedire in iis, quæ ſibi, & Deo contraria ſunt. Poſſunt igitur baptizari, invitis Parentibus, & illis ſubtrahi, ut perverſionis periculum evitetur. Ita S. Thomas *q.* 68. *art.* 15. & eſt communis. Si dubitetur, an Puer uſu rationis polleat, tunc baptizari poteſt, & debet ſi ſeptennium complevit, & Baptiſmum petiit, quia præſumitur rationis uſum habere: ſi vero ſeptennium non complevit, baptizari non poteſt, invitis Parentibus, quia non præſumitur habere uſum rationis, & eſt melior conditio Parentum poſſidentium. Ita Bonacina *loco cit.* Leander *diſp.* 5. *quæſt.* 15. & alii, quos ſequitur Trullench. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 6.

19. Reſp. 2. ſi Filii Infidelium careant uſu rationis non poſſunt licite, invitis Parentibus, baptizari. Ratio eſt, quia vel illi Filii ſubtrahuntur Parentibus, vel ipſis relinquuntur: ſi primum, ſit injuria Parentibus qui privantur jure, quod habent in Filios, ſiquidem Pater jure naturæ jus habet in Filios, ut eos inſtruat & regat; non ſunt autem facienda mala, ut veniant bona: ſi relinquuntur Parentibus, ſit injuria Sacramento, ob periculum Apoſtaſiæ, & ſubverſionis. Ita S. Th. *q.* 68. *art.* 10. & 2. 2. *q.* 10. *art.* 12. Cajet. *ibidem*. Sotus *in* 4. *diſt.* 5. *quæſt. unica*. Reſp. procedit de Filiis Infidelium numquam baptizatorum; nam ſi loquamur de Filiis Infidelium jam baptizatorum, ut Hæreticorum, & aliorum Apoſtatarum a Fide, dico Eccleſiam poſſe horum Filios, invitis Parentibus, baptizare, quia ſicut Eccleſia poteſt ipſos Parentes compellere cenſuris, & pœnis corporalibus ad ſervandam fidem, ita etiam poteſt ab ipſis ſubtrahere Filios, eoſque Sacramento Baptiſmi initiari. Ita S. Thomas *loco cit. art.* 10. Cajet., Coninch, & alii apud Bonacinam *punct.* 6. *num.* 12.

20. Quod ſi Filii Hæreticorum ſint ſub cura Parentum, & timeatur periculum perverſionis eorum, negant in eo caſu poſſe licite baptizari, invitis Parentibus, Suarez *diſp.* 25. *ſect.* 5. Coninch *q.* 68. *art.* 10. *dub. unico nu.* 81. Herrodia de Baptiſmo *p.* 7. *dub.* 3. *n.* 8. quia adeſt periculum morale, quod Parentes irrideant fidem a Filiis ſuſceptam, & quod Filii ad uſum rationis pervenientes illam deſerant. Sed Layman *c.* 6. *n.* 12. ait, contrarium paſſim obſervari a viris doctis in terris, in quibus Hæretici libere exercent ſuam religionem, quia periculum perverſionis non eſt ita propinquum, & certum, cum fieri poſſit, ut Infantes ante uſum rationis moriantur, & ſalventur per Baptiſmum, & quia facilius ad fidem convertuntur, ſi ſciant a Sacerdote Catholico ſe fuiſſe baptizatos, quam Sententiam probabilem putat Diana *q.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 7. Ego non recederem a prima Sententia, ſi Infantes non eſſent in probabili periculo mortis, ut mox dicam.

21. Reſp. 3. ſi Filii Infidelium exiſtant in evidenti periculo mortis, poſſunt, ac debent, invitis Parentibus, baptizari, ſive Parentes ſint Infideles non baptizati, ſive baptizati, & Hæretici, quia in eo caſu ceſſant inconvenientia ſupra allata. Nam & Parentes ſunt irrationabiliter inviti, & ceſſat periculum apoſtaſiæ, & ſubverſionis, eſtque ſubveniendum Puero extreme indigenti cum aliquali jactura juris paterni, cui præponderat æterna Pueri ſalus. Ita, pluribus citatis, Salmaticen. in curſu moral. *cap.* 6. *nu.* 33. Diana *part.* 5. *tr.* 3. *reſol.* 10. Leander *diſp.* 5. *q.* 13.

22. Reſp. 4. ſi alter ex Parentibus ſit Fidelis, baptizandus eſt Puer, invito altero Parente Infideli, quia tunc Puer ex vi ſuæ originis eſt ſubditus Eccleſiæ, & imitari, ac ſequi debet Parentem Chriſtianum, ut habetur cap. *Judæo* 28. *qu.* 4. Idem valet, ſi Filius ſit natus ex utroque Parente Infideli, quorum unus poſtea converſus ſit, nam Filius ſequi debet Parentem innocentem, & converſum. Nomine Patris venit etiam Avus paternus, qui in locum Patris defuncti ſuccedit, ut notat Layman *cap.* 6. *quæſt.* 5. *concl.* 2. *verſ.* 3. quare ſi Avus conſentiat, Matre reluctante, debet Puer baptizari, ut ſtatutum fuiſſe narrat Valentia *diſp.* 4. *q.* 3. *p.* 3. a Gregorio XIII. de quodam Puero, quem Avus paternus baptizare volebat, reluctante Matre Judæa, quæ, defuncto Patre, ſuperſtes erat.

23. Idem dicendum, ſi ambo Parentes perſiſtentes in infidelitate, unus conſentiat Filium baptizari, alter non. Ratio eſt, quia cum hic actus cedat in favorem Religionis, & ſalutem Infantis, maxime favorabilis eſt, conſequenter conſenſus unius præferendus eſt diſſenſui alterius, dummodo tamen Puer poſſit chriſtiane educari, nec adſit morale periculum apoſtaſiæ, ſeparando Filium a conſortio Parentis reluctantis. Sic habetur ex cap. *Judæo* 28. *q.* 1. & cap. *ex litteris de converſione Infidelium*, & docent Layman *loco cit. verſ.* 3. Suarez *diſp.* 25. *ſect.* 3. *verſ. duo*, Coninch. *n.* 82. Bonac. *diſp.* 2. *q.* 2. *p.* 6. Salmaticenſ. *loc. cit. n.* 17. & alii communiter, qui advertunt cum Filliucio *cap.* 5. *n.* 145. licentiam Parentis debere eſſe ad effectum mundandi Puerum a peccato originali, & non præciſe ad illum liberandi ab ægritudine temporali, quod ex Navar. *conſil.* 5. *de Baptiſmo* faciunt perſæpe Turcæ,

Turcæ, quod ſæpe viderint, aut audierint, Baptiſmum talibus collatum ſanitatem reddidiſſe; ſic enim non ſatis conſultum eſſet reverentiæ Baptiſmi, nec ſublatum periculum ſubverſionis, & irriſionis Fidei, ſi Filius reſtituatur Parentibus Infidelibus.

24. Reſp. 5. Filiis Infidelium, qui non ſunt Servi, ſed tantummodo Vaſſalli, & Tributarii Principum Chriſtianorum, quales ſunt Judæi, ex conſenſu Principum commorantes in aliquibus Civitatibus, non poſſunt, invitis Parentibus, baptizari, quia hujuſmodi Filii, vel ſunt eripiendi a poteſtate Parentum, & ſic fieret ipſis injuria; nam Parentes jure naturæ jus habent inſtruendi, & regendi Filios, qui ſunt aliquid Patris; vel ſunt relinquendi in eorum poteſtate, & ſic fieret injuria Sacramento, ob periculum apoſtaſiæ, & ſubverſionis, ut cum D. Thoma dictum eſt ſupra *reſp.* 2. Sequuntur Vaſquez *diſp.* 355. *cap.* 2. Coninch. *q.*68. *art.* 10. Hurtad. *diſp.* 1. *difficul.* 4. Candidus *diſq.* 16. *dub.* 5.

25. Allata ratio non militat de Filiis Servorum, qui emuntur, aut juſto bello capiuntur, & jure belli fiunt ſervi Chriſtianorum, ut ſunt Turcæ, Saraceni, & alii; unde iſtorum Filii ex conſenſu Dominorum poſſunt, invitis Parentibus, baptizari. Ratio eſt, quia Dominus Chriſtianus titulo dominii poteſt Filios ſervorum a Parentibus ſeparare, illos vendere, donare, aut mittere in longinquas partes, itaut nulla ſit ſpes in eorum conſortium fore redituros: qua ſeparatione facta, Pater non habet amplius tutelam Filii, ſed illam habet Dominus, & ſic poterit de conſenſu Domini baptizari. Ita Laym. *c.* 6. *q.* 5. Suar. *diſp.* 25. *ſect.* 4. Vaſq. *diſp.* 155. *c.* 4. Diana *part.* 2. *tr.* 15. *reſ.* 45. Filliuc. *n.* 142. Candidus *loco cit.* & alii communiter.

26. Utrum vero Domini teneantur curare ſervos ſuos baptizari: Reſp. per ſe loquendo teneri ſub peccato mortali lege charitatis, ne priventur tanto bono ſpirituali; per accidens tamen, ratione circumſtantiarum, magnæ difficultatis, aut incommodi, fieri poteſt, ut excuſentur; unde fit, ut Domini poſſint Parentibus, aut aliis vendere ſuos nondum baptizatos accepta pecunia, aut facta compenſatione cum captivis Chriſtianis, vel propter alia incommoda vitanda. Ita Diana *loco cit.* & *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 1. Vaſquez *diſput.* 155. *cap.* 7. Suarez *diſp.* 25. *ſect.* 6. Layman *cap.* 4. *q.* 5. *n.* 10. Coninch. *n.* 88.

DUBIUM IV.

Quandonam Baptiſmus ſit ſub conditione iterandus?

27. CErtum eſt Baptiſmum, nec etiam ſub conditione, temere poſſe iterari ſine gravi injuria Sacramenti, ut docet Catechiſmus Rom. *p.* 2. *c.* 2. *de Baptiſ.* § 57. Qui enim ſine neceſſitate, ex levi tantum ſcrupulo, & timore Sacramentum repetit, illud ſubjecto incapaci miniſtrare conatur, quod ſine gravi injuria Sacramenti, & peccato ſacrilegii, fieri non poteſt. Si enim ſine gravi neceſſitate non eſt licitum uti Materia, aut Forma dubia in Sacramentis, quamvis illa conferantur ſub conditione, *ſi Materia, & Forma ſint legitimæ*, quia exponimus nos periculo invalide conficiendi Sacramentum, ita non erit licitum ob eamdem rationem, ſine gravi neceſſitate, ac rationabili cauſa, Baptiſmum etiam ſub conditione iterare.

„ *De Baptiſmo, necnon & de aliis Sacramentis Characterem imprimentibus, nunquam ſub conditione reiterandis, niſi gravis urgeat neceſſitas, vide quæ in lib.* 7. *c.* 6. *Synodi Diœceſanæ eruditiſſimis extant monimentis conferat, ad erudiendum non minus, quam in ſui muneris, ut Sacramentorum decet ſanctitatem, unumquemque Animarum Paſtorem inſtituendum, perapte diſpoſita.* Verba autem ſunt hæc: eam (*formulam ſcilicet conditionatam*) a Scholaſticis eſſe adinventam, & in Eccleſiam invectam plerique viri eruditi exiſtimarunt; ſed eos toto Cælo aberraſſe ait Martene *de antiq. Eccl. ritib. to.* 1. *lib.* 1. *c.* 1. *art.* 16. *n.* 10. Siquidem longe ante Scholaſticos S. Bonifacius Archiepiſcopus Moguntius in ſuis Statutis circa annum 745. conditis, & *to.* 9. Spicilegii a Luca Dacherio editis *c.* 28. hæc habet: *Si de aliquibus dubium ſit, utrum ſint baptizati abſque ullo ſcrupulo baptizentur; his tamen verbis præmiſſis: non te rebaptizo, ſed ſi nondum es baptizatus, ego te baptizo.* Idemque, ac totidem fere verbis ſtatutum legimus *lib.* 6. *Capitular. c.* 148. apud Balutium *to.* 1. *pag.* 954. e quibus idem Decretum excerpſit, ac ſuæ Canonum collectioni *ſub tit.* 11. *cap.* 17. inſeruit Iſaac Epiſcopus Lingonenſis apud Harduinum *collect. Concil. tom* 5. *col.* 447. Licet porro ante Sæculum VIII. prædictæ conditionatæ formulæ expreſſam mentionem in Conciliis, & Patribus non inveniamus, quemadmodum, præter laudatum Martene, obſervarunt Juenin *de Sacram. diſſert.* 1. *q.* 3. *c.* 5. *art.* 1. & Tournely *prælect. tom.* 6. *de Sacram. in genere, q.* 1. *art.* 6. *edit. Venet. pag.* 38. & 39.: non recte tamen inde intulit Natalis Alexander *Hiſt. Eccleſ. Sæc. IV. c.* 4. *art.* 12. illam non fuiſſe in uſu; quinimmo ea antiqua, & conſtanti Eccleſiæ praxi oppoſitum colligi putamus, quod hac ratiocinatione oſtendimus. Perpetuum Catholicæ Fidei dogma fuit, unicum eſſe Baptiſma, juxta illud Apoſtoli ad Epheſ. 4. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma*, quod propterea ſemel rite collatum, ſine gravi piaculo iterari poſſe ſemper Eccleſia negavit, ut conſtat *ex can.* 47. *Apoſtolor.* juxta verſionem Dionyſii, ex *can.* 3. Concilii Valentini anni 374., & *can.* 38. Concilii Carthagin. III. anni 397. quibus in locis temere rebaptizantes gravibus ſubduntur pœnis, & Eccleſiaſtica communione privantur. At eadem Eccleſia, quæ ita docuit eos nihilominus, de quibus dubitabatur, an eſſent in Chriſto regenerati, incunctanter baptizandos præcepit, quod innumeris teſtimoniis comprobatur. Sæculo III. diſputatum fuit de Baptiſmo Clinicorum, num ſcilicet validum eſſet Baptiſma per aſperſionem datum ægrotis in lecto decumbentibus. Conſultus Cyprianus: reſpondet Sanctus Doctor Epiſt. 76. ad Magnum, validum quidem ſibi illud videri; iis autem, qui dubitabant auctorem ſe eſſe, ut illud iterum conferrent: *Si aliquis exiſtimat* (ait Cyprianus) *eos nihil conſequutos, eo quod aqua ſalutari tantum perfuſi ſunt, ſed inanes, & vacui ſunt, non decipiantur, at, ſi incommodum languoris evaſerint, & convaluerint, baptizentur.* Sæculo V. a Legatis Maurorum interrogantur Patres Concilii Carthag. V. (aliis VI.) anni 401. quid agendum foret de pueris, quos an baptizati eſſent, nemo certo ſciret, ad quod reſponderunt Patres *can.* 6. (*collect. Hard. tom.* 1. *col.* 987.) *placuit de Infantibus, quoties non inveniuntur certiſſimi teſtes, qui eos baptizatos eſſe ſine dubitatione teſtentur, neque ipſi ſunt idonei de traditis ſibi Sacramentis reſpondere, abſque ullo ſcrupulo eos eſſe baptizandos, ne iſta trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione privari*: eumdemque Canonem renovarunt Synodus Africana anni 401., & alia Synodus Carthaginienſis ſub Bonifacio Epiſcopo anno 525. Idem ad Ruſticum Narbonenſem, atque iterum ad Neonam Epiſcopum Ravennatem reſcripſit Leo Magnus. Ad hæc autem præcedentium Conciliorum, & Patrum Decreta alluſit Gregorius II. cum de eadem re interrogatus a Bonifacio Epiſcopo *Epiſt.* 2. *n.* 9. (*tom.* 3. *collect. Hard. col.* 1895.) reſpondit: *De parvulis, qui a parentibus ſubtracti ſunt, & an baptizati, an non, ignorant, quia interrogaſti: hos ut baptizare debeas ſecundum Patrum traditionem, ſi non fuerit, qui teſtificetur, ratio expoſcit.* Jam vero cum ex his, aliiſque ſimilibus teſtimoniis, a laudato Martene prolatis, luculenter pateat, antiquum, atque ipſi Eccleſiæ communem uſum fuiſſe, eos baptizare, de quibus dubitabatur, num per regenerationis lavacrum ab originali culpa eſſent expiati, ne dicamus, Eccleſiam in eumdem incidiſſe Rebaptizantium errorem, quem toties deteſtata erat, & damnaverat, neceſſe eſt exiſtimare, non aliter in ea dubietate Baptiſmum conferri voluiſſe, quam ſub tacita, & mente concepta conditione: *ſi nondum es legitime baptizatus.* Hæc autem conditio, quæ prius mente tantum concipiebatur, cœpit Sæculo VIII. in ipſa Baptiſmi forma exprimi, & pronuntiari; quam quidem diſciplinam, multis jam in locis receptam, Alexander III. Sæculo XII. non ſolum approbavit, ſed ubique ſervandam edixit *in cap.* 2. *de Bapt.* inquiens: *De quibus dubium eſt, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmiſſis: Si baptizatus es, non te baptizo, ſed ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo*; eamdemque Sanctionem confirmavit Joannes XXII. apud Odoricum Rainaldum *ad annum* 1333. *num.* 42.

Non ideo tamen, quod per præfatam conditionem periculum evitetur rebaptizandi, qui jam ſemel fuerit baptizatus, eſt illa paſſim, & temere adhibenda, ſed tunc ſolum ea uti licebit, cum prudens, & probabilis ſubeſt dubitatio, an quis fuerit rite baptizatus, nec, diligenti præmiſſa indagatione, potuit rei veritas innoteſcere, quemadmodum ſcite perpendit Sotus *in* 4. *diſt.* 3. *qu. unic. art.* 9. §. *circa hanc ſolutionem*, ubi a ſacrilegio non excuſat, neque ab irregularitate abſolvit Sacerdotem *ſub conditione* rebaptizantem, quem ſcit domi baptizatum, & nihil eſt, quod collatum ei Baptiſma rationabiliter ſuſpectum reddat.

28. Gravi autem exiſtente neceſſitate, & rationabili cauſa, poterit iterari Baptiſmus ſub illa conditione: *ſi non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, ut habet ibidem Catechiſmus, & docent Alex. III. *c.* 2. *de Baptiſmo*, Concil. Carthagin. V. *c.* 6. Suarez *diſp.* 22. *ſect.* 2. Bonac. Valentia, Layman, & alii communiter, quia tali exiſtente neceſſitate nulla fit injuria Sacramento ſub tali forma adminiſtrato, & occurritur graviſſimo damno, quod quis pateretur, ſi forte non eſſet baptizatus, quia nullum aliud Sacramentum poſſet valide ſuſcipere, & nunquam juſtificari ſine contritione; & ſi agatur de Parvulis, non poſſent ſalutem conſequi. Rationabilis cauſa tunc dicitur adeſſe, quando adeſt grave, & rationabile dubium, potens movere hominem cordatum, & prudentem, ſive deinde ſit dubium juris, ſive dubium facti de nullitate, aut invaliditate primi Baptiſmi.

29. Inde, ſi quis ſit natus, & educatus uſque ad ætatem adultam inter Chriſtianos a Parentibus Chriſtianis, non debet nec etiam ſub conditione rebaptizari, niſi clare probetur non eſſe baptizatum, etiamſi nullus ſit, qui poſſit de eo

teſtari,

teſtari, quod ſit baptizatus, nec ipſe meminerit, ſe nunquam ab aliquo audiviſſe, ſe eſſe baptizatum. Ita expreſſe Innocent. III. *cap. Veniens de Presbytero non baptizato.* Navar. *cap.* 27. *n.* 245. Bonacina *diſp.* 1. *q.* 2. *punct.* 1. *n.* 38. Coninch. *q.* 66. *art.* 9. *n.* 94. Rationem affert Innocentius dicto cap. *Veniens*, quia de illo, qui natus de Chriſtianis Parentibus, & inter Chriſtianos eſt fideliter converſatus, tam violenter præſumitur, quod fuerit baptizatus, ut hæc præſumptio pro certitudine ſit habenda, donec evidentiſſimis forſitan argumentis contrarium probaretur.

30. A fortiori non debet iterum rebaptizari ille, de cujus Baptiſmo habetur teſtimonium per depoſitionem unius teſtis oculati, de cujus fidelitate non poteſt rationabiliter dubitari, nec illius teſtimonium contrariis conjectaris, & indiciis infirmari; nam tunc facit moralem certitudinem, ut docent Bonacina ſupra, Suarez *diſput.* 22. *ſect.* 2. Layman *cap.* 5. *num.* 3. & colligitur ex cap. *Parvulos diſt.* 4. *de conſecrat.*

„ *Hinc elucidatur neceſſitas producendi teſtimonia de jam peracto Baptiſmo ab iis, qui ſine ſolemnitate, & privatim, illum adminiſtrarunt; quinimmo bene erit hoc loco recenſere ad verbum quæ jam dicta ſunt in Notific.* 10. *lib.* 5. *contra eos, qui poſtquam baptizaverint, requiſitum inde teſtimonium firmare, vel exhibere recuſant. Sic enim fatur:* Poſtremo leges Eccleſiaſticas violant Parochus, ac Sacerdos, qui, collato privatim Baptiſmo, hujus deinde rei teſtimonium facere detrectant. Baptiſmus etiam privatus in Librum referri debet, in quo Pueri omnes baptizati adnotantur, uti Synodus eadem Card. Boncompagni præcipit. Id vero qua ratione fieri poterit, ſi illi, qui Baptiſmum adminiſtrarunt, ſcriptum teſtimonium, aut voce ſaltem firmatum, dare recuſant? Neque ſane ullus rerum æſtimator, qui ſenſu aliquo præditus ſit, audire ſine ſtomacho, & commiſeratione poteſt rationem illam inaniſſimam, quæ in medium proferri ſolet, nempe fidem Obſtetrici præſtandam, cum illa affirmat Baptiſmum collatum fuiſſe a Parocho, vel Sacerdote, ſicuti fides eidem moliti haberi conſuevit, cum Baptiſmum a ſe ipſa fuiſſe adminiſtratum teſtatur. Notiſſima res eſt, unius ſolum teſtimonium ſufficere, cum in dubium revocatur, utrum puer aliquis Baptiſmum acceperit, ut videre eſt *in Can. Parvulos, & Can. cum itaque de Conſecrat. diſt.* 4. Pro certo pariter habetur, Mulieris teſtimonium ſatis eſſe, ut Proſinus Piſanus Archiepiſcopus luculenta Diſſertatione Typis edita ſapienter demonſtravit. Quapropter Obſtetrici fides eſt habenda, cum Puerum a ſe baptizatum fuiſſe aſſerit; cum tamen id peractum a Parocho, vel Sacerdote, confirmat, tunc rem geſtam ab aliis, non vero a ſemetipſa declarat. Cum hæc ita ſint, quis unquam inficiabitur, id a Sacerdote, quem nominat Obſtetrix, eſſe inquirendum? ipſe vero qua ratione teſtimonium ejuſmodi ferre recuſabit?

„ *Et paulo poſt in ipſa eadem Notific. ſic concludit:* Quapropter delinquentes, ut ſibi conſulant, vehementer hortamur; graviſſima pariter detrimenta, quibus innocentes Pueri obnoxii fiunt oculis Parochorum ſubjicimus, qui Baptiſmum privatim a ſe collatum fuiſſe nequaquam monuerant, ita ut ipſi Pueri in Librum Baptizatorum in hac Metropolitana relati non fuerint. Nam iidem Pueri ætate jam adulti, ſuſcepti Baptiſmi teſtimonio plures ob cauſas neceſſario indigebunt, ipſumque in Libris, qui in Templo Sancti Petri ſervantur, fruſtra requirent; ideo nulla conjectura aſſequi poterunt ubinam Baptiſmum acceperint, eo quod Bononiæ quidem nati, ſalutari lavacro in Ædibus Sancti Petri ſolum ablui debuerunt. Hinc Baptiſmi teſtimonio carentes pluribus difficultatibus, ac damnis eos implicari neceſſe eſt. Poſtremo admonendi ſunt, qui parere recuſaverint pœnas a nobis in ipſos arbitrio noſtro decernendas, quas &c.

Econtra vero Infantes expoſiti ſine alla ſchedula, & teſtimonio accepti Baptiſmatis, debeant ſine dubio baptizari, quia ſatis prudenter præſumi debet ipſos non eſſe baptizatos; nam uſus obtinuit inter Catholicos, ut hujuſmodi expoſitis ſchedula apponatur collati Baptiſmatis. Infantes vero arrepti a Barbaris poſſunt baptizari, ſi dubium ſit, an fuerint arrepti ante ſuſceptum Baptiſmum, ut docet Bonacina *num.* 39.

31. Reſtat difficultas de Infantibus expoſitis: an illi debeant ſub conditione rebaptizari, ſi habeant collo appenſam ſchedulam ſuſcepti Baptiſmatis, ſicut diximus baptizandos, qui talem ſchedulam non habent. Communis Sententia docet illos non eſſe, nec *ſub conditione*, baptizandos, quia cum ſimus inter Catholicos, & Fideles, credibile non eſt Parentes, aut Tutores voluiſſe fingere in re tanti momenti, & filium ſuum expoſitum privare tanto Sacramento, cum periculo æternæ damnationis, quod eſſet ſignum maximæ crudelitatis; ſed potius credibile eſt Parentes voluiſſe vitare reiterationem Sacramenti; adeoque ſchedula miniſtrati Baptiſmi, expoſiti collo appenſa, fundat moralem certitudinem de tali Baptiſmo, qua ſtante non eſt licitum repetere Baptiſmum, nec etiam *ſub conditione*. Ita Suarez *diſp.* 22. *ſect.* 2. Ledeſma *cap.* 5. *dub.* 2. Sotus *diſt.* 3. *q. un. art.* 9. Ochagavia de Bapt. *q.* 11. *nu.* 8. Diana *par.* 5. *tract.* 13. *reſ.* 85. Caſtro Palaus *punct.* 13. *n.* 6. & alii apud ipſos.

32. Secunda Sententia docet baptizandos eſſe *ſub conditione* Pueros expoſitos, etiamſi inveniantur cum ſchedula, in qua ſcriptum ſit illos eſſe baptizatos. Ratio eſt, quia tale teſtimonium non eſt ita certum, & firmum, ut fidem faciat indubitatam, quia ignoratur a quo, quomodo, qua forma, qua materia, quave intentione ſit hujuſmodi Baptiſmus adminiſtratus, & timeri prudenter poteſt, ne ab ignorante ritum eſſentialem, & cum defectu eſſentiali, ob timorem, anguſtiam temporis, aliamve perturbationem fuerit adminiſtratus; quare cum in caſu dubii ſemper ſit inclinandum in favorem Baptizandi, ne periculo exponatur ejus ſalus ob carentiam Baptiſmi, poterit in tali caſu baptizari *ſub conditione*, abſque injuria Sacramenti. Hanc Sententiam ſequuntur Quintanaduenas *to.* 1. *ſingul. q. de Baptiſm. n.* 3. ubi refert plures Doctores a ſe conſultos ita ſentire, Leander *diſp.* 3. *q.* 44. ubi teſtatur de uſu, & praxi Hoſpitalis expoſitorum Toletanæ Civitatis, ubi omnes *ſub conditione* baptizantur, quamvis ſecum ferant de Baptiſmo ſchedulas, ut fatetur ſe accepiſſe a Gubernatore. Idem ſtatutum eſſe in Synodo Cameracenſi ex Marchantio refert Quintanaduenas, addens idem ſtatutum, & obſervatum in Hiſpalenſi Archiepiſcopatu. Turreblanca *lib.* 2. *practicur. c.* 4. Joan. Henriquez *ſect.* 19. *q.* 10. Salmanticenſes, ſeu Franc. a Jeſu M. in curſu morali *c.* 6. *nu.* 64. ubi ait hanc Sententiam probabilem, & executioni mandandam, tum ob vitandum in re tam gravi periculum, tum ob receptam ex conſilio ſapientum Theologorum praxim, & deciſum videtur in Concil. Carthag. V. *c.* 6. *relatum in cap. Placuit, de Conſecrat. diſt.* 4. Hæc Sententia eſt ſine dubio magis tuta, & ſequenda.

Clarior utcumque evadet hæc Sententia per Notificationem poſitam loco octavo lib. 1. *& hiſce verbis expreſſam:* Evenit quoque non ſemel, ut expoſiti Infantes teſtimonium accepti Baptiſmi in ſchedula deſcriptum, colloque ſuſpenſum gerant; nonnulli vero hoc documento careant, & tunc in diſputationem venit, utrum, & qua ratione Baptiſmus conferri debeat. Eam ob cauſam in tertio Mediolanenſi Concilio *tit. de Bapt. Infant.* his verbis antea conſultum fuit: *Infans expoſitus, licet appenſum collo ſcriptum habeat, quo ille baptizatus ſignificetur, ſi tamen, re diligenter prærequiſita, quemadmodum in Catechiſmo Romano expreſſum eſt, adhuc dubium ſit eum baptizatum eſſe, ea conditionis forma baptizetur: Si tu es baptizatus, ego te iterum non baptizo, & ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo.* Nihil prorſus diſſentiunt Synodi Provinciales Aquiſgranen. an. 1583. Toloſana an. 1590. & Narbonen. an. 1609. habitæ, quas Eccleſiæ Pariſienſis Pœnitentiarius Pontas in *Diction. Caſuum Conſcientiæ to.* 1. *pag.* 388. fuſius commemorat. Præſertim vero Sacra Concilii Congregatio, cum Nos Secretarii munus agerenus, hanc rem penitus inveſtigavit, ut Parocho S. Spiritus in Saxia ſatisfaceret, ad quem ſingulis fere diebus Infantes cum ea ſchedula, quam ſupra diximus, vel etiam ſine ipſa, deferuntur. Itaque die 18. Decemb. an. 1723. ita propoſitum fuit: *Quomodo ſe gerere debeat Parochus S. Spiritus in Saxia in collatione Baptiſmatis Infantibus, qui ad Archihoſpitale deferuntur, ſive iidem habeant ſchedulam de Baptiſmo teſtantem, ſive non habeant, & etiamſi ex volure, & cæteris corporis qualitatibus deprehendatur eoſdem eſſe conſtitutos in ætate ſex, aut decem menſium, vel etiam unius anni cum dimidio.* Hinc die 15. Januarii an. 1724. in hanc Sententiam fuit reſponſum: *Eſſe baptizandos ſub conditione in omnibus caſibus expoſitos juxta inſtructionem. Inſtructio eſt, quod excipiatur a Baptiſmo ſub conditione caſus ſchedulæ, quæ habeat certitudinem.* Nam cum ejuſdem ſchedulæ author deprehendi poſſit, cui fides merito præſtanda ſit, unico illius teſtimonio Baptiſmus rite traditus ſatis comprobatur, uti ex communi Scriptorum opinione, & apertiſſime ex jure Pontificio *in Can. Pueros* 110. *& Can. Cum itaque*, declaratur; præcipue in ea Sanctione, quæ incipit: *Cum itaque*. Hanc etiam interpretationem additam legimus *Can.* 112. *de Conſecrat. diſt.* 4.: *unius teſtimonio quandoque credendum eſt, & ſic hoc caſu tantum credendum eſſe Chriſtiano, & non Pagano, vel Judæo teſtificante.* Ita pariter illud caput: *cum nuper de teſtibus*, in hunc modum explicatum accepimus: *Quandoque tamen bene creditur uni, quando non fit præjudicium alicui, puta, utrum aliquis ſit baptizatus, vel utrum eſſet Eccleſia conſecrata.* Quæ cum ita ſint, Baptiſmum rite collatum, nec ſub ulla iterum conditionis formula conferendum procul dubio judicare poſſumus, quoties Infantium collo ſcriptum appenſum ejus naturæ, de qua modo ſermonem habuimus, reperiatur.

Hoc idem videre eſt in lib. 7. *c.* 6. *§.* 56. *Synodi Diœceſanæ, illud adjungens, quod Patres Concilii Provincialis Toloſani, habiti a Cardinali Franciſco de Joyoſa ſanxerunt an.* 1590. *cum projectis, expoſitiſque puerulis, licet affixa reperiatur ſchedula, quæ eos baptizatos eſſe teſtatur, in id tamen, an vere factum ſit Parochi diligenter inquirant: ſi certo nihil comperierint in ſcripta chartulæ nomine, eos ſub conditione baptizabunt.*"

33. Dubitatur ulterius: an etiam Infantes domi ob aliquam cauſam ab Obſtetricibus, aut aliis Laicis baptizati, poſſint, & debeant iterum in Eccleſia *ſub conditione* baptizari?

Reſp. repetendum eſſe Baptiſmum *ſub conditione*, ſi, facta ſufficienti diligentia, & inquiſitione, dubium aliquod rationabile ſit, an error eſſentialis commiſſus ſit, vel quia ab Obſtetrice ſaga, vel ignorante formam, & modum eſſentialem, Baptiſmus fuit collatus; ſi vero omnibus penſatis, & facta ſufficienti diligentia, & inquiſitione, nullum rationabile dubium emergat, Baptiſmus non erit repetendus, ſed ſupplendæ ſolum erunt in Eccleſia ſolemnitates omiſſæ. Ita Suarez *diſput.* 31. *ſect.*6. Sotus *in* 4. *diſt.* 3. *artic.* 9. Layman *copit.* 5. *numer.* 3. Coninch. *quæſt.*66. *artic.*9. *num.* 94. & 95. Diana *part.* 5. *tract.* 13. *reſol.*86.

,, *Vide Notific.*8. *lib.* 1. *in qua, tametſi diverſis verbis, hoc idem tamen realiter docemur*: Interim Infantes, qui Obſtetricum miniſterio Baptiſmum acceperint, ſi a periculo incolumes evadant, ad Eccleſiam deferri debent, in qua Fons Baptiſmi conſervatur, ibique cæremoniæ omnes, quæ ob neceſſitatem omiſſæ fuere, religioſe perfici, de quibus venerabilis Cardin. Bellarminus ita ſcriptum reliquit *de Sacram. Baptiſm. titul. de baptizand. puer.*: *Omnes ritus, quibus nunc utimur, antiquiſſimi ſunt, & vel ex Apoſtolorum traditione manarunt, vel a ſanctiſſimis Patribus inſtituti ſunt.* Caveat tamen Sacerdos, cui munus hujuſmodi demandatum fuerit, ne Baptiſmi Sacramentum *ſub conditione* Infantibus conferat, ea cauſa permotus, quod Obſtetricum manu luſtrati tantum, expiatique privato loco fuerint; quippe id ſolum permittitur, cum poſt ſedulam inquiſitionem ambigi poteſt, an rite Baptiſmus collatus fuerit: *de quibus* (inquit Alexander III. cap. 2. de Bapt. & ejus effectu) *dubium eſt, an baptizati fuerint, baptizentur, his verbis præmiſſis: ſi baptizatus es, non te baptizo, ſed ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo.* Qui aliter fecerit, uti ex S. Carolo Borromæo, & Catecheſi Tridentinæ Synodi deprehenditur, irregularis fit, & graviſſimo ſacrilegio implicatur. Inſuper præclariſſimus Cardinalis Albitius *in ſuo tractatu de Inconſt. in Fid. cap.* 33. *a numer.* 14. *uſque ad* 16. minime admittendas aſſerit eas Synodos, in quibus iteratio Baptiſmi *ſub conditione* indiſtincte præcipitur, quoties Obſtetricum manu ſalutaribus undis communi labe Infantes expurgantur.

,, Pro confirmanda hac Sententia adduci poſſet exemplum S. Athanaſii, quem adhuc puerum Sozomenus *lib.* 11. *de Hiſt. Eccleſiaſt. cap.* 17. & Socrates *lib.* 1. *cap.* 14. memorant, quibuſdam pueris Cathecumenis Baptiſmum tribuiſſe, ut ingenua quadam ſimplicitate Alexandrum Epiſcopum Alexandrum imitaretur. Cum poſtea res ad ipſum Alexandrum delata fuiſſet, eum Baptiſmum ratum, firmumque judicavit. Sed cum S. Hieronymus in Chronic. teſtetur, Alexandrum Epiſcopum Alexandriæ declaratum fuiſſe anno 321.; cum pariter Nicænum Concilium anno 325. coactum ſit, in quo Athanaſius non modo Diaconi partes egit, ſed in Arianis confutandis Theologi præclarum nomen ſibi conciliavit, cum deinde anno 326. poſt Alexandrum eam Sedem obtinuerit; inde clare, aperteque dignoſcimus, Athanaſium in puerili ætate conſtitutum non fuiſſe, quo tempore illam Eccleſiam Alexander adminiſtrabat. Cum tamen aliqui hoc monumentum proferant, ac tueantur, ex ipſo ſatis oſtenditur, non ita facile Baptiſmum *ſub conditione* tradendum eſſe, licet a Mulieribus privatim collatum antea fuerit, ſed rem totam diligentiſſime examinandam, ſicut de Alexandro Epiſcopo narratur, qui poſtquam Athanaſii intentionem, formam, & materiam, qua Baptiſmum pueris ludentibus contulerat, perpendit, eum rite adminiſtratum conſtituit, uti apud Card. Baronium anno Chriſti Domini 311. *num.*61. & 62. fuſius explicatur.

,, *Videre etiam poteris, ad hunc locum clarius intelligendum, reſponſum, quod Vicario cuidam Foraneo redditum extat in Notif.* 17. *lib.* 4. *ad petitionem: utrum facilius videatur generatim decernere, quod Infantes privatim domi baptizati, in Diœceſi iterum Baptiſmo abluantur ſub conditione, cum ad Eccleſiam deferuntur. Hæc enim habentur.* Primum fateris te Inſtitutionem noſtram de Obſtetricibus, quæ octavo loco poſita eſt, percurriſſe, ubi decernitur, Baptizatos ab ipſis, ſi ſuperſtites fuerint, ad Eccleſiam deferendos, ut ritus, ac cæremoniæ, quas Obſtetrices omiſerunt, perficiantur; nec hujuſmodi Infantibus conferendum a Parocho Baptiſmum *ſub conditione* ob eam cauſam, quod illi in privato domicilio Baptiſmum ſuſceperint, ſed rationem, modumque inveſtigandum, quo Baptiſmus collatus fuit; nam ſi Materia, ac Forma, quæ neceſſario requiruntur, minime defuerint, ſoli ritus Eccleſiæ ſuperaddendi ſunt. Quod ſi dubitandi de his legitima cauſa objiciatur, tunc non cæremoniæ ſolum addendæ ſunt, ſed iterum Baptiſmus *ſub conditione* conferendus. Ex iis omnibus illud deſumis, tutius, ac facilius futurum eſſe, ſi generatim ſtatuatur iterum baptizandos *ſub conditione*, cum ad Eccleſiam feruntur pueri, quos privatim Obſtetrices, aut alius quilibet, ſalutaribus undis abluit.

Hanc quæſtionem proponunt Scriptores, qui varias, uti moris eſt, opiniones tuentur: plures id probant; alii tamen in iis tantum locis, ac Diœceſibus id permittendum cenſent, ubi Ritualia, ac Decreta Epiſcoporum facultatem ejuſmodi concedunt: aliqui tandem putant Infantes tantum *ſub conditione* tunc iterum baptizandos; cum in dubium revocatur poſt accuratum examen, an rite Baptiſmus per Obſtetricem privatim collatus fuerit. Ita Layman *in Theol. Moral. lib.* 5. *tract.* 2. *cap.* 5. *num.* 3. *verſ.* Quod vero Sotus. Leander *tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 3. *q.* 45. Gobat. *quæſt. Theolog. Sacrament. tract.* 2. *caſ.* 13. *ſect.* 1. *num.* 368. & 378.

Diſſertationem conficere nolumus de illa jam prope communi omnium Sententia conferendi Sacramenta *ſub conditione*, & abſolutione, atque *diſpenſatione ad cautelam*. Illam pene omnes amplexi ſunt; hoc enim pacto diligens rerum geſtarum inquiſitio prætermittitur, nec magna librorum copia evolvenda eſt, neque diverſæ Auctorum opiniones expendendæ: attamen illos magnopere probamus, qui judicant Baptiſmum *ſub conditione* non eſſe iterum conferendum Infantibus, qui privatim per Obſtetricem abluti jam fuerunt, niſi forte, re diligenter examinata, legitima dubitandi cauſa exhibeatur: an Baptiſmus per Obſtetricem rite peractus ſit.

,, Rationem hujus Sententiæ adduximus in Notificatione octava (*hoc loco paulo ſuperius adducta*) & in ea magis confirmati ſumus, cum hæc in Romano Catechiſmo *par.* 2. *de Sacram. Baptiſmi n.* 37. ſcripta deprehendimus; *Neque enim deſunt, qui nullum ſcelus admitti poſſe arbitrentur, ſi quemvis ſine delectu cum adjunctione illa baptizent: quare ſi Infans ad eos deferatur nihil prorſus quærendum putant, an is prius ablutus fuerit, ſed ſtatim ei Baptiſmum tribuunt; quin etiam, quamvis exploratum habeant, domi Sacramentum adminiſtratum eſſe, tamen ſacram ablutionem in Eccleſia, adhibita ſolemni cæremonia, cum additione, repetere non dubitant, quod quidem ſine ſacrilegio facere non poſſunt, & eam maculam ſuſcipiunt, quam divinarum rerum Scriptores* irregularitatem *vocant. Nam ea Baptiſmi forma, ex Alexandri Papæ auctoritate in illis tantum permittitur, de quibus, re diligenter diſcuſſa, dubium relinquitur, an Baptiſmum rite ſuſceperint; aliter vero nunquam fas eſt, etiam cum adjunctione, Baptiſmum alicui iterum adminiſtrare.* Advertimus etiam Sententiam eamdem firmatam fuiſſe auctoritate Sacræ Congregationis Concilii, quam Univerſi plurimi facere debent; ſiquidem quæſtionem ſuam Card. Mareſcottus Sacræ Congregationi propoſuit, cum Tiburtinæ Eccleſiæ præeſſet, ejuſque ſtatum eidem Congregationi referret. Die autem 19. Decembris an. 1682. hoc Sacra Congregatio reſponſum dedit: *Infantes ab Obſtetricibus baptizatos poſſe rebaptizari ſub conditione in caſibus particularibus, ubi rationabile dubium oritur circa validitatem Baptiſmi prima vice collati.*

Sed illud hanc Sententiam magis confirmat, quod ſancitum fuit ab Eccleſia, videlicet Baptiſmum, ab Hæretico collatum, eſſe validum, ſi nihil eorum, quæ ab Eccleſia Romana præſcribuntur circa Materiam, Formam, atque Intentionem fuerit omiſſum. Et cum diſputatio inſtituitur: an Baptizatus ab Hæretico, iterum *ſub conditione* Baptiſmum ſuſcipere debeat, cum in ſinum Romanæ Eccleſiæ reſtituitur, id ſolum peragendum omnes teſtantur, cum de validitate collati antea Baptiſmi, non immerito dubitatur. Ita Card. de Lugo *Reſponſ. Moral. lib.* 1. *dub.* 2. *per totum.* Gobat. *q. Theol. Sacram. tract.* 2. *caſ.* 13. *ſect.* 2. Raynaudus *in Heteroclis. Spiritual. tom.* 16. *punct.* 10. *n.* 26. & *ſeq. fol.* 142. Præ ceteris Card. Albitius *in tr. de Inconſt. in Fide c.* 33. *n.* 24. & *ſeqq.* fatetur, hoc inſtitutum a Congregatione S. Officii penitus obſervari, nec unquam contrarium aliquod decerni, niſi cum incertum, dubiumque eſt, utrum Hæreticus, qui Baptiſmum adminiſtravit, omnia perfecerit, quæ circa Materiam, ac Formam Baptiſmi requiruntur. Sed novum aliud afferamus Sacr. Congreg. Concilii documentum.

Frater Matthias Hernandez Ordinis Prædicatorum in ſupplici libello a Sanctiſſimo remiſſo exponit, quod in Civitate Navarra, aliiſque locis Diœceſi Sancti Jacobi de Cuba in Indiis Occidentalibus, Parochi ſolent rebaptizare ſub conditione tum Infantes, domi, in caſu neceſſitatis baptizatos, non alia ratione, quam quia Baptiſmus non fuit in Eccleſia Parochiali collatus, tum etiam Hæreticos ad Catholicam Fidem converſos, licet aſſerentes, ſe baptizatos fuiſſe, ſervata Forma, & adhibita Materia ab Eccleſia præſcripta, ſub unico prætextu, quod ignoretur, quæ, & qualis fuerit intentio, cum qua fuerunt baptizati; ſupplicat præterea opportune deſuper provideri. Ut igitur Parochi ex hujus Sacræ Congregationis Oraculo edoceantur, Eminentiſſimi Patres reſpondere dignabuntur.

Primo: an Infantes, domi, in caſu neceſſitatis, baptizati, ſint ſub conditione rebaptizandi?

Secundo: an, & in quibus caſibus Hæretici debeant ſub conditione rebaptizari, ſi ad Fidem Catholicam convertantur?

Die

„ Die autem 27. Martii an. 1683. ita reſpondit :
„ *Ad primum negative, niſi adſit dubium probabile inva-*
„ *liditatis Baptiſmi.*
„ *Ad ſecundum ut ſupra.*
„ Pro certo habeas Sac. Congregationis Decreta, quæ
„ proferimus, non deſumpta ex iis Scriptoribus, qui ipſa
„ commemorant, licet nunquam ea ſubjecta oculis habue-
„ rint. Nos illa in Actis perſpeximus, & manu noſtra
„ pariter deſcripſimus, cum perhonorifico Secretarii mu-
„ nere fungeremur : magnum quidem tunc laborem im-
„ pendimus, cujus tamen nunquam pœnituit, nec in po-
„ ſterum pœnitebit.

DUBIUM V.

De Effectibus Baptiſmi.

34. PLures effectus producit Baptiſmus, alios quidem primario, & alios ſecundario : primario quidem delet peccata omnia, tollit pœnam peccatis debitam, confert Gratiam, & Characterem, deinde aperit Cælum, conjungit hominem Chriſto, & illum facit ſubjectum juriſdictioni Eccleſiæ, de quibus agendum eſt in præſenti.

35. Primo ergo Baptiſmus delet peccata omnia non ſolum originalia, ſed etiam actualia ante Baptiſmum commiſſa, ut expreſſe definitur in Concil. Florent. ab Eugenio IV. in Decreto Fidei illis verbis : *Hujus Sacramenti* (nempe Baptiſmi) *effectus, eſt omnis remiſſio culpæ, originalis, & actualis;* idemque habetur in Trident. *ſeſſ.5. can.5. de peccato originali*, & *ſeſſ.* 14. *c.* 1. & hanc doctrinam perpetuo a S. Eccleſia traditam eſſe docet Catechiſmus Pii V. de effectibus Baptiſmi *num.* 42. Ratio eſſe poteſt, quia Baptiſmus eſt inſtitutus ad regenerandos homines in Chriſto, ad Tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum &c.* ſicut ergo carnalis generatio Adam omnes inficit peccato originali; ita ſpiritualis Chriſti regeneratio omnes emundabit ab eodem peccato: cum autem unum peccatum tolli, & deleri non poſſit ſine alio, ſequitur, quod Baptiſmus tollat etiam actualia, quæ ipſum præcedunt. Ita D. Thomas *q.* 69. *art.* 1. Bonacina *q.* 2. *punct.* 7. *n.* 4. Suarez, Vaſquez, Caſtro Palaus *punct.* 10. & alii communiter.

36. Secundo tollit omnem pœnam peccatis debitam, ut definitur in Florent. *loco cit.* & in Trident. *ſeſſ.5. can.* 5. & *ſeſſ.6. c.*14. & *ſeſſ.* 14. *cap.*8. & docet Catechiſmus *num.*45. addens nullam Baptizatis eſſe imponendam ſatisfactionem pro peccatis præteritis; quod etiam docet Concil. Florent. dicens: *Hujus Sacramenti effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipſa culpa debetur. Propterea Baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda eſt ſatisfactio.* Non tamen Baptiſmus tollit a nobis pœnalitates, quæ peccatum originale conſequuntur, ut ſunt mors, fames, ſitis, morbus, & alia hujuſmodi, quæ in præſenti vita non auferuntur, ut experientia docet, ſed illius virtute auferentur in Juſtis in reſurrectione, *quando mortale hoc induet immortalitatem*, ut dicitur *Corint.* 15. & docet D. Th. *q.*69. *art.* 2. & 3. Relinquuntur autem pœnalitates in hac vita: 1. quia conducunt ad pœnitentiæ exercitationem, & virtutum augmentum: 2. quia per Baptiſmum unimur, & incorporamur Chriſto; cum autem Chriſtus habuerit corpus paſſibile, par eſt, ut & nos, qui ſumus ipſius membra, mortales ſimus & paſſibiles: 3. ut homo ſecum ferat teſtimonium lapſus Adæ, & totius Naturæ. Alias congruentias afferunt D Thomas *art.* 3. & Catechiſmus *num.* 48.

37. Tertio: confert Baptiſmus gratiam juſtificantem, cum reliquis donis & virtutibus, quæ gratiam conſequuntur, modo non adſit obex ex parte Baptizati: ſic definitur in Trid. *ſeſſ.* 7. *c.* 6. 7. & 8. *ſeſſ.6. c.* 7. infertur ex dictis ſupra *c.* 3. *de Sacramentis in genere*; deinde quia culpa non deletur, niſi per infuſionem gratiæ juſtificantis; ſed per Baptiſmum deletur omnis culpa; ergo quia confert gratiam juſtificantem. Confert autem æqualem gratiam omnibus æqualiter diſpoſitis, inæqualem inæqualiter diſpoſitis, ut dictum eſt tract. præcedenti *cap.*9. *dub.* 3. Unde pueris ſemper confert gratiam æqualem, Adultis vero inæqualem, pro ratione majoris, vel minoris diſpoſitionis. Ultra gratiam habitualem confert etiam gratiam Sacramentalem, de qua dictum eſt ſupra *cap.*5. *dub.*5.

38. Quarto: Baptiſmus imprimit in Anima Characterem, qui cum ſit indelebilis, ut habetur ex Trident. *ſeſſ.* 7. *de Baptiſ.* facit, ut Baptiſmus non poſſit iterari, quamvis collatus ſit a Paganis, vel Hæreticis, dummodo fuerit validus, quia ſicut impoſſibile eſt hominem bis naſci, ita impoſſibile eſt bis renaſci per Baptiſmum; unde qui ſciens miniſtrat, aut recipit ſecundum Baptiſmum, pœnam irregularitatis incurrit, ut patet ex *cap. eos quos, de conſecrat. diſt.*4. & docent omnes Doctores cum Navar. *cap.*27. *n.* 247. ex quo ſequitur Characterem manere etiam in Hæretico, & in animabus ſeparatis etiam damnatorum, ut docet D. Thom. *q.*63. *art.*2. Porro Character operatur hoc in Baptizato, ut poſſit recipere alia Sacramenta, quæ ſine Baptiſmo præcedenti, nec illi conferri, nec ipſe recipere poteſt.

39. Alii effectus, quos producit Baptiſmus, ſunt, apertio januæ Regni Cæleſtis, quia producendo gratiam ſanctificantem, & tollendo omnem culpam & pœnam, conſtituit hominem in eo ſtatu, ut ſi ſtatim moriatur poſt Baptiſmum, evolet in Cælum, ut habet D. Thom. *q.*69. *art.*7. Conjunctio hominis cum Chriſto, & Subjectio ejuſdem hominis juriſdictioni Eccleſiaſticæ; nam per Baptiſmum homo fit membrum Eccleſiæ, illique ſaltem implicite promittit obedientiam, ſicut ſuſcipiens Ordines Sacros implicite votum caſtitatis emittit, ut ex Trid. *ſeſſ.* 7. *de Baptiſmo c.* 7. colligunt Vaſquez. 3. *p. t.*2. *diſp.* 156. *n.*68. Valentia *t.* 4. *diſp.* 4. *q.* 4. *punct.* 1. apud Bonacinam *q.*2. *punct.* 7. *n.* 12.

40. Quæres: *An Baptiſmus liberet a ſervitute, adeo ut Servus, recepto Baptiſmo, amittat conditionem ſervilem, & acquirat libertatem?*

Reſp. per ſe loquendo non liberare a ſervitute, ut docet D. Th. *in* 4. *diſt.* 39. *art.* 4. Ratio eſt, quia nullo jure conſtat hominem fieri liberum a conditione ſervili ob Baptiſmum, quamvis liberet a vinculo diabolicæ ſervitutis. Dixi per ſe loquendo, nam alicubi receptum eſt in favorem fidei, ut ſervus fiat liber per Baptiſmi aſſumptionem. Laudanda eſt etiam pietas illorum Principum, & Judicum, qui noviter Baptizatis condonant pœnam mortis, aut aliam corporalem illis debitam ob delicta præcedentia, a qua pœna non liberat Baptiſmus, liberat tamen ab irregularitate contracta ob delictum præcedens Baptiſmum, ut explicari ſolet ſuo loco.

41. Hic dubitari ſolet, an Baptiſmus ſuſceptus cum fictione producat ſuum effectum, recedente fictione, & quænam diſpoſitio requiratur ad tollendam illam fictionem. Certum eſt, accedentem ad Baptiſmum in peccato mortali, ſine illius attritione non recipere gratiam Baptiſmi, quamvis recipiat Characterem; nam unum peccatum ſine alio non remittitur, & iſte dicitur recipere Baptiſmum cum fictione, ſeu cum obice. Reſponſio facile patet ex dictis ſupra tract. præced. *c.* 6. *d.* 5. ubi diximus, Baptiſmum, recedente fictione, hoc eſt, peccato mortali, producere ſuum effectum, quem prius habuiſſet, ſi fictio & obex non fuiſſet.

CAPUT V.

De Cæremoniis, & Patrinis.

DUBIUM I.

De Cæremoniis adhibendis in Solemni collatione Baptiſmi.

CÆremoniæ plures adhiberi ſolent in ſolemni collatione Baptiſmi, quarum aliquæ præcedunt, aliæ comitantur, & aliæ ſubſequuntur Baptiſmum, quæ, licet ad eſſentiam Sacramenti non pertineant, omitti non poſſunt ſine peccato de genere ſuo mortali, cum ſint ab Eccleſia inſtitutæ ad reverentiam Sacramenti, & ad excitandam fidelium devotionem, ut docet D. Thomas *q.*66. *art.* 2. adeo ut, ſi Baptiſmus in neceſſitate conferratur ſine illis Cæremoniis, & ſolemnitatibus, debeant poſtea in Eccleſia ſuppleri, ſi Baptizatus convaleſcat, ut patet ex praxi, ex Concil. Trident. *ſeſſ.*7. & ex Rituali Romano, quia curandum eſt, ut Sacramenta complete adminiſtrentur, non ſolum quoad ſubſtantialia, ſed etiam quoad accidentalia, ut cum D. Thoma docent communiter Doctores.

2. Ab illis numerandis abſtineo, quia non continent ſpecialem difficultatem, & videri poſſunt in Rituali Romano: plura de illis habet Franc. a Jeſu M. in curſu morali *tract.* 2. *c.* 7. *punct.* 1. Non ſunt tamen omittenda illa, quæ ſpectant ad ritum Patrini, & ad cognationem ſpiritualem, quæ in collationi Baptiſmi contrahitur, quamvis de iſta fuſius ſimus locuturi in tract. de Matrim. *cap.* 12. *dub.* 5. ubi ex profeſſo videbimus, inter quas perſonas illa contrahatur, & quid neceſſarium ſit ad illam contrahendam.

DUBIUM II.

Quid ſit patrinus, & an ſit neceſſarius?

3. PAtrinus dicitur quaſi ſpiritualis Pater, Nutritius, ac Pædagogus hominis Baptizandi, quem levat de Sacro Fonte, illiuſque curam ſuſcipit, & tenetur illum bonis moribus, & doctrina inſtruere, Symbolum Fidei, Orationem Dominicam, & Præcepta Legis docere, juxta *c. vos ante diſt.* 4. *de conſecrat.* & docet D. Thomas *q.* 67. *art.*8. & cum eo Doctores communiter, quia unuſquiſque tenetur exequi officium ſibi injunctum, & acceptatum; qui autem ſuſcipit aliquem de Sacro Fonte aſſumit ſibi officium Pædagogi, ad effectum ipſum inſtruendi, & docendi, & ſic tenetur docere fidem, & ea quæ pertinent ad ſalutem. Verum tamen eſt, quod ubi Baptizati inter Fideles educantur, atque a Parentibus, Parocho, vel Ludimagiſtro in fide catholica inſtrui ſolent, talis obligatio Patrini ceſſare videtur, ut notat *ibidem* S. Thomas, & cum eo Suarez & Coninch *ibid.* Layman *cap.* 9. Valentia *cap.* 4. *q.* 2. *punct.* 3. & alii. Patrinus olim dicebatur ſuſceptor, ſponſor,

ſor, ſeu fidejuſſor, tum quia ſpondebat de Baptizato paternam curam habiturum, quod confirmat ipſius obligationem erudiendi baptizatum in fide, tum quia in baptiſmo Sacerdoti interroganti, an credat articulos fidei, & abrenunciet diabolo, Patrinus pro baptizato reſpondit, *credo*, & *abrenuncio*, ſpondens pro eo ſe hoc facturum.

4. Reſp. Patrinum in Baptiſmo eſſe neceſſarium neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici, non vero neceſſitate Sacramenti. Ratio eſt, quia tota eſſentia Sacramenti haberi poteſt ſine patrino, unde iſte non poteſt eſſe de eſſentia Sacramenti; requiritur tamen jure Eccleſiaſtico, ut licite fiat, ut patet ex antiquiſſima Eccleſiæ traditione, & ſupponitur certum *cap. vos ante*, cap. *non plures*, cap. *in Catechiſmo diſt. 4. de conſecrat.* & toto tit. de cognat. ſpirituali, nec non *cap. Quamvis eodem tit. in 6.* ex Trident. *ſeſſ. 24. cap. 2. de reformat.* & tradunt Doctores communiter, cum D. Thoma *q. 67. art. 7. & 8.* Sotus *diſt. 4. q. 5. art. 7.* Henriquez *lib. 2. cap. 14.* Sanchez *lib. 7. de Matrim. diſp. 57.* Catechiſm. Rom. *tit. de Baptiſm. a num. 26.*

5. Inde mortaliter peccaret Parochus ſolemniter baptizans ſine Patrino, quia in re gravi faceret contra præceptum, & conſuetudinem Eccleſiæ. Dixi *ſolemniter*, quia in Baptiſmo privato tempore neceſſitatis poteſt Patrinus omitti ſine peccato, etiam ſi poſſet commode adhiberi, quia nullum extat præceptum, ut in tali Baptiſmo Patrinus adhibeatur. Ita Suarez, Sanchez, & alii, quos citat & ſequitur Diana *p. 3. tract. 4. reſol.* 18. ubi notat non contracturum cognationem ſpiritualem, ſi quis puerum teneret in Baptiſmo privato tempore neceſſitatis, quia ritus Patrini eſt Cæremonia inſtituta ab Eccleſia pro Baptiſmo ſolemni, & ſic deficiente, ſolemnitate, deficit ratio Patrini, & cognationis ſpiritualis.

DUBIUM III.

An Patrinus debeat eſſe unus, vel poſſint eſſe plures.

6. RESP. quod ſecundum antiqua jura unus tantum, ſive Vir, ſive Femina, admittebatur Patrinus in Baptiſmo; ſic enim habetur cap. *in Catechiſmo*, & cap. *non plures, de conſecrat. diſt. 4.* Verum quia ſucceſſu temporis uſus invaluit, ut plures adhiberentur, ut colligitur ex cap. *Quamvis de cognat. ſpirituali in 6.* ideo Concil. Trident. *ſeſſ. 24. cap. 2. de reformat. Matrimonii* juxta priſtina inſtituta ſtatuit, ut unus tantum, ſive Vir, ſive Femina deſignetur, & ad ſummum duo, Vir, & Femina, qui baptizatum de Sacro Fonte ſuſcipiant, & ſevere præcipit Parochis, ſub pœna ab Ordinario ipſis infligenda, ut ante omnia ſciſcitentur, quem, vel quos, ii, quibus hæc cura incumbit, elegerint ad munus Patrini, & præter eum, vel eos, neminem alium admittant: quod ſi alii ultra deſignatos baptizatum tetigerint, ſtatuit ipſos non contrahere cognationem ſpiritualem.

7. Quod ſi nulli Patrini fuerint deſignati, nec a Parentibus, nec a Parocho, & tamen plures baptizatum tangant, an omnes contrahant cognationem ſpiritualem, vel unus tantum, vel nullus, dubium eſt. Prima Sententia tenet neminem in eo caſu contrahere cognationem ſpiritualem, & eſſe verum Patrinum, quia Trident. dicta *ſeſſ. 24. c. 2.* ſuſtulit omnem cognationem ſpiritualem, & conſequenter munus Patrini ab omnibus illis, qui deſignati non fuerint, voluitque deſignationem, tanquam conditionem neceſſariam, quia voluit reſtringere talem cognationem. Ita Suarez *3. p. q. 67. art. 8* Rodriquez *cap. 226. num. 1.* Gutierez *de Matrim. cap. 100. num. 7.* & alii, quos citat, & ſequitur Sanchez *lib. 7. diſp. 57. num. 12.*

8. Secunda Sententia communior, & probabilior docet, omnes ſimul infantem de Sacro Fonte ſuſcipientes, veros eſſe Patrinos, veramque cognationem ſpiritualem contrahere. Ratio eſt, quia Trident. de tali caſu nihil definivit, unde tanquam omiſſus regulari debet ſecundum antiqua jura, ſecundum quæ omnes ſimul tangentes, & ſuſcipientes erant veri Patrini, veramque cognationem ſpiritualem contrahebant, juxta cap. fin. *de cognat. ſpirit. in 6.* Deinde, quia in tali caſu minus eſt inconveniens, quod puer baptizatus plures habeat Patrinos, ut olim ante Concilium, quam quod nullum habeat, contra antiquiſſimam Eccleſiæ conſuetudinem: & ita declaraſſe Sacram Cardinalium Congregationem docet Barboſa *2. p. de poteſt. Epiſcop. allegat. 30. num. 11.* ſequuntur Navar. in ſumma *cap. 22. num. 39.* Graffius *1. p. lib. 2. cap. 85. num. 4.* Henriquez *lib. 12. c. 11. num. 3.* Layman *cap. 9. n. 4.* Ledeſma *de Matrim. cap. 56. art. 3.* ubi teſtatur idem tenuiſſe viros doctiſſimos, qui Concilio Trident. interfuerunt, & alii plures apud Leandrum *diſp. 7. quæſt. 9.*

9. Nec obſtat fundamentum oppoſitum, quia Trident. voluit quidem reſtringere cognationem ſpiritualem, quæ prius contrahebatur a multis, ſed illam non irritavit in caſu poſito, ſed ſolum præcipit Parochis, ne aliquos ultra deſignatos admittat, & irritam facit cognationem ſpiritualem, ſi ultra deſignatos alios non deſignatos admittant; at non irritavit ſi plures ſimul tangerent, ſeu reciperent puerum, nullo exiſtente deſignatio; quare deſignatio non eſt conditio abſolute neceſſaria, ut cognatio ſpiritualis contrahatur, ſed facit ut non contrahatur a pluribus non deſignatis, aliquo exiſtente deſignato, ut patet ex contextu.

10. Dixi, ſi puerum ſimul tangant, ſeu recipiant, quia illi non deſignati, ſi puerum ſolum tangant, ſeu ſuſcipiant ſucceſſive, non omnes ſunt Patrini, nec omnes contrahunt cognationem ſpiritualem, ſed ille tantum, vel illi ſunt Patrini, & Matrina, qui primo ſuſceperunt. Ita deciſum refert a Sacra Congreg. Cardinalium Rebellus in append. *ad lib. 4. de ſponſalibus ſeſſ. 4. num. 95.* apud Leandrum *quæſt.* 10. per illa verba: *Congregatio cenſuit, ſi plures ſuſcipiant, omnes contrahere cognationem, ſi non conſtat quis primo tetigerit, ſi plures ſunt electi, vel nullus, ſi unus electus, ille tantum contrahit.* Ex qua definitione etiam ſequitur, quod ſi plures duobus deſignentur, nec a Parocho repellantur, omnes eſſe Patrinos, & omnes cognationem ſpiritualem contrahere, licet Pater plures, quam duos deſignans, & Parochus illos admittens peccarent mortaliter, quia in re gravi facerent contra præceptum Concilii Trident. prohibentis plures quam duos deſignari, aut admitti a Parocho, ne multiplicentur cognationes dirimentes Matrimonium. Ita Sanchez *diſp. 57. num. 13. & 14. de Matrim.* Coninch *diſp. 32. num. 37.* Baſilius *lib. 7. cap. 39. num. 51.* Caſtro Palaus *tr. 19. punct. 11. §. 2. num. 9.* Bonacina *q. 3. de Matrim. punct. 5. §. 2. num. 24. 25. & 26.*

DUBIUM IV.

Quiſnam poſſit eſſe Patrinus?

11. AD valide exercendum munus Patrini, cognationemque ſpiritualem contrahendam, nonnullæ requiruntur conditiones. Prima eſt uſus rationis, quo qui caret, non poteſt tale munus exercere, quia non poteſt habere debitam intentionem faciendi id, quod inſtituit Eccleſia, ſeu munus ſuſceptoris exercendi, ſed materialiter ſe haberet, tenendo Baptizandum commoditatis gratia, ad inſtar inanimati inſtrumenti, non autem exerceret actionem ſacram ab Eccleſia inſtitutam; & ſic excluduntur ab iſto munere infans, ebrius, & mente captus; poſito uſu rationis nulla requiritur determinata ætas, ſed quilibet etiam puer poteſt eſſe patrinus, dummodo habeat ſufficientem uſum rationis ad exercendam illam ſuſceptionem cum debita intentione faciendi id, quod faciunt alii Patrini, quia nullo jure reperitur ſtatuta ætas aliqua determinata: Navarrus *l. 4. conſil. de cognat. ſpirit. conſ.* 4. Henriquez *l. 12. c. 11. num. 2.* Bonacina *loco cit. num. 17.* Sanchez *de Matr. lib. 7. diſp. 61. num. 3. & 4.* Baſilius Legionen. *lib. 7. cap. 37. num. 5.* Layman *cap. 9. num. 2.* Palaus *tr. 19. punct. 11. num. 3.* Molteſius *tr. 4. c. 1. num. 63.* & alii communiter.

12. Secundo requiritur, ut ſit baptizatus, ut conſtat ex cap. *in Baptiſmate, de conſecrat. diſt. 4.* Unde Gentilis, Cathecumenus, aut quilibet alius non baptizatus, ſi baptizaret, aut ſuſciperet Puerum de Sacro Fonte, cum intentione quacumque, non contraheret cognationem ſpiritualem, nec alii cum ipſo, quia talis cognatio provenit a Lege Eccleſiaſtica, cui non ſubjacet Gentilis, & non baptizatus. Utrum vero idem ſit dicendum de non Confirmato, tenente Puerum in Confirmatione, affirmant ſatis communiter Doctores, quia ſic habetur dicto cap. *in Baptiſmate de conſecrat. diſt.* 4. & in Pontificali Romano: unde non contraheret cognationem ſpiritualem, ſi non Confirmatus teneret alium in Confirmatione, ut docent Suarez, Coninch, Sanchez, & alii cum Leandro *diſp. 5. de Confirmat. q. 5.* & Bonacina *loco cit. n. 21.*

13. Tertio requiritur intentio; non enim ſufficit Puerum tenere materialiter tantum, ſed requiritur formalis intentio gerendi munus Patrini, & ſpiritualis Patris, ſecundum Eccleſiæ conſuetudinem, quia ſine intentione, & conſenſu, nulla poteſt oriri obligatio, *l. in omnibus negotiis ff. de actionibus, & obligationibus.* Si autem intentionem habeat exercendi munus Patrini, cognationem ſpiritualem non poterit impedire, illamque contrahit etiam nolens eam contrahere, quia jure Eccleſiaſtico annexa eſt officio Patrini, nec illius efficaciam poteſt impedire Patrinus, ut docent Sanchez *lib. 7. diſp. 58. num. 4.* Baſilius *dicto cap. 39. num. 9.* Palaus *punct. 11. §. 2. num. 4.*

14. Quæres: *Quæ Perſonæ prohibentur eſſe Patrini?*

Reſp. eſſe plures, nam excluduntur primo a munere Patrini hæretici, qui valide quidem poſſunt hoc munus obire, ſed non licite, quia, cum ſint baptizati, ſubjacent legibus Eccleſiæ, ſunt capaces cognationis ſpiritualis, quæ contrahitur in Baptiſmo, quamque de facto contraherent cum Baptizato, ejuſque Parentibus, ut ex communi Sententia tradit Sanchez *diſp. 60. num. 2.* Peccarent tamen tum ipſi, ſi hoc munus obirent, tum Parochus, ſi illos admitteret, quia hæreticus non eſt idoneus ad inſtruendum baptizatum in Fide Catholica, ſponſionemque pro eo faciendam, quale eſt munus Patrini: quare, deficiente Catholico, melius eſſet Baptiſmum ſolemnem ſine Patrino celebrare, quam cum Patrino hæretico, ut notat Tamburinus *lib. 2. de Baptiſm. cap. 8. num 6.*

15. Secundo excluduntur Abbates, & Monachi, quibus non licet aliquem de Sacro Fonte ſuſcipere, ut patet ex

cap.

cap. *Non licet*, *de conſecrat. diſt.*4. & cap. *Monachi*, *eadem diſt.* Si tamen de facto aliquem ſuſciperent, vere fierent Compatres, & contraherent cognationem ſpiritualem, quia licet factum prohibeatur, non tamen irritatur, nec illi fiunt inhabiles ad ſuſcipiendum; illos ſolum venialiter peccaturos docet Leander *diſp.* 7. *quæſt.* 17. & Quintanadvenas apud Tamburinum *loco cit. n.*21. a quo proinde excuſaret quælibet cauſa, qualis eſſet, petitio, & devotio Patris. Hoc decretum tamquam odioſum, & prohibitivum, reſtringi ad ſolos Monachos, non vero extendi ad Religioſos Mendicantes, & Canonicos Regulares, docent nonnulli, quia tale munus eſt alienum a ſtatu Monachorum, qui ſibi ſoli vacant, non a ſtatu Mendicantium, qui aliis etiam erudiendis operam navant. Ita Coninch *q.*67. *art.*7. *n.*56. Palaus *p.* 11. §. 1. *n.*4. Leander *q.* 16. & probabile putat Diana *p.*9. *tr.*6. *reſ.* 32. Juxta hanc Sententiam, quæ non levi nititur fundamento, dicendum eſt Religioſos Mendicantes, de ſuorum Superiorum licentia, non contradicente Epiſcopo, licite poſſe admitti in Patrinos, & ſuſceptores tam in Baptiſmo, quam in Confirmatione, maxime ſi nullum timeatur incontinentiæ periculum; quam Sententiam ſequuntur Coninch *q.*67. *art.* 7. *n.* 56. Palaus *ſupra* Leander *q.* 16. & probabilem putat Diana *part.*9. *tract.*6. *reſ.*32.

16. Sed contrarium eſt verius, & probabilius, nam ratio prohibitionis locum habet, ne ob ſpiritualem cognationem contractam, nimia familiaritas cum ſæcularibus, præſertim feminis, contrahatur, cum periculo incontinentiæ, ſolumque excipiuntur Religioſi ad ſtatum Epiſcopalem tranſlati. Sic Layman *cap.* 9. *n.* 3. Candidus *diſq.* 16. *art.* 4. *dub.* 11. Rodriquez *tom.* 2. *Regul. q.*58. *art.*7. Diana *part.* 3. *tr.* 4. *reſol.*21. Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. diſp.* 60. *num.* 21. & *lib.* 6. *Moral. cap.* 6. *num.* 24.

17. Cum autem ratio pro Religioſis adducta valeat etiam de Clericis Sæcularibus, præſertim in Sacris Ordinibus conſtitutis; idem de illis videtur dicendum, ac de Regularibus. Nam licet jura de illis nihil diſponant, tamen cum debeant & ipſi vitare mulierum familiaritatem, cohabitationem, & conſuetudinem, ut habetur cap. *Interdixit*, *cum dub. ſeqq. diſt.* 8. & aliis Juribus, & Doctoribus citatis a Pace Jordano *tom.* 1. *lib.* 1. *tit.* 17. *n.* 11. nec ipſi munus Patrini præſtare debent, nec Epiſcopus debet illos admittere, ut ait idem Pax Jordanus *eodem to.* 1. *l.*3. *tit.* 2. *n.*66. Non negaverim tamen poſſe Epiſcopum cum eis diſpenſare, quia non eſt expreſſe contra Jus Canonicum, quod de Clericis Sæcularibus ad munus Patrini aſſumendis nihil expreſſe diſpoſuit. Idemque probabiliter dici poteſt de Regularibus, præſertim ex Ordine Mendicantium, ut poſſit ad officium Patrini admitti, ſi ex propriis Conſtitutionibus, & Regula non prohibeantur; nam in odioſis Mendicantes non veniunt nomine Monachorum, ut tenet prima Sententia, & docent Coninch, Palaus, & Diana ſupra.

18. Tertio, Parentes non debent extra caſum neceſſitatis propriam prolem ſuſcipere, ut conſtat ex cap. *pervenit*, cap. *dictum eſt* 30. *q.* 1. & docet D. Thomas *q.*97. *art.*8. *ad* 2., quem omnes Theologi ſequuntur, quia alius debet eſſe Pater ſpiritualis a Patre carnali; unde peccarent mortaliter, ſi extra caſum neceſſitatis ſcienter ſuam prolem ſuſciperent, nam facerent contra prohibitionem Eccleſiæ in re gravi, contraherent cognationem ſpiritualem, & conſequenter privarentur jure petendi. Ita Layman *loc. cit.* Candid. *dub.* 14. Averſa *q.* 16. *de Matrim. ſect.* 2. Coninch *q.*67. *art.* 7. Quidquid in contrarium ſentiat quoad contrahendam cognationem ſpiritualem Suarez *q.*67. *art.*8. Dixi *ſcienter*, quia ſi Parentes ignorarent hanc prohibitionem, ſicut excuſarentur a peccato, ita non privarentur jure petendi, nam hæc privatio eſt pœna, quæ non incurritur ſine culpa. Excuſarentur etiam Parentes, ſi in caſu neceſſitatis ſuſciperent propriam prolem, ſicut excuſantur, quando illam in tali neceſſitate baptizant, ut colligunt Doctores communiter ex cap. *Ad limina* 30. *q.* 1. & teſtat..., pluribus adductis, Sanchez *de Matrim. lib.* 9. *diſp.* 26. *num.* 3. Candidus *loco cit. dub.* 14. & alii communiter.

19. Quarto: minus decens eſt, ut duo Conjuges ſimul alienam prolem ſuſcipiant, ut conſtat ex cap. *ult.* 30. *q.* 4. & Suarez 3. *p. q.*67. *art.*8. putat eſſe veniale, quamvis id conſuetudine cohoneſtari poſſit, & excuſari. Alii magis communiter tenent nullum eſſe peccatum, vel quia nullibi eſt prohibitum ſub præcepto, vel quia prohibitio ſublata eſt per Trident. cum inter illos non contrahatur cognatio ſpiritualis. Sic Navar. *cap.* 22. *n.* 39. Bonacina *q* 3. *de impedim. Matrim. p.* 5. *n.* 5. niſi ſpecialiter ſit in aliqua Diœceſi prohibitum. Layman *loco cit.* Sanchez *l.* 7. *diſp.* 57. *n.* 5. Leander *q.* 20.

Haud equidem inconſulte, cum de Sacramentis in Genere, vel cum de Miniſtro Baptiſmi eſt habitus ſermo, ea multa omittere cenſui, quæ in Synodo Diœceſana congeruntur circa perdifficilem, atque intricatam nimis quæſtionem, quæ ſæpe ſæpius inter Scholaſticos agitatur, de intentione nempe actuali vel virtuali, materiali vel formali, quæ in adminiſtrante Sacramenta requiritur: quippe, cum & nihil adhuc fuerit circa quæſtionem hanc ab Apoſtolica Sede ſtatutum, & ad ſingula adminiſtranda Sacramenta hujuſmodi inſtructio maxime neceſſaria reddatur; ita, & tum de ea ſilui, cum aptiſſima dicendi occaſio videbatur adeſſe, & rem ad locum hunc ſervavi, ubi, cum de primo, tum de quocumque alio Sacramento percipere unuſquiſque valeat, an, & qua intentione, *ſit potiſſimum adminiſtrandum: quæſtio, quæ adeo, a Parochis præſertim, ut inter ceteras difficilior ſolet refricari. Aliquam intentionem (ait Synodus Diœceſan. lib.* 7. *cap.* 4. *) ſaltem faciendi quod facit Eccleſia in eo requiri, qui Sacramenta adminiſtrat, Fidei dogma eſt, & hoc multis jam demonſtratur Decretis, atque Conciliis, Tridentino præſertim, quod ſeſſ.* 7. *can.* 11. *contrarium ſentientes anathemate perſtrinxit.* Si quis dixerit, in Miniſtris dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia; anathema ſit: *& hoc Fidei dogma maximis fulcitur rationibus, a Patribus paſſim adductis, præcipue a Gregorio de Valentia* tom. 4. Commentar Theologic. diſp. 3. quæſt. 5. punct. 3. *a quo colligitur, eum, qui jocoſe ac ſcurriliter Sacramenti ritum celebrat, Sacramentum non conficere, neque valide adminiſtrare: is quippe animum illudendi ſibi adeſſe oſtendit, non vero ponendi religioſam actionem a Chriſto Domino inſtitutam, ejuſque virtute ſacratam.*

At quamquam apud Catholicos certiſſimum ſit in Sacramenti Miniſtro aliquam intentionem requiri, ſaltem faciendi quod facit Eccleſia; valde tamen inter eoſdem diſputatur de hujus intentionis objecto, ſeu quid illud ſit, ad quod ferri debet ejuſmodi intentio, quam omnes neceſſariam fatentur. Ambitioſius Catharinus e Dominicarum Familia, Epiſcopus Minorenſis, & poſtea Archiepiſcopus Compſanus in opuſc. de intent. Miniſtri *contendit ad Sacramentum valide adminiſtrandum ſatis eſſe, ut Miniſter intentionem habeat ſerio perficiendi ritum externum, qui ab Eccleſia adhibetur: atque ideo etiamſi ſuam intentionem retineat, aut interius dicat, ſe nolle facere quod facit Eccleſia, dummodo exterius ſerius agat, nulloque ſigno pravam ſuam voluntatem prodat, ratum, perfectumque Sacramentum ab eo perfici Catharinus propugnat.*

Hæc opinio viſa eſt multis coincidere cum Lutheri, & Calvini doctrina a Concil. Trid. expreſſe damnata, ac proinde hæreſis notam eidem inurere non dubitarunt. Et quidem quamvis a tali nota, melioris judicii Theologi eam vindicare ſint conati, tamen negari haud poteſt, grave vulnus præfatæ opinioni inflictum ab Alexandro VIII. a quo die 7. *Decemb.* 1690. *inter alias propoſitiones hæc etiam fuit damnata. Nibilominus a damnationis telo illam defendere conatur Juenin, Serry, Auctor Oper.* de re Sacram., *aliique, confixam propoſitionem intelligendam rati, cum ritus externus, aut non ſerio, ſed ioco, & mimice peragitur, aut ab illo exercetur, qui aliunde, hoc eſt ab aliqua exteriori circumſtantia, puta a Sacramenti poſtulatione non determinatur ad agendum nomine Eccleſiæ, ſeu tanquam Eccleſiæ Miniſter; ultro enim admittit Juenin non valide baptizare, qui a nemine poſtulatus domi Infantem abluit, cum expreſſa Sanctiſſimæ Trinitatis invocatione, ſi intra ſe deliberet id, quod fert propoſitio damnata:* non intendo facere quod facit Eccleſia.

In hiſce tamen, ac tantis diſſenſionibus, ad hoc ut quis in adminiſtratione Sacramentorum tutus eſſe poſſit, ſic concludit in ſuo opere Synodi Diœceſanæ loco citato Benedictus XIV. ac certam tradit agendi regulam. Verum utut hæc res coram Deo ſe habeat nulla uſque adhuc de ea emanavit expreſſa Apoſtolicæ Sedis definitio. Quamvis igitur communior ſit ſententia exigens in Miniſtro intentionem, vel actualem, vel virtualem faciendi, non ſolum ritum externum, ſed id, quod Chriſtus inſtituit, ſeu quod facit Eccleſia, & hæc, veluti tutior, ſit omnino ſervanda in praxi; non eſt tamen Epiſcopi priorem opinionem reprobare, atque ad hanc poſteriorem, etiam theorice, tuendam ſuos Diœceſanos adigere: cauſas quippe majores, difficilioreſque quæſtiones, Fidem, aut diſciplinam ſpectantes ad Apoſtolicam Sedem deferendas, ſtatuit perpetua Eccleſiæ conſuetudo ab Innocentio III. cap. *Majores*, *de Baptiſ. confirmata.* Quare ſi conſtet, quempiam, aut Baptiſmum contuliſſe, aut aliud Sacramentum ex iis, quæ iterari nequeunt, adminiſtraſſe, omni adhibito externo ritu, ſed intentione retenta, aut cum deliberata voluntate non faciendi, quod facit Eccleſia, urgente quidem neceſſitate, erit Sacramentum iterum ſub conditione perficiendum; ſi tamen res moram patiatur, Sedis Apoſtolicæ Oraculum erit exquirendum, quemadmodum ad Severum Scholaſticum Conſtantinopolitanum faciendum ſcripſit Ferrandus Eccleſiæ Carthaginienſis Diaconus, in difficili quæſtione, qua tunc Eccleſia fatigabatur, doctis, indoctiſque in varias partes ſciſſis, inquiens: *interroga vir prudentiſſime, ſi quid veritatis cupis audire, principaliter Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem, cujus ſana doctrina conſtat judicio veritatis, & fulcitur munimine auctoritatis* (*tom.* 9. *Bibliotb. Patrum pag.* 509. Quod ſemel monitum volumus, ut regula ſit etiam pro aliis controverſiis, de quarum deciſione nullum extat certum, atque determinatum documentum.

TRA-

TRACTATUS TERTIUS
DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

POſt Sacramentum ergo Baptiſmi, alterum ſequitur, quod Sacramentum appellatur communiter Confirmationis. Hæc autem jure, ac merito ſecundo loco ponitur, quoniam realiter, quaſi perfectio, & conſummatio Baptiſmi ſe habet. Illud ſiquidem certum eſt per Baptiſmum nos Fidei donum potiſſimum acquirere; per Confirmationem vero vires nobis, ac robur ad Fidem ipſam profitendam elargiri. Quamobrem operæ pretium erit, ut, explicato jam, ſicuti par fuit, Sacramento Baptiſmi, ad ea, quæ ad Confirmationis Sacramentum maxime ſpectant, omni poſſibili brevitate, atque claritate deſcendamus. Sit itaque

CAPUT I.

De quidditate, & neceſſitate Confirmationis.

DUBIUM I.

Quid ſit Confirmatio.

SAcramentum Confirmationis pluribus ſolet nominibus ſignificari. Primo enim dicitur in Scriptura *Baptiſmum*. Act.1.5. *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto*, quia nimirum eſt ipſius complementum, ut diximus. Secundo dicitur *manus impoſitio*, a modo, & ritu, quo olim conferebatur. Tertio dicitur *Sacramentum Chriſmatis*, ex materia in qua conficitur. Quarto dicitur *Confirmatio*, quia roborat, & confirmat hominem ad fidem profitendam. Dubitatur ergo quid illa ſit, & an ſit neceſſaria ad ſalutem.

2. Reſp. quod Confirmatio, ſicut Baptiſmus, & quodlibet aliud Sacramentum, poteſt dupliciter conſiderari, & definiri. Primo phyſice per materiam, & formam: ſecundo metaphyſice per genus, & differentiam. Primo modo recte definitur; *Sacramentum Novæ Legis, quo homo baptizatus inungitur in fronte ab Epiſcopo cum Chriſmate, ſub certa verborum forma ad fidei robur conſequendum*; ſecundo modo definitur: *Sacramentum Novæ Legis ſpeciale robur Spiritus Sancti, ad profitendam fidem ſignificans, & conferens*. Et quidem Confirmationem eſſe verum Novæ Legis Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, ſatis expreſſe definitur in Concil. Tridentino, nam *ſeſſ.7. can.* 1. de Confirmatione habetur: *Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otioſam eſſe cæremoniam, & non potius verum, & proprium Sacramentum &c. anathema ſit*. Et ibi de Sacramentis omnibus can. 1. dicitur: *Si quis dixerit Sacramenta Novæ Legis non fuiſſe omnia a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta; anathema ſit*. Alias auctoritates Conciliorum, & Patrum adducit Bellarminus *l.1. de Confirm. c.* 1. eſtque res ſatis clara, & certa apud Catholicos. Addi poteſt ratio; nam Sacramentum *eſt ſignum rei ſacræ ſanctificantis nos*; hujuſmodi autem eſt Confirmatio, quæ per unctionem corporalem, ſub præſcripta verborum forma, ſignificat unctionem ſpiritualem, & gratiam perficientem, & corroborantem, ut homo reddatur fortis ad pugnandum in vita ſpirituali.

,, *Hæc eadem videre poteris fuſius, ſummaque eruditione tractatam in Notiſ.6. l.* 1. *hiſce verbis*: Sacramentum eſſe, minime dubitandum eſt, & ſi quis aliter ſentire audeat a Trid. Concil. damnatur: *Si quis dixerit &c.* (*at in Auctore noſtro videre eſt ſuperius*)…. Anceps vero, incertuſque hujus veritatis eſſe non poteſt, qui hiſtoriam perpenderit, quæ in Actis Apoſtolorum commendatur: *Cum autem audiſſent Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quod recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Joannem, qui, cum veniſſent, oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum Sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in Nomine Domini Jeſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.*

,, Quatuor, ad conſtituendum, more Legis, Sacramentum, conditiones neceſſario requiruntur; quarum prima, ut ſignum ſit noſtris ſenſibus ſubjectum; altera, ut a Chriſto Domino inſtitutum fuerit; tertia, ut vim, ac facultatem conferendæ ſpiritualis gratiæ contineat; quarta denique, ut cum Religione Chriſtiana perpetuo conjungatur.

,, Manuum impoſitio, nec non & Oratio, ſigna profecto ſunt, quæ ſenſu percipiuntur. Quod autem Chriſtus Dominus hujus Sacramenti Auctor extiterit, in dubium revocari non poteſt, cum re ipſa, & Apoſtolorum exemplo confirmetur. Siquidem id, quod Sacræ Literæ teſtantur, nunquam in Eccleſiam inducere auſi fuiſſent, ipſique veluti hæreditatem relinquere, ut ex Tertulliano accepimus *lib. de Præſcript. cap.* 21.: *Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo ſuſcepit*. Illud etiam certum eſt ſpiritualem gratiam hoc Sacramento comparari, ut in Actis Apoſtolorum, quæ ſupra memoravimus, ſatis apparet; legimus enim illos, qui in Samaria Baptiſmate luſtrati fuerant, Spiritum Sanctum accepiſſe, cujus nomine, cum de Sacramentorum effectu ſermo eſt, gratia juſtificans clare intelligitur. Poſtremo ſatis cognitum, perſpectumque eſt, in Eccleſia hoc Sacramentum perpetuo viguiſſe, quod, nunquam intermiſſa conſuetudine, & SS. Patrum auctoritate, comprobatur. Quæ cum ita ſint, nullus ambigendi locus ſupereſt, Confirmationi rationem veri Sacramenti aptiſſime convenire. ,,

3. Circa tempus inſtitutionis hujus Sacramenti, probabile eſt fuiſſe inſtitutum in nocte Cœnæ, in qua Chriſtus docuit Apoſtolos Chriſma conficere, ut ex traditione Apoſtolica docet Fabianus Papa *Epiſt.2 ad Orientales cap.* 1. illis verbis: *Dominus Jeſus, poſtquam cænavit cum Diſcipulis ſuis, & lavit eorum pedes, ſicut a Sanctis Apoſtolis Prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt, Chriſma conficere docuit*; & forte ob hanc cauſam quotannis Eccleſia novum Chriſma conſecrat feria quinta in Cœna Domini: cum autem Chriſma ſit materia hujus Sacramenti, ut poſtea dicam, ſequitur materiam, & formam in nocte Cœnæ fuiſſe a Chriſto Domino determinatam, & per conſequens hoc Sacramentum inſtitutum, ut docent D. Thomas *q.72. art.* 1. *ad* 2. Suarez *diſp.* 32. *ſeſſ.* 2. Reginald. *l.* 28. *n.*4. Coninch *q.72. art.* 1. *num.*23. Bonacina *diſp.*3. *quæſt. unica, punct. primo*. Filliucius *tract.* 3. a 5. & 6. Leander *tr.*3. *diſp.*1. *q.* 3. & alii magis communiter apud ipſum.

4. Quia tamen poſt Reſurrectionem Chriſti fuit Apoſtolis collata dignitas Epiſcopalis illis verbis: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, & per conſequens facultas miniſtrandi hoc Sacramentum, quod ab Epiſcopis ſolum miniſtratur; non incongrue dici poteſt, hujus inſtitutionem inchoatam quidem fuiſſe in ultima Cœna per deſignationem materiæ, & formæ, ſed completam, & ultimatam poſt Reſurrectionem *Jo.*20. per deſignationem, & inſtitutionem Miniſtri, ut docet Bonacina *num.*4. Coninch *q.72. art.*1. *n.* 23. Filliucius *nu.*6. Henriquez, & alii. Uſus autem hujus Sacramenti cœpit poſt Pentecoſtem; nec legimus ante illud tempus fuiſſe alicui miniſtratum, quia in illo datur plenitudo Spiritus Sancti, quam dari non expediebat antequam Jeſus eſſet glorificatus, juxta illud Joan. 7. *Nondum erat Spiritus datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus*; & Joan.16. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos*. At poſt Chriſti Aſcenſionem, & glorificationem fuit datus Apoſtolis Spiritus Sanctus, non ſigno Sacramentali, ſed extraordinario, & miraculoſo; ipſi autem Apoſtoli, accepto Spiritu Sancto, aliis communicabant per impoſitionem manus, ut habetur in Actibus Apoſtolorum.

Fuſius de hoc in Notiſic. eadem. Supervacaneum hoc loco ducimus perſcrutari, quinam tempore illud Sacramentum Salvator inſtituerit, vel quibuſnam teſtimoniis, perpetuus ipſius uſus in Eccleſia potiſſimum oſtendatur. Nobis ſatis erit innuere Chriſto Domino eam poteſtatem, quæ Excellentiæ dicitur, traditam fuiſſe, cui Sacramentorum Inſtitutio tribuitur. Ipſe quidem res ipſas, quæ ſenſibus noſtris ſubjiciuntur, in tantam virtutem, ac dignitatem efferre ſolus poterat, ut juſtificantem gratiam in nobis producerent. Itaque eam diſputationem Theologis relinquimus, utrum id Sacramentum tunc primo induxerit, cum ſanctiſſimas manus ſuper puerorum capita impoſuit Matth. cap. 19.; utrum etiam illud conſtituerit, non quidem adminiſtrando, ſed facta ſolum Apoſtolis promiſſione, ut ex Joanne deprehenditur: *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; ſi autem abiero, mittam*

,, *eum*

„ *eum ad vos*. Denique utrum in ultima Cœna id evene-
„ rit, vel cum Apoſtolis inquit: *Accipite Spiritum San-*
„ *ctum*; an vero die Pentecoſtes cum, Spiritu Sancto cœ-
„ litus demiſſo, confirmati fuerunt; an poſtquam a mortuis
„ excitatus quadraginta dierum ſpatio cum ipſis verſatus fuit,
„ & plurimos de Regno Dei, ut in Actib. Apoſt. cap. 1.
„ hoc eſt de ſtatuenda, regendaque Eccleſia ſermones ha-
„ buit, ob quam cauſam S. Leo Magnus *in ſerm. 1. de Aſcenſ.*
„ *Domini*, ita ſcriptum reliquit: *Non ergo ii dies, qui inter*
„ *Reſurrectionem Domini, Aſcenſionemque fluxerunt, otioſo*
„ *tranſiere decurſu, ſed magna in his confirmata Sacra-*
„ *menta, magna ſunt revelata Myſteria*. Congerant igitur
„ ſapientes Theologi omnia vetuſtatis teſtimonia, ut Sac.
„ Confirmationis uſum a primis Eccleſiæ ſæculis ad nos uſque
„ perenni ſucceſſione derivatum oſtendant: nos ſalva, & in-
„ tegra aliorum Scriptorum laude, qui egregios in hac re
„ labores ſuſceperunt, Carolum Witaſſium *lib. 1. de Sacram.*
„ *Confirmat.* merito proponemus, qui ſingularem ſupra ce-
„ teros gloriam ſibi comparavit. Ipſe quidem nullum ex
„ Conciliis, vel Sanctis Patribus monumentum prætermi-
„ ſit, ut aperte demonſtraret, quod revera aſſecutus eſt,
„ perpetuam ſemper fuiſſe Confirmationis adminiſtrandæ
„ in Eccleſia conſuetudinem.

DUBIUM II.

An Confirmatio ſit neceſſaria ad ſalutem?

5. RESpond. 1. Sacramentum Confirmationis non eſt neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem, quia de facto multi ſalvantur ſine Confirmatione, ut patet in Infantibus baptizatis, ex hac vita decedentibus ante ſuſceptionem hujus Sacramenti, qui certe ſalvantur, ut affirmant omnes Doctores.

6. Reſp. 2. hoc Sacramentum non eſt neceſſarium neceſſitate præcepti, neque Divini, neque Eccleſiaſtici, conveniunt omnes Doctores, quia nullibi extat hoc præceptum, ſive Divinum, ſive Eccleſiaſticum, ut colligitur ex Catechiſmo Rom. *part. 2. de Confirmat. n.* 15. dicente: Hoc Sacramentum hujuſmodi neceſſitatem non habere, ut ſine eo ſalvus quis eſſe non poſſit. Quamquam vero neceſſarium non ſit, a nemine tamen prætermitti debet. Quod ſi cap. *Spiritus Sanctus*, & cap. *de his, de Conſecrat. diſt.* 5. videatur aliqua neceſſitas doceri, ſolum infertur antiquitus, quando Confirmatio conferebatur ſtatim poſt Baptiſmum, non potuiſſe licite conferri Baptiſmum ſine Confirmatione, quæ neceſſitas hodie non urget. Imo dicto cap. *Spiritus Sanctus*, dicitur, hoc Sacramentum non eſſe neceſſarium hominibus jam morituris; ſi autem extaret aliquod præceptum ſive divinum, ſive humanum, maxime obligaret in articulo mortis: cum autem non detur hujuſmodi obligatio, nec datur præceptum, ut docet D. Thom. *q.* 72. *art.* 8. Cajet. *ibid.* Navar. *c.* 22. *n.* 8. Suarez *diſp.* 38. *ſect.* 1. & alii, quos citant, & ſequuntur Bonacina *punct.* 2. Diana *part. 3. tract.* 4. *reſol.* 25. & *part. 5. tr. 3. reſ.* 30. & Leander *diſp.* 1. *q.* 6.

„ *Videre poteris quid in eadem Notific. ſupra hoc aſſera-*
„ *tur*: Cum igitur, *ſic enim ait*, Confirmatio, ut diximus,
„ Vivorum Sacramentum nuncupetur, & ideo primam gra-
„ tiam minime producat; omnino ſequitur, ut neceſſaria
„ *neceſſitate medii* non ſit, ac ſine ipſa ſempiterna feli-
„ citas poſſit obtineri. Sed certum eſt, adulta jam ætate
„ homines vel *in re*, vel ſaltem *in voto* debere *neceſſitate*
„ *præcepti* confirmari, quod etiam inter Dei præcepta nu-
„ meratur; aut cum bellum a Tyrannis contra Fideles in-
„ fertur, vel cum Dæmonis fraude de Religione anxii,
„ ſollicitique graviter jactamur, vel tandem cum in ulti-
„ mum vitæ diſcrimen adducimur. Tunc autem Eccleſiæ præ-
„ ceptum dicitur, cum quis, rationis uſu præditus, ſi Epi-
„ ſcopus hujus Sacramenti Miniſter præſto ſit, nulla legi-
„ tima cauſa ad illud ſuſcipiendum impediatur. Ita ferme
„ univerſi Theologi ſentiunt, & qui ſapientiæ laude ma-
„ gis commendantur, eos gravi labe inquinari teſtantur,
„ qui ob contemptum, vel oſcitantem ſocordiam animam
„ iſtius Sacramenti gratia munire prætermittant. Eamdem
„ culpam Parochis, Parentibus, Dominis, ac Tutoribus
„ ineſſe certum eſt, qui ſibi ſubjectos non vehementer ex-
„ timulent, ut hoc Sacramento, cum fert occaſio, confir-
„ mentur. Præclarus Hugo a S. Victore illud ſcriptum re-
„ liquit *lib. 2. de Sacramen. part. 7. cap. 3. Propterea*
„ *timendum eſt iis, qui per negligentiam amittunt Epi-*
„ *ſcopi præſentiam, & non ſuſcipiunt manus impoſitio-*
„ *nem, id eſt Confirmationem, ne forte propterea damnen-*
„ *tur, quia feſtinare debuerant, dum potuerunt*. Cujus rei
„ eamdem cauſam adjungit, quam ſupra nos etiam non
„ ſemel memoravimus: *Quid prodeſt ſi a lapſu erigeris,*
„ *niſi etiam ad ſtandum confirmeris?* Angelicus Doctor
„ *part. 3. q. 72. art. 11. ad 3.* tradit, omnia Sacramen-
„ ta ad comparandam animæ ſalutem eſſe neceſſaria;
„ ita tamen, ut aliqua omnino requirantur, ſine quibus
„ ſalvi eſſe nullo modo poſſimus; alia vero ita neceſſaria
„ ſint, ut ſine ipſis ad ſalutem quis valeat pervenire. Hinc
„ poſtquam Confirmationem hæc inter Sacramenta retu-
„ lit, iis verbis utitur: *& hoc modo Confirmatio eſt de*
neceſſitate ſalutis, quamvis ſine ea poſſit eſſe ſalvus, dum „
tamen non prætermittatur ex contemptu Sacramenti. S. „
etiam Bonavent. *in 4. Sentent. diſt.* 8. *art.* 3. *quæſt.* 2. de „
hac re in hunc modum ſcripſit: *dicendum, quod eſt ne-* „
ceſſitas ſimpliciter, & neceſſitas conditionata; ſimpliciter „
non eſt gratia Confirmationis neceſſaria, ſed neceſſaria ex „
conditione, ſcilicet pugnanti, & vincere volenti; ſicut come- „
dere neceſſarium eſt vivere volenti. Et poſtquam Senten- „
tiam ſuam plane comprobavit, hæc ſuperaddit: *Ex in-* „
ſtitutione ergo Eccleſiæ eſt, quod nullus ab hoc Sacramento „
excipitur; ſed omnes ſuſcipere debent, ut ſint ſtrenui pu- „
gnatores, & ideo, ſi quis cum habet locum, & tempus, & „
opportunitatem, negligendo contemnit, periculo ſe exponit. „
Terrere ſummopere debet Novati exemplum, qui, ut re- „
fert Euſebius *l. 6. c.* 35. ſuſcepto Baptiſmi lavacro, dum in- „
firma valetudine teneretur, poſtea in ſanitatem reſtitutus, „
confirmari neglexit: ob quam cauſam, ut aſſerit Cornelius „
Pontifex, mortis tempore perculſus, Fidem turpiter deſeruit, „
& ſocietatem cum Schiſmaticis inivit. *Verum morbo tandem* „
relapſus, neque cetera, quibus poſt Baptiſmum, ſecundum „
Eccleſiæ canonem, imbui oportuerat, acquiſivit, neque Do- „
mini ſigillo ab Epiſcopo obſignatus fuit. Quo quidem neuti- „
quam potitus, quomodo, quæſo, Spiritum Sanctum ade- „
ptus eſt? Iſte perſecutionis tempore metu debilitatus, & „
nimia vitæ cupiditate adductus, ſe Preſbyterum eſſe ne- „
gavit. „

7. Quare qui confirmationem etiam ſponte, aut ex negligentia omitteret, non peccaret mortaliter, ſecluſo contemptu, ſcandalo, aut alia circumſtantia, etiam ſi omitteret quando deberet proteſtari fidem coram Tyranno; licet enim Confirmatio tribuat robur, & vires ad profitendam, & confitendam fidem, tamen, ut obſervat Bonacina *punct.* 2. *num.* 2. hujuſmodi vires poſſunt per alia media obtineri, ut mediis Orationibus, Confeſſione, & Euchariſtia. Per accidens talis omiſſio poterit eſſe peccaminoſa ratione contemptus, aut ſcandali, vel ſi quis ſibi perſuaderet, non poſſe reſiſtere gravi tentationi contra fidem ſine hoc Sacramento. An vero ſit ſaltem peccatum veniale non recipere Confirmationem, data opportunitate, ex ſola negligentia: alii negant, quia nullum datur præceptum; alii melius affirmant, quia, data occaſione ſuſcipiendi hoc Sacramentum, nolle illud recipere, ex ſola negligentia, citra contemptum, eſt ſe privare ingenti bono, quod ſine prodigalitate, quæ ſit peccatum veniale, fieri non poteſt, ut docet, pluribus adductis, Leander *quæſt.* 7.

8. Quæres: *An ſaltem ſit peccatum mortale Ordines etiam Sacros recipere ante Confirmationem?*

Affirmant plures propter diſpoſitionem Trident. *ſeſſ.* 23. *de Reform. cap.* 4. dicentis: *Prima tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint, & Fidei rudimenta edocti non fuerint*. Ita Nugnus *tom. 2. q. 35. art.* 4. Tolet. *lib. 2. cap. 71. num.* 6. Bonacina *de Sacrament. diſp.* 8. *punct.* 5. *num.* 10. idemque affirmant de Epiſcopo ordinante aliquem non confirmatum.

9. Reſp. non eſſe peccatum mortale, ſed veniale tantum, quia nullum extat præceptum obligans ad mortale, nec in Trid. præcipitur aliquid initiandis, ſed tantum admonentur Epiſcopi quid facere debeant, quibus tamen nulla aliqua ſtricta obligatio imponitur, quia nullum eſt verbum, quod rigoroſum præceptum indicet; inde non peccaret Epiſcopus mortaliter ordinando non confirmatum, aut etiam conferendo Confirmationem, & Ordines, antequam ipſe ſit confirmatus, multo minus peccaret, qui Euchariſtiam, Pœnitentiam, aut alia Sacramenta reciperet ante Confirmationem; eſſet tamen peccatum veniale recipere, vel conferre Ordines ante Confirmationem, quia eſt aliqua inordinatio non ſequi directionem Trident. admonentis, non eſſe Ordines conferendos non Confirmatis. Ita Navar. *cap. 22. num.* 9. Suarez *diſp.* 38. *ſect.* 1. Coninch *q.* 72. *art.* 8. *n.* 90. & alii plures; quos citat, & ſequitur Leander *q.* 8. & 9.

DUBIUM III.

Quænam ſit Materia remota hujus Sacramenti.

10. RESp. eſſe Chriſma ex Oleo olivarum, ac Balſamo confectum, atque ab Epiſcopo jam conſecrato benedictum, & hoc de neceſſitate Sacramenti, ex inſtitutione Chriſti. Ita expreſſe docet Concil. Florent. in decreto Eugenii §. *Secundum Sacramentum*, & Trident. *ſeſſ. 7. can. 2. de Confirm.* & conſtat ex perpetua traditione, & uſu Eccleſiæ, ut habetur ex Catechiſmo Rom. *part. 2. cap. 3. de Confirm. num.* 7. & traditur a D. Thoma *p. 72. art. 2. & 3.*

11. Et quidem Oleum olivarum eſſe materiam hujus Sacramenti tradunt omnes Doctores, & ſumitur ex Innocentio III. *cap. ult. de Sacra Unctione*: congruentiam affert D. Thomas *loco cit.*, eo quod proprietates Olei, quibus ſignificatur Spiritus Sanctus, magis inveniuntur in oleo olivarum, quam in quocunque alio oleo; an vero debeat eſſe Balſamo admixtum, non omnes conveniunt. Prima Sententia docet talem mixtionem ſolum eſſe de neceſſitate præcepti, non de neceſſitate Sacramenti, quod ſtare poteſt, etiam ſi adhibeatur ſolum Oleum olivarum ſine Balſamo, ea ratione, qua mixtio aquæ cum vino in Euchariſtia non eſt

de ne-

de neceſſitate conſecrationis, ſed de neceſſitate præcepti. Fundatur in reſp. Innocentii III. in cap. *Paſtoralis*, *de Sacramentis non iterandis*, qui interrogatus, utrum Sacramentum Confirmationis eſſet iterandum in eo, qui per errorem non fuit Chriſmate, ſed Oleo delinitus: reſpondit, non eſſe aliquid iterandum, ſed caute ſupplendum, quod incaute fuerat prætermiſſum; ex quo colligitur verum fuiſſe Sacramentum, quod in Oleo tantum fuit miniſtratum. Sequitur ulterius poſſe Pontificem diſpenſare, ut hoc Sacramentum adminiſtretur cum ſolo Oleo olivarum, ſi Balſami copia deeſſet. Ita Cajet. *quæſt.* 72. *artic.* 2. Sotus *in* 4. *diſt.* 7. *art.* 2. Navar. *in ſumma cap.* 22. *num.* 8. Covar. *lib.* 1. *cap.* 10. Valentia 3. *part. diſput.* 5. *quæſt.* 1. *punct.* 2. & alii plures, quos refert Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 23. & iterum *part.* 8. *tract.* 1. *reſol.* 11. Barboſa 2. *p. de poteſt. Epiſc. alleg.* 31.

12. Secunda Sententia multo probabilior docet, admixtionem Balſami, non modo de neceſſitate præcepti, ſed de neceſſitate Sacramenti requiri, & conſequenter non poſſe Pontificem diſpenſare, ut miniſtretur in ſolo Oleo olivarum ſine Balſamo. Ratio eſt, quia Conc. Flor. abſolute ait, materiam hujus Sacramenti eſſe Chriſma confectum ex Oleo, & Balſamo. *Secundum Sacramentum*, ait, *eſt Confirmatio, cujus materia eſt Chriſma confectum ex Oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & Balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ*. Non ſic autem loquitur Concil. de materia Calicis, quam non dicit eſſe vinum aqua mixtum, ſed *vinum de vite, cui ante conſecrationem, aqua modiciſſima adhiberi debet*: ex qua loquendi diverſitate apparet mentem Concilii fuiſſe, quod admixtio aquæ in materia Euchariſtiæ ſit tantum de neceſſitate præcepti: admixtio vero Balſami pro Confirmatione ſit de neceſſitate Sacramenti ex inſtitutione Chriſti, quam per Eccleſiæ traditionem accepimus, ut notat Layman *tr.* 3. *c.* 2. Confirmari poteſt ex forma Confirmationis, quæ eſt: *Confirmo te Chriſmate ſalutis*, quæ non verificaretur, ſi miniſtraretur in ſolo Oleo ſine Balſamo; cum Chriſma, ex communi loquendi modo, ſignificet unguentum compoſitum ex Oleo, & Balſamo, ut notat *Catechiſ.* Rom. *n.* 7. Hanc Sententiam tenent cum D. Th. *q.* 72. *art.* 2. Suarez *diſp.* 35. *ſeſſ. prima* Coninch *dub.* 1. *n.* 30. Layman. *tr.* 3. *c.* 2. *n.* 1. ubi aſſerit neminem contrariam Sententiam docuiſſe ante Cajetanum, idemque affirmat Diana *part.* 8. *tr.* 1. *reſ.* 11., ubi pro noſtra Sententia citat Filliucium, Toletum, Baſilium, Pontium, Villalob., Averſam, & *part.* 3. *tr.* 3. *reſp.* 23. pro eadem citat Pitignanum, Sylvium, Nugnum, Ledeſmam, & alios: ſequuntur etiam, pluribus citatis, Bonac. *diſp.* 3. *punct.* 3. Franciſc. a Jeſu M. *tr.* 3. *c.* 2. *n.* 7. & Leander *diſp.* 3. *q.* 3.

13. Ad fundamentum oppoſitum facile reſpondetur per Innocentium eſſe caute ſupplendum, quod incaute erat omiſſum, cum autem fuerit omiſſa unctio Chriſmatis confecti ex Oleo, & Balſamo, illa erat ſupplenda ſub præſcripta verborum forma, abſque iteratione cæremoniarum accidentalium, quæ ſemel ſolemniter adhibitæ, non amplius iterantur, etiam ſi poſtea deprehendatur defectus ſubſtantialis in Materia, vel Forma, qui ſolus privatim corrigitur, ſeu ſuppletur, quod etiam in Baptiſmo obſervandum eſſe docet Suarez *diſp.* 33. *ſeſſ.* 1. Addo reſponſionem Innocentii nobis favere; ſi enim mixtio Balſami eſſet tantum de neceſſitate præcepti, ſicut aqua in calice, illa non eſſet neceſſario ſupplenda, ſi forte fuerit omiſſa, ſicut non ſuppletur mixtio aquæ poſt conſecrationem calicis, ſi fuit ante omiſſa; ſi autem mixtio Balſami per Innocentium debet ſuppleri, conſeq. eſt illam non requiri ſolum de neceſſitate præcepti, ſed de neceſſitate Sacramenti.

14. Notat Diana *part.* 3. *l. cit.* cum Joan. de La Cruz in directorio de Confirm. *q.* 72. *dub.* 2. *concl.* 1. quod ſi hoc Sacramentum forte adminiſtratum fuerit cum Oleo ſimplici tantum, non eſſet iterandum abſolute, ſed ſub conditione, adhibita materia certa, propter probabilitatem opinionis contrariæ.

„ *Vide quid de Olei, Balſamique mixtione, quæ tanquam „ Materia in hoc Sacramento ſe habent, dicatur in Notific.* 6. „ *lib.* 1. *hiſce verbis*: Tandem pollice tincto in Oleo, ſive „ Balſamo, ſignum Crucis imprimitur, eoque pacto, dum „ Formam, ac Verba pronunciat Epiſcopus, Materiam ſi„ mul tradit, ex quibus Sacramentum conſtituitur. Hæc „ Olei, Balſamique compoſitio feria ſexta Majoris Heb„ domadæ ſolemni Epiſcopi conſecratione conficitur. *Se„ cundum Sacramentum* (inquit Eugenius loco, quem ſu„ pra diximus) *eſt Confirmatio, cujus materia eſt Chriſma ex „ Oleo, & Balſamo per Epiſcopum benedicto*. A primis uſ„ que ſæculis Oleo ſemper uſa eſt Eccleſia, dum Confirma„ tionis Sacramentum conficiebatur. Id vero apertiſſimis „ Dionyſii Areopagitæ, Theophyli Antiocheni, Tertullia„ ni, ac Cypriani teſtimoniis ſatis oſtenditur. Quo tempore „ Balſamum Oleo permiſceri inceperit, perſcrutari ſuperva„ caneum in præſenti ducimus: ſatis ſit, quod ſæculo ſex„ to certiſſima hujus rei documenta proferantur. Nunc au„ tem ex Occidentis, & Orientis pariter Eccleſiæ inſtitu„ to Balſamum Oleo componitur; ita tamen, ut triginta „ quinque diverſæ aromatum ſpecies, & exigua vini copia „ adjungantur. Ita in Euchologio impreſſo a Goario. In„ ſuper Oleum pro hujus Sacramenti materia propoſitum „ fuit, quod Sancti Spiritus gratia in ipſo potiſſimum ſi„ gnificatur: *Gratia Spiritus Sancti*, ait S. Thomas *part.* „ 3. *q.* 72. *art.* 2., *in Oleo deſignatur, unde Chriſtus dicitur „ eſſe unctus oleo lætitiæ propter plenitudinem Spiritus San„ cti, quam habuit, & ideo Oleum competit Materiæ hujus „ Sacramenti*. De Balſamo vero ita ſubnectit: *Admiſcetur „ autem Balſamum propter fragrantiam odoris, quæ redun„ dat ad alios, unde Apoſtolus dicit* 2. *ad Corinth. cap.* 2. „ *Chriſti bonus odor ſumus Deo &c. Et licet multa alia „ ſint odorifera, tamen præcipue accipitur Balſamum pro„ pter hoc, quod habet præcipuum odorem, & quia et„ tam incorruptionem præſtat. Unde Eccleſ.* 24. *dicitur*: „ *quaſi balſamum non mixtum odor meus*. „

15. De neceſſitate Sacramenti requiritur, quod Chriſma ſit ab Epiſcopo benedictum, ſeu conſecratum, quia Concil. Florentin. ſtatuit Materiam Confirmationis eſſe Chriſma, ex Oleo, & Balſamo confectum, & ab Epiſcopo benedictum, quo loquendi modo indicat benedictionem Epiſcopalem, non minus ad eſſentiam hujus Sacramenti ſpectare, quam Oleum, & Balſamum. Congruentiam affert D. Thom. *q.* 72. *art.* 3. quia congruum eſt, ut corporea, & ſenſibilis materia, antequam ad animæ ſanctificationem adhibeatur, a vulgari, & profano uſu per benedictionem aliquam ſecernatur. Ex his materias quaſdam ipſe Chriſtus ſuo contactu ſanctificavit: horum ſunt aqua, quam Chriſtus in Jordane ſuo contactu ſanctificavit; item panis, & vinum in ultima Cena; ideo non indigent alia benedictione neceſſaria, cum adhibentur pro materia Sacramentorum; ſi quæ vero Eccleſiaſtica benedictio adhibetur, ea ad ſolemnitates accidentales pertinet. Unctionibus autem viſibilibus, quæ in Sacramento Confirmationis, & Extremæ Unctionis fieri debent, Chriſtus ipſe non eſt uſus, neque eorum materiam benedixiſſe alicubi legitur; quamobrem tum Chriſma, tum Oleum Infirmorum prius neceſſario benedici debent, quam ad uſum Sacramenti adhibeantur, & quidem benedici debent a ſolis Epiſcopis, quia ipſi, cum ſint primi Sacerdotes, præcipue repræſentant perſonam Chriſti, ut intelligatur omnem Sacramenti virtutem a Chriſto derivari.

16. An Chriſma poſſit conſecrari a ſimplici Sacerdote ex diſpenſatione, & commiſſione Summi Pontificis, nonnulli affirmant, quia ſicut Summus Pontifex poteſt committere ſimplici Sacerdoti adminiſtrationem hujus Sacramenti; ita poterit committere conſecrationem Chriſmatis ad ipſam adminiſtrationem requiſiti. Ita Cajet. *quæſt.* 72. *art.* 3. Victoria *in ſum. num.* 43. Valentia *diſp.* 5. *quæſt.* 1. *punct.* 2. Barboſa *de poteſt. Epiſc. part.* 2. *allegat.* 31. Diana *part.* 8. *reſol.* 12. *tract.* 1.

17. Probabilior, & vera Sententia negat poſſe Chriſma benedici a ſimplici Sacerdote, etiam ex commiſſione Summi Pontificis, quia de jure divino hæc poteſtas conficiendi Chriſma reſervata eſt ſolis Epiſcopis, ut infertur ex Concil. Florentin. aſſignante pro materia Confirmationis Chriſma ab Epiſcopo benedictum, & Vormatienſi cap. 2. dicente: *Chriſma conficere nullus, præter Epiſcopum, præſumat*, aliiſque Conciliis, & Patribus, relatis a Bellarmino *de Confirm. c.* 8. Nec obſtat fundamentum oppoſitum, quia primam poteſtatem habet Pontifex a Chriſto Domino acceptam, non vero ſecundam, ut colligitur ex Conc. Florent., quod agens de Miniſtro hujus Sacramenti, docet eſſe Epiſcopum, aliquando tamen, ex commiſſione Sedis Apoſtolicæ, ſimplicem Sacerdotem illud miniſtraſſe, *ex Chriſmate per Epiſcopum benedicto*, ubi aperte diſtinguit inter collationem hujus Sacramenti, & Chriſmatis benedictionem, quod illa per diſpenſationem Pontificis poſſit committi ſimplici Sacerdoti, non hæc. Ita Suarez, Filliuc., Coninch, Layman, & alii, quos citat, & ſequitur Leander *diſput.* 3. *quæſt.* 6. Barboſa de poteſt. Epiſc. *part.* 2. *allegat.* 30. *num.* 6. Franc. a Matre Dei, qui citat Bonacinam, Granadum, & Antonium a Spiritu Sancto.

Tres in hanc rem agitantur primum, poſtmodum re- „ ſolvuntur quæſtiones in lib. 7. *Synod. Diœceſan. c.* 7. *&* 8. „ *In prima ſiquidem quæritur: utrum ſimplices Sacerdotes „ ex diſpenſatione, & commiſſione Summi Pontificis, poſ- „ ſint Sacramentum Confirmationis exhibere; in ſecunda „ vero: utrum iiſdem ſimplicibus Sacerdotibus fieri poſſit a „ Summis Pontificibus poteſtas, non ſolum ſacro conſignandi Chriſmate Baptizatos, verum & ipſum conficiendi „ Chriſma, in ſacra Unctione adhibendum: in tertia tandem: utrum a quolibet Epiſcopo ſimplici Sacerdoti com- „ mitti poſſit, ut Chriſmate a ſe confecto Fideles conſignet, „ ne ſecus degentes in locis, ad quæ ipſe accurrere nequit, „ Sacramento Confirmationis perpetuo careant. Quamvis au- „ tem noſter hic Auctor favorabiliter cum prælaudatis ſen- „ tiat auctoribus pro prima ex hiſce quæſtionibus, ſecus „ vero pro ſecunda, reſervata tertia ad* §. 3. cap. 2. *hu- „ juſce Tractatus*, qui incipit: Inde ſimplex Sacerdos; *at- „ tamen ſententia non plane æquali ſingulæ hæ ſolvuntur „ quæſtiones in lib.* 7. *Synod. Diœceſanæ c.* 7. *&* 8. *Ad primam „ ſiquidem ſolvendam, multis undique congruentiis, argu- „ mentiſque congeſtis, in hanc tandem opinionem deſcendit, „ atque ita indubitanter decernit*: Hæc, aliaque ejuſdem „ generis exempla Nos congeſſimus in quadam Cauſa Americana Sac. Congreg. Concilii, cui tum eramus a Secretis, „ propoſita die 13. Julii an. 1722. tom. 2. Theſaur. Reſol. „ „ pag.

„ pag. 187., eademque repetita fuere a bon. mem. Card. Lanfredino, idem munus obeunte: in alia Cauſa pariter Americana eidem Congregationi propoſita die 24. Jan. 1733. tom. 6. Theſaur. pag. 14., evectique ad Petri Cathedram etiam Nos poteſtatem fecimus Patri Cuſtodi, & Guardiano S. Sepulcri D. N. Jeſu Chriſti Ord. Min. de Obſervantia idem conferendi Sacramentum Confirmationis in locis Terræ Sanctæ, in quibus actu non degunt Epiſcopi Latini, & quoad Fideles Græci ritus, ubi deſit Epiſcopus Græcus Catholicus, qui in propria reſideat Diœceſi, aut ubi iſtius ibidem reſidentis acceſſerit conſenſus, uti habetur in Conſtitut. 10., & in alia Conſtit. 87. §. 13. noſtri Bullar. *tom. 1. pag. 28. & pag. 294.*

„ Quare non videtur hodie fas eſſe, poteſtatem, de qua olim diſceptabatur, Summo Pontifici abjudicare; quoniam, ut ait Veracrux in Specul. *part. 2. art. 27. De Pontificis poteſtate, poſtquam diſpenſavit, dubitare inſtar ſacrilegii eſt; eſſet enim Chriſto quaſi exprobrare, quod non ſatis Eccleſiæ ſuæ providiſſet.* Et magis ad rem Sotus *c. d. 7. q. unic. ar. 11. Non eſt dubitandum, quin ſimplex Sacerdos, ex commiſſione Papæ, poſſit Sacramentum Confirmationis exhibere: & qui de hoc jam modo hæſitaret, Eccleſiaſticis Sanctionibus adverſaretur. Etenim quamvis hæc Concluſio ex ſacris litteris plane non colligatur, ſufficere tamen debet Orthodoxis, quod Gregorius* (addimus Nos, & alii Pontifices) *illam fecerint diſpenſationem.*

„ *Quoad ſecundam vero quæſtionem: utrum ſcilicet ſimplicibus Sacerdotibus permitti poſſit a Summo Pontifice, ut non ſolum Sacro Chriſmate baptizatos Infantes conſignent, verum ut & ipſos Chriſma conficiant, aliter ſentiendo ac Giribaldi noſter, ſic diverſimode concluditur, & ſtatuitur in ead. Synodo Diœceſan. c. 8. l. 7.* Nemo eſt, qui dubitet Chriſmatis benedictionem annumeratam ſemper fuiſſe inter propria, & præcipua Epiſcopalis Ordinis munera. In Concil. enim Carthagin. II. an. 390. (*tom. 1. collect. Harduin. col. 952.*) cap. 3. *Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: Chriſmatis confectio, & Puellarum conſecratio a Presbyteris non fiant;* Carthaginienſe III ann. 397. capit. 36, (*ib. col. 964.*) edixit: *ut Presbyter, inconſulto Epiſcopo, Virgines non conſecret, Chriſma vero nunquam conficiat.* Concilium Bracharenſe an. 561. cap. 19. (*tom 3. collect. Harduin. col. 372.*) deponi juſſit Presbyteros, Chriſma conficere præſumentes. In Actis pariter Concilii Toletani II. an. 531. editis a Card. de Aguirre (*tom. 2. pag. 271.*) refertur Epiſtola Montani Epiſcopi Toletani ad Theoribium, in qua Montanus ſacrilegam increpat quorumdam Presbyterorum audaciam, qui contra antiquiſſimum, ipſique Religioni Chriſtianæ coævum morem jus ſibi arrogabant conſecrandi Chriſma: *Quidam*, ait, *ut ad Nos perlatum, Presbyteri, auſu temerario res ſacras, non tam conſecrare, quam violare præſumunt, & cunctis ab initio Fidei Catholicæ ſæculis inuſitatum, ſummis ſui Ordinis hominibus, niſi tantum Pontificibus debitum, jus conſecrationis Chriſmæ, neſcio quo typho, an dementia dicam indubitanter aſſumunt; quod quam ſacrilegum ſit, conſcientiam tuam latere non credo.* At cum iſti, aliique ſimiles Canones de ſola loquatur poteſtate ordinaria, quam nullus unquam ſimplici Presbytero aſſeruit, non adimunt quæſtionem, quæ verſatur circa poteſtatem extraordinariam. Solum enim diſputatur, an, ſicuti Summus Pontifex poteſt ſimplici Sacerdoti facultatem, impertiri adminiſtrandi Sacramentum Confirmationis, ita eidem committere etiam valeat poteſtatem conficiendi Chriſma. Affirmant Cajet. *in 3. part. q. 72. art. 3.* Gregor. de Valentia *tom. 4. diſp. 3. punct. 2. §. At hoc in primis.* Card. de Lauræa *in 4. t. 3. diſp. 2. ar. 3.* Berti in ſua Theolog. *t. 7. lib. 32. c 5. prop. 4.*: quorum ſententiam valde probabilem exiſtimant Suarez *tom. 3 in 3. part. quæſt. 72. diſp. 33. ſect. 2. §. tertia Sententia.* Bonacina *de Sacram. diſp. 7. q. unic. punct. 2. n. 3.* Etenim, ſi Summus Pontifex, ſuprema ſua auctoritate, poteſt ſimplici Sacerdoti munus demandare conficiendi Sacramentum Confirmationis, de ſe ceteroquin annexum ordini Epiſcopali, eo magis poterit facultatem eidem elargiri præparandi ejuſdem Sacramenti materiam. Neque deſiderantur ejuſmodi conceſſe facultatis exempla; nam ſi qua fides Wadingo *in annal. Minor. t. 9. ad an.* 1400. Eugenius IV. Fabiano de Bachia Ord. Minor. ad Indos proficiſcenti, veniam dedit, non ſolum Chriſmate conſignandi Fideles, ſed etiam ipſum Chriſma conficiendi. Apud Mabillonium itidem *t. 1. part. 2. Muſæi Italici* extat Epiſtola Joannis Diaconi, hæc ad Senarium ſcribentis *num. 8. p. 73. Sed nec illud tangat animum, quod ſibi aliquando quædam vis neceſſitatis aſſumit, veluti (quod nunc per Africam fieri dicitur) ut Presbyteri ſanctum Chriſma conficiant, quod merito moveret, ſi iſtam Pontificalis auctoritas licentiam non dediſſet, unde conſtat a Pontificibus quodammodo fieri, quod in tanta rerum neceſſitate, ut a Presbyteris perfici poſſit, ſuperior ordo conſtituit.*

„ Ultro tamen fatemur ejuſmodi exempla, ſi vera ſint, pauciſſima tamen eſſe, atque ut plurimum non aliter conſueviſſe a Summis Pontificibus ſimplices Sacerdotes inſigniri poteſtate adminiſtrandi Sacramentum Confirmationis, niſi ſub expreſſa conditione adhibendi Chriſma, non a ſe, ſed ab Epiſcopo conſecratum, quemadmodum perpendit Auctor Theologiæ Moralis ad uſum Seminarii Portocarenſis *tom. 3. lib. 1. tract. 3. q. 5.* quare inſuetum foret, hac etiam prærogativa Epiſcopalis Ordinis propria, inferiorem Presbyterum exornare. Accedit nullam adeſſe neceſſitatem hanc poteſtatem faciendi ſimplici Presbytero: is quippe, quocumque ſe conferat, poteſt ſecum deferre Chriſma ab Epiſcopo acceptum; & ſiquidem a Sacris Canonibus, præcipue can. *Litteris, de Conſecrat. diſt.* 3. Et *can. Si quis de alio, de Conſecrat. diſt.* 4. vetitus eſt uſus Chriſmatis ante annum benedicti, ſatis erit, ut ab hoc poſitivo Eccleſiæ præcepto, Summi Pontificis auctoritate, eximatur, ſicuti Nos in cit. noſtra Conſtit. 10. ab eodem abſolvimus prædictum Cuſtodem Sancti Sepulcri, ſi in loco degat, ubi novi Chriſmatis ei non ſuppetat copia.

Solutionem tandem quæſtionis tertiæ: utrum nempe ab Epiſcopo hæc dari poſſit diſpenſatio, ut ſimplex quilibet Sacerdos hoc Sacramentum adminiſtret, videre poteris in cap. 2. hujuſce tractatus §. 3. ad finem, ubi de Miniſtro agitur hujus Sacramenti. „

18. De neceſſitate Sacramenti non requiritur, ut Chriſma ſit novum confectum illo anno, ſed ſolum hoc requiritur de neceſſitate præcepti, ut colligitur ex capite, *ſi quis, de conſecrat. diſt. 4.* Quapropter quotannis in die Cœnæ conſecratur Chriſma, veteri combuſto. Unde peccaret mortaliter Epiſcopus, qui veteri Chriſmate uteretur, at Sacramentum eſſet validum, quia Concil. Florent. ſimpliciter dixit Chriſma eſſe materiam hujus Sacramenti; quod autem ſit benedictum hoc; vel illo tempore, eſt aliquid accidentale, ut docent Suarez, Bonacina, Ochagavia, Navarr., Villalob., Baunius, & Palaus apud Leandrum *q. 7.* ſufficit etiam pro Chriſmate quodlibet Balſamum, ſive Palæſtinum, ſive Indicum, quia hoc etiam eſt verum balſamum, ut cum Suarez, & aliis docet Baſſæus verbo *Confirmatio n. 4.*

DUBIUM IV.

Quænam ſit Materia proxima hujus Sacramenti?

19. Reſp. materiam proximam eſſe unctionem Chriſmatis, factam in fronte, manu Epiſcopi, in modum Crucis. Ita cum D. Thoma *q. 72. art. 9.* docent communiter Doctores, quia Sacramentum, quod conſiſtit in uſu, habet pro materia proxima uſum materiæ remotæ, quæ in præſenti eſt ipſa unctio; unde etiam Confirmatio vocatur a Patribus *Chriſma*, hoc eſt, Unctio; & quidem unctionem hanc eſſe neceſſario faciendam in fronte Confirmati, clare colligitur ex Conc. Florent. in Decreto de Armenis, & ex cap. *unico de Sacra Unctione*, & ex ipſo uſu, & ex traditione Eccleſiæ, & Patrum, qui hoc Sacramentum, modo appellant impoſitionem manus, modo ſignaculum Domini, quod in fronte gerimus, ad ſignificandam conſtantiam in profitenda fide Chriſti. Quare non ſolum de neceſſitate præcepti, ſed de neceſſitate Sacramenti requiritur, quod unctio fiat in fronte Confirmandi, ut ex Patribus demonſtrat Bellarminus *cap. 8. prop. 4.*, & tradunt Suarez pluribus relatis *d. 33 ſect. 3.* Coninch *dub. 1. num. 53.* Layman *c. 2. num. 4.* Bonacina *punct. 3. n. 5.* Palaus *punct. 3. num. 5.* Henriq., Vivaldus, Nugnus, Graſſius, & alii plures apud Leandrum *diſp. 3. q. 10.*

Paucis, ſed claris, apertiſque verbis hoc idem aſſeritur in Notif. 6. l. 1. in qua hæc leguntur: Confirmandus itaque ſacro Chriſmate in fronte, illuſtriori ſcilicet parte corporis, ungitur, ut Chriſtianum nomen, ac Religionem, coram omnibus præferendam moneatur. *Et ideo linitur Confirmatus Chriſmate in fronte* (inquit S. Thomas part. 3. quæſt. 72. art. 9.) *ut in manifeſto demonſtret ſe eſſe Criſtianum, ſicut & Apoſtoli poſt acceptum Spiritum Sanctum ſe manifeſtaverunt, qui prius in cœnaculo latebant.* „

20. De neceſſitate Sacramenti requiritur etiam, quod unctio fiat in modum Crucis, quia ſecus non verificaretur forma, in qua dicitur: *ſigno te ſigno Crucis;* nec ſatis eſt, quod Epiſcopus Confirmandum ſignet cruce, & poſtea ungat, ſed neceſſario debet unctionem ipſam in figuram, & formam Crucis facere, ut patet ex perpetua Eccleſiæ praxi, & tradunt Palaus, Trullench, Dicaſtill., & alii apud Leandrum *quæſt. 11.*

Vide in ipſo allatæ Notific. loco, ubi hæc eadem clarius adhuc confirmantur. Signum vero Crucis adhibetur, quo univerſi Eccleſiæ ritus, ac cæremoniæ perficiuntur, ut aſſerit S Auguſtinus *tract. 118. in Joan. tom. 3. col. 801.* edit. Mautin.; *quod ſignum niſi adhibeatur, ſive in frontibus Credentium, ſive ipſi aquæ, ex qua regenerantur, ſive Oleo, quo Chriſmate unguntur, ſive Sacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.* Eugenius IV. quoque Pontifex in Decreto pro inſtruendis Armenis, non frontem modo, ſed etiam Crucis ſignum eodem ſermone complectitur *to. XIII. Concil. pag. 536. Ideoque in fronte, ubi verecundiæ ſedes eſt, Confirmandus inungitur, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat, & præcipue Crucem ejus, quæ Judæis eſt ſcandalum, gentibus autem ſtultitia, ſecundum Apoſtolum, propter quod ſigno Crucis ſignatur.* „

21. Requiritur etiam ſecundum probabilliorem Sententiam, quod unctio fiat manu Epiſcopi immediate, adeo ut non ſubſiſtat Sacramentum, ſi fiat medio aliquo inſtrumento, puta calamo, pennicillo, ſeu alio, quia manus impoſitio eſt de eſſentia hujus Sacramenti, ut conſtat ex Apoſtolorum uſu; hæcautem eſt ipſamet unctio facta manu, ſeu pollice Epiſcopi in fronte Confirmati. Fieri poſſe medio aliquo inſtrumento probabile putat Leander *diſp. 3. q.* 12. Quod vero fiat pollice manus dexteræ intincto in Chriſmate, ſolum eſt de præcepto Eccleſiæ: quare validum eſſet tunc Sacramentum, ſi fieret alio digito etiam ſiniſtræ manus, quia vere fieret per impoſitionem manus; peccaret tamen Epiſcopus, quia recederet a communi uſu, & præſcripto Eccleſiæ in Pontificali Romano, & quidem ſolum venialiter, ut tradunt Leander *diſp. 3. q.* 13. & Diana *part. 3. tract. 4. reſol.* 22. *&* 28., & res eſt levis, & datum refert, quod unctio fiat cum dextero pollice, vel indice, manu dextera, vel ſiniſtra. Quanta vero quantitas requiratur, & ſufficiat ad iſtam unctionem, patet ex dictis de Baptiſmo, eam quantitatem ſufficere, qua poterit quis digito inungi in fronte in modum crucis. Ita Bonacina, Suarez, Palaus, & alii.

22. Quæri poteſt: *utrum Apoſtoli in miniſtratione hujus Sacramenti uſi fuerint Chriſmate, vel ſola manum impoſitione?*

Duæ ſunt reſponſiones probabiles. Prima Sententia docet in primitiva Eccleſia, Apoſtolos per ſolam manuum impoſitionem ex ſpeciali privilegio hoc Sacramentum adminiſtraſſe, quia Spiritus Sanctus, qui in die Pentecoſtes viſibiliter deſcenderat ſuper Apoſtolos, eodem modo ſpecie ignis viſibilis deſcendebat ſuper eos, ſuper quos Apoſtoli manus imponebant; deinde ceſſantibus ſignis, & viſibili donorum Spiritus Sancti communicatione, cæpiſſe Apoſtolos Sacramentum Confirmationis per Chriſmatis unctionem conferre, ſicut a Chriſto inſtitutum, ipſiſque traditum fuit, ut perpetua cæremonia in Eccleſia eſſet. Ita ſentire videtur D. Tho. *q.* 72. *art.* 1. *ad* 1., *&* *art.* 4. *ad* 1.

23. Secunda Sententia probabilior docet, Apoſtolos ſemper confirmaſſe per Chriſmatis unctionem, & hoc ipſum vocari in actibus Apoſtolorum, & a Patribus, manus impoſitionem; qui enim frontem pollice inungit, is utique manum imponit. Hæc Sententia videtur magis conformis antiquis Patribus, nam Dionyſ. *c.* 4. *Eccleſ. Hierar.* vocat hoc Sacramentum *Myſterium Unguenti*, & fuſe docet, quomodo debeat confici, idque ex Apoſtolica, ut ait, traditione, idemque docet Fabianus *Epiſt. 2. ad Orientales*, ubi teſtatur Chriſtum Apoſtolos in die Cœnæ docuiſſe conficere Chriſma, ſolitos ſingulis annis, vetere combuſto, novum conficere. In eamdem inclinat Innocen. III. in cap. unico de Sacra unctione, dicens: *per frontis Chriſmationes manus impoſitio deſignatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio*, eamque ſequuntur Bellarm. *lib.* 2. *c.* 9. Coninch *q.* 72. *art.* 3. *dub.* 2. Layman *tr.* 3. *c.* 2. *n.* 4. & alii apud ipſum.

DUBIUM V.

Quænam ſit forma Confirmationis?

24. Reſp. forma Confirmationis eſt iſta: *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Sumitur ex Conc. Flor. in decreto unionis, ex Pontificali Romano, ex Catech. Pii V., & ex praxi Eccleſiæ; ſequuntur Doctores omnes affirmantes eſſe formam traditam a Chriſto Domino, & ab Apoſtolis promulgatam: eſtque convenientiſſima, quia hoc Sacramentum, cum ſit ordinatum ad inſignandum Militem Chriſti, eique robur præſtandum contra ſpirituales Animæ hoſtes, utrumque hac forma exprimitur, ſcilicet quod homo in hoc Sacramento inſtar Athletæ, exterius Chriſmate, interius Spiritus Sancti robore ungatur; inſuper & Cruce exterius, & inviſibili charactere interius, tanquam ſigno militari ſignetur.

25. Forma aſſignata ita eſt eſſentialis, ut illius mutatio ſubſtantialis invalidet Sacramentum; non ſic mutatio accidentalis, ut univerſaliter de formis Sacramentorum dictum eſt ſupra *tract.* 1. *cap.* 4. Quare qui omitteret invocationem expreſſam Sanctiſſimæ Trinitatis, faceret Sacramentum invalidum, ſicut dictum eſt de Baptiſmo; nam Confirmatio dicitur complementum Baptiſmi, & confertur ad promptius proteſtandam, & confitendam fidem. Quare ſicut in Baptiſmo eſt neceſſaria invocatio expreſſa Sanctiſſimæ Trinitatis, quæ eſt primum, & præcipuum Myſterium fidei Chriſtianæ; ita etiam debet audiri invocatio expreſſa ejuſdem SS. Trinitatis in Confirmatione, ut docet D. Th. *q.* 72. *art.* 4. & cum illo Doctores communiter. Qui omitteret particulam *te*, aut tantum *Signo te*, non addendo *Signum Crucis*, aut *confirmo te*, non addendo *Chriſmate ſalutis*: aut qui diceret tantum, *Signo te Signo Crucis*, omiſſis reliquis, *Confirmo te Chriſmate ſalutis*, aut vice verſa, faceret Sacramentum invalidum, quia mutaret ſubſtantialiter formam. Ita Suarez *diſp.* 33. *ſect.* 5. Filliucius *tract.* 3. *cap.* 1. *num* 21. Bonacina *punct.* 3. *num.* 2. Diana *part.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 27. Palaus *tr.* 20. *punct.* 5. *num.* 6.

26. Pro conſecratione Chriſmatis nulla habetur a Chriſto tradita determinata forma, ſed ſolum in genere, ut fiat per invocationem Spiritus Sancti, unde ſufficit ad validitatem Sacramenti, Chriſma quomodolibet ab Epiſcopo benedictum per invocationem Spiritus Sancti, quamvis, ut licite fiat, debeat Epiſcopus uti forma determinata ab Eccleſia. Ita Suarez *diſp.* 33. *ſect.* 2. Coninch *q.* 72. *num.* 47. Franc. a Jeſu M. *cap.* 2. *num.* 15. Layman *cap.* 2. *dub.* 1.

CAPUT II.

De Miniſtro, & Subjecto Confirmationis.

DUBIUM I.

Quiſnam ſit Miniſter Confirmationis.

Reſpondetur 1. ſolus Epiſcopus eſt ordinarius Miniſter Confirmationis. Eſt de fide definita in Concil. Florent. *in Decreto de Armen.*, & in Trident. *ſeſſ.* 7. *can.* 3. *de Confirm.* ubi dicitur: *Si quis dixerit Sanctæ Confirmationis ordinarium Miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemque ſimplicem Sacerdotem; anathema ſit.* Et cap. *Manus, de Conſecrat. diſt.* 5. dicitur: *Manus quoque impoſitionis Sacramentum, ab aliis perfici non poteſt, quam a Summis Sacerdotibus, nec tempore Apoſtolorum ab aliis, quam ab ipſis Apoſtolis legitur, aut ſcribitur peractum eſſe.* Ratio congrua eſt, quia Epiſcopus in Eccleſia eſt veluti Dux in exercitu: ſicut ergo ſpectat ad Ducem conſignare ſuos milites, ita ſpectat ad Epiſcopos conſignare Chriſtianos, qui per Confirmationem ſunt veluti Milites Chriſti. Aliam congruentiam affert D. Thom. *q.* 72. *art.* 11. & Catech. Rom. *part.* 2. *de Sacram. Confirmationis.*

2. Reſp. 2. ſimplex Sacerdos poteſt eſſe Miniſter extraordinarius Confirmationis ex commiſſione, & delegatione Summi Pontificis. Sic habetur ex Concil. Floren. in decreto Eugenii, ubi dicitur: *aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem, ex rationabili, & urgenti admodum cauſa, ſimplicem Sacerdotem, Chriſmate per Epiſcopum confecto, hoc adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentum.* Et de facto D. Gregorius *l.* 3. *Epiſt.* 26. relatus *in c. Pervenit*, *diſt.* 25. hanc facultatem conceſſit Presbyteris Sardiniæ, & Gregorius XIII. refertur diſpenſaſſe cum Sacerdote in India; ergo cum Pontifex habeat a Chriſto facultatem, ut poſſit facultatem confirmandi comittere ſimplici Sacerdoti, nec Pontifex diſpenſando mutat Miniſtrum hujus Sacramenti, ſed utitur poteſtate ſibi conceſſa. Ita cum D. Thom. *q.* 72. *art.* 11. Nugnus, Capreolus, Ferrar., Suarez cum multis *diſp.* 33. *ſect.* 2. Henriquez, Vaſquez, Bonacina, Layman, & alii plures, quos citat, & ſequitur Leander *diſp.* 2. *quæſt.* 2.

3. Inde ſimplex Sacerdos, ſine commiſſione Summi Pontificis, nec licite, nec valide confirmare poteſt. Nec ſufficit licentia, ſeu diſpenſatio Epiſcopi, qui non habet poteſtatem talem facultatem concedendi, ſicut nec idem concedere poteſt Collegium Cardinalium, Sede Vacante, ſed hoc pertinet ad poteſtatem excellentiæ Papæ. Nec Summus Pontifex poteſt illam concedere non Sacerdoti, etiamſi ſit Diaconus Cardinalis, quia ſolus Sacerdos elevari poteſt, ut quædam Epiſcopalia officia attingat. Poteſt tamen Pontifex hanc facultatem alicui delegare, ut nomine ſuo committat ſimplici Sacerdoti adminiſtrationem hujus Sacramenti. Hæc facultas conceſſa ſimplici Sacerdoti non expirat morte concedentis, quia eſt gratia facta, quæ morte concedentis non expirat, ſed durat donec fuerit revocata. Ita Diana *part.* 8. *tract.* 1. *reſ.* 3. *&* 5. Reginaldus *l.* 28. *num.* 19. Antonius a Spiritu Sancto *tract. 3. de Confirm. ſect.* 6. & apud ipſum Baunyus, Henriquez, Palaus, Coninch, & alii, Leander *diſp.* 2. *quæſt.* 3. *&* 4. Franc. a Jeſu M. *cap.* 4.

„ *En igitur tertia ex jam ſuperius propoſitis quæſtionibus, in qua enucleanda, mirifica eruditione, plura hinc inde adducuntur ex veteribus, tum Conciliis, tum Patribus, monumenta, quæ hic brevitatis gratia omittuntur, ea ſolummodo recolentes, quæ ad rem præſentem faciunt, & in quibus totius quæſtionis extat ſatis clara concluſio. Hæc autem habentur*; Ceterum quidquid ſit de hac difficili, & valde implexa controverſia, omnibus in confeſſo eſt, irritam nunc fore Confirmationem a ſimplici Presbytero Latino, ex ſola Epiſcopi delegatione, collatam, quia Sedes Apoſtolica id juris ſibi unicæ reſervavit; quam quidem reſervationem, non tantum a conſuetudine in tota Eccleſia Latina jamdiu recepta: tacite inductam arbitramur; ſicuti opinantur Juenin. *cit. loco*, & Tournely *de Sacram. Confirm. q.* 3. *art.* 2. ſed jam ante IX. Sæculum expreſſe factam colligimus ex Flodoardo *lib. 3. Hiſt. Eccleſ. Remenſis cap.* 17. ubi narrat, Nicolaum I. ad Hincmarum, & ceteros Archiepiſcopos, atque Epiſcopos in Regno Caroli conſtitutos, ſcripſiſſe: *Græcorum Imperatores, & Orientales Epiſcopos calumniari Sanctam Romanam Eccleſiam, immo omnem Eccleſiam, quæ Latina utitur lingua . . . . quia Presbyteros ſortiri conjuges probibemus, & quo-*

,, *& quoniam eoſdem Presbyteros Chriſma linire Baptiza-*
,, *torum frontes inhibemus.* Poſita autem reſervatione fa-
,, cultatis, de qua eſt ſermo, a Summo Pontifice ſibi fa-
,, cta, nec licite, nec valide poteſt Epiſcopus Latinus illa
,, uti; nam quamvis confirmare ſit actus Ordinis Epiſco-
,, palis, cujus firmitas, & validitas a Pontificis nutu non
,, pendet, delegare tamen ſimplici Presbytero poteſtatem
,, exercendi ejuſmodi actum, potius ad juriſdictionem, quam
,, ad ordinem pertinet; Epiſcoporum vero juriſdictio, ſive
,, ſit immediate a Chriſto Domino, ſive a Summo Ponti-
,, fice, ita ſemper huic ſubeſt, ut, conſentientibus omni-
,, bus Catholicis, ejuſdem auctoritate, & imperio limitari,
,, atque ex legitima cauſa omnino auferri poſſit. Illud et-
,, iam ad rem facit, quod modo audivimus a D. Thoma,
,, nempe delegationem, de qua eſt ſermo, eſſe actum po-
,, teſtatis, & juriſdictionis ſupremæ a Chriſto Domino ſoli
,, ſuo in terris Vicario commiſſæ. Quamobrem Clemens
,, VI., priuſquam ad Catholicam communionem reciperet
,, Conſolatorem, Armenorum Patriarcham, certior fieri vo-
,, luit, an cum Eccleſia Romana ſentiret, etiam in hiſce
,, articulis, expreſſis in Apoſtolicis litteris, ad eumdem
,, Patriarcham datis, quæ habentur apud Raynaldum *ad*
,, *ann.* 1351. *num.* 12. nimirum: *Primo de Conſecratione*
,, *Chriſmatis, ſi credis, quod per nullum Sacerdotem, qui*
,, *non eſt Epiſcopus, poteſt Chriſma rite, & debite conſecra-*
,, *ri. Secundo, ſi credis, quod Sacramentum Confirmationis*
,, *per alium, quam per Epiſcopum, non poteſt ex officio or-*
,, *dinarie miniſtrari. Tertio, ſi credis, quod ſolum per Ro-*
,, *manum Pontificem, plenitudinem poteſtatis habentem, poſ-*
,, *ſit diſpenſatio Sacramenti Confirmationis Presbyteris, qui*
,, *non ſunt Epiſcopi, committi. Quarto, ſi credis, quod*
,, *Chriſmati per quoſcumque Sacerdotes, qui non ſunt Epiſ-*
,, *copi, neque a Romano Pontifice ſuper hoc commiſſionem,*
,, *ſeu conceſſionem aliquam receperunt, iterum per Epiſco-*
,, *pum, vel Epiſcopos ſint chriſmandi.* Quæ verba perpen-
,, dant oportet, qui poteſtatem, de qua diſſerimus, Epiſ-
,, copis attribuunt.

4 Ut Pontifex licite talem facultatem concedat, requiritur cauſa gravis, ut patet ex Concil. Florent., quamvis ſine cauſa conceſſa valida eſſet illa facultas, quia non eſt proprie diſpenſatio in Lege Chriſti, quæ ſine juſta cauſa eſſet invalida, ſed potius uſus poteſtatis ſibi a Chriſto conceſſæ; voluit enim Chriſtus, ut ordinarius Miniſter hujus Sacramenti eſſet Epiſcopus; extraordinarius autem eſſe poſſet ſimplex Sacerdos ex commiſſione Summi Pontificis, ut ſupra dictum eſt. Caſu autem quo hæc facultas delegaretur ſimplici Sacerdoti, deberet iſte uti Chriſmate ab Epiſcopo conſecrato, nec poteſt Pontifex poteſtatem conſecrandi Chriſma ſimplici Sacerdoti committere, ex cap. præced. Ita Layman *tract.* 3. *cap.* 6. Palaus *q. unic. punct.* 9. *n.* 5. Coninch *n.* 110. Henriquez *lib.* 3. *c.* 6. *num.* 4. Ant. a Spiritu Sancto *ſect.* 6. *num.* 28.

,, *Propoſitionem hanc in praxi nunc rejiciendam, ſatis*
,, *jam, ſuperque eſt demonſtratum in Synodo Diœceſana,*
,, *cujus doctrinam ad verbum ſuperius attulimus in c.* 1.
,, §. 17. *ad finem.*

DUBIUM II.

An requiratur aliqua diſpoſitio in Epiſcopo ad validam, & licitam adminiſtrationem hujus Sacramenti?

5 RESp. primo nullam requiri diſpoſitionem particularem in Epiſcopo, ut valide conferat hoc Sacramentum; unde Epiſcopus etiam hæreticus, degradatus, vel excommunicatus, poteſt valide confirmare, quia retinet Characterem, & Ordinem Epiſcopalem, in quo fundatur poteſtas confirmandi: nec Eccleſia poteſt illi Characterem, aut poteſtatem tollere, ſed dumtaxat illius uſum prohibere. Debet tamen neceſſario habere intentionem formalem, aut virtualem conficiendi Sacramentum, ſicut uti debet Materia, & Forma debitis, ut patet a ſimili de aliis Sacramentis, & docent Doctores omnes.

6 Reſp. 2. ad licitam adminiſtrationem hujus Sacramenti multa requiri: *primo* enim requiritur, ut Epiſcopus ſit in gratia; conficit enim Sacramentum, tanquam Miniſter conſecratus, & ad hoc ſpecialiter deputatus ex officio, & ſic conſcius alicujus peccati mortalis, tenetur præmittere confeſſionem, vel actum contritionis, ut patet ex dict. *tr.* 1. *c.* 7. *dub.* 4. *Secundo* requiritur, ut ſit ipſe Confirmatus; peccaret enim venialiter confirmando, antequam eſſet ipſe confirmatus, propter inordinationem quamdam, quæ conſiſtit in eo, quod aliis Sacramentum adminiſtret, quod non vult ipſe recipere; valida tamen eſſet Confirmatio, ſicut etiam Ordinatio, ſi Ordines conferat, antequam Confirmationem reciperet, ut ſupra dictum eſt.

7 *Tertio* requiritur juriſdictio: quare Confirmans in aliena Diœceſi, ſine expreſſa licentia proprii Epiſcopi, peccat mortaliter, quia id expreſſe prohibet Concil. Trid. *ſeſſ.* 6. *de Reform. c.* 5. *adjuncta declaratione Congregationis Card.*, & incurrit ſuſpenſionem ab exercitio Pontificalium, ut docent communiter Doctores, Suarez, Bonacina, Filliucius, Reginaldus, quos ſequitur Palaus *punct.* 9. *num.* 8., & Barboſa cum aliis *part.* 2. *de poteſt. Epiſc. alleg.* 30. *num.* 15. Peccaret etiam confirmando proprium ſubditum in aliena Diœceſi, quia non poteſt exercere Pontificalia in alterius Diœceſi, abſque Ordinarii loci licentia, juxta Trident. mox citatum.

8 In Propria Diœceſi exiſtens poteſt confirmare alienum ſubditum afferentem dimiſſorias ſui Epiſcopi, ut ordinetur; nam conceſſo uno, etiam reliqua conceſſa cenſentur, ſine quibus ad illud convenienter perveniri non poteſt; ſed Confirmatio præmitti debet Ordinibus; ergo, &c. Ita cum Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſp.* 24. *& part.* 10. *tract.* 11. *reſol.* 14. tenent Layman, Facundez, & alii communiter. An vero peccet Confirmans alienum ſubditum in propria Diœceſi ſine dimiſſoriis, & licentia proprii Epiſcopi, affirmant nonnulli cum Bonacina *punct.* 2. *num.* 11. quia nullus debet mittere falcem in meſſem alienam, & patet a ſimili de Parocho baptizante puerum alterius Parœciæ. Verum communiter excuſatur Epiſcopus ſic confirmans, tum a peccato, tum a cenſuris, propter præſumptam voluntatem alterius Epiſcopi, cui id gratum eſſe cenſetur, maxime quia inde nullum ei incommodum provenire poteſt, ſicut poteſt ex Ordine, & Matrimonio recepto. Addo cum Caſtro Palao *punct.* 9. *n.* 7. jam uſu receptum eſſe, ut Epiſcopus in propria Diœceſi confirmet quoſcumque accedentes, nulla inquiſitione facta, an ſit propriæ vel alienæ Diœceſis. Et ita tenent Barboſa *de poteſt. Epiſc. punct.* 2. *allegat.* 30. *num.* 12. Genuen. *in ſua praxi cap.* 54. *num.* 7. Layman *cap.* 6. *num.* 2. Diana, & alii cum Leandro *diſp.* 2. *q.* 8. & Ant. a Spiritu Sancto *tract.* 3. *ſect.* 7.

9 *Quarto* debet Epiſcopus opportunis temporibus hoc Sacramentum conferre, unde peccat mortaliter, ſi, aut numquam, aut longo tempore, nec per ſe, nec per alium Epiſcopum illud non conferat, quia magno ſpirituali fructu privat ſuos ſubditos, quos tamen ex officio paſcere tenetur, etiam in iis, quæ ad utilitatem ſuæ Eccleſiæ Chriſtus inſtituit. Ita cum Palao, Suarez, Layman, Toleto, Genuenſi, Barboſa, tenent Franc. a Jeſu M *tr.* 3. *c.* 4. *n.* 31. & Leander *diſp.* 2. *q.* 7. Nullum tamen eſt determinatum tempus pro illius adminiſtratione, ſed poteſt illud quocumque die conferre, ſive die feſto, ſive feriali, ſive mane, ſive veſpere, quia ſic uſus obtinuit. Barb. *p.* 2. *de poteſt. Epiſcopi, alleg.* 30. *num.* 12. unde non tenetur Epiſcopus eſſe jejunus, nec ſuſcipiens hoc Sacramentum, ut, pluribus adductis, tenet Bonacina *n.* 14.

10 Circa locum, quidam putant Epiſcopum teneri confirmationem conferre in Eccleſia, & peccare mortaliter illam conferendo extra Eccleſiam, ſicut eſt peccatum mortale ſolemniter baptizare extra Eccleſiam, cum fiat contra univerſalem conſuetudinem Eccleſiæ in re gravi; ita Nugnus relatus a Bonacina *nu.* 15. Verum Epiſcopum poſſe confirmare in quocumque loco decenti, etiam extra Eccleſiam, tenent Bonacina, Henriquez, & Coninch apud ipſum, Suarez, Barb. & alii, quos citat, & ſequitur Palaus *punct.* 10. *n.* 6. & Diana *part.* 2. *tr.* 3. *miſc. reſ.* 17. dicens, conſuetudinem confirmandi in Eccleſia non eſſe receptam cum tanto rigore, ut obliget ad mortale, & illam ſolere Epiſcopos conferre in ſuo Palatio, notat Leander *tract.* 3. *qu.* 13.

DUBIUM III.

Quodnam ſit Subjectum capax Confirmationis?

11 RESp. Subjectum capax Confirmationis eſt quilibet homo baptizatus, ſive Vir, ſive Femina, ſive Adultus, ſive Infans; nam Apoſtoli imponebant manus quibuslibet Baptizatis; *& in cap.* 1. *de Conſecrat. diſt.* 5. generaliter dicitur: *Omnes Fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum Spiritum Sanctum poſt Baptiſmum recipere debent*; & olim mos fuit in Eccleſia, ut Infantibus quoque, ſtatim poſt Baptiſmum, Confirmationis Sacramentum conferretur, ut notat Layman *tract.* 3. *c.* 5. Ratio eſſe poteſt, quia omnes & ſunt capaces, & apti, ut armentur ad pugnam, & conſignentur per Characterem in Chriſti milites, unde habeant ſuo tempore auxilium paratum: debet tamen præmitti Baptiſmus, qui eſt janua omnium Sacramentorum, in quo conveniunt omnes Doctores.

12 Hinc ſequitur Sacramentum Confirmationis conferri poſſe, non ſolum Adultis, verum etiam Pueris, non omnem rationis uſum habentibus; melius tamen eſt conferre Pueris poſtquam ad rationis uſum pervenerint, ut recordentur, ſe hoc Sacramentum Confirmationis recepiſſe, ne iterum recipiant: quod etiam docet Catech. Rom. *part.* 2. *de Sacram. Confir. cap.* 3. *n.* 17. illis verbis, *Illud obſervandum eſt, omnibus quidem poſt Baptiſmum Confirmationis Sacramentum poſſe adminiſtrari, ſed minus tamen expedire, hoc fieri antequam pueri rationis uſum habuerint, quare ſi duodecimus annus expectandus non videatur, uſque ad ſeptennium certe hoc Sacramentum differre maxime convenit*, & jam conſuetudo invaluit, ut ad ſeptennium differratur, ut decentius ſuſcipiatur, & cum majori fructu, & abſque periculo iterationis, ut docent Suarez *diſp.* 35. *ſect.* 2. Coninch. *q.* 72. *n.* 79. Layman *c.* 5. *n.* 2. Bonacina *punct.* 4. *n.* 5. Palaus *punct.* 7. *n.* 5. Henriquez, Sotus, & alii, quos citat, & ſequitur Franc. a Jeſu M. *cap.* 3. *punct.* 2.

Chriſm*, at, nonnullis appoſitis præciſionibus, eviden- ter colligere hoc poteris ex lib. 7. c. 10. Synodi Diœceſanæ, in qua hæc leguntur.* Extra omnem controverſiam eſt, Sacramentum Confirmationis valide conferri omnibus Baptizatis, abſque ulla ætatis differentia; quod colligitur ex can. *de his, de Conſecr. diſt.* 5., notatque Sotus *in 4. diſt. 7. q. unic. ar.* 8. Certum inſuper eſt, olim tam adultos, quam pueros ſtatim poſt Baptiſmum fuiſſe confirmatos. Diſerte id teſtantur Tertullianus *lib. de Baptiſ. c.* 7. & 8. ubi ait: *Egreſſi de lavacro perungimur benedicta Unctione .... dehinc manus imponitur per benedictionem, advocans, & invitans Spiritum Sanctum.* Cyprianus *Epiſt.* 73. ad Jubajanum: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur Præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem, ac manus impoſitionem Spiritum Sanctum conſequantur, & ſignaculo Dominico conſummentur.* Cyrillus Hieroſolymitanus *Catecheſi Myſtag. 3. n. 1. Vobis quoque ſimiliter, poſtquam ex ſacrorum laticum piſcina aſcendiſtis, datum eſt Chriſma.* Gennadius *de Dogm. Eccleſ. c. 52. Si parvuli ſunt, vel hebetes, reſpondeant pro illis, qui eos offerunt, juxta morem baptizandi, & ſic, manus impoſitione, & Chriſmate communiti, Euchariſtiæ Myſteriis admittantur.* Baluzius in ſuis Notis in Reginonem *l. 1. c.* 19. duos exhibet antiquos Codices manuſcriptos Pontificales ex Sæculo IX., in quibus Ordo confirmandi Infantes ſtatim poſt Baptiſmum continetur; in eorum enim altero ſic legitur: *ſtatim autem confirmetur Infans;* in altero vero: *Si Epiſcopus adeſt, ſtatim confirmare eum oportet Chriſmate.* Hæc eadem diſciplina Sæculo XIII. licet in Eccleſia Latina nonnihil remitti cœpiſſet, nondum tamen penitus abſoleverat, quod pluribus monumentis demonſtrat Martene *de antiq. Eccleſ. ritib. t. 1. lib. 1. c. 2. art. 1. n.* 3.; ſed ſubſequenti ætate congruentius viſum eſt expectare, ut Confirmandus rationis uſum adeptus fuerit. Concil. Provinciale Mediolanenſe I. a S. Carolo Borromæo an. 1565. celebratum *part.* 2. (*Act. Mediolan. Eccleſ. par. 1. pag.* 7.) decrevit: *minori ſeptennio Confirmationis Sacramentum nemini præbeatur.* Concilium Turonenſe an. 1583. *cap.* 7. (*tom. 10. Collect. Harduin. col.* 1403.) loquens de eodem Sacramento; *quod ut decentius conferatur, ſtatuit, ne ad illud facile minores ſeptennio ...... admittantur.* Concilium Cameracenſe an. 1586. *tit. 7. c.* 2. (*tom. 9. Collect. Harduin. col.* 2160.): *non infra ſeptimum, aut octavum annum pueri confirmentur.* Concilium Toloſanum an. 1590. *par. 2. c.* 3. (*Collect. ejuſd. col.* 1799.) *ni ſumma impellat neceſſitas, ſeptennio minores pueri nequaquam veniant, ad Confirmationem admittendi.* Tandem Catechiſmus Rom. *loc. cit.* hæc habet: *illud obſervandum eſt &c. Hic textus refertur & a Giribaldi eod. loco, ut apparet in ſuperiori* §. 12.

Verum quamvis Catechiſmus Romanus non expedire dicat, ut Sacramentum Confirmationis pueris ante ſeptennium conferatur, non tamen prohibet, ne illo unquam in eventu iiſdem conferri queat, quod ſcite perpendentes Suarez *in 3. par. tom.* 3. *diſp. 35. ſect.* 2. Silvius *in 3. p. D. Thomæ quæſt. 72. art.* 8. Layman *Theolog. Moral. lib* 5. *tract. 3. cap. 5. num.* 2. Diana *par. 3. tract. 4. reſol.* 19. Cotonius *lib. 2. de Sacram. controv. 3. cap.* 3. Juenin *de Sacram. diſſert. 3. q. 8. cap.* 1. Sylveſter Maurus *tom. 3. Theolog. lib. 51. quæſt. 119. num.* 4. Roncaglia *de Sacram. tract. 3. c. 3. n.* 5. Bon. mem. Card. Gotius *tom. 13. Theolog. pag. 336. n. n.* 6. aliique plurimi affirmant ſancte, ac licite, etiam juxta præſentem diſciplinam ſacro Chriſmate inungi pueros ante ſeptennium, cum aut prævidetur futura diutina abſentia Epiſcopi, aut iidem verſantur in diſcrimine vitæ, aut alia urget neceſſitas, ſeu juſta cauſa.

Hiſce vero teſtimoniis innixus ſic decrevit SS. D. N. Benedictus XIV. in ſua Notif. poſita n. 6. lib. 1. Veteri quoque diſciplina, pueris ſtatim poſt Baptiſmum Confirmatio tradebatur; ſed cum, honeſtis de cauſis, hac immutata conſuetudine, mos obtinuerit, ut Confirmandi rationis uſum attingerent, niſi forte gravi morbo detenti de vita dimicarent; ideo ne ab hujus Bononienſis Eccleſiæ, & Romani Catechiſmi inſtitutis recedamus, illud palam monemus, neminem a Nobis confirmandum, qui ſeptimum ætatis annum non exceſſerit. Mandamus inſuper Parochis, ut Ægrotos nobis denuncient, qui in lethali periculo verſantur, ne ſine Confirmatione vitam abſolvant, ſicut etiam præcepit S. Carolus: *Ægrotos præterea nondum confirmatos deſignabit, eoſque Archiepiſcopo denunciabit, ut ne ingraveſcente morbo ſine hoc Sacramento decedant.* Idem de Pueris periculoſo morbo laborantibus intelligendum eſt, cum Sancti Thomæ doctrina, & auctoritate *par. 3. quæſt. 73. art. 2. ad 4 certi ſimus, quod etiam Pueri confirmati decedentes majorem gloriam conſequantur, ſicut & hi majorem obtinent gratiam.*

13 Perpetuo amentibus valide, & licite confertur hoc Sacramentum. Si enim infantes ante uſum rationis poſſunt illud recipere, & olim illis conferebatur, ita poſſunt perpetuo amentes, qui ſunt veluti infantes, in quibus nullum eſt impedimentum, aut mala diſpoſitio ad recipiendum gratiæ augmentum; per accidens autem eſt, quod nunquam ſint ſpiritualiter pugnaturi, & fidem proteſtaturi. Idem a fortiori dicendum eſt de amentibus, qui aliquando uſum rationis habuerunt, ſi non conſtet, eos fuiſſe in peccato mortali, quo tempore in amentiam inciderunt, quia unuſquiſque præſumitur bonus, quando non conſtat eſſe malum: idem valet de phræneticis, ſurdis, & mutis, quibus omnibus licite, & valide confertur hoc Sacramentum. Ita communiter Doctores a Bonacina relati *punct. 4. numer.* 6. Suarez *diſp. 35. ſect.* 2. Layman *cap. 5. quæſt.* 2. Antonius a Spiritu S. *ſect.* 8. Diana *part. 3. tract. 4. reſol.* 20. Filliucius, Sylvius, Barboſa, Palaus, Coninch, & alii, quos citat, & ſequitur Leander *diſput. 4. quæſt.* 4. & 5.

14 Proxime morituris, ſive Infantibus, ſive Adultis, miniſtrandum eſſe Sacramentum Confirmationis, docet Ant. a Spiritu S. *loco cit.*, quia illius ſunt capaces, nec privandi ſunt fructu, & Charactere illius, quod etiam innuit D. Thom. *q. 72. art. 8. ad* 2. Coninch *ibidem num.* 83. Palaus *punct. 7. num.* 10. Franc. a Jeſu M. *cap. 3. nu.* 24., ubi admittit morientes per accidens ſæpe non confirmari, non quia non ſint capaces, aut non expediat illos confirmari, ſed quia non poteſt commode fieri ab Epiſcopis ad alia diſtractis, & negotiis, occupatis, quibus non vacat ſingulos morientes adire, quibus proinde aptari poteſt, quod Innocentius in Epiſt. 1. ad Decentium de eiſdem dixit in ordine ad Sacramentum Extremæ Unctionis: *Epiſcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non poſſunt; cæterum ſi Epiſcopus aut poteſt, aut dignum ducit, aliquem a ſe viſitandum, & benedicere, & tangere Chriſmate, ſine cunctatione, poteſt.*

Vide quid pro pueris proxime morituris ſancitum in Synod. Diœceſ. cap. & lib. cit. in ſequelam ad jam allata: Et profecto quod Confirmatio non ſit deneganda pueris ante ſeptennium, ſi tali morbo laborent, ut deceſſuri prævideantur, aperte deducitur ex Divo Thoma 3. *part. quæſt. 73. art. 8. ad 4. &c.* (*vide in ſuperius allata Notif.*) *Et ratione hoc confirmat.* Licet enim Confirmatio non ſit pueris ante uſum rationis neceſſaria ad pugnam ſubeundam pro Fide Chriſti, non eſt tamen inutilis; tum quia auget in illis gratiam, tum quia eos roborat ad ſuſtinendam pugnam pro caſu, quo ex morbo convaleſcant. Quamobrem Du-Hamel *tom. 5. Theolog. tract. de Sacram. diſſert. 3. cap.* 1. poſtquam docuit, expedire, ut Sacramentum Confirmationis conferatur habentibus uſum rationis, id ſimiliter in Infantibus conſtitutis in mortis articulo, quibus laudabiliter conferri affirmat.

15 Si quæres: *Quænam diſpoſitio requiratur ex parte ſubjecti recipientis hoc Sacramentum?*

Breviter reſp. in Pueris, & in Adultis, qui nunquam uſum rationis habuerunt, nulla alia requiritur diſpoſitio, quam Baptiſmus, qui neceſſario debet præmitti. In Adultis, uſum rationis habentibus, requiritur intentio ſaltem virtualis recipiendi hoc Sacramentum, ut dictum eſt de Baptiſmo, ut ſint in gratia, vel ſaltem putent ſe eſſe in gratia; nam hoc Sacramentum eſt per ſe inſtitutum ad conferendam ſecundam gratiam, quamvis aliquando per accidens poſſit conferre primam, ut dictum eſt ſuo loco de Sacramentis in genere. Si vero ſit in peccato, tenetur præmittere confeſſionem, aut contritionem, quia non eſt neceſſe, quod præmittat confeſſionem, nam nulla lege hoc præſcribitur, ſed ſufficit, quod ſit contritus: nec debet neceſſario eſſe jejunus, ut ſupra dictum eſt. Ita cum communi Sententia Leander *q.* 7. & 8.

De Jejunio in ſuſceptione hujuſce Sacramenti ſervando, vide quid adjungatur in Notif. ead. poſita n. 6. lib. 1. Legitur ſiquidem: Sed jam ad externa Religionis ſigna, quæ hoc Sacramentum maxime decent, ſermo convertatur. Vehementer optamus, ut, præter totius corporis modeſtiam, jejuni Confirmationem univerſi ſuſcipiant, ideoque mane illam adminiſtrare ſemper curabimus. Nam ad XII. uſque Sæculum hunc morem conſtanter Eccleſia retinuit, quod Magiſtri Sententiarum teſtimonio clare demonſtratur. Poſt illud tempus, ut ait S. Thomas *par. 3. quæſt. 72. art. 12. ad* 2. hoc jejunium paulatim deſuevit; ſed cum ex can. *Ut jejuni,* & ex alio *Ut Epiſcopi, de Conſecrat. diſt.* 5., quos ſedulo Card. Bellarminus *lib. 3. controv. lib. 2. cap.* 13. in fine expendit, ſatis intelligatur, decere maxime, ut Epiſcopus conferens hoc Sacramentum, & Fideles, quibus confertur, jejunium obſervent; cum etiam in Pontificali Romano habeatur: *Confirmandi deberent eſſe jejuni;* hinc procul dubio Nos præclarum conſilium ſequemur, aliiſque plurimum illud commendamus.

DUBIUM IV.

De effectibus, & Cæremoniis Confirmationis.

16 TRes ſunt principales effectus hujus Sacramenti: *Primo* enim producit gratiam habitualem, quod habet commune cum omnibus aliis Sacramentis. *Secundo* propriam, & ſpecialem gratiam Sacramentalem, quæ eſt ſpeciale auxilium, & robur Spiritus Sancti ad fortiter pu-

gnan-

Digitized by Google

gnandum, conſervandam, & confitendam conſtanter Fidem Chriſti coram Tyranno. *Tertio* imprimit Characterem in Anima, qui eſt quoddam ſignaculum ſpirituale, quo Miles Chriſti ad pugnam ſpiritualem deſignatur; & hac de cauſa hoc Sacramentum iterari nequit, & peccaret mortaliter, qui ſecundo conferret, aut reciperet hoc Sacramentum, nullam tamen incurreret irregularitatem, quia hujuſmodi pœna non eſt in jure expreſſa. Ita communiter DD. cum D. Th. *q.* 72. *art.* 7. Suarez *diſp.* 34. *ſect.* 2. Bonacina cum multis *punct.* 4. Layman *c.* 5. *nu.* 2. Filliuc. *cap.* 3. Franc. a Jeſu M. *c.* 3. in curſu morali Salmat.

17. Quæres 1. *quænam cæremoniæ adhibeantur in Confirmatione?*

Reſp. alias antecedere, alias comitari, alias ſubſequi collationem hujus Sacramenti. *Primo* enim præcedit benedictio Chriſmatis facienda ab Epiſcopo juxta præſcriptum Ritualis Romani; *Secundo* adeſſe debet Patrinus de neceſſitate præcepti obligantis ad mortale: *Tertio* recitantur orationes cum manus impoſitione ſuper caput: *Quarto* frons Chriſmate uncta faſcia ligatur ob reverentiam Sacti Chriſmatis, donec ſiccetur, quæ poſtea vel comburi debet, vel in ſimilem uſum honeſte aſſervari, numquam tamen ad profanos uſus adhibenda eſt, propter contactum Chriſmatis, quo ſacrata quodammodo fuit: *Quinto* Epiſcopus Confirmato levem alapam infligit, tum ut ſignificetur Chriſtianum militem paratum eſſe oportere ad injurias pro Chriſti nomine perferendas, tum etiam ut Confirmatus recordetur, ſe hoc Sacramento ſemel initiatum eſſe, ne iterum ad illud audeat accedere, cum hoc Sacramentum non ſit iterabile; omiſſionem autem hujus cæremoniæ non reputant mortale Suarez *diſp.* 37. *ſect.* 2. Bonacina *punct.* 4. *n.* 9. Sequuntur plures orationes, quæ peracto Sacramento Epiſcopus ſubjungit, quæ piæ ſunt, & juxta conſuetudinem Eccleſiæ obſervandæ: aliæ cæremoniæ videri poſſunt in Rituali Epiſcoporum.

„ *Circa Cæremonias in Sacramento Confirmationis adhi-*
„ *bendas, vide Notific. ipſam, eodem numero poſitam, &*
„ *hiſce terminis expreſſam*: Ac primum, cum hoc Sacra-
„ mentum confert Epiſcopus, certis precationibus Deum
„ Patrem obteſtatur, ut Spirit. S. ſuper eos immittat, qui
„ ſunt proxime confirmandi: quæ precatio non ſolum pie-
„ tatis plena eſt, ſed etiam vetuſtiſſima, cum in Sacra-
„ ment. S. Greg. deſcribatur. Poſtea Confirmandum ſuo no-
„ mine compellat; & ſi aliquid in ipſo, vel parum Chri-
„ ſtianæ Religioni accommodatum, vel ad riſum concitan-
„ dum prope factum advertat, plurium Conciliorum au-
„ ctoritate, ac præſertim Mediolanenſ. decernitur, ut illud
„ Epiſcopus immutet, qua facultate non ſemel uſi ſumus,
„ cum Diœceſim inviſentes Confirmationem traderemus.
„ Poſtquam id perfectum fuerit, Epiſcopus verba, quæ Sa-
„ cramenti formam conſtituunt, pronunciat. Ea verba In-
„ nocent. I. in celebri Epiſtola ad Decentium Eugubinum
„ Epiſcopum proferre noluit: *Verba vero*, inquit, *dicere*
„ *non poſſum, ne magis prodere videar, quam ad conſul-*
„ *tationem reſpondere*. Severam hoc loco Arcani diſcipli-
„ nam ſatis oſtendit, qua Religionis Myſteria tunc tem-
„ poris ſilentio tegebantur; ſicut Petrus Couſtant in notis
„ pag. 859. diligenter expendit. Tunc ut ipſis S. Gregorii
„ verbis *in Sacram.* utar: *Pontifex tincto pollice in Chriſ-*
„ *mate facit Crucem, in fronte unius, ſimiliter per omnes*
„ *ſingillatim*. Sed etiam ante Gregorium Tertullianus *lib.*
„ *3. cont. Marcionem* inter Eccleſiæ Sacramenta ſignacu-
„ lum frontium adnumeravit.

„ Ultimo Epiſcopus leniter genas Confirmando percu-
„ tit, ac deinde pacem impertit, & poſtquam Patrinus ipſi
„ candida faſcia frontem obduxit, Epiſcopus ſolemni be-
„ nedictione rem perficit, concionemque dimittit. Qui de ſa-
„ cris rebus erudita poſteris commentaria reliquerunt, ſuſ-
„ penſi, dubiique ſunt, quonam tempore conſuetudo cæ-
„ dendi leviter in maxilla Confirmatum inducta fuerit:
„ *Poſtquam Epiſcopus*, ait Martene de antiq. ritib. l. 1. c. 2.
„ art. 3. n. 13. *Formam pronunciavit, percuſſit leniter Con-*
„ *firmati maxillam, cujus ritus nullam apud Veteres Scrip-*
„ *tores, aut Rituales, mentionem vidi, nec ullum Duran-*
„ *do Mimatenſi Epiſcopo antiquiorem, qui de illo loquere-*
„ *tur, Auctorem reperi*, Cauſam tamen hujuſce rei in Con-
„ cilio Senonenſi, coacto an. 1524. hanc fuiſſe accepimus:
„ *Ut ea percuſſione Infantes memoriam habeant, ſe fuiſſe*
„ *confirmatos, ne iterum confirmentur*. Sed alia, ac præ-
„ ſtantior in lib. Catechiſmi Romani memoratur: *Ut me-*
„ *minerit Confirmatus, ſe tanquam Athletam paratum eſſe*
„ *oportere ad omnia adverſa invicto animo pro Chriſti no-*
„ *mine ferenda*. Inficiari quidem nemo poteſt, precatio-
nis, pacis, faſciæque, quam modo diximus, morem ab „
omni antiquitate religioſe ſervatum fuiſſe. Certum pari- „
ter eſt hanc faſciam ideo fronti circumductam, ne ſa- „
crum Chriſma in genas Confirmati deflueret, & ſimul, „
ut Spiritus Sancti gratiam omni cura, diligentiaque re- „
tinendam intelligeret. Quapropter præcipimus, ut, quo „
die Sacramentum acceperint, faſciam nunquam deponant. „
Confidimus pariter fore, ut illum diem honeſte, ſancte- „
que tranſigant, *Concluditur tandem, paucis interjectis*, „
hac præſcriptione. Obſervandum quoque præcipimus, „
quod in Mediol. V. Concilio demandatur: *ut genibus fle-* „
xis, manibus ante pectus junctis, ſuo quiſque ordine, pie, „
ac religioſe orent, in primiſque ab omni vociferatione, & „
inani confabulatione caveant, ſed ſilentio ſancto utantur. „

18 Quæres 2. *An, & quinam debeat eſſe Patrinus in Confirmatione?*

Reſp. in Confirmatione, non minus, quam in Baptiſmo, debet adhiberi Patrinus, non quidem de neceſſitate Sacramenti, ſed de neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici: quare peccaret mortaliter, qui illum non adhiberet, ut docet Laim. *c.* 7. *n.* 2., & debet eſſe diverſus a Patrino Baptiſmi, niſi neceſſitas aliud poſtulet, ut patet *ex c. in Catechiſmo diſt.* 4. Contrahit cognationem ſpiritualem cum Confirmato, & illius Patre, ac Matre, nullam tamen habet obligationem Confirmatum inſtruendi, ſicut tenetur Patrinus Baptiſmi, quia hoc nullo jure conſtat. Ita Leander *diſp.* 5. *q.* 7 Ad contrahendam cognationem ſpiritualem requiritur, quod Confirmatum vere tangat, ac teneat, qua non ſervata cæremonia, ceſſat munus Patrini. Suarez *lib.* 7. *de Matrim. diſput.* 56.

Vide ad hunc locum quid in ead. Notif. §. 16. præſcriba- „
tur circa Patrinorum officium. Patrini, ex veteri ritu, „
Confirmandum dextra manutenentes ad Epiſcopum ad- „
ducebant, & ſi ipſe Adultus eſſet, pedem ſuper Patrini „
dextrum pedem imponere debebat, ſicut præſcribitur in „
Ordine Romano, ac in Libro Sacramentorum S. Grego- „
rii, quem jam toties in medium protulimus. Id vero Re- „
ligione, Myſterioque non caret, ut legitur in Rituali Ro- „
mano: *Adulti, ſeu alii majores, ponant pedem ſuum ſu-* „
per pedem dextrum Patrini ſui. Hunc morem integre ſer- „
vavit Benedictus XIII. cum primum Epiſcopus, ac deinde „
Pontifex Max. Fidelium multitudinem pluries hoc Sacra- „
mento confirmavit. Eamdem diſciplinam tenuit S. Caro- „
lus Borromæus, qui in Mediolan. Concilio V. præcepit, „
ut ante ipſum ſtarent, qui adulta jam ætate ad Confir- „
mationem accederent. Sed cum diuturna experientia co- „
gnitum a Nobis, ſit, vix a Patrinis impetrari poſſe, ut „
manum dextram ſuper humerum Confirmandi pariter „
dextrum, conſtanter teneant; ideo novam hanc conſue- „
tudinem libenter amplectimur, ne præſertim in tanta „
hominum multitudine turbæ excitentur. „

19 Non poſſunt eſſe plures Patrini, ſed unus tantum, vel una, *ex cap. non plures, & cap. in Catechiſmo, de conſecrat. diſt.* 4. Si plures tamen adhibeantur, probabile eſt, omnes contrahere cognationem ſpiritualem, ut dictum eſt de Baptiſmo *cap.* 8. *dub.* 2. Item Vir non debet eſſe Patrinus ſuæ Uxoris, nec ſuorum Filiorum etiam in neceſſitate, propter cognationem ſpiritualem conſurgentem, quæ impediret petitionem debiti; poteſt tamen frater tenere fratrem in neceſſitate, ut notat Bonacina *punct.* 4. *numer. ult.* Patrinus debet eſſe confirmatus non peccaret tamen mortaliter, ſi non confirmatus aliquem teneret, ſed non contraheret cognationem ſpiritualem, quia non habet conditiones requiſitas ab Eccleſia, ut ſit legitimus ſuſceptor, ut tenent communiter Doctores cum Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 21. & 26. An autem Monachi, & Religioſi poſſint eſſe Patrini in Confirmatione, idem de illis dicendum, ac de Patrino in Baptiſmo, niſi forte Confirmandus eſſet aliquis Religioſus, quia tunc alter Religioſus vere poteſt eſſe Patrinus. Ita Franc. a Jeſu M. *c.* 4. *punct.* 3.

De Patrinis eligendis vide quid decernatur in §. 14. eiuſ- „
dem Notif. Qui nondum confirmatus fuerit, Patrini mu- „
nere fungi nequaquam poteſt. Parentibus etiam erga libe- „
ros id præſtare minime permittitur, cum ſpiritualis affi- „
nitas inter Patrinos, & recenter Confirmatos, ipſius Sa- „
cramenti virtute, juxta Concilium Trid. *ſect.* 24. *cap.* 2. „
de Reformat. Matrim. contrahitur. Volumus inſuper, ut „
Maribus erga Fœminas, & e contrario, Fœminis erga „
Mares Patrini officium perſolvere omnino denegetur, „
quod in Pontificali Roman. & in Concil. Mediolanenſ. „
V. cautum maxime fuit ea de cauſa: *quod minime hoc* „
per ætatem conveniat. „

TRACTATUS QUARTUS
DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

AD venerabilis, & auguſtiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ dignitatem, & excellentiam ſpectat, ut non modo ſit ſignum, & cauſa gratiæ, quod commune habet cum reliquis Sacramentis Novæ Legis, ſed ulterius contineat Auctorem ipſum, & fontem omnium gratiarum ſub ſpeciebus panis, & vini, quodam quaſi velo latentem, quod eſt ſpecialiter ſibi proprium. Hujus tractationem aggredimur, quantum ad ea ſolum, quæ ſpectare poſſunt ad Doctrinam moralem, relinquentes alia Scholaſticis, eumdem ordinem ſervaturi, ac in præcedentibus explicabimus illius quidditatem, neceſſitatem, Materiam, Formam, & effectus, nec non obligationem illud recipiendi; proinde ſit

CAPUT I.

De Quidditate, & Neceſſitate Euchariſtiæ.

DUBIUM I.

Quid ſit Euchariſtia?

EUchariſtiæ nomen idem eſt ac latine *Bona Gratia*, ſeu *Gratiarum Actio*, quia continet Chriſtum gratiarum omnium fontem, vel quia ſumentes debemus gratias agere, ſicut Chriſtus inſtituendo gratias egit, vel quia illam offerimus in gratiarum actionem pro beneficiis a Deo acceptis. Dicitur *Sacrificium*, *&* *Hoſtia*, quia non ſolum habet rationem Sacramenti, ſed & Sacrificii rememorativi, ſacrificii cruenti jam præteriti, & in quo Chriſtus modo incruento offertur Deo Patri pro peccatorum expiatione, & in gratiarum actionem. Dicitur *Communio*, & græce *Synaxis*, quia unit fideles Chriſto, tanquam capiti, & inter ſe, tanquam membra cum membris. Dicitur *Viaticum*, quia eſt Viatorum cibus, & maxime Infirmorum, quibus præparat viam ad gloriam, cujus pignus eſt. Dicitur *Convivium*, vel quia animam ſatiat, vel quia fuit inſtituta in convivio, hoc eſt in Cœna Dominica, quapropter ab aliquibus dicitur etiam *Cœna Dominica*. Denique propter dignitatis excellentiam a D Dionyſio vocatur *conſummatio Sacramentorum omnium*, & communi uſu Fidelium *Sanctiſſimum Sacramentum* vere omnino Sanctiſſimum, quia in ſe continet fontem totius Sanctitatis, & Gratiæ. His præmiſſis quoad nomen.

2. Reſp. Euchariſtiam, ſicut alia Sacramenta, poſſe definiri, aut phyſice per ſuas partes phyſice conſtituentes, aut methaphyſice per genus, & differentiam; primo modo recte definitur: *Sacramentum, quod ſub ſpeciebus panis, & vini, continet Corpus, & Sanguinem Chriſti ad refectionem ſpiritualem Animarum divinitus inſtitutum*, colligitur ex Trident. *ſeſſ.* 13. *c.* 2. & quoad ſubſtantiam admittitur ab omnibus. Solum aliqua controverſia eſt apud Doctores, quid importet primario principaliter, & in recto, an ſolas ſpecies conſecratas, ut continentes Corpus Chriſti, an vero Corpus, & Sanguinem Chriſti, ut contentum ſub ſpeciebus, vel utrumque ſimul æque principaliter, ut contendit Cacheranus, a quo definitur *tract.* 9. *Theolog. aſſertivæ lib.* 1. *cap.* 3. *nu.* 68. Sacramentale compoſitum, conſtitutum ex Chriſti Corpore, & Sanguine, & ſpeciebus per certa verba formaliter conſecratis; quæ difficultas Scholaſticis dirimenda relinquitur, & unaquæque Sententia poteſt, ſecundum diverſas conſiderationes, eſſe vera.

3. Methaphyſice definiri poteſt: *Sacramentum ſignificativum, & cauſativum* gratiæ per modum refectionis, ſeu nutritionis ſpiritualis. Sacramentum ſtat loco generis, & per hanc particulam convenit Euchariſtia cum ceteris Sacramentis, a quibus diſtinguitur per alias particulas, quæ ſtant loco differentiæ, quæ definitio eſt ſatis per ſe clara, & communiter admittitur a Doctoribus.

4. Circa tempus inſtitutionis hujus Sacramenti conveniunt omnes, fuiſſe inſtitutum a Chriſto Domino in ultima Cęna, facta cum diſcipulis ſuis, immediate ante diem ſuæ paſſionis, ut aperte colligitur ex Scriptura Matth. 26. Marc. 14. Lucæ 22.: ſed controverſia aliqua eſt inter Græcos, & Latinos, quod illi contendant ultimam Cęnam non fuiſſe celebratam Luna 14. primi menſis, quo tempore non licebat Judæis comedere fermentatum, ut conſtat *Exod.* 12. ſed die, ſeu Luna 13., quo Judæi non azymis, ſed fermentatis panibus utebantur; ex quo deinde infertur, Euchariſtiam fuiſſe a Chriſto celebratam in pane fermentato, ut etiam ipſi nunc obſervant. Latini vero tenent, Chriſtum, Cœnam Agni Paſchalis, in qua inſtituit Sacramentum Euchariſtiæ, celebraſſe Luna 14. menſis primi, ad veſperam, in qua incipiebat ſolemnitas primæ diei azymorum, ac proinde Chriſtum in azymo, non in fermentato conſecraſſe. Sententia Latinorum tenenda, tanquam magis conformis Scripturæ, ut patet ex illo Matth. 26. *Prima die azymorum acceſſerunt Diſcipuli ad Jeſum dicentes: ubi vis paremus tibi manducare Paſcha.* Marc. 14. *prima autem die azymorum, quando Paſcha immolabant* (ſcilicet Judæi) *dicunt ei Diſcipuli: quo vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Paſcha?* Et Lucæ 22. *Venit autem dies azymorum, in quo neceſſe erat occidi Paſcha.* Prima autem dies azymorum incipiebat die 14. ad veſperam ante ſolis occaſum, ut patet Exod. 12. *Reſervabitis eum* (ſcilicet Agnum) *uſque ad quartam decimam diem menſis hujus: immolabitque eum univerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam.* Et ſic fuit Euchariſtia inſtituta prima die azymorum in ultima Cęna facta cum Diſcipulis ſuis Luna 14. ad veſperam, hora ſecunda noctis, in qua tradendus erat, peracta Cœna legali, ante receſſum Judæ a Cęnaculo, poſtquam lavit Jeſus pedes Diſcipulorum ſuorum, quæ omnia fuſe & diſtincte explicat Cacheranus *lib.* 1. *c.* 1. *ad* 2. *&* 3., ubi etiam congruentias affert talis inſtitutionis.

5. Differt hoc Sacramentum ab aliis ſex Sacramentis in eo præcipue, quod alia Sacramenta conſiſtunt in uſu, ſeu in actione aliqua tranſeunte, ideſt in applicatione formæ ad materiam; ſic Baptiſmus conſiſtit, & perficitur in ipſa ablutione pueri cum prolatione Formæ facta a Miniſtro, ac proinde non exiſtunt, niſi cum actu conferuntur, & ſuſcipiuntur; at Sacramentum Euchariſtiæ conſiſtit in aliqua re permanenti, ſcilicet in ſpeciebus conſecratis, continentibus Corpus, & Sanguinem Chriſti, eſtque omnium Sacramentorum nobiliſſimum, & excellentiſſimum, & quantum ad bonorum affluentiam ſe habet ad reliqua ſicut fons ad rivulos, ut loquitur Catechiſ. Rom. *part.* 2. *cap.* 4. *de Euchariſtia nu.* 46. & ſecundum D. Dionyſium *cap.* 3. *de Eccleſ. Hierar.* ad hoc Sacramentum tanquam ad ſuum finem Sacramenta omnia alia ordinantur.

DUBIUM II.

An hoc Sacramentum ſit unum tantum, vel plura juxta diverſitatem ſpecierum conſecratarum?

6. COmmunis, & vera Sententia docet Sacramentum Euchariſtiæ eſſe unum in ſpecie infima totali, & adæquata. Ratio eſt, quia hoc Sacramentum eſt inſtitutum a Chriſto Domino per modum Convivii Spiritualis ad Spiritualem refectionem ordinati; ſic enim appellatur ab Eccleſia, dum dicit: *O Sacrum Convivium*, &c. Joan. 6. *Caro mea vere eſt cibus, & Sanguis meus vere eſt potus*; ſed Convivium Spirituale ad inſtar Convivii corporalis integratur ex cibo & potu, tanquam ex duplici parte partiali conſtantibus unum convivium in ſpecie infima totali & adæquata: quod confirmatur ex Catechiſ. de Sacramento Euchariſt. num. 10. dicente: *licet autem duo ſint elementa, panis ſcilicet, & vinum, ex quibus integrum Euchariſtiæ Sacramentum conficitur, non tamen plura Sacramenta, ſed unum tantum eſſe, Eccleſiæ auctoritate docti, confitemur.* Et ita cum D. Thom. *quæſt.* 73. *art.* 2. tenent Suarez, Vaſquez, Coninch, & alii, Bonacina *diſp.* 4. *de Sacram. q.* 1. *punct.* 4. Layman *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 1. *aſſer.* 4. Palaus *diſp. unica punct.* 2. *num.* 7. Lugus *diſp.* 3 *ſect.* 1. Ant. a Spiritu Sancto *diſp.* 2. *num.* 14.

7. Nec dicas tam ſpecies panis, quam ſpecies vini ſeorſim ſumptæ, ſunt Sacramentum, habent enim ſuam ſpecialem Materiam, & Formam; ergo non ſunt unum Sacramentum in ſpecie infima, ſed duo, quod innuitur ab Eccleſia, quæ in Collecta Miſſæ loquens de Euchariſtia dicit: *Purificent nos Domine Sacramenta quæ ſumpſimus.* Sed

contra

contra reſp. quamlibet ſpeciem ſeorſim ſumptam non eſſe integrum, & adæquatum Sacramentum, ſed partiale, & inadæquatum, ſicut ſolus cibus non eſt integrum convivium, nec ſolus potus, ſed inadæquatum, & partiale, ex utraque autem ſpecie conſtituitur unum adæquatum convivium, cujus quælibet ſpecies eſt ſolum pars; quælibet ſpecies habet ſuam materiam, & formam, quæ non eſt integrum Convivium, ſed partiale, & inadæquatum. Eccleſia in illa collecta poſtquam pluraliter dixit: *Purificent nos Sacramenta, quæ ſumpſimus*, addit in numero ſingulari, *Hoc tuum Sacramentum non ſit nobis reatus ad pœnam*, ut oſtenderet eſſe ſimpliciter unum, quamvis ſecundum materialitatem ſignorum ſit multiplex.

8 Difficultas eſt, an Sacramentum ex ſpeciebus Panis, & Corpore Chriſti differat ſpecie inadæquata a Sacramento ex ſpeciebus Vini, & Sanguine Chriſti, adeo ut ſint duo Sacramenta formaliter inadæquate diverſa, vel differant ſolum materialiter ex parte ſigni, in quo diſcrepant Doctores, aliis negantibus, aliis affirmantibus diverſitatem ſpecificam, ſed inadæquatam. Verum diſſidium non poteſt eſſe de re, ſed de modo loquendi, & explicandi, nam quęlibet ſpecies poteſt ſumi dupliciter. Primo realiter adæquate ſecundum ea omnia, quæ importat tum formaliter, tum concomitanter, & in hoc ſenſu quælibet ſpecies continet totum Chriſtum, & integrum Sacramentum, & Convivium Spirituale. Species quidem panis continet, ex vi verborum, Corpus, & concomitanter Sanguinem Chriſti; & ſpecies vini ex vi verborum continet Sanguinem, & concomitanter Corpus Chriſti, & inde quælibet ſpecies adæquate ſumpta habet rationem cibi, & potus, eſtque integrum Convivium, & ſic ſolum materialiter una differt ab alia, non formaliter in ratione Sacramenti, & Convivii Spiritualis.

9 Secundo: quælibet ſpecies poteſt ſumi formaliſſime, ſecundum ea, quæ continet ex vi verborum, præciſive ab iis, quæ veniunt concomitanter, & in hoc ſenſu quælibet ſpecies non eſt integrum Sacramentum, integrum ſpirituale Convivium, ſed una ſpecie inadæquata diſtinguitur ab alia; nam ſpecies panis formaliter ex vi verborum continet ſolum Corpus Chriſti, ſignificat, & cauſat gratiam nutrientem per modum cibi, & ſpecies vini continet ſolum formaliter Sanguinem Chriſti, ſignificat, & cauſat gratiam per modum potus humectantis, & refrigerantis ſpiritualiter, & ſic neutra ſeorſim habet formaliter integram rationem Convivii, quod eſſentialiter conſiſtit in cibo, & potu. Hac ratione conciliantur ſententiæ oppoſitę; nam qui ponunt diverſitatem ſpecificam inter Sacramentum Corporis, & Sacramentum Sanguinis, ſumunt illud formaliſſime ſecundum ea, quę ſignificat, & importat explicite: qui vero ponunt ſolum diverſitatem materialem, ſumunt illud adęquate ſecundum ea, quæ importat, tum implicite, tum explicite, tum formaliter, tum concomitanter. Melius tamen loquuntur, qui ponunt diverſitatem ſpecificam, quia quęlibet ſpecies ſeorſim ſumpta ſignificat partialiter gratiam Convivii ſpiritualis per modum cibi, aut per modum potus. Et ita loquuntur Anton. a Spiritu Sancto *n.* 15. Lugus *de Euchariſt. diſp.* 2. *ſect.* 1. Salmat. *c.* 2. *n.* 19.

10 Quoad unitatem numericam, & individualem hujus Sacramenti, dicendum eſt, illam non ſumi ab unitate Corporis Chriſti, adeo ut omnes ſpecies conſecratæ in tota Eccleſia ſint unum numero Sacramentum, ut tenet Lugus *diſp.* 2. *ſect.* 2. ſed ab unitate ſpecierum, quę vel habent continuationem quantitativam, vel ſumuntur per modum unius, quia tunc habent rationem unius ſignificantis unicam nutritionem, & refectionem ſpiritualem; ſi vero plures particulę ſint ſeparatę, & diviſim ſumantur, tunc ſunt plura ſigna, & Sacramenta numero diverſa. Bonacina *punct.* 4. Vaſquez *diſp.* 168. *c.* 2. Ant. a Spiritu S. *n.* 15. Salmat. *n.* 33.

DUBIUM III.

An, & quomodo Euchariſtia ſit neceſſaria ad ſalutem?

11 Certum eſt, Euchariſtiam eſſe Adultis neceſſariam ad ſalutem neceſſitate pręcepti, non ſolum Eccleſiaſtici, ſed etiam Divini, ut habetur Joan. 6. *Niſi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Dubium eſt: *An ſit neceſſaria neceſſitatę medii, ſive Parvulis, ſive Adultis?* Illud dicitur neceſſarium ad ſalutem neceſſitate medii, quod directe, immediate, & poſitive concurrit ad ſalutem, cauſando gratiam illam, ſine qua non poteſt haberi ſalus; illud vero ſolum dicitur neceſſarium neceſſitate pręcepti, quod concurrit ad ſalutem, ſolum indirecte, removendo prohibens. Sic Baptiſmus, & Pœnitentia ſunt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medii, quia per ſe directe, & poſitive cauſant primam gratiam, ſine qua non poteſt haberi ſalus; reſtitutio eſt neceſſaria neceſſitate tantum præcepti, quia non concurrit directe ad ſalutem, nec cauſat directe gratiam, ſed ſolum indirecte, removendo prohibens, ſcil. peccatum injuſtitię, quod impediret gratiam, & ſalutem: his poſitis.

12 Reſp. 1. Euchariſtiam nec parvulis, nec adultis eſſe neceſſariam ad ſalutem neceſſitate medii, ſive in re, ſive in voto. Quoad parvulos eſt de fide definita in Trid. *ſect.* 21. *c.* 4. illis verbis: *Denique Sancta Synodus docet, parvulos, uſu rationis carentes, nulla obligari neceſſitate ad Sacramentalem Euchariſtiæ Communionem, ſiquidem per Baptiſmi lavacrum regenerati, & Chriſto incorporati adeptam jam Filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poſſunt.* Idemque definit. *can.* 4. & ratio indicata a Concilio eſt, quia ad ſalutem ſufficit juſtificatio per gratiam ſanctificantem, quam ſuſcipiunt Infantes in Baptiſmo, quamque in illa ætate perdere non poſſunt; quę ratio valet etiam de adultis, qui moriuntur antequam gratiam in Baptiſmo acceptam per peccatum amittant.

13 Deinde illud dicitur neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem, quod eſt primario, & per ſe inſtitutum ad cauſandam primam gratiam juſtificantem; hac enim ratione Baptiſmus dicitur neceſſarius ad ſalutem, aut in re, aut in voto, quia confert primam gratiam juſtificantem a peccato originali, ſine qua non poteſt haberi ſalus; ſimiliter Pœnitentia eſt neceſſaria lapſis poſt Baptiſmum, quia dat primam gratiam remiſſivam peccatorum; ſed hujuſmodi non eſt Euchariſtia, quæ non eſt per ſe inſtituta ad remittenda peccata, & dandam primam gratiam, quam neceſſario ſupponit, ut licite ſuſcipiatur; ergo non eſt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medii, nec in re, nec in voto; nam votum de aliqua re facienda non eſt neceſſarium, niſi ipſa res ſit neceſſaria, cum autem ſuſceptio Euchariſtię non ſit neceſſaria; nec erit neceſſarium illius votum.

14 Confirmatur ſpecialiter de parvulis, qui, cum non habeant uſum rationis, non poſſunt habere votum proprium; ergo Euchariſtia in voto non poteſt eſſe illis medium neceſſarium ad ſalutem, cum tale medium ſit impoſſibile. Nec dicas ſufficere votum implicitum incluſum in ſuſceptione Baptiſmi, contra enim eſt, quia in ſuſceptione Baptiſmi non magis includitur votum ſumendi Euchariſtiam, quam votum ſervandi præcepta, ſive Divina, ſive Eccleſiaſtica; ergo non magis illud, quam hoc, debet dici medium neceſſarium ad ſalutem. Ita Suarez *diſp.* 40. *ſect.* 1. & 2. Vaſquez *diſp.* 173. Coninch *q.* 73. *art.* 3. *num.* 44. Filliuc. *nu.* 42. Bonac. *diſp.* 4. *q.* 1. *punct.* 4. Ant. a Spiritu S. *diſp.* 1. *ſect.* 5. Madernus *q.* 1. *ar.* 6. Cacheranus *lib.* 2. *c.* 3. §. 2. & alii apud ipſos.

15 Dices: Baptiſmus, Pœnitentia, & Euchariſtia ſunt ejuſdem neceſſitatis, quia eodem modo præcipiuntur in Scriptura. De Baptiſmo enim dicitur: *Niſi quis renatus fuerit, &c.* de Pœnitentia: *Niſi Pœnitentiam egeritis, &c.* de Euchariſtia; *Niſi manducaveritis, &c.* ſed Baptiſmus, & Pœnitentia ſunt neceſſaria neceſſitate medii; ergo etiam Euchariſtia. Sed contra dico: verba Scripturæ non importare determinate neceſſitatem medii, ſed neceſſitatem medii, vel præcepti, juxta qualitatem materiæ, cui applicantur. Si enim applicentur materiæ per ſe inſtitutæ ad remittenda peccata, inferunt neceſſitatem medii, & hoc modo ſe habent Baptiſmus, & Pęnitentia: non ſic Euchariſtia, quæ ſolum eſt inſtituta ad gratiam augendam, & ſic non eſt neceſſaria neceſſitate medii, ſed neceſſitate pręcepti, ſicut nec inferunt neceſſitatem medii illa verba Matth. 8. *Niſi efficiamini ſicut parvuli*, quo loco humilitas commendatur,

CAPUT II.

De Materia Euchariſtiæ.

DUBIUM I.

Quænam ſit Materia Sacramenti Corporis.

Reſp. materia remota Euchariſtiæ eſt ſolus panis triticeus: definitur in Concilio Lateran. cap. *Firmiter*, & in Concil. Florent. *in Decreto* Eugenii, ubi aperte dicitur: *Sacramenti Euchariſtiæ Materia eſt panis triticeus*, quod etiam affirmat Catech. Rom. *part.* 2. *de Euchariſt. num.* 13. illis verbis: *Nullus, niſi triticeus apta ad Sacramentum materia putandus eſt; hoc enim Apoſtolica traditio nos docuit, & Eccleſię Catholicæ auctoritas firmavit*; & num. præcedenti dixerat: *Salvatoris verba oſtendunt, panem ex tritico confici oportere; communi enim loquendi conſuetudine, cum panis abſolute dicitur, panem ex tritico intelligi ſatis conſtat.* Quibus verbis ratio noſtræ reſponſionis oſtenditur; nam certum eſt, Chriſtum inſtituiſſe hoc Sacramentum in pane, ut conſtat ex Scriptura, *Joan.* 6. *Matth.* 26. *Marc.* 14. quod unanimi conſenſu docent Sancti Patres, & confitetur Eccleſia; ſed ſolus panis triticeus abſolute, & ſimpliciter dicitur panis, ſiquidem alii panes inventi ſunt in defectum tritici; ergo ſolus panis triticeus eſt materia hujus Sacramenti.

2 Ratio a priori nulla dari poteſt, niſi voluntas Chriſti inſtituentis: congruentia eſſe poteſt, quia ſicut panis, & vinum ſunt congrua corporis alimenta; ſic Euchariſtia ſub ſpeciebus panis, & vini congruum eſt alimentum animę: & quia hoc Sacramentum eſt ſignum, & cauſa unitatis,

& pacis, congruum fuit confici ea pane, qui ex multis granis coaleſcit.

3 Hinc ſequitur panem confectum ex quacumque alia materia, quæ non ſit triticum, inſufficientem eſſe pro Sacramento Euchariſtiæ; hujuſmodi eſt panis confectus ex fructibus arborum, vel ex leguminibus, ex amygdalis, caſtaneis, ex hordeo, milio, panico, avena, ſeu ſpelta, & hujuſmodi eſt inſufficiens, quia hæc omnia ſpecie differunt a tritico, ut cum Bonacina *diſp.* 4. *q.* 2. docet Madernus *q.* 2. *art.* 1. Hoc idem dicunt ſatis communiter de typha, ſeu ſelica, quam *ſecalem* appellamus, quæ ſpecie differt a tritico, licet Bonacina *loco cit. n.* 2. cum D. Thoma, & aliis contendat, non differre ſpecie, ſed eſſe triticum inferioris ordinis. Ad minus eſt materia valde dubia; ideo graviſſime peccaret, qui in gravi etiam neceſſitate Sacramentum conficeret in ſecala, propter periculum non conficiendi Sacramentum, Nec excuſat caſus neceſſitatis, quia hoc Sacramentum, cum non ſit de neceſſitate ſalutis, nunquam poteſt dari caſus, in quo ſit neceſſe tali periculo ſe exponere. Ita Suarez *diſp.* 44. *ſect.* 1. Coninch *qu.* 74. *art.* 3. *num.* 25. Madernus *loco cit. n.* 5. Cacheranus *lib.* 1. *cap.* 2. §. 2.

4 Panis confectus ex furfure triticeo eſt omnino inſufficiens, quia non eſt panis uſualis hominum, ſed animalium, & canum. Similiter eſt inſufficiens panis ex amydo, quamvis verſum ſit in farinam, non ſolum quia non eſt panis uſualis, ſed etiam quia amygdum, vel amylon fit ex tritico madefacto, & corrupto; eſtque probabile per talem madefactionem, & corruptionem tranſire in quid ſpecie diverſum, per conſequens inſufficiens pro materia Euchariſtiæ. Ita cum D. Thoma, Scoto, Victoria, Vaſquez, Valentia, Bonacina, & aliis, tenet Leander *diſp.* 8. *q.* 9.

5 Panis triticeus pro materia Euchariſtiæ debet eſſe confectus ex aqua naturali, ſeu elementari, & ignis calore coctus, quia hic eſt panis uſualis; unde eſt materia inſufficiens panis dulciarius confectus ex melle, lacte, oleo, aqua roſacea, aliiſque hujuſmodi liquoribus. Quod ſi panis ex his liquoribus, ſed cum aqua naturali permixtis, confectus ſit, erit materia ſufficiens, ſi mixtio talis liquoris ſit modica, adeo ut nec aquæ prævaleat, nec panem extrahat a conditione panis uſualis, nec ipſum notabiliter alteret. Idem proportionaliter dicendum de farinis diverſæ ſpeciei, aliiſque ſimilibus rebus farinæ triticeæ permixtis, ex quo infert Lugus *diſp.* 4. *ſect.* 1. *n.* 4. quem ſequitur Diana *p.* 7. *tr.* 12. *reſ.* 8. hoſtias rubras, quibus litteræ ſigillantur, propter mixtionem cinabri, quo notabiliter alterantur, & rationem panis uſualis amittunt, eſſe materiam non ſolum dubiam, ſed etiam invalidam.

6 Ex eo, quod panis uſualis debeat eſſe ignis calore toſtus, ſequitur non ſolum non ſufficere maſſam panis crudam, quamvis calore Solis exſiccatam, ſed nec ſufficere oleo, butyrove frixam, vel elixam aqua, cum hac ratione, quamvis cocta, non habeat rationem panis uſualis, qui debet eſſe aſſus igni, ad quod deinde parum intereſt, quod aut in furno coquatur, aut ſub cineribus, aut intra aliquod vas ferreum, aut fictile aſſetur; in his enim modis eſt varietas quoad applicationem ignis, at non eſt additio alicujus materiæ extraneæ, nec impedimentum veræ coctionis, & aſſationis. Ita Cacheranus *c.* 2. §. 2. *num.* 25. *& ſeqq.* Madernus *q.* 1. *art.* 1 *n.* 7. Ant. a Spiritu S. *diſp.* 2. *ſect.* 1. *n.* 28. *&* 29. & alii apud ipſos.

DUBIUM II.

An Panis Conſecrationis debeat eſſe azymus, vel poſſit eſſe fermentatus?

7 AD valorem Sacramenti ſufficere panem triticeum, ſive azymum, ſive fermentatum, eſt de fide, definitum in Concil. Florent. in Decreto Eugenii, ubi dicitur: *Definimus in azymo, ſive fermentato pane triticeo, Corpus Chriſti veraciter confici.* Ratio eſt, quia tam panis azymus, quam fermentatus, eſt ſimpliciter, & vere panis quantum ad ſubſtantiam, ſoluſque differunt accidentaliter; ergo quilibet illorum eſt materia ſufficiens hujus Sacramenti. Et de facto Eccleſia Romana æque approbat uſum Latinorum conſecrantium in azymo, ac uſum Græcorum conſecrantium in fermentato; nec Græci Schiſmatici ſunt, quia conſecrent in fermentato, ſed quia Latinos in azymo conſecrantes damnant, & reprobant. Inde valida eſt Conſecratio, ſi Sacerdos Græcus conſecraret in azymo, aut Latinus in fermentato. Ita communiter Doctores cum D. Thoma *q.* 74. *art.* 4. Coninch *ibid.* Suarez *diſp.* 44. *ſect.* 3. Vaſquez *diſp.* 174. *c.* 3. Madernus *q.* 2. *art.* 1. *n.* 16.

8 Congruentior tamen eſt uſus Eccleſiæ Latinæ conſecrantis in azymo, ut docet D. Thomas, tum propter inſtitutionem Chriſti, qui conſecravit in azymo, inſtituit enim hoc Sacramentum prima die azymorum, ut ſuſe probat Coninch *qu.* 74. *artic.* 4 *dub.* 1. & ſufficienter indicatur *Matth.* 26. *Marci* 14. *Lucæ* 22. in quibus diebus nullus panis fermentatus poterat in Judæorum domibus reperiri, ut conſtat *Exod.* 12. & notavimus ſupra *dub.* 1. tum quia panis azymus, utpote purior, melius exprimit puritatem, & ſanctitatem Corporis Chriſti, & eſt minus corruptioni ſubjectus, & poteſt diutius in Sacrario aſſervari. Conſuetudo Græcorum habet congruentiam, quam tangit D. Gregorius in regiſtro, quia panis fermentatus repræſentat unionem Verbi cum Humanitate, ſicut fermentum miſcetur farinæ, & ob deteſtationem hæreſis Nazaræorum, qui Legalia Evangelio miſcebant.

9 De neceſſitate tamen præcepti, Græci tenentur conſecrare in pane fermentato, & Latini in azymo, quia ſic habetur in Concil. Florent. de Decreto Eugenii, & præcipitur a Leone IX. in Epiſt. ad Michaelem Cerularium Patriarcham Conſtantinopolitanum, & a Pio V. in motu proprio allato a Maderno *l. c. n.* 17. Ratio eſſe poteſt, quia Eccleſiæ conſuetudo legitime introducta inducit obligationem, & ſic unuſquiſque tenetur ſequi conſuetudinem propriæ Eccleſiæ, quæ conſuetudo graviter obligat, & peccaret mortaliter Sacerdos Latinus, ſi conſecraret in fermentato, & Sacerdos Græcus, ſi conſecraret in azymo. Ita cum D. Thoma Doctores communiter, Henriquez, Granados, Layman, Villalobos, quos citat, & ſequitur Diana *part.* 3. *tr.* 6. *reſol.* 99. Bonacina *q.* 2. *punct.* 1. *n.* 18 Franc. a Jeſu M. in curſu morali Salmat. *cap.* 4. *n.* 19. Ant. a Spiritu S. *diſp.* 2. *ſect.* 2.

10 Hæc obligatio eſt adeo gravis, ut nec in caſu neceſſitatis ad audiendam Miſſam in die Feſto, aut ad dandum Viaticum Infirmo, deficiente azymo, poſſit Sacerdos Latinus conſecrare in fermentato, aut Græcus in azymo, quia licet ex præcepto divino teneatur Infirmus ſumere Viaticum; tamen hoc præceptum, utpote affirmativum, non obligat niſi quando commode, & decenter obſervari poteſt: unde ſicut non licet ſine ſacris Veſtibus celebrare ad Infirmum communicandum; ita neque ſine azymo. Ita Doctores communiter, quamvis Lauræa apud Madernum oppoſitum ſentiat; multo minus obligat præceptum audiendi Miſſam, deficiente, qui poſſit licite, & cum debito ritu, & cultu, celebrare. Unum caſum aſſignat Madernus *l. c. n.* 24. in quo poteſt Sacerdos Latinus conſecrare in fermentato, & Græcus in azymo, quando quis poſt conſecrationem tum Hoſtiæ, tum Calicis, adverteret panem a ſe conſecratum eſſe corruptum; tunc enim præceptum Divinum perficiendi Sacrificium prævaleret Eccleſiaſtico, ac proinde, deficiente pane azymo, deberet Latinus conſecrare panem fermentatum, ad perficiendum Sacrificium.

11 Si quæras: *an Sacerdos Latinus inter Græcos, & Græcus inter Latinos poſſint in azymo, & fermentato conſecrare?*

Reſp. ſi inter Græcos adſit aliqua Eccleſia Latina, tenetur Sacerdos Latinus in ea celebrare more Latinorum, & Græcus more Græcorum, ſi inter Latinos adſit Eccleſia Græca, prout reperitur Romæ. Deducitur ex Decreto Eugenii IV. dicentis: *Unumquemque Sacerdotem debere conficere Euchariſtiam in azymo, vel fermentato, juxta ſuæ Eccleſiæ conſuetudinem.* Colligitur etiam ex Epiſt. Leonis IX. ad Michaelem Patriarcham Conſtantinopolitanum, & ex praxi, quam Romæ videmus obſervari; perinde enim eſt, ac ſi in propria Eccleſia Græca, & Latina celebrarent. Non licet tamen in hujuſmodi Templo Græcorum exiſtente apud Latinos, Sacerdoti Latino celebrare in fermentato, quia eſt quaſi ſpeciale privilegium Græcis in ea Eccleſia conceſſum, ut docet Suarez *diſp.* 44. *ſect.* 4.

12 Quod ſi Sacerdos Latinus peregrinus per Græciam iter faciat, aut Græcus inter Latinos peregrinetur, ubi non habeant propriam Eccleſiam, tunc licite poteſt Græcus conſecrare in azymo, & Latinus in fermentato, quamvis ad hoc non teneatur. Ratio eſt, quia licet peregrinus non obligetur legibus & conſuetudinibus loci, per quem tranſit, quando ſunt contrariæ conſuetudinibus, & legibus loci proprii; iiſdem tamen conſuetudinibus, quamvis contrariis, dummodo rationabiles ſint, poteſt ſe accommodare. Ita cum Soto, Henriquez, Suarez, Bonacina, Sylvio, Coninch, Filliucio, & aliis docet Franc. a Jeſu M in curſu Morali Salmat. *c.* 4. *n.* 20. & tenent Diana *p.* 3. *tr.* 6. *reſol.* 99. & Ant. a Spiritu S. *diſp.* 2 *ſect.* 2. licet Madernus probabilius exiſtimet non licere Græco peregrinanti inter Latinos conſecrare in azymo, nec Latino inter Græcos conſecrare in fermentato, ſed debere unumquemque ſequi conſuetudinem propriæ Eccleſiæ, quia ſic præcipitur in motu proprio Pii V., quod præceptum obligat, & afficit perſonas ſemper, & ubique exiſtentes, oppoſitum tamen & ipſe putat probabilis.

13 Si autem Sacerdos Latinus in Græcia permanenter domicilium acquirat, & Græcus apud Latinos, nec ibi propriam habeant Eccleſiam, tenentur ſervare ritum loci, in quo acquirunt domicilium, & ſic Latinus in fermentato, & Græcus in azymo debet conſecrare. Ratio eſt, quia propter domicilium ſubjiciuntur legibus loci, in quo verſantur, ſuntque membra illius Eccleſiæ, cujus ſunt Incolæ, & apud quam habent domicilium, & non alterius a qua diſceſſerunt; ac proinde tenentur ſervare ritum illius Eccleſiæ. Ita cum Suarez, Vaſquez, & aliis tenent Ant. a Spiritu S. *diſput.* 2. *ſect.* 2. & Leander *diſput.* 8. *quæſtion.* 21.

DU-

DUBIUM III.

Quænam ſit Materia Conſecrationis Calicis?

14 Vinum de vite, ex uvis maturis expreſſum, eſſe ſolam, & neceſſariam materiam hujus Sacramenti, definitum eſt in Concilio Lateranen. ſub Innocentio III. cap. *Firmiter, de ſum. Trinit.* & in Florent. ab Eugenio IV. *in litteris unionis*, & conſtat ex uſu, & traditione Eccleſiæ, & inſtitutione Chriſti, qui in vino vitis inſtituit hoc Sacramentum, ut habetur Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*; & ita tenent omnes Scholaſtici cum D. Thoma *q. 74. ar. 5.*

15 Ex quo ſequitur vinum, ſeu liquorem expreſſum ex melogranatis, & pomis, ex fructibus granis, ſeu radicibus, non eſſe materiam aptam hujus Sacramenti, ſicut nec cerviſia, quia non ſunt vinum de vite; e contra vero vinum cujuſcumque generis, ſive album, ſive rubrum, eſſe materiam ſufficientem, dummodo ſit ex uvis maturis expreſſum. Dixi *ex uvis expreſſum*, quia muſtum adhuc in uvis contentum non eſt materia ſufficiens, cum, moraliter loquendo, non ſit vinum potabile, ſed potius quid comeſtibile; muſtum autem expreſſum ex uvis eſt materia ſufficiens, quia eſt verum vinum, cum tamen ſit impurum, & non defecatum. Mortaliter peccaret contra reverentiam hujus Sacramenti, qui cum illo celebraret, niſi forte deficiente vino puro, quis illo uteretur ad perficiendum Sacrificium imperfectum: & in caſu neceſſitatis non eſt improbabile poſſe adhiberi muſtum, ſi non ſit adeo impurum, ut colligitur ex cap. *Cum omne, de Conſecrat. diſt.* 4. ubi dicitur, poſse in neceſſitate botrum in Calice exprimi, & aqua miſceri, & ita confici.

„ *Integram tibi hic exhibeo Notific. poſitam n. 10. lib. 4. ut percipi ea omnia poſſint, quæ præcipiuntur circa vinum ad ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium eligendum; hæc enim ut plurimum neceſſaria, cum ad validitatem, tum ad majus Sacramenti hujus decus ſervandum, videntur. Quæcumque autem habentur, ad litteram ſic exponuntur.* Majores noſtri vinum optimum pro Sacrificio Miſsæ ſeligebant, quemadmodum ex Innocentio III. *lib. 4. c. 30. Myſterior. Miſſæ*, deprehenditur. *Diligenti ſtudio*, inquit, *vinum optimum quærendum eſt. Illud quoque ex hiſtoriarum Scriptoribus proditum fuit, Eccleſiis tribui conſueviſſe quaſdam vineas, ut ex illis optimum vinum fieret in uſum Sacrificii.* Ita Flodoardus *lib. 1. de Hiſtor. Rhemenſi c.* 18. In Officio S. Vvenceslai Bohemiæ Regis illud memoria dignum commendatur, quod *Sacerdotes veneratus, ſuis manibus triticum ſerebat, & vinum exprimebat, quibus in Miſſæ Sacrificio uterentur.* In more poſitum quoque fuit, ut Diaconus in Calicem ſubjectum vinum infunderet per colum, aut cochleare minutiſſimis foraminibus elaboratum, ne aliquid impuri cum vino admiſceretur. Id aperte colligitur ex Ord. Rom. VI. apud Mabillon. & ex aliquibus argenteis colis ejuſmodi, quæ ſervantur in Muſæo Marci Antonii Sabarini, Civis noſtri, qui ſuperiori tempore Romæ deceſſit. Illorum formam tabulis expreſſit Blanchinus, cum ſuas interpretationes ad vitam S. Urbani Pontificis in lucem promulgavit *tom. 2. Anaſtaſ. fol.* 178. Tandem Sacrarii Cuſtodes in judicium vocari non conſueverunt, ſi in Miſsæ Sacrificio vitioſo vino Sacerdotes uterentur, ſed Epiſcopus, & etiam Metropolitanus reus ſtatuebantur, ſi, hac re cognita, malum tamen negligenter diſſimularent. Id ſuo exemplo confirmavit Ibas Edeſſæ Archiepiſcopus, qui in Epheſino Concilio accuſatus fuit: *quia, dum memoria fieret Sanctorum Martyrum, non eſt datum vinum ad Sacrificium Altaris ad ſanctificationem, & populi diſtributionem, niſi admodum exiguum, & vitioſum, ac lutoſum, & quaſi eo tempore vindemiatum &c. & hæc acta ſunt, conſcio, & admonito eo, qui poteſtatem Miniſteriorum habebat, cui & dictum eſt, ut & ipſe admoneret Epiſcopum cum fiducia: & cum nihil feciſſet, illo tempore coacti ſumus nos & ipſum Reverendiſſimum Epiſcopum rurſus admonere, & cum didiciſſet, haud permotus eſt, ſed contempſit, ita ut multi noſtræ Civitatis hinc ſcandalizarentur.* Chriſtianus Lupus, hoc vetuſtatis exemplum perpendens, ita ſcriptum reliquit in Notis ad Conc. General. & Provincial. *t. 1. prim. edit. pag.* 480. *Hodie frequenter meliora gulæ ad menſam profanam, Deo ad Divinam damus vina viliora; neque tamen, quod pejus, punimur, aut accuſamur.* In hac autem Civitate, ac Diœceſi, non viliora tantum vina Miſsæ Sacrificio tribuuntur, ſed etiam ſubacida tempore æſtivo, ac deinde tenuiſſima hyberno tempore, quibus uti non liceret in re divina conficienda, vel magnopere indecorum eſt. Id nobis incredibile viſum fuiſſet, niſi Sacerdotes, vitæ probitate, ac doctrinæ laude præſtantes certum rei teſtimonium attuliſſent.

„ Quamobrem Apoſtolico muneri, quo fungimur, deeſſe plurimum videremur, ſi hanc corruptelam penitus extinguere negligeremus: ac primum de ſubacido vino verba faciamus, quod etſi ad conficiendam Sanguinis conſecrationem ſatis eſſe non ignoramus; tamen præcipimus, ne illud in Civitate, ac Diœceſi, dum Sacrum agitur, quiſquam adhibeat ob eam cauſam, quod indecora res eſt, nec criminis labe carere poteſt. *Dicendum quod vinum* (inquit S. Thomas *part. 3. quæſt. 74. art. 5. ad 2.*) *ſit acetum per corruptionem, unde non ſit reditus de aceto in vinum; & ideo ſicut de pane totaliter corrupto non poteſt confici hoc Sacramentum, ita nec de aceto. Poteſt tamen confici de vino aceſcenti, ſicut & de pane, qui eſt in via ad corruptionem, licet peccet conficiens.* Hujus doctrinæ fundamento innititur Miſſalis Rubrica, quæ ſic decernit: *ſi vinum cœperit aceſcere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantum acre &c. conficitur Sacramentum, ſed conficiens graviter peccat.* Ille ſolum Sacerdos culpa immunis, & vacuus declaratur, qui ſacrum facere debet, nec tamen immutandi vini poteſtatem habet, quod Regularibus contingit. Tunc enim (niſi vinum corruptum penitus fuerit, ſed aceſcere ſolum inceperit) in Præſides omnis culpa confertur, aut in Miniſtros, qui vinum pro Miſſæ Sacrificio ſuppeditare tenebantur. Ita ſentiunt Quartus *ad Rubr. Miſſalis lib. 3. tit. 4. dub.* 12. ac recens Conſultor Sacrorum Rituum Congregationis P. Meratus in libro impreſſo Romæ an. 1737. qui Gavanti opus *in par. 2. tom. 1. pag. 745. n.* 14. explicavit, commentariiſque exornavit.

Sed ad vinum tenue, ſeu Vappam, ſermonem convertamus, quæ nempe ita conficitur: expreſſis uvis, vinum ex vaſe detrahitur; racemi ſolum cum exiguo muſto relinquuntur, ut ſimul per horas viginti quatuor ebulliant, quibus magna aquæ copia ſuperinfunditur, ita ut muſti partem plurimum exſuperet; hoc vini genus, quod Latini *Loram*, ſeu *Loream* appellant, pro Calicis conſecratione idoneum non judicatur; ideoque illud non adhiberi jubemus in Civitate, ac Diœceſi in Sacris conficiendis.

In hac Sententia Theologi omnes verſantur: *Non poteſt confici Euchariſtia* (inquit Sylveſter *in ſumma verbo Euchariſt. prim. n. 4.*) *ex vappa, ſeu aquarello, quia non eſt vinum, ſed acqua infuſa ſuper acinos uvarum, habens aliquantulum vini acumen.* Suarez autem *in 3 part. Divi Thom. tom. 3. q. 74. art. 8. diſp. 45. ſect. 1.* hæc tradit: *Hic vere dubitari poteſt de illo vino, quod dicitur* Lora, *Hiſpanice* Aguapiè, *quia illud non exprimatur ex uvis, ſed, poſtquam jam uvæ ſunt expreſſæ, illis miſcetur aliqua quantitas aquæ, ex qua mixtione fit hujuſmodi vinum: unde non videtur habere ſubſtantiam vini, ſed aliquam ejus ſimilitudinem.* Poſt hæc ſubdit: *Materiam plerumque in conſecratione Calicis non reperiri.* Salmanticenſes quoque Theologi *in tr. 23. de Euchar. diſp. 9. dub. 21. pag. 117. n. 38.* idem docuerunt: *Quomodo diſſolvenda ſit quæſtio de* Lora, *ſive* Acinaceo, *Hiſpanice* Aguapiè, *aut* Vinada *&c. Conficitur namque* Lora *ex ſolis uvis expreſſis; ſed poſtquam uvæ expreſſæ jam ſunt, admiſcetur illis quantitas aquæ, ex qua mixtione procedit liquor ille. Et quia magis communiter admiſcetur magna quantitas aquæ, reſpectu parvæ, aut nullius ſubſtantiæ vini, quæ remanet ex uvis jam expreſſis; ideo ſi loquamur juxta ea, quæ magis communiter contingunt, prædictus liquor non eſt vere vinum, nec proinde materia conſecrabilis.* Card. de Lugo, qui Sacrarum Congregationum ſententias apprime noverat, hoc pacto ſcripſit, cum de Sacram. Euchariſt. *diſp. 4. ſect. 1. n. 9. Infertur ſecundo, loram non eſſe materiam validam, quia non eſt vinum, ſed aqua infuſa in racemis expreſſis, ſeu in acinis.* Card. Lauræa, qui vitam impendit Sacris Congregationibus *tom. 1. in 4. Sentent. diſp. 18. artic. 3. de materia Euchariſt. pag. 470. & 472.* inquit: *quod vulgo dicitur* acquaticcio, *non eſt materia ſufficiens pro conſecratione Calicis, quia aquaticum prædictum non eſt vinum; vinum enim eſt liquor ex uvis expreſſus, ſed aquaticum illud eſt mera aqua corticibus uvorum expreſſis ſuperinfuſa; nam aqua modico vino admixta, &, ut ita dicam, vinata, non vinum, ſed aqua dicitur....*

Aliud etiam vini genus conficitur, quod *longum* nuncupatur, cum nempe vinum poſt uvas expreſſas ſecluditur, relictaque muſti majori copia, tantum aquæ ſuperadditur, quæ muſtum vel adæquet, vel etiam ſuperet: aliquando parum vini veteris etiam admiſcetur, quod Vincentius Tanara Civis noſter advertit *in lib. 7. de Oeconomia Civis in villa, edito Venetiis ann. 1713. pag. 44.* Itaque vinum ejuſmodi e Sacris prorſus admovendum præcipimus, tum ne lora fraudulenter apponatur loco hujus vini, quod modo explicavimus, tum, quod Scriptores omnes affirmant, rem divinam confici hoc vino non licere, niſi aperta neceſſitas expoſcat.

De vineta, inquit Bartholomæus Fumus *in ſum. antiq. verbo Euchariſt. n. 9. multum adaquata non poteſt confici Euchariſtia, quia vinum non eſt. Secus, quando parum eſſet de aqua, ita quod non mutaſſet ſpeciem vini. Non tamen liceret, niſi cum aliud non poſſet haberi.* Suarez etiam, quem ſuperius nominavimus, de lora ſermonem faciens, hæc tradit loco allato: *Judicandum de illo erit juxta majorem, vel minorem expreſſionem uvarum, & quantitatem aquæ, ex quarum rerum mixtione liquor fit, ut dixi; ſemper tamen erit grave ſacrilegium in hac materia*

„ *conficere propter dubium, & irreverentiam*. Eodem pacto
diſſerunt Salmaticenſes in loco ſuperius allato: *Quolibet*
„ *autem modo lora fiat, ſi autem uvæ non fuerint valde*
„ *expreſſæ, & quantitas aquæ illis infuſa modica ſit, pec-*
„ *catum erit illa uti ad conſecrationem, quia vel eſt ma-*
„ *teria dubia, vel ſaltem minus pura, & decens*.

„ *Paucis autem interjectis ſic concluditur in ipſa eadem*
„ *Notific*. Quamobrem conſtituimus, ut primum vinum,
„ quocumque alio inferioris notæ ſecluſo, in conſecratione
„ ſolum adhibeatur; nam licet aquæ plurimum admiſcea-
„ tur, dum primum hoc vinum exprimitur, vini tamen na-
„ tura retinetur, & communi hujus Civitatis, ac Diœceſis
„ uſu verum vinum habetur, quod Paſſerinus *in ſuis Com-*
„ *mentar. pag. 3. D. Thom. q. 74. art. 5. comm. 7. num.* 10.
„ ita exponit: *Si tantum aquæ adhibeatur, quantum*
„ *communiter juxta morem patriæ adhiberi ſolet ad hoc*,
„ *ut melius decoquatur, vel conſervetur, nullum peccatum*
„ *incurritur ex uſu talis vini in conſecratione*. In examen
„ nequaquam adducimus rei cauſam a Paſſerino excogitatam,
„ nempe: *talis enim quantitas parva eſt, & in vinum*
„ *convertitur*. Alteram quidem rationem, quam ille ſubdit,
„ veritati omnino conſentaneam judicamus: *& præterea ta-*
„ *le vinum eſt commune, & uſuale patriæ*. Quartus in lo-
„ co ſuperius allato *dub. 3. Solet*, inquit, *in aliquibus locis*
„ *fieri vinum cum infuſione aquæ in muſto, vel in ra-*
„ *cemis, antequam exprimantur. Quæritur, an valide, &*
„ *licite conſecrari poſſit? Reſpondeo diſtinguendo: ſi parum*
„ *aquæ muſto infundatur, certum eſt, fieri verum vinum*;
„ *conſequenter valide, & licite conſecrari poteſt. Probatur*,
„ *quia eſt vinum uſuale, & in multis locis, ubi dicto modo*
„ *ſolet confici, vinum vix aliud reperitur*. Roſignolius *tom.*
„ 15. *de Euchar. q. 4. ar. 2. n. 6.* verba faciens de vinis Bono-
„ nienſibus, primum aſſerit veram conſecrationis materiam
„ eſſe vinum reipſa non corruptum, ut plurimum vitiatum,
„ deinde hæc ſubjicit; *nam ſi præciſe aliquo modo altera-*
„ *rentur, puta ſi calefierent, & etiamſi modice coquerentur*,
„ *ut fieri conſuevit in Piceno, & Umbria, ſi modico aquæ*
„ *immiſcerentur, ut fieri ſolet Bononiæ &c. certe non deſi-*
„ *nerent eſſe materia apta conſecrationis*.

„ Neque ſatis eſt, ſi contra objiciatur, vinum communi
„ uſu receptum, in ſacris agendis ſufficere, cujus generis
„ ſunt in hac Urbe, ac Diœceſi, inferiora vina, quæ pau-
„ lo ante explicavimus, nam prius oſtendi debet vinis ejuſ-
„ modi rationem, naturamque veri vini ineſſe, & commu-
„ nis uſus aliquid momenti, ac ponderis habere videbitur.
„ Certiſſimum ex fide eſt, verum vinum pro materia con-
„ ſecrationis inſtitutum a Chriſto Domino, qui ait Matt.
„ 26. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*. Incertum
„ tamen eſt, nec probari ullo modo poteſt, an lora vinum
„ verum appellari queat; nam ſi quis vini cadum perſol-
„ vere debeat, & loræ cadum tribuat, creditori ſatisfeciſ-
„ ſe non exiſtimatur: ob hanc cauſam, licet communis
„ uſus loræ in medium proferatur, tamen pro conſecratio-
„ ne adhiberi poſſe nunquam demonſtrabitur. Equidem P.
„ Andreas Zucherius, Cleri Patavini Theologus, cum in
„ ſuis deciſionibus de Ven. Euchariſtiæ Sacramento *dub.*
„ 2. quæſtionem diſſolveret propoſitam menſe Aprili ann.
„ 1708., & materiam pro conſecratione Calicis explica-
„ ret, primum penitus improbat omphacium, ſive ſuccum
„ uvæ immaturæ, atque acerſiæ, deinde idem docet *de*
„ *vino corrupto, aut cocto, aut nimis aqua diluto, quale*
„ *Patavinis ſolet eſſe in deliciis*.

„ Præterea non tantum validi Sacramenti ratio habenda
„ eſt, ſed ejuſdem Sacramenti decus etiam conſervandum,
„ ut quælibet peccati labes evitetur; nam materia valida
„ quidem, haud tamen decens eſſe poteſt, uti muſti exem-
„ plo deprehenditur. Quare, cum vinum, quod ſubacidum
„ eſt, aut loræ ſimile, honeſtis viris dignum non habetur,
„ quod plane conſtat exemplo illius, qui vini cadum de-
„ beat, cujus loco loram, aut vinum infimæ conditionis
„ perſolvere nequaquam poteſt, cum, inquam, hæc ita
„ ſint, licet vinum aliquod ſubacidum, aut lora aliqua ſa-
„ tis eſſe pro conſecratione putetur, nemo tamen unquam
„ arbitratur id Sacramenti dignitati convenire. Porro ea-
„ dem ratione vinum ſubacidum, ac lora, a Miſſæ Sa-
„ crificio penitus excluduntur.

„ Poſt hæc illud quoque ſuperaddi poteſt, non licere ſe-
„ qui in hac re probabilem ſolum opinionem, ſed tutiorem
„ omnino requiri, quemadmodum Innocentius XI. die 2.
„ Martii anni 1679. ſtatuit, cum primum hanc ſententiam
„ proſcripſit: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis*
„ *ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta*
„ *tutiore, niſi id vetet lex, aut conventio, aut periculum*
„ *gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum*
„ *utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacer-*
„ *dotalis, aut Epiſcopalis*. Quamobrem neminem inveniri
„ putamus, qui non probet ſummopere, quæ nos ſuperius
„ indiximus. Cardin. quidem Lauræa in loco ſuperius al-
„ lato, cum de tenuiſſimo aliquo vino verba prius feciſ-
„ ſet, hæc ſtatim ſubjecit: *Ab iis dubiis eſt abſtinendum*,
„ *ne irreverentia inferatur Sacramentis, & vice Sacra-*
„ *menti fiat ſacrilegium, ſi in materia non apta fiat*.

„ Nullus omnino ſuſpicandi locus nobis ſupereſt, ne
„ Populus, & Clerus noſter, operam libenter daturus ſit,
ut corruptelæ ejuſmodi, quæ in aliquas Eccleſias inductæ „
fuerunt, de medio prorſus auferantur: ſed quoniam de „
graviſſima re agitur, præcipimus, ut noſtræ hæ litteræ „
in Sacrariis omnibus, & publicis Sacellis hujus Civitatis, „
ac Diœceſis, oculis omnium ſubjectæ conſerventur; pœ- „
nam *ſuſpenſionis a Divinis* iis Sacerdotibus infligimus, „
qui vino ſubacido, ſeu lora qualibet in re Divina pera- „
genda, conſulto utantur, vel aliud vinum idoneum non „
expoſcant, ſi commode id fieri poſſit. Pœnam eamdem „
illis ſubeundam decernimus, qui vina ejuſmodi ſemel ad- „
hibuerint, nec facultas ipſa immutandi data fuerit, dum „
Sacrum facerent, ſi iterum rem Divinam operari ſuſci- „
piant, antequam Miniſtros de vini conditione monue- „
rint, nec certum documentum habeant, quod aliud ido- „
neum vinum ſuffectum fuerit. Eadem pœna illigatos con- „
ſtituimus Sacerdotes Sacrariis præpoſitos, qui ſe in hac „
re negligenter geſſerint, nec ſtatim domorum Præfectos „
de vini immutandi neceſſitate certiores effecerint. Item „
ipſos Præfectos eidem pœnæ obnoxios declaramus, niſi „
vinum Sacrificio accomodatum, aptumque protinus ſub- „
rogaverint. Poſtremo arbitrio noſtro pœnam indicemus „
Clericis, aut Laicis, qui cuſtodes in Sacrario alicujus „
Templi, aut Sacelli deſignati ſunt, aut curam Sacrarii „
quocumque modo gerunt, niſi juſſa hæc noſtra fecerint, „
& omnino curaverint, ut obſerventur omnia, quæ ſu- „
perius conſtituimus. „

16 *Vinum miraculoſum*, quale fuit illud nuptiarum Canæ Gallileæ, licet quoad modum non ſit ex uvis expreſſum, quia tamen eſt ejuſdem omnino rationis quoad rem cum vino naturaliter producto per uvarum expreſſionem, nec differt, niſi quoad modum productionis, eſt materia omnino ſufficiens, ſicut eſſet ſufficiens materia Baptiſmi aqua elementaris, producta per miraculum. *Agreſtum*, ſeu vinum expreſſum ex uvis immaturis, non eſt materia ſufficiens, quia nondum eſt vinum, ſed in via ut fiat vinum, nec ad potum, ſed ad ciborum condimentum inſervit. Similiter *Acetum*, cum non ſit amplius vinum, non eſt materia ſufficiens, ſi vinum incipiat aceſcere, eſt materia ſufficiens, quia adhuc eſt ſubſtantialiter vinum, licet ſit in via ad acetum; quod ſi adeo aceſcat, ut dubitetur, an vere ſit acetum, eſt materia dubia, & mortaliter peccaret, qui illa uteretur.

17 Multo minus eſt materia ſufficiens *Aqua ex vite* profluens, quæ non eſt vinum, ſed aqua, quam aliqui putant non differre ab elementari. *Lora* ſimiliter non eſt ſufficiens, quia ex majori parte eſt aqua; ſi enim excederet quantitas vini, tunc eſſet materia ſufficiens. *Aqua vita* nec ipſa eſt materia ſufficiens, quia licet fiat ex vino, tamen virtute ignis tranſit in quid tertium; idem dicendum de vino decocto, *Sapa*, ſeu *Mulſo*, quæ omnia ſunt communia, & fere certa apud omnes Auctores, ut videre eſt apud Leandrum *diſp. 8. a qu. 25. ad q. 35.*

18 Reſtat difficultas de *Vino congelato*, de quo Henriquez, Vaſquez, aliique nonnulli ſentiunt eſſe materiam inſufficientem, quia vinum congelatum non eſt in ſtatu potabili. Communior tamen, & verior eſt Sententia oppoſita, quia vinum congelatum eſt ſubſtantialiter vinum, ſicut aqua congelata eſt ſubſtantialiter aqua, & eſt potabile ſaltem ſuggendo, & lambendo, & quomodocumque deglutiatur potari dicitur, non manducari, unde etiam jejunium non frangit. Nec valet paritas de aqua congelata reſpectu Baptiſmi; enim vero reſpectu Baptiſmi requiritur ablutio, quæ haberi non poteſt per aquam, dum manet congelata: at vero Sacramentum Euchariſtiæ non conſiſtit eſſentialiter in ſumptione, ſeu potatione, tum quia vinum ipſum manens congelatum poteſt potari. Non eſt tamen licita conſecratio in vino congelato, ut docent Suarez, Coninch, Facundez, & Diana apud Leandrum *q. 37.* Si congelatio ſequatur poſt conſecrationem, non eſt dubium ſub eo manere Sanguinem Chriſti, niſi talis, & tanta ſit congelatio, ut nimio frigore ſpecies vini corrumpat. Vinum imbibitum in offa panis retinet conſecrationem, ſed non poteſt in eo ſtatu conſecrari.

DUBIUM IV.

An vino admiſcenda ſit aqua: & an illa convertatur in Sanguinem Chriſti?

19 RESp. vino conſecrando admiſcendam eſſe aquam, non de neceſſitate Sacramenti, ſed ex præcepto Eccleſiæ, ut habetur ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 22. cap. 7.* ubi dicitur: *Monet S. Synodus, præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo miſcerent*. Idem decernitur in Florent. *in litteris unionis Armenorum*, & conſtat ex uſu, & traditione Eccleſiæ, & Patrum. Congruentiæ talis mixtionis plures adducuntur a Trident. *loco cit.* tum quod Chriſtum Dominum ita feciſſe creditur, tum etiam quia a latere ejus, aqua ſimul cum ſanguine exivit: & cum aqua in Apocalypſi B. Joannis populi dicantur, ipſius populi Fidelis cum capite Chriſto unio repræſentatur. Addi poteſt hoc fieri ad ſignificandam duplicem Chriſti naturam, Divinam, & Humanam, & ad ſignificandam gratiam, quæ eſt aqua ſaliens in vitam æternam.

20 Ex

20 Ex eo quod Chriſtus in vino lymphato, & aqua mixto conſecraverit, ut ex antiquis Liturgiis, & Patribus probat Bellarminus *in controverſ. tom. 2. lib. 4. cap.* 10. non debet inferri hoc eſſe de neceſſitate Sacramenti, aut de neſſicitate præcepti Divini, quia Chriſtus hanc mixtionem non adhibuit ut eſſentialem, quod conſtat ex Eccleſiæ traditione, & definitione Tridentini; non enim omnia, quæ fecit Chriſtus, ſunt de neceſſitate Sacramenti, quia forte conſecravit in vino rubro, & tamen hoc non eſt de neceſſitate Sacramenti; ſimiliter mixtio aquæ non eſt de neceſſitate Sacramenti, ſed de neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici. Primus qui præcepit aquam vino miſceri fuit Alexander I. ex traditione, ut ipſe ait, Apoſtolica: *Non enim*, inquit epiſt. 1. cap. 4. *debet, ut a Patribus accepimus, & ipſa ratio, docet, in Calice Domini, aut vinum ſolum, aut aquam ſolum offerri.*

21 Aqua vino miſcenda, debet eſſe elementaria ſeu naturalis, graviter peccaret contra reverentiam Sacramenti, & contra præceptum Eccleſiæ, qui vel aquam artificialem, puta roſaceam, vel aliquem alium liquorem, vino conſecrando miſceret: debet eſſe in modiciſſima quantitate, ne vinum notabiliter alteret, aut corrumpat, ut patet ex Florent. dicente, debere eſſe modiciſſimam; & in Conc. Triburienſi *can. 19.* dicitur: *ita aquam miſcendam eſſe vino, ut duæ partes ſint vini, tertia aquæ*, quod, ut bene advertit Leander *qu.* 48. pro conditione vini, & moribus illius populi potuit eſſe licitum. Non eſt tamen recedendum a communi Eccleſiæ praxi, ut octies, vel decies plus vini ponatur in Calice, quam aquæ, quamvis in hoc non debeant Sacerdotes nimis eſſe ſcrupuloſi, dummodo aqua indebita non effundatur, ut monet Ant. a Spiritu S. *diſp. 2. ſect. 4.* Non ſufficit quod vinum prius in vaſe, ſeu dolio, fuerit aqua mixtum, ſed debet mixtio eſſe cæremonia ſacra, facta a Miniſtris, tempore Sacrificii, ſive deinde fiat immediate ante Miſſam, ut fit in aliquibus Religionibus, ſive poſt Evangelium, ut fit in Eccleſia Romana. Quod ſi quis nonniſi oblatione facta, aquæ miſcendæ recordetur, adhuc debet aquam infundere, dummodo nondum Calicem conſecraverit: Calici conſecrato nihil non conſecratum miſcendum eſt, ut docent Bonacina, Coninchus, & alii.

22 Major difficultas eſt inter Doctores, an aqua illa immediate convertatur in Sanguinem Chriſti, an vero prius debeat in vinum converti, & mediate in Sanguinem. Omnes conveniunt quod illa convertatur in Sanguinem ſi prius fuit in vinum converſa. Si vero tempore conſecrationis non erat in vinum converſa, diſcrepant Doctores, nam plures volunt non converti in Sanguinem Chriſti, ſed ibi manere in propria ſpecie. Ratio eſt, quia ſolum vinum de vite eſt materia Conſecrationis Sanguinis, ut definitur in Conciliis Florent. & Trident. ſed aqua non eſt vinum de vite, & ſic non eſt materia conſecrationis, nec convertitur in Sanguinem Chriſti per modum cæremoniæ ex præcepto Eccleſiæ.

23 Conf. quia ſi aqua in vinum non converſa, ſed manens in propria ſpecie converteretur in Sanguinem Chriſti, iſte deberet reperiri, & remanere non ſolum ſub ſpeciebus vini, ſed etiam ſub ſpeciebus aquæ, quod videtur eſſe contra Trident. *ſeſſ. 13. can.* 2. definies, poſt Conſecrationem, ſolas ſpecies panis, & vini remanere. Adde quod facta ſeparatione aquæ a ſpeciebus vini, quam eſſe poſſibilem docent philoſophi, Sanguis Chriſti deberet remanere ſub ſolis ſpeciebus aquæ ſic ſeparatis; ſiquidem Trident. *ibidem can. 3.* definit, ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri, quod tamen non videtur dicendum. Hanc Sententiam tenent graviſſimi Doctores cum D. Thoma *q. 74. art.* 8. Suarez, Vaſquez, Azorius, Nugnun, Pitignianus, quos ſequitur Bonacina *diſp. 4. q. 2. punct. 4.* & alii, quos affert, & ſequitur Leander *diſp. 8. q.* 52. Ant. a Spiritu S. *diſp. 2. ſect. 4.* Curſus moralis Salmat. *cap. 4. punct. 4. n. 79.* Homobonus *de exam. Eccl. part. 1. tract. 4. cap. 10. q. 86.* Gavantus *3. part. tit. 4. in fin.* Palaus *tract. 21. punct. 5. n.* 11. Joan. a S. Thoma, Gonet, Paſſarinus, Lauræa, Amicus, Ariaga, & alii relati a Maderno *q. 2. art. 3.*

24 Secunda Sententia docet, aquam immediate converti in Sanguinem Chriſti, etiam ſi non fuerit ante converſa in vinum. Prob. ex cap. *cum Marthæ*, de celebrat. Miſſ. ubi Innocent. III. relatis tribus Sententiis concludit: *Verum inter Opiniones prædictas, illa probabilior judicatur, quæ aſſerit aquam cum vino in Sanguinem tranſmutari, ut expreſſius eluceat proprietas Sacramenti: nam cum aquæ multæ ſint populi multi, ideo vino aqua unitur, ut Chriſto populus aduneretur.* Ubi Innocent. non dixit, aquam prius in vinum converſam tranſire in Sanguinem, ſed aquam cum vino in Sanguinem tranſmutari, & prius dixerat phyſicos non admittere converſionem aquæ in vinum; ergo non eſt neceſſe quod aqua prius convertatur in vinum, ſed ſufficit quod ſit juncta vino, ad hoc ut immediate convertatur in Sanguinem.

25 Prob. 2. ex inſtitutione Chriſti; nam aqua appoſita ſimul cum vino in Calice ab ipſo Chriſto, fuit immediate converſa in Sanguinem; ſiquidem Chriſtus immediate convertit in Sanguinem totum id, quod erat in Calice, ut patet ex illis verbis: *Hic Calix*. Calix autem ſignificat totum id, quod eſt intus; ſed intus erat non ſolum vinum, ſed etiam aqua, nam conſtet ex traditione, & Patribus, & ex Trident. *ſeſſ. 22. cap. 7.* Chriſtum conſecraſſe in vino aqua mixto, quæ aqua cum fuerit immediate ante appoſita, ut habetur ex Liturgia Sancti Jacobi & Sancti Marci, de quibus Areſius *in libello de tali converſione aquæ in ſanguinem compoſito*, non potuit illo breviſſimo tempore prius in vinum converti; ergo de facto Chriſtus immediate convertit in Sanguinem aquam vino mixtam, quod idem dicendum eſt de aliis Sacrificiis.

26 Prob. 3. ex ritu Eccleſiæ præcipientis apponi aquam in vinum, etiam immediate ante conſecrationem, ſi forte Sacerdos ſit oblitus apponere prius, quo caſu non poteſt prius in vinum converti, & ſic debet immediate converti in Sanguinem; ſi enim remaneret in propria ſpecie, illa proponeretur populo adoranda cultu latriæ, quod fieri non poteſt. Item Sacerdos poſt ſumptionem Calicis non eſſet vere jejunus, quia ſubſtantiam aquæ bibiſſet, quod repugnat Eccleſiæ praxi permittentis in Die Nativitatis Domini tria Sacrificia, ſi Sacerdos jejunus maneat, & ablutionem non ſumpſerit; ergo dicendum eſt, aquam non manere in propria ſpecie, ſed immediate converti in Sanguinem.

27 Hæc ſecunda Sententia videtur probabilior, & magis accommodata ad ſedandos ſcrupulos; nam Sacerdos ſemper deberet eſſe ſollicitus in apponenda modiciſſima aqua, vel etiam una aut altera gutta pro majori vel minori debilitate vini, & tempore neceſſario ad hoc, ut illa prius convertatur in vinum, & præcaventur alia abſurda, quibus in alia Sententia difficile eſt ſatisfacere. Hanc Sententiam acriter defendit Paulus Areſius Epiſcopus Dertonenſis ſpeciali libello, ſeu ſpeciali opuſculo hac de re edito, ſequuntur Alanus, Janſenius, Salmeron, Peſantius, Toletus, Coninch, Scortia, Lugus, Eſparza, quos citat, & ſequitur Madernus *q. 2. art. 3.* Cacheranus *lib. 1. cap. 2.* §. 4. Layman *tract. 14. cap. 2. n. 9.* Diana *p. 3. tract. 4. reſ. 49.* Baronius *tom. 12. Annalium circa finem anni* 1182. & alii plures.

28 Fundamenta oppoſita non urgent. Ad primum reſp. materiam conſecrationis eſſe vinum de vite, quod poteſt eſſe aqua mixtum, nam vinum modice lymphatum eſt verum vinum uſuale, retinet commune nomen, & uſum vini, & ſimpliciter vocatur vinum de vite etiam in Scriptura, ut patet ex illo Sapientiæ 6. *comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis*. Sic etiam vocatur ab ipſo Chriſto, qui *Matth.* 26. de Calice aqua mixto dixit: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*. Inde materia conſecrationis, licet ſit vinum de vite, non obſtat quin poſſit eſſe lymphatum: & aqua, licet ſecundum ſe non ſit materia conſecrationis, bene tamen, ut mixta vino, quia ut ſic conſtituit, & eſt pars vini uſualis.

29 Ad confirmationem dico, poſt conſecrationem Sanguinem Chriſti manere ſub ſingulis ſpeciebus illius mixti ex vino, & aqua, quod ſimpliciter vocatur vinum uſuale; ſi autem fieret ſeparatio ſpecierum aquæ a ſpeciebus vini, utique deſineret eſſe Chriſtus ſub illis ſpeciebus aquæ, quia amplius non eſſent, nec conſtituerent vinum uſuale. Ea ratione qua furfur, aut grana milii immixta farinæ triticeæ cum ea conſtituunt panem uſualem, & ſunt materia conſecrationis, quæ tamen ſeparata a farina triticea nec poſſunt conſecrari, nec retinere Corpus Chriſti, quia in ſtatu ſeparationis non ſunt pars panis uſualis.

30 Si quæras: *utrum aqua mixta vino dimidiatis jam verbis Conſecrationis maneat conſecrata?*

Reſp. Negative, quia non poteſt conſecrari, niſi ſit præſens toti formæ conſecrationis; quando autem miſcetur, dimidiata jam forma, utique toti formæ præſens non eſt, & quamvis, dum incipit forma proferri, eſſet aqua in alio calice proximo ſeorſim poſſito, non tamen haberet ſufficientem præſentiam, quia non eſſet præſens in ratione materiæ conſecrabilis, cum, ut ſeparata a vino, conſecrabilis non ſit. Eodem proportionaliter modo, in Sententia aſſerente, aquam non converti in Sanguinem, niſi prius ſit converſa in vinum, dicendum eſt, non manere conſecratam, ſi, dimidiatis jam verbis, convertatur in vinum, etiamſi antecedenter ad totam formam conſecrationis fuerit vino mixta. Ratio eſt, quia in tali Sententia aqua ut præciſe mixta vino non eſt materia conſecrabilis, adeoque non eſt præſens in ratione materiæ conſecrabilis. Ita Suarez, Lugus, Arriaga, Paſſarinus, & alii, quos citat, & ſequitur Madernus *loc. cit.* Chacheranus *ibidem*, Bonacina *punct. 4. n.* 8. Leander *qu.* 53.

D U B I U M IV.

Utrum Materia conſecranda debeat eſſe præſens Conſecranti?

31 Reſp. Materia conſecranda debet eſſe moraliter præſens præſentia ſenſibili, adeo ut, ſecundum communem loquendi modum, & prudentis viri judicium, demonſtrari poſſit per pronomen *hoc*, vel *hic*. Ita Doctores communiter apud Bonacinam *q. 2. punct. 6.* Ratio eſt, quia formæ Sacramentorum debent verificari ſecundum communem, & propriam verborum ſignificationem; verificantur autem ſecundum propriam ſignificationem, ſi materia ita ſit præſens Sacerdoti conſecranti, ut juxta communem

munem loquendi modum, & prudentis viri judicium, poſſit deſignari, & demonſtrari per pronomen *hoc* vel *hic*; ergo præſentiam hanc moralem habere debet materia conſecranda.

32 Ex hoc deducitur primo non ſufficere ad præſentiam requiſitam pro materia Euchariſtiæ, quod talis materia aliquo ſenſu percipiatur, ſecus poſset conſecrari panis per plura milliaria diſtans, quia in tali diſtantia poſſet a viſu percipi, nec eſt neceſſe aliquo ſenſu percipi, unde panis, qui non videtur, nec manibus tangitur, poteſt valide conſecrari. Sic poteſt Sacerdos vel cæcus, vel in tenebris conſtitutus conſecrare panem, quem præſentem habet, etiamſi illum manibus non tangat: poteſt etiam conſecrari panis exiſtens a tergo, dummodo digito, aliove ſimili modo deſignetur; item vinum in Calice, vel hoſtiæ in Pyxide, vel aliis hoſtiis coopertæ, vel etiam Miſſali, aut Mappa, dummodo exiſtant coram Sacerdote. De Hoſtia exiſtente in Sacrario clauſo, eſt valde dubium, de exiſtente vero in alio cubiculo, vel poſt parietem, communis Sententia eſt non valide conſecrari. Ratio horum omnium eſt, quia pronomen *hoc* plus deſignat, quam præſentiam actualis ſenſationis, & non deſignat neceſſario actualem ſenſationem. Ita cum Reginaldo, Coninch, Henriquez, Bonacina, Cacheranus *loco cit.* Antonius a Spiritu Sancto *diſp.* 2. *ſect.* 5.

33 Deducitur 2. non ſufficere præſentiam unius partis, ut poſſit materia tota conſecrari; ſecus Sacerdos in littore maris exiſtens poſſet totum mare conſecrare, ſi totum vino redundaret. Ratio eſt, quia qui in littore maris conſtitutus dicit: *hæc eſt aqua*, ſecundum communem loquendi modum, non videtur loqui de aqua, quæ eſt in India; ideo ſi eodem modo de mare vini diceret: *Hoc eſt vinum*, non videtur loqui de vino, quod eſt in mari Indiæ, quamvis continuo cum eo quod videt; ſi tamen in aliquo caſu materia, ſecundum unam partem viſa, poſſit in communi loquendi modo, deſignari pronomine *hoc*, poterit valide tota conſecrari. Sic probabile cenſet Lugo *diſp.* 4. *ſeſſ.* 7. *n.* 128 panem per feneſtram partim expoſitum, ſi ſuper eum verba conſecrationis proferantur, manere totum conſecratum, etiam ſecundum partem intra feneſtram deliteſcentem.

34 Deducitur 3. valide conſecrari materiam aliqualiter diſtantem, non tamen ſi diſtantia ſit notabilis; materia enim notabiliter diſtans, potius per pronomen *illud*, quam per pronomen *hoc* humano modo, & communi loquendi uſu, deſignaret. Quænam autem diſtantia ſit notabilis, non poteſt certa regula definiri. Bonacina *n.* 11. diſtantiam viginta paſſuum vult eſſe notabilem, & impeditivam conſecrationis. Leander *qu.* 67. vult in tali diſtantia poſſe valide conſecrari; quidam uſque *ad quinquaginta* paſſus extendunt, quidam *ad decem* limitant, quidam, & mihi videtur probabilior dicendi modus, indefinite loquentes, docent minorem propinquitatem requiri, quo materia fuerit major, quia in communi ſermone minor propinquitas requiritur ad deſignandam per ly *hoc* Civitatem, v. g. quam domum, aut plantam. Notat Bonacina *ibidem*, non eſſe uſu receptum, ut Sacerdos conſecrationem faciat in materia, quæ coram ipſo non exiſtit in Altari; & ſi conſecraret aliam materiam extra Corporale, vel Altare poſitam, videretur graviter peccare, quia faceret contra communem Eccleſiæ uſum in materia gravi, ſeque exponeret periculo non conſecrandi. Multo minus poteſt conſecrari materia abſens, quæ mente concipitur, quia talis materia, quamvis dicatur præſens intellectui, non tamen eſt præſens ſenſibiliter, ut humano modo poſſit deſignari per *hoc*. Ita cum Bonacina, Trullench, Dicaſtillo, Ant. a Spiritu S. *ſect.* 5. *n.* 76.

DUBIUM VI.

Utrum Materia conſecranda debeat eſſe definita, & determinata in particulari per intentionem Sacerdotis?

35 RESP. Materia conſecranda non ſolum debet eſſe præſens, ſed neceſſario debet eſſe determinata, ſecundum intentionem Conſecrantis. Ratio eſt, quia materia conſecranda debet poſſe demonſtrari pronomine demonſtrativo *hoc*, vel *hic*: at ſi, niſi ſit taliter determinata, ſecundum intentionem Conſecrantis, non poteſt demonſtrari per pronomen *hoc*, quod aliquod certum, & determinatum demonſtrat; ergo debet eſſe determinata intentione ſaltem virtuali. Ita Suarez, Vaſquez, Coninch, Reginaldus, & alii, quos citat, & ſequitur Bonac. *q.* 2. *punct.* 5. *n.* 3. Maderus *q.* 2. *art.* 4. *n.* 8. Leander *q.* 68. & alii communiter.

Quare irrita eſt conſecratio, ſi Sacerdos ex decem hoſtiis præſentibus intendat ſolum conſecrare octo, illas non deſignando; tunc enim nulla remanet conſecrata, quia materia eſt indefinita, & indeterminata. Similiter nulla eſſet conſecrata, etiamſi Sacerdos intenderet conſecrare illas octo ex decem præſentibus, quas Deus, aut Petrus voluerit; quia ſi Dei, aut Petri voluntas, ante conſecrationem non ſit manifeſtata Sacerdoti, non poteſt deſignare per illud pronomen *hoc*, de quibus hoſtiis loqueretur. Ita Suarez *diſp.* 43. *ſect.* 6. Bonacina *q.* 2. *punct.* 5. *n.* 10. Durandus, Sylveſter, Gunet, Lugus, quos citat, & ſequitur Maderus *q.* 2. *art.* 4. *n.* 10.

36 E contra vero ſi Sacerdos plures hoſtias conſecrandas, ſive in Pixide, ſive extra Pixidem, detulit ad Altare, & in actu conſecrationis illius tantum recordetur, quam præ manibus habet, omnes remanent conſecratæ propter virtualem intentionem, quæ moraliter perſeverat; ſupponitur enim habuiſſe intentionem illas omnes conſecrandi, quod verum eſt, ſi omnes fuerunt poſitæ ſuper Corporale; ſi enim fuerunt poſitæ cum Pixide extra Corporale in cornu Epiſtolæ, cenſeo illas non eſſe conſecratas, quia non debet in Sacerdote conſecrante præſumi intentio mala, irreligioſa, & peccaminoſa; at velle conſecrare particulas exiſtentes extra Aram Sacram Sacrificii, & extra Corporale, eſt actio irreligioſa, mala, & peccaminoſa contra ritum, & præceptum Eccleſiæ; ergo non debet præſumi in Sacerdote conſecrante talis intentio, & inde defectu intentionis non remanent conſecratæ. Ita cum Sylveſtro, Suarez, Gavanto, Reginaldo, Palao, & Diana, Maderus *loco cit. num.* 12.

37 Si vero Sacerdos deferret ad Altare duas hoſtias, putans eſſe unam, utramque valide conſecraret, nam ejus intentio eſt conſecrare totam materiam præſentem. Idem dicendum, ſi particulæ conſecrandæ, quas putat eſſe octo, eſſent decem, quia ſpeculativus ille error, quo exiſtimantur pauciores, nihil obſtat propriæ intentioni conſecrandi omnes particulas præſentes, cujuſmodi intentionem tanquam Eccleſiaſticæ conſuetudini conformem, quiſque Sacerdos implicite, ac virtualiter habere cenſetur, niſi eam actu contrario excludat. Ita Suarez, Vaſquez, Sylveſter, Hurtado, Bonacina, Lugus, quos ſequitur Leander *qu.* 71. Si vero particulæ aliquæ ponantur in Altari, etiam intra Corporale, inſcio Sacerdote, illæ non remanent conſecratæ, quia ad illas non poteſt dirigi intentio Sacerdotis, quæ non fertur in incognitum. Ita, pluribus citatis, Leander *qu.* 74. Diana *p.* 2. *tract.* 17. *reſol.* 19. Palaus *punct.* 6. *n.* 2.

38 Eadem ratione guttæ vini adhærentes ſuperficiei exteriori Calicis non ſunt conſecratæ, quia ad illas non dirigitur intentio Conſecrantis, cum non poſſit ad illas dirigi ſine ſacrilegio contra reverentiam debitam Sacramento, ut docent Doctores communiter. De guttis adhærentibus ſuperficiei interiori, a reliquo vino in fundo exiſtenti ſeparatæ, major eſt difficultas: affirmant nonnulli, manere conſecratas, ſiquidem intentio Miniſtri dirigitur ad omnem materiam ſenſibilem, quæ eſt intra Calicem. Ita cum pluribus aliis Bonacina *punct.* 5. *n.* 7. Ant. a Spiritu S. *diſp.* 2. *ſect.* 6. *n.* 82. Alii probabilius negant eſſe conſecratas, nam hæc videtur communis, & optima Eccleſiæ intentio conſecrandi illud vinum, quod per modum unius continui intra Calicem exiſtit, ſiquidem intendit Eccleſia conſecrare vinum mixtum aqua; ſed guttæ vini ſejunctæ a vino exiſtente in fundo Calicis, non ſunt vinum mixtum aqua, & ſic ad illas non dirigitur intentio Eccleſiæ, nec Sacerdotis, & ſic non remanent conſecratæ. Ita Maderus *qu.* 2. *art.* 4. Gavantus 3. *part. in Rubr. Miſſ. tit.* 7. *n.* 4. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 32. Layman *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 2. *n.* 15. Reginaldus, Hurtado, & alii, quos affert, & ſequitur Franc. a Jeſu Maria *cap.* 4. *part.* 7.

39 Ad tollendas difficultates, & ſcrupulos, optime monet Gavantus *loco cit. circa finem*, dictas guttas, aut aliis partibus vini eſſe conjungendas, aut purificatorio abſtergendas. Suamque debet Sacerdos conformare intentionem communi uſui, & Intentioni Eccleſiæ, talemque intentionem debet præſumi ſemper habere, niſi expreſſe conſtet de contraria.

40 Reſtat difficultas: *quando, particulis in Pixide conſecratis, una aut plures miſceatur non conſecratæ, quæ non poſſunt a reliquis diſcerni, an poſſit Sacerdos illas, aut illam valide conſecrare?*

Reſp. non poſſe conſecrare abſolute illam ſolam particulam non conſecratam, quia cum illa non ſit diſcernibilis, non poteſt per pronomen *hoc* demonſtrari, & ſic nec abſolute illa ſola conſecrari; poteſt tamen valide conſecrari intentione conditionata, quatenus in eo caſu Sacerdos intendat conſecrare totum, quod eſt in Pixide, ſub conditione, ſi non eſt conſecratum; tunc enim pronomen *hoc* omnes, & ſingulas hoſtias deſignat. Ita cum Averſa, Palao, Layman, & Dicaſtillo, docent Diana *part.* 9. *tract.* 8. *miſc. reſol.* 64. Maderus *loco cit. n.* 18. Leander *diſp.* 8. *qu.* 78. additque *qu.* 79. hoc etiam eſſe licitum, quia alias non poſſent omnia inconvenientia vitari.

DUBIUM VII.

An poſſit conſecrari quælibet magna, aut parva quantitas Panis, & Vini.

41 CErtum eſt, non poſſe licite conſecrari quamlibet magnam, aut minimam quantitatem panis, & vini, quia quæcumque maxima, aut minima quantitas, cum non poſſit decenter, ac debita veneratione tractari, ſervari, & ſumi, nec ſit accommodata uſui Fidelium, ad quem ordinatur conſecratio, ita non poteſt licite conſecrari, graviterque peccaret contra reverentiam debitam tanto Sacramento, & contra præſcriptum Eccleſiæ, qui tantam materiæ quantitatem conſecraret, quæ non poſſet op-

por-

portono tempore ſomi. Difficultas igitur eſt ſolum de valida conſecratione, quamvis illicita: de qua

42 Reſp. 1. Quælibet, quantumvis magna, quantitas præſens conſtituta, poteſt, per ſe loquendo, valide conſecrari. Ratio eſt, quia poteſtas conſecrandi fuit Sacerdotibus conceſſa ſimpliciter, & indefinite, nec fuit limitata ad aliquam determinatam materiæ quantitatem. Verba, quibus utitur Sacerdos conſecrans, non habent determinatam ſphæram activitatis, quia agunt ſolum moraliter, Deum movendo, vel ſi agunt phyſice, non agunt per virtutem naturalem, ſed tanquam inſtrumenta Dei elevata per virtutem obedientialem, quæ eſt illimitata; materia ipſa in quacumque quantitate, eſt conſecrabilis, quia retinet ſubſtantiam panis, & vini; ergo, per ſe loquendo, poteſt quælibet magna quantitas conſecrari. Ita cum D. Thoma *opuſc.* 59. & 3. *part. q.* 74. *art.* 2. Durandus, Sotus, Henriquez, Ledeſma, Suarez, Vaſquez, Valentia, Hurtado, Granados, Lugos, quos citat, & ſequitur Leander *diſp.* 8. *q.* 80. Bonacina *diſp.* 4. *q.* 2. *part.* 5. *n.* 2. Antonius a Spiritu Sancto *diſp.* 2. *ſect.* 9. Franciſcus a Jeſu Maria *cap.* 4. *punct.* 5.

43 Dixi, *per ſe loquendo*, quia ſi ratione magnitudinis oriatur, ut materia nequeat ſecundum ſe totam fieri præſens, & demonſtrabilis per pronomen *hoc*, ſeu *hic*, juxta dicta ſupra *dub.* 5. invalidatur conſecratio, non ratione magnitudinis, ſed defectu præſentiæ requiſitæ, cum quælibet magna quantitas non poſſit eſſe moraliter præſens Sacerdoti conſecranti; unde ſi divinitus ſenſus hominis elevaretur, vel alia ratione fieret illi ſenſibiliter præſens quæcumque maxima quantitas, illa tota poſſet ſimul conſecrari, ut bene notat Ant. a Spiritu Sancto *loco citato*, ubi etiam docet, ſolum id, quod eſt intra viginti paſſus, cenſeri moraliter præſens, & conſecrabile, non id quod talem longitudinem excederet, quia eſſet extra præſentiam moralem requiſitam ad conſecrationem.

44 Reſp. 2. Quælibet minima quantitas, dummodo ſit ſenſibilis, poteſt valide conſecrari. Ratio eſt, quia hoc Sacramentum habet pro materia conſecranda panem, & vinum demonſtrabile per verba conſecrationis; ſed quælibet minima pars retinet ſubſtantiam panis, & vini; ergo quælibet minima pars eſt conſecrabilis, ſi retineat ſenſibilitatem, & præſentiam neceſſariam: ſi enim ſit adeo minima, ut nullo ſenſu percipi poſſit, illa non poſſet conſecrari, non quidem ratione parvitatis, ſed per accidens defectu præſentiæ ſenſibilis. Quare ſi divinitus elevaretur ſenſus hominis, fieretque illi ſenſibilis illa minima quantitas, valide conſecraretur. Sic Suarez, Vaſquez, Hurtado, Lugo, Granados, Cornejo, & alii, quos citat, & ſequitur Leander *q.* 81. & 83. Madernus *q.* 2. *art.* 5.

45 Dices: pars minima, quæ ſecundum ſe eſt inſenſibilis, ſi poſt conſecrationem ſeparetur a toto, remanet conſecrata, & retinet Corpus, & Sanguinem Chriſti; ergo etiam ſe ſola poterit conſecrari, quamvis inſenſibilis.

Reſp. plus requiri ad acquirendam conſecrationem, quam ad illam retinendam; nam ad acquirendam conſecrationem requiritur, quod materia ita ſit ſenſibilis, ut poſſit demonſtrari pronomine *hoc*, & *hic*, non ſic ad conſecrationem retinendam: dummodo tamen particula illa ſeparata ſit talis, & tanta, ut eſſet apta conſervare ſubſtantiam panis, ſi non eſſet conſecrata, nam Corpus Chriſti ſuccedens ſub accidentibus ſubſtantiæ panis, in ea porta ſolum eſt aptum remanere, in qua conſervari naturaliter poteſt ſubſtantia panis. Ita Leander *q.* 84. Franciſcus a Jeſu Maria *cap.* 4. *punct.* 5. Madernus *art.* 5. & alii communiter.

C A P U T III.

De Forma Sacramenti Euchariſtiæ.

D U B I U M I.

Quænam ſit Forma Conſecrationis Corporis Chriſti.

ETſi certum ſit apud omnes Catholicos, ad conſecrationem panis neceſſario requiri illa verba: *Hoc eſt Corpus meum*, negant aliqui eſſe ſufficientia, nam Scotus *in* 4. *diſt.* 8. *q.* 2. vult requiri verba præcedentia Canonis: *Qui pridie quam pateretur*, vel ad minus: *Accipite, & comedite*, ſeu *bibite*, quia ſine illis, verba conſecrationis non ſignificant Corpus, & Sanguinem Chriſti, ſed Miniſtri. Græci poſt prædicta verba: *Hoc eſt Corpus meum*, addunt: *quod pro vobis tradetur*.

2 Reſp. formam conſecrationis panis eſſentialiter conſiſtere in illis verbis: *Hoc eſt corpus meum*. Ratio eſt, quia illa debet eſſe forma eſſentialis hujus Sacramenti, quam Chriſtus inſtituit, quave uſus eſt conſecrando, ſed hujuſmodi ſunt illa verba: *Hoc eſt corpus meum*, ut patet ex Evangeliſtis, & ex D. Paulo, illa ſine variatione referentibus. Deinde quia in Sacramentis verba id efficiunt, quod ſignificant; ſed allata verba ſignificant exiſtentiam Corporis Chriſti ſub ſpeciebus; ergo efficiunt conſecrationem, ſuntque eſſentialis forma, ut eſt definitum in Florent. *in inſtructione Armenorum*, & in Trident. *ſeſſ.* 1. *cap.* 1. & tenent communiter Sancti Patres, & Theologi omnes, & patet ex perpetua Eccleſiæ traditione. Quare Sententia Scoti a Suarez *diſp.* 59. *ſect.* 1. vocatur improbabilis, & Sententia Græcorum contra fidem, cum Eccleſia Latina poſt verba: *Hoc eſt corpus meum*, non addat alia, *quod pro vobis tradetur*, ſed immediate Sacerdos panem conſecratum, tanquam verum Corpus Chriſti, populo adorandum proponat.

3 Ad argumentum Scoti facile negatur antecedens, quia in aliis Sacramentis, ut Miniſter cenſeatur loqui nomine Chriſti, non eſt neceſſe, quod hoc exprimat per verba aliqua antecedentia, ſed ſufficit quod habeat intrinſecus intentionem ita loquendi: & quamvis circumſtantes intentionem non penetrantes, nequeant certo diſcernere, in perſona ne propria, an in perſona Chriſti Miniſter loquatur, hoc per accidens ſe habet, quia de eſſentia Sacramenti eſt, quod circa ipſum Miniſter operetur ut Miniſter Chriſti, at non ut a circumſtantibus cognoſcatur operari ut Miniſter Chriſti.

4 Nec dicas, diverſam eſſe rationem de Sacramento Euchariſtiæ, ac de aliis Sacramentis, ſiquidem in aliis, licet Miniſter loquatur ut Miniſter Chriſti, voces tamen immediate referuntur ad perſonam Miniſtri; unde v. g. poſſum dicere: *Ego Sebaſtianus te baptizo: te abſolvo*; at in forma Euchariſtiæ voces immediate referuntur ad perſonam Chriſti, & dum dico: *Hoc eſt corpus meum*, ly *meum* importat Corpus Chriſti, non corpus Sebaſtiani; ergo ad hoc ſpecialiter exprimendum neceſſaria ſunt verba antecedentia. Contra enim dico, quod ſicut in aliis Sacramentis ſola intentio ſufficit, ut Miniſter vere loquatur nomine Chriſti: ita in Euchariſtia ſola intentio ſufficit, ut ly *meum* referatur ad Corpus Chriſti; & diverſitas, quæ in inſtantia affertur aliorum Sacramentorum ab Euchariſtia, nihil aliud probat, quam debere eſſe aliqualiter diverſam intentionem pro Euchariſtia, ac pro aliis Sacramentis.

5 Hinc ſequitur, verba præcedentia Canonis non eſſe de eſſentia conſecrationis, peccaret tamen Sacerdos illa omittendo, quia faceret contra ſolemnem ritum, ac Eccleſiæ præſcriptum; ſicut enim peccaret Sacerdos, ſi voluntarie omitteret particulam *enim*, quamvis non ſit eſſentialis, utpote non conducens ad ſignificationem formæ, quæ tota integra remanet ſine illa particula, peccaret inquam lethaliter, ut volunt Gabriel, Angelus, Vaſquez *diſp.* 199. *c.* 4. *n.* 29. Facundez *præcept.* 3. *lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 2. & 17. Villalobos, Ledeſma, Trullench, Joan. de Crace, Nugnus, Holcot, Madernus *q.* 6. *art.* 1. a. 10. & alii; vel, quod probabilius eſt, ſolum venialiter, quia omiſſio talis particulæ eſt quid leve, ut docent Suarez, Coninch, Henriquez, Filliucius, Hurtado, Bonacina *diſp.* 4. *q.* 3. *p.* 1. a. 10. Diana *p.* 2. *tract.* 17. & 3. *miſcell. reſ.* 16. & *part.* 5. *tract.* 14. *reſ.* 78. nec non *part.* 10. *tract.* 16. *reſ.* 31. & alii apud ipſos.

6 Si quæras: *quænam mutatio formæ invalidet conſecrationem?*

Facile reſpondetur ex dictis de Sacramentis in genere *cap.* 1. *dub.* 5. variationem ſubſtantialem invalidare conſecrationem, non ſic accidentalem; eſt autem variatio ſubſtantialis, quando variatur ſignificatio formæ. Inde valeret conſecratio, ſi quis dicat: *Hic cibus eſt corpus meum, iſtud eſt corpus meum*, vel *hic eſt corpus meum*, ſeu *hic eſt corpus meus*, modo particula *hic* non accipiatur adverbialiter, ſed loco pronominis, quia ſubſiſtit adhuc eadem ſignificatio formæ, quamvis erretur contra præcepta grammaticæ, ut notat Bonac. *q.* 3. *p.* 1. *n.* 7. Similiter valeret conſecratio, ſi quis diceret: *Hoc eſt corpus meun*, utendo N pro M, ut affirmat Soto *in* 4. *diſt.* 1. *art.* 8. ubi habet: *Sunt autem pejores, quam ſcrupuloſi, & moroſi, qui putant, ſi pro* meum *finali M dicant* meun *per N, non conſecrare; eſt enim deridendus ſcrupulus; Hiſpani namque ægre proferimus M in fine: imo ſi pro eſt, velocitate linguæ, dicatur es, a nullus exurgere debet ſcrupulus, quoniam T poſt S in fine difficile etiam Hiſpani proferunt; ex accommodatione enim uſus, ſervatur legitimus ſenſus, ſicut in balbutientibus.* Et paulo poſt: *imo quamvis non adhibeatur diligentia proferendi M finale in meum, vel ſi forte non proferatur T in verbo eſt, nullam profecto reor culpam incurri; Deus enim non eſt tam iſtarum minutiarum obſervator.*

7 Similia habet Diana *p.* 2. *tr.* 17. *reſol.* 14. dicens, non obſtare validæ conſecrationi Calicis, ſi Sacerdos dicat: *Hic eſt enim Calis, S pro X utendo*, quia littera S, ex communi modo concipiendi, non tollit ſignificationem ſubſtantialem. Et Henriquez *lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 8. docet, idem eſſe dicendum, *ſi quis Z pro S proferat, ut Zanguinis pro Sanguinis, nam quidam Hiſpani ſic proferunt.*

8 E contra vero mutatio eſſet ſubſtantialis, & per conſequens invalida conſecratio, ſi quis diceret: *Hoc eſt Corpus Chriſti*, quia tunc Miniſter non amplius loqueretur in perſona Chriſti; vel, *Hic panis eſt Corpus Chriſti*, quia ſignificaretur identitas panis cum Corpore Chriſti; vel ſi dicat: *Hoc fiat*, vel *fit Corpus meum*, aut *conſecro hunc panem in Corpus meum*, ſeu *conficio Corpus meum ex pane*. Ratio eſt, quia hujuſmodi locutiones ſignificant viam ad eſſe Corporis Chriſti, non vero ſignificant effectum permanentem, prout requiritur ad rationem hujus Sacramenti, quod non conſiſtit in fieri, ut reliqua Sacramenta, ſed in eſſe permanenti, prout ſignificatur per verbum *eſt*. Similiter ſi diceret;

diceret: *Accipite, & comedite, hoc Corpus meum*, invalida eſſet conſecratio, quia dicta verba ſolum ſignificant uſum, & collationem Sacramenti; Euchariſtia autem non conſiſtit in uſu, aut collatione, cum hæc jam ſupponat ipſum Sacramentum factum. Ita Suarez, Henriquez, Facundez, Bonac. *q. 3. p.* 1. Layman *tr. 4. c. 3.* Leander *diſp. 9. q.* 12. 13. *&* 14.

9 Si vero Sacerdos dicat: *Hæc eſt caro mea*, incertum eſt, an ſit valida conſecratio; negant eſſe validam Suarez, Coninch, Præpoſitus, Mercerus, & Palatius apud Dianam *part. 5. tr. 14. reſ. 76.* quia corpus ſignificat aliquid plus quam caro, nimirum dicit aliquid conſtans carne, oſſibus, nervis, &c. ſed alii probabilius putant eſſe validam, quia caro per ſynecdochem ſæpe ſumitur pro toto corpore, juxta illud *Pſalm. 5. Caro mea requieſcet in ſpe*; & Joan. 6. dicitur: *Caro mea vere eſt cibus: qui manducat meam carnem &c.* & in Hymno canit Eccleſia: *Verbo carnem efficit*. Ita Henriquez *lib. 8. cap. 16. n. 2.* Eſtius *in 4. diſt. 8. §. 11.* Joan. de la Cruz *part. 2. dub. 1. concl.* 1. Diana *part. 5. tract. 14. reſol. 76.* Leander *qu.* 10.

D U B I U M II.

Quænam ſit forma Conſecrationis Sanguinis.

10 Conveniunt omnes Doctores, verba illa, *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, vel *hic eſt Sanguis meus*, eſſe eſſentialia formæ conſecrationis vini in Sanguinem Chriſti; an vero ſufficiant, negat D. Thomas *in 4. art. 8. q. 2. art.* 1. qui vult eſſe neceſſaria verba etiam ſubſequentia; *novi, & æterni Teſtamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*, prout habetur in Miſſali Romano. D. Thomam ſequuntur Thomiſtæ ſatis communiter, Labat, Gonet, Aravio, Capreolus, & alii apud Franciſcum a Jeſu M. *tract. 4. cap. 5. punct.* 2.

11 Reſp. Formam conſecrationis Calicis eſſentialiter conſiſtere in illis verbis: *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, vel *Hic eſt Sanguis meus*, reliqua vero non eſſe eſſentialia. Ratio eſt, quia verba illa plene, ac ſufficienter ſignificant converſionem vini in Sanguinem Chriſti, ejuſque realem, & permanentem præſentiam; ergo eamdem etiam efficiunt; nam formæ Sacramentorum id efficiunt, quod ſignificant, conſequenter reliqua verba accidentarie adjiciuntur. Deinde, quia neque apud Evangeliſtas, neque in Liturgiis D. Jacobi, Baſilii, atque Chryſoſtomi, non habetur particula *æterni*, neque particula *myſterium fidei*; ergo quia non ſunt de eſſentia formæ. Non enim eſt credibile, Evangeliſtas non omnia verba formæ Calicis eſſentialia tradidiſſe, aut Græcos, quibuſdam verbis formæ eſſentialibus omiſſis, invalide conſecrare, cum tamen Florent. *ſeſſ. ult.* non damnet Eccleſiam Græcorum, ſed ſupponat recte conſecrare. Similiter illa duo verba, *novi Teſtamenti*, omittuntur in Miſſa Æthiopium, quæ creditur a S. Matthæo conſcripta, quæque ab Eccleſia approbatur; ergo quia non ſunt eſſentialia formæ. Ita Madernus *q. 6. art. 2.*

12 Dices: verba illa ſequentia, *novi, & æterni Teſtamenti &c.* eſſe determinationes quaſdam prædicati, nempe Sanguinis Chriſti, ac proinde eſſe eſſentialia. Sed contra negatur conſequentia, quia ſolum explicant effectum Sacramenti, & ſic non pertinent ad eſſentiam; & quamvis iiſdem Characteribus in Miſſali deſcribantur, eodemque ritu, & modo proferantur a Sacerdote, ſicut verba præcedentia, non tamen hoc probat eſſe eſſentialia; alioquin etiam particula *enim* deberet dici eſſentialis, ſed hoc fit ad majorem explicationem formæ præcedentis.

13 Quamvis autem ſola illa verba: *Hic eſt Sanguis meus*, ſeu *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, ſint de eſſentia formæ, verba tamen ſequentia non poſſunt omitti ſine gravi peccato, non ſolum quia illa omittendo, Sacerdos faceret contra præceptum Eccleſiæ, & ritum Sacramenti, ſed etiam quia ſe exponeret periculo non conſecrandi, ſtante probabilitate Sententiæ oppoſitæ, quæ eſt multorum Doctorum. Inde nec debet reſtringere intentionem conſecrandi ad illa ſola prima verba, ſed extendere debet ad omnia illa, quæ, ſecundum Chriſti inſtitutionem, ſunt de eſſentia formæ, quæcumque illa ſint, ut cum Suario, Filliucio, Bonacina, & aliis docet Trullench *praxi Sacrament. lib. 3 cap. 3. n. 4.* Eadem ratione, ſi, prolatis primis illis verbis *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, deficeret Sacerdos, Calix ſic conſecratus non eſſet adorandus abſolute, ſed ſub conditione: incertum ſiquidem eſt, & ſub lite, an ſola illa verba ſint eſſentialia. Ant. a Spiritu S. *diſp. 3. ſect. 2.* Bonacina *q. 3. punct.* 2, & alii communiter.

D U B I U M III.

Utrum verba Conſecrationis proferantur a Sacerdote recitative, an vero enunciative?

14 Dupliciter poſſunt ab aliquo verba proferri: primo materialiter, recitative, & hiſtorice, referendo verba ab alio prolata, nihil tamen aſſerendo, ſeu negando; ſecundo formaliter, enunciative, aſſerendo, & affirmando id, quod verba ſignificant; ut ſi referas blaſphemiam, ut ab alio dictam, non eris blaſphemus, quia nihil aſſeris, bene tamen ſi enuncias, & affirmas, prout verba ſignificant. His poſitis

15 Reſp. Sacerdotem proferre verba conſecrationis non ſolum recitative, & hiſtorice, ſed etiam enunciative, & formaliter. Ratio eſt, quia Sacerdos non ſolum recitat hiſtorice, quid Chriſtus in ultima Cœna fecerit, & dixerit, ſed, veniendo ad verba conſecratoria, ipſemet, induens perſonam Chriſti, dicit, & facit, quod Chriſtus in ſui commemorationem, & repræſentationem facere præcepit, & ſic, induens perſonam Chriſti, intendit proferre verba eo modo, quo fuerunt a Chriſto prolata in nocte Cœnæ; ſed Chriſtus in nocte Cœnæ protulit verba conſecrationis enunciative; ergo etiam taliter profert Sacerdos. Major probatur, quia Sacerdos induens perſonam Chriſti, non loquitur nomine proprio, ſed nomine Chriſti, ut habet Divus Ambroſius *lib. 4. de Sacram. c. 4.* dicens: *quando pervenit Sacerdos ad conficiendum Sacramentum, jam non ſuis, ſed utitur ſermonibus Chriſti*. Idem aſſerit etiam Concil. Florent. in Decreto unionis, ubi habetur: *Sacerdotem in perſonam Chriſti loquentem conficere hoc Sacramentum*. Qui autem tantum recitat verba alterius, non loquitur in perſona illius; ergo ſi Sacerdos conſecrans loquitur in perſona Chriſti, non profert verba tantum recitative.

16 Conf. quia niſi Sacerdos verba conſecrationis formaliter, & ſignificative proferret, affirmando, & aſſerendo hoc, quod in manibus tenet, eſſe Corpus, vel Sanguinem Chriſti, virtute verborum non fieret conſecratio, ſive converſio, quia verba Sacramentorum non efficiunt, niſi quod ſignificant: ſi autem proferantur ſolum materialiter, nihil ſignificant, & conſequenter nihil efficiunt. Ita Madernus *q. 6. art. 3.* & apud ipſum D. Thom. Gonet, Suarez, Coninch, Lugus, & alii, ſequuntur etiam Bonacina *qu. 3. punct. 5.* Ant. a Spiritu S. *diſp. 3. ſect. 3.* & Leander *diſp 9. qu. 29.*

17 Dices: videtur repugnare, ut eadem oratio tam recitative, quam ſignificative ab eodem proferatur; ſed verba conſecrationis recitantur a Sacerdote tanquam dicta a Chriſto, quod ſatis indicat illa particula, *enim*, quæ conjungit verba ſequentia cum antecedentibus; ergo non dicuntur ſignificative. Major patet, quia eadem oratio ſimul ab eodem proferretur materialiter, & formaliter, quod repugnat. Sed contra negatur ſequela; non enim implicat verba aliqua referri, ut ab alio dicta, & quod proferens iiſdem verbis velit ſimul ſignificare, quod alius iiſdem ſignificavit, quod ſæpiſſime in locutionibus, etiam familiaribus, contingit, ut dum dico, D. Thomas dixit, quod idem & ego aſſero: *Sacramenta Eccleſiæ ſunt numero ſeptem*, quæ locutio dicitur a me recitative, tanquam prolata a Divo Thoma, & aſſertive tanquam a me aſſerta, in quo nulla contradictio.

D U B I U M IV.

Quid ſignificet Pronomen Hoc, *vel* Hic?

18 Reſp. Pronomen *Hoc*, & *Hic*, in verbis conſecratoriis ſignificare in vago ſubſtantiam contentam ſub his ſpeciebus panis, aut vini, præſcindendo ab eo, quod ſit ſubſtantia panis, aut vini, Corporis, vel Sanguinis, aut quæcumque alia, adeo ut ſenſus ſit: contentum, ſeu id, quod continetur ſub his ſpeciebus, eſt Corpus Chriſti. Ratio eſt, quia pronomen *Hoc*; idem proportionaliter dictum intellige de pronomine *Hic* reſpectu vini, & Sanguinis. Nec ſignificat determinate ſubſtantiam Panis, nec determinate ſubſtantiam Corporis Chriſti; ergo ſignificat in vago, & indeterminate ſubſtantiam illam, cui convenire poteſt eſſe contentum ſub illis accidentibus. Antecedens probatur: ſi pronomen *Hoc* ſignificaret determinate ſubſtantiam panis, eſſet propoſitio falſa: ſi ſubſtantiam Corporis Chriſti, eſſet propoſitio identica, ut patet conſideranti; ergo nec ſignificat determinate ſubſtantiam panis, nec determinate ſubſtantiam Corporis Chriſti, ſed indeterminate ſubſtantiam ſub accidentibus contentam, maxime quia ſic bene explicatur efficientia, & efficacia verborum formæ; verba enim illa Euchariſtica nec faciunt, quod Corpus Chriſti ſit Corpus Chriſti, nec quod ſubſtantia panis ſit Corpus Chriſti, bene tamen, quod contentum ſub accidentibus panis ſit Corpus Chriſti. Sic cum D. Thoma *3. p. q. 78. art. 5.* Madernus *q. 6. art. 4.* & apud ipſum Joan. a S. Thoma, Gonet, Sylvius, Vaſquez, Lugus, Amicus, Suarez, & alii communiter.

19 Dices: pronomen *Hoc* deſignat illud, quod eſt præſens tunc, quando ipſum profertur; ſed tunc quando ipſum profertur eſt præſens ſubſtantia panis; ergo ſignificat, ac deſignat determinate ſubſtantiam panis. Sed contra, pronomen *Hoc* poteſt ſumi ſecundum ſe, ut eſt terminus ſimplex, habens ſignificationem incomplexam, & hoc modo non habet ſignificationem aliquam determinatam, ſed vagam cuicumque applicabilem, & inde non poteſt determinate ſignificare ſubſtantiam panis: vel ut eſt terminus, & ſubjectum propoſitionis, habens ſimul cum prædicato ſignificationem complexam, & tunc determinatur a prædicato, ut ſignificet id, quod eſt præſens in fine propoſitionis, ac proinde, dum profertur, non habet adhuc ſignificationem determinatam, ſed vagam, determinandam

a præ-

a prædicato, adeo ut ſenſus ſit: *Hoc contentum ſub his ſpeciebus eſt Corpus Chriſti.*

20 Dices 2. pronomen *Hoc*, utpote demonſtrativum, debet ſemper ſignificare aliquod ſingulare, & individuum, ac proinde non poteſt habere ſignificationem vagam, & indeterminatam. Sed contra dico, pronomen *Hoc* ſignificare quidem ſemper aliquod ſingulare, & individuum, ſed aliquando ſignificare illud in vago, & indeterminate, non ſemper ſub ratione determinatæ ſingularitatis, maxime quando eſt ſubjectum propoſitionis, cujus ſignificatio determinatur a prædicato.

21 Diſputant hic Doctores: *An eadem materia poſſit conſecrari pluribus formis?* Sed reſponſio facile colligitur ex dictis ſupra *tract. 2. cap. 3. dub. 3.* ubi vidimus plures ſimul poſſe eumdem puerum valide baptizare; ita dicendum eſt in præſenti, poſſe plures Sacerdotes ſimul valide conſecrare eamdem materiam , ſi quilibet integram proferat formam, & habeat intentionem abſolutam conſecrandi, ac ſi ſolus conſecraret. Ratio eſt, quia plures formæ ſimul prolatæ omnes ſortiuntur ſuum effectum, & conſecrationem efficiunt, ubique eo quod una impediat alteram, cum adſint omnia requiſita ad conficiendum Sacramentum, nempe debita materia, debita forma, cum ſufficienti poteſtate; & intentione Miniſtri: debent tamen illæ formæ omnes ſimul proferri, nam ſi una proferatur poſt aliam, nihil efficit, quia profertur ſupra materiam jam conſecratam per primam formam.

22 In duobus caſibus non ſolum valide, ſed etiam licite, poſſunt plures Sacerdotes eamdem materiam conſecrare, nimirum in ordinatione Sacerdotum, in qua qui ordinantur Sacerdotes, ſimul cum Epiſcopo ordinante ſuper eamdem materiam proferunt verba conſecrationis, eamdemque materiam ſimul conſecrant, quæ conſuetudo non poteſt ſine maxima temeritate exiſtimari illicita poſt Decretum Clementis VIII. qui talem ritum præcipit ab omnibus Epiſcopis obſervari. Non diſſimilis conſuetudo habetur in conſecratione Epiſcopi, in qua Epiſcopus, qui conſecratur, ſimul cum Conſecrante celebrat, eamdemque materiam conſecrat. Imo refert Vaſquez *diſp.* 128. *c.* 2. in Eccleſia Græca, quocumque Epiſcopo celebrante, ſemper adeſſe alium Sacerdotem ſimul cum Epiſcopo conſecrantem eamdem materiam, & antiquitus, ut refert Innoc. III. *lib. 4. de Myſteriis Miſſæ c.* 25. Papa celebrante, Presbyteri Cardinales concelebrabant.

23 Hinc tamen aliqua ſequi videntur inconvenientia, pro quibus vitandis non parum laborant Doctores; nam ſi unus Ordinandus præveniat Epiſcopum in prolatione formæ, Epiſcopus Ordinans, qui eſt principaliter celebrans, non conſecrabit, cum jam inveniat hoſtiam ab alio conſecratam; & ſi Epiſcopus Ordinandos præveniat, Ordinandi proferent formam ſuper hoſtiam conſecratam, quod eſt illicitum. Huic difficultati occurrunt aliqui dicentes, a Sacerdotibus noviter ordinatis proferri verba conſecrationis materialiter, & recitative, ad oſtendendum nimirum ſe jam recepiſſe poteſtatem conſecrandi, & Sacrificium conficiendi, ac proinde ſine intentione conſecrandi. Sed contra urget conſuetudo ipſa, in qua Ordinandi veram habent intentionem conſecrandi, & ſerio monentur, ut curent abſolvere verba ſimul cum Epiſcopo, quod nihil intereſſet ſi proferrent verba mere recitative, & ſine animo conſecrandi. Alii ſecundo dicunt, omnes hujuſmodi Sacerdotes debere referre ſuam intentionem ad inſtans, in quo Epiſcopus verba abſolvet. Sed contra, quia non poteſt Miniſter, terminatis verbis conſecratoriis, ſuſpendere effectum Sacramenti uſque dum Celebrans eadem verba complete proferat, quia verba debent eſſe vera de præſenti, quando proferuntur. Alii tertio cum Suarez, & Coninch dicunt, debere Sacerdotes noviter ordinatos habere intentionem conſecrandi ſub conditione, ſi nimirum abſolvant verba cum Epiſcopo, ſin minus, habere debere intentionem proferendi verba ſolum materialiter, & recitative, juxta primum dicendi modum, & hic dicendi modus videtur ſatis veriſimilis, cum tollat omnia inconvenientia. In praxi tamen non eſt in hujuſmodi intentionis modo ſubtilius, & ſcrupuloſius immorandum, ſed conſulendum cum Cajetano Presbyteris, qui ordinantur, ut habeant intentionem proferendi verba Conſecrationis eo meliori modo quo poſſunt, & debent, ac Eccleſia Catholica intendit.

CAPUT IV.

De modo quo Chriſtus eſt in Euchariſtia.

DUBIUM I.

De vera, & reali præſentia Chriſti in Euchariſtia.

CErtum eſt, ac de fide, Sanctum Corpus, & Sanguinem Chriſti vere, realiter, & ſubſtantialiter contineri ſub ſpeciebus panis, & vini conſecratis, ut contra Calvinum, & alios Hæreticos, realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia negantes, & volentes ibidem eſſe ſolum tanquam in ſigno, & figura, definivit Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 1. ubi habetur: *Docet Sancta Synodus, & aperte, ac ſimpliciter profitetur, in almo Sanctæ Euchariſtiæ Sacramento, poſt panis, & vini conſecrationem, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum verum Deum, atque Hominem, vere, realiter, ac ſubſtantialiter, ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium, contineri. Nec enim hæc inter ſe pugnant, ut ipſe Salvator noſter ſemper ad dexteram Patris in Cælis aſſideat, juxta modum exiſtendi naturalem, & ut multis nihilominus aliis in locis Sacramentaliter præſens ſua ſubſtantia nobis adſit, ea exiſtendi ratione, quam & ſi verbis exprimere vix poſſumus, poſſibilem tamen eſſe Deo, cogitatione per fidem illuſtrata, aſſequi poſſumus, & conſtantiſſime credere debemus.* Quod idem repetit can. 1. *Si quis negaverit in Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento contineri vere, realiter, & ſubſtantialiter Corpus, & Sanguinem una cum anima, & divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac proinde totum Chriſtum, ſed dixerit tantummodo eſſe in eo ut in ſigno, vel figura, aut virtute; anathema ſit.*

2 Idem clare conſtat ex Scriptura Lucæ 28. ubi Salvator ait: *Hoc eſt Corpus meum.* Jo: 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt;* ibi autem Chriſtum loqui de corpore ſuo, non figurate, ſed vere, & realiter in cibum dando, conſtat ex definitione Tridentini, & unanimi Sanctorum Patrum conſenſu. Sic S. Cyprianus *ſerm. de Cœna Domini. Panis iſte,* inquit, *non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia verbi factus eſt caro.* S. Hilarius *lib. 8. de Trinit. De veritate,* inquit, *Carnis, & Sanguinis non eſt relictus ambigendi locus, nunc enim, & ipſius Domini profeſſione, & fide noſtra, vere caro, & vere Sanguis eſt,* &c. *An hoc veritas non eſt? contingat plane his verum non eſſe, qui Chriſtum Jeſum verum eſſe Deum negant.* S. Ambroſ. *lib. 4. de Sacram. c. 4.* ait: *Panis iſte, panis eſt ante verba Sacramentorum, ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit Caro Chriſti.* Similia dicunt alii Patres, ut videre eſt apud Bellarminum, & alios Auctores de controverſiis ſcribentes, qui etiam Hereticorum fallacias deſtruunt.

3 Certum eſt 2. Chriſtum conſtitui præſentem ſub ſpeciebus Euchariſticis per tranſubſtantiationem, quæ eſt actio converſiva ſubſtantiæ panis, & vini, in ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis Chriſti, adeo ut nihil ſubſtantiæ panis, & vini in eo Sacramento remaneat, ſed totum tranſmutari, & converti in ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis Chriſti Domini, quod explicat Concilium Trid. cap. 4. his verbis: *Perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, idque nunc denuo Sancta hæc Synodus declarat, per conſecrationem panis, & vini, converſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam Corporis Chriſti Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam Sanguinis ejus, quæ converſio convenienter, & proprie a Sancta Catholica Eccleſia Tranſubſtantiatio eſt appellata.* Et can. 2. anathema dicit in eos, qui negaverint converſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem Chriſti.

4 Dubitari ſolet a Theologis: *an materia panis, & vini, quæ per conſecrationem recedit, & deſinit eſſe ſub ſpeciebus, & accidentibus, annihiletur, vel quomodo deſtruatur?* Breviter dico, proprie non annihilari, quia licet ſubſtantia panis in Euchariſtia tota deſinat, & non remaneat ſecundum aliquid ſui, remanet tamen ſecundum aliquid termini, in quem convertitur. Sicut enim ad creationem non ſufficit, quod res aliqua producatur ex nihilo ſui, ſed debet produci ex nihilo ſimpliciter tam ſui, quam ſubjecti; ſic ad annihilationem non ſufficit, quod res deſinat in nihil ſui, ſed debet deſinere in nihil ſimpliciter, hoc eſt, in nihil ſui, ſubjecti, & termini intrinſeci. Cum autem, recedente ſubſtantia panis, ſuccedat ſubſtantia Corporis Chriſti, illa non dicitur ſimpliciter annihilari, ſed converti in ſubſtantiam Corporis Chriſti, ſeu, ut loquitur Trident. tranſubſtantiari, quæ importat tranſitum unius ſubſtantiæ in aliam, ut fuſius explicant Theologi Scholaſtici cum Mederoo *qu. 3. art. 3.*

5 Certum eſt 3. Chriſtum verum Deum, & Hominem, totum non ſolum quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad accidentia, videlicet quoad quantitatem, & qualitatem, exiſtere ſub qualibet ſpecie, & ſub qualibet parte ſpecierum, ut docet Trident. *can* 3. illis verbis: *Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub unaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri; anathema ſit.* Continetur autem ibi Chriſtus ſecundum Corpus, Sanguinem, Animam, & Divinitatem: poſtquam enim Chriſtus reſurrexit, jam non moritur; cum ergo ſit vivens in Euchariſtia, debet habere Corpus, Sanguinem, & Animam; & cum hæc non ſint ſine Divinitate, debet etiam habere Divinitatem, imo & quantitatem, & alia omnia accidentia conjuncta Corpori.

6 Nec dicas, ſi Corpus Chriſti retineret propriam quantitatem in Euchariſtia, deberet eſſe extenſum, & diviſibile, & figuram aliquam habere, cum figura ſit terminus extrinſecus quantitatis. Sed contra dico, duplicem eſſe extenſionem quantitatis, ſeu duobus modis, corpus quantum poſſe, eſſe extenſum. Primo, in ordine ad ſe, quatenus habeat partes inter ſe ordinatas, & diſtinctas, caput unitum collo, & diſtinctum a pedibus. Secundo, in ordine ad locum, ita quod una pars ſit extra locum alterius, cum extenſione locali; prima extenſio eſt de eſſentia quantitatis, non ſecunda, quæ eſt tantum proprietas a Deo ſeparabilis,

tabilis, & inde quantitas localis, extenſione deſtituta, quantæcumque ſit magnitudinis in ordine ad ſe, poteſt per divinam potentiam intra ſpatium exiguum concludi. Similiter duplex eſt figura, alia organica, & intrinſeca, alia ſitualis, & extrinſeca: prima, quæ pendet ab extenſione quantitatis in ordine ad ſe, conſiſtit in diſpoſitione partium in ordine ad ſe, cum exigentia ejuſdem diſpoſitionis in ordine ad locum, puta in Corpore Chriſti, quod caput ſit immediate unitum collo, non brachio, quod inter caput, & brachium tanta quantitas mediet. Secunda, quæ pendet ab extenſione locali quantitatis, conſiſtit in extrinſeca diſpoſitione partium in ordine ad locum, quod ſcilicet caput localiter diſtet a brachio, quod caput ſit ſupra, pes infra quod una manus ſit ad dexteram, altera ad ſiniſtram. Cum igitur Corpus Chriſti in Euchariſtia ſit inextenſum, & cum ſola extenſione in ordine ad ſe, non vero in ordine ad locum, habet ſolam figuram organicam, & intrinſecam, non vero localem, & extrinſecam, quæ non eſt de eſſentia quantitatis, & inde Corpus Chriſti cum tota ſua quantitate poteſt in quocumque minimo ſpatio reperiri, & in qualibet particula exiſtere.

DUBIUM II.

Utrum vi verborum ponatur totus Chriſtus ſub utraque ſpecie.

7 DUobus modis poteſt aliquid poni ſub ſpeciebus: primo formaliter per ſe, ac directe vi verborum; ſecundo per concomitantiam, & connexionem unius cum altero. Id ponitur directe, & formaliter vi verborum, quod directe, & formaliter verba formæ ſignificant, & ſine quo talia verba eſſent falſa; id vero ponitur concomitanter, quod eſt connexum, & unitum cum eo, quod ponitur formaliter, & directe: qualiſque erit unio, & connexio, talis erit concomitantia, nimirum per ſe, vel per accidens, mediata, vel immediata, prout eſt unio mediata, vel immediata. His breviter præmiſſis

8 Reſp. 1. ſub ſpeciebus vini ponitur formaliter, & directe ſolum Sanguis Chriſti, & ſub ſpeciebus panis ponitur formaliter, & directe ſolum Corpus Chriſti. Ratio eſt, quia ea ponuntur formaliter, & directe ſub ſpeciebus panis, aut vini, quæ ſunt neceſſaria ad ſalvandam veritatem verborum, quibus conſecrantur tales ſpecies; ſed ad ſalvandam veritatem verborum, quibus conſecrantur ſpecies vini, ſufficit poſitio Sanguinis, ad veritatem verborum, quibus conſecrantur ſpecies panis, ſufficit poſitio Corporis, cum illa ſolum Sanguinem, iſta ſolum Corpus exprimant; ergo ſub ſpeciebus vini ponitur formaliter ſolum Sanguis, ſub ſpeciebus panis ponitur formaliter ſolum Corpus. Ita communiter Doctores, & Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 3.

9 Difficultas ſolum eſt, quid intelligatur nomine Corporis, quod ponitur formaliter ſub ſpeciebus panis. Relictis variis dicendi modis, quibus ſolet a Philoſophis conſtitutivum corporis explicari breviter dico: nomine corporis intelligi materiam primam organizatam formis partialibus ſubſtantialibus, quæ conſtituunt ſubjectum informationis Animæ, quia per corpus ſignificatur phyſica pars animalis, ab anima diſtincta, & cum ea componens unum totum ſubſtantiale; talis autem pars eſt materia formis partialibus inſtructa. Hoc modo bene explicatur, quomodo verba conſecratoria ſemper ſignificent idem Chriſti Corpus, ſive vivum, ſive mortuum, item quomodo ex vi verborum nec ponatur Corpus vivum, nec mortuum, ſed ratio vivi, quæ habetur ab unione cum anima, & ratio mortui, quæ habetur a ſeparatione animæ, concomitanter ſolum ſe habeat. Cæteræ Sententiæ graves patiuntur difficultates, ut videre eſt apud Madernum *qu.* 4. *art.* 3.

10 Reſp. 2. ſub ſpeciebus vini ponitur per concomitantiam Corpus, ſub ſpeciebus panis ponitur per concomitantiam Sanguis, ſub utriſque ſpeciebus ponitur per concomitantiam Anima, quantitas, & alia accidentia non affixa loco, item Divinitas, unio hypoſtatica, Verbum, & aliæ duæ Divinæ Perſonæ, ut expreſſe docet Concilium Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 3. his verbis: *Semper hæc fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt conſecrationem verum Domini noſtri Corpus, verumque ejus Sanguinem, ſub panis, & vini ſpecie, una cum ipſius Anima, & Divinitate exiſtere, ſed Corpus quidem ſub ſpecie panis, & Sanguinem ſub ſpecie vini, ex vi verborum; ipſum autem Corpus ſub ſpecie vini, & Sanguinem ſub ſpecie panis, Animamque ſub utraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, qui jam ex mortuis reſurrexit, non amplius moriturus, inter ſe copulantur: Divinitatem porro propter admirabilem ejus cum Corpore, & Anima hypoſtaticam unionem. Quapropter veriſſimum eſt, tantumdem ſub alterutra ſpecie, atque ſub utraque contineri: totus enim, & integer Chriſtus ſub panis ſpecie, & ſub quavis ejus ſpeciei parte, totus item ſub vini ſpecie, & ſub ejus partibus exiſtit.*

11 Ratio fundamentalis inſinuata a Concilio, eſt, quia illa ponuntur per concomitantiam in Sacramento Euchariſtiæ, quæ ſunt unita cum eo, quod ponitur formaliter, unio enim eſt fundamentum concomitantiæ; ſed cum Sanguine, qui ponitur formaliter ſub ſpeciebus vini, unitum eſt Corpus, tanquam totum cum ſua parte, cum Corpore unitus eſt Sanguis, tanquam pars cum ſuo toto: item cum Corpore unitur Anima, & cum utroque Divinitas, Unio hypoſtatica, Verbum, & cum Verbo aliæ Divinæ Perſonæ, quæ ſicuti ſunt ſpeciali modo in Humanitate Chriſti, ita per concomitantiam cum Humanitate ſunt ſpeciali modo in Euchariſtia; ergo cum Corpore, & Sanguine, ſub ſpeciebus panis, & vini, hæc omnia concomitanter ponuntur.

12 Inde ſequitur de facto, Corpus Chriſti poni ſub ſpeciebus Euchariſticis cum omnibus ſuis partibus, cum omnibus iis, quæ habet in Cælo. Dixi *de facto*, quia ſi Apoſtoli conſecraſſent, ut abſolute potuiſſent, in triduo mortis Chriſti, ſub ſpeciebus panis fuiſſet Chriſti Corpus ſine Sanguine, & Anima, & ſub ſpeciebus vini, Sanguis ſine Corpore, quia pro eo tunc non habuiſſent ad invicem connexionem, & unionem, quæ eſt fundamentum concomitantiæ.

13 Sequitur 2. poni de facto ſub ſpeciebus panis Sanguinem illum, quem in paſſione effuſum, in reſurrectione reaſſumpſit, non illum, quem in terris reliquit, ſi aliqua pars ſub forma Sanguinis in terris relicta eſt, quod apud Vaſquez *de Incarnat. diſp.* 36. *cap.* 3. controvertitur; neque item carnem præputii, ſi illam non reaſſumpſit, ut probabile eſt non reaſſumpſiſſe. 3. Poni Chriſtum ſub ſpeciebus ex parte Corporis, cum omnibus partibus integrantibus, etiam minus præcipuis, puta barba, capillis, unguibus, cum iſtas habeat in Cælo; ex parte Animæ cum omnibus potentiis, ſpeciebus, habitibus, tum naturalibus, tum ſupernaturalibus.

14 Sequitur ulterius, non ſolum Verbum Divinum, ſed etiam totam Sanctiſſimam Trinitatem eſſe in hoc Sacramento *per concomitantiam*, ſeu melius per *circuminſeſſionem* propter identitatem Naturæ, quam habent aliæ Perſonæ cum Perſona Verbi, per quam non poſſunt ab invicem ſeparari. Non tamen ſequitur poſſe dici, manducantem Euchariſtiam, manducare Patrem, & Spiritum Sanctum, aut totam Trinitatem, quia ſicut non poteſt concedi, quod Pater, & Spiritus Sanctus habeant eſſe Sacramentale, ſed ſolum Filius propter unionem hypoſtaticam, quam habet cum Humanitate, & Corpore, ita dici non poteſt, quod manducentur. Ita Lugus *diſp.* 8. *n.* 126. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 26. ubi dicit, eſſe communem apud omnes Theologos.

DUBIUM III.

Quid agere, & pati poſſit Chriſtus in Euchariſtia?

15 REſp. 1. Corpus Chriſti in Euchariſtia poteſt localiter moveri ab agente extrinſeco per accidens, motis ſpeciebus, non vero per ſe, & ſine ordine ad ſpecies. Prima pars expreſſe traditur a Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 5. & 6. dicente, Chriſti Corpus circumferri a Sacerdotibus in Proceſſionibus, & deferri ad Infirmos, quod eſt moveri localiter per accidens, nimirum motis ſpeciebus; non enim alia ratione poſſunt Sacerdotes movere Chriſti Corpus, quam movendo ſpecies, cum quibus habet connexionem. Nam duobus modis poſſumus rem aliquam movere, vel illam tangendo immediate, aut mediate manu, aut baculo, vel imprimendo illi aliquam qualitatem motivam; ſed neutro modo poſſumus independenter a ſpeciebus movere Corpus Chriſti, quia cum indiviſibiliter exiſtat in Sacramento, nulla actione corporea poteſt attingi; ergo non poteſt per ſe immediate moveri independenter a ſpeciebus, bene tamen per accidens, motis ſpeciebus, quod certum ſupponit Madernus *quæſt.* 4. *artic.* 6. & tenet Cacheranus *cap.* 5. *§.* 2. *num.* 22.

16 Reſp. 2. Chriſtus, ut in Sacramento exiſtens, non poteſt ſe ipſum movere localiter motu progreſſivo, bene tamen motu ſimplici. Ratio eſt, quia ad motum progreſſivum requiritur localis extenſio membrorum, ut una pars ſit extra, & ante aliam, diverſumque occupet locum, ut conſtat in motu progreſſivo animalium; ſed Chriſtus, ut eſt in hoc Sacramento, nullam habet extenſionem localem, ſed indiviſibiliter exiſtit; ergo non poteſt ſe ipſum movere localiter motu progreſſivo, bene tamen motu ſimplici delativo, prout convenit corporibus Beatorum, quæ moveri poſſunt ex voluntate Animæ indepedenter ab organis, ut communiter docent Theologi; ſed Corpus Chriſti in Euchariſtia eſt Corpus glorioſum; ergo poterit moveri motu ſimplici delativo. Ita cum Scoto, Ochamo, Aurelio, & Amico, docet Madernus *loco cit. num.* 6. Cacheranus *lib.* 1. *cap.* 5. *§.* 1.

17 Reſp. 3. Corpus Chriſti, ut eſt in Euchariſtia, neque pati poteſt ab agente naturali, nec actione naturali tranſeunte agere in alia corpora. Ratio eſt, quia actio, & paſſio naturalis alterativa neceſſario ſupponit in paſſo extenſionem localem, & quantitativam; ſed Chriſtus in Euchariſtia, cum ſit totus in toto, & totus in qualibet parte, indiviſibiliter exiſtit, nec habet extenſionem localem, & quantitativam; ergo non poteſt pati, nec naturaliter recipere qualitates phyſicas alterativas, quæ cum ſint extenſæ, & diviſibiles, neceſſario ſupponunt ſubjectum extenſum, & diviſibile, juxta illud ſatis tritum apud Philoſophos: *quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*. Ita cum

D. Tho-

D. Thoma Ant. a Spiritu S. *diſp. 7. ſect. 1.* & communiter Thomiſtæ, Scotus, Vaſquez, Gonet, & alii apud Madernum.

18 Reſp. 4. Chriſtus, prout eſt in Sacramento, non poteſt naturaliter exercere actiones ſenſuum, ſive externorum, ſive internorum, bene tamen poteſt exercere actus immanentes intellectus independentes a phantaſmatibus. Ratio eſt, quia actiones ſenſuum, ſive externorum, ſive internorum, cum ſint actiones dependentes ab organis, & phantaſmatibus corporeis, requirunt naturaliter extenſionem quantitativam in ipſis organis, & quod una pars non ſit cum alia penetrata: ſi enim una pars penetretur cum alia, puta cum oculo penetretur manus, pes, & aliæ partes materiales, non poterit oculus videre, & exire in actum; ſed Chriſtus ſub ſpeciebus exiſtens non habet talem extenſionem in organis, cum ſecundum omnes partes indiviſibiliter exiſtat; ergo non poterit exercere actiones ſenſuum, ſive externorum, ſive internorum, dependentium ab organis, & phantaſmatibus, nam ſenſus ex mutua penetratione tum inter ſe, tum cum aliis partibus amittunt diſpoſitionem requiſitam, ut poſſint exire naturaliter in ſuos actus. Eadem ratione non poterit naturaliter elicere actus intellectus dependentes a phantaſmatibus, cum ipſa phantaſia non poſſit ſuos actus exercere. Poterit tamen intelligere per ſcientiam beatam, & infuſam, quorum actus ſunt mere ſpirituales, & exercetur independenter a phantaſia, & phantaſmatibus, & ſic nulla ratio obſtat, quin Chriſtus in Sacramento exiſtens non poſſit hujuſmodi actus naturaliter exercere, quod idem valet de operationibus voluntatis regulatis a ſcientia beata, vel infuſa. Ita communiter Doctores, quos ſequitur Madernus *q. 4. art. 7.* Cacheran. §. 3. *n. 32.*

19 Reſp. 5. Chriſtus, prout exiſtens in Euchariſtia, non poteſt naturaliter videri oculo corporeo, bene tamen ſupernaturaliter. Ratio eſt, quia ad viſionem neceſſario requiritur, ut objectum tranſmittat ſui ſpeciem ad potentiam viſivam; ſed Corpus Chriſti in Euchariſtia, utpote indiviſibiliter exiſtens, non poteſt tranſmittere ſui ſpeciem ad potentiam viſivam, cum ad hoc requiratur, ut habeat extenſionem localem; ergo non poteſt naturaliter videri oculo corporeo, bene tamen ſupernaturaliter, elevante Deo potentiam viſivam, & ſupplente extenſionem localem, in quo nulla eſt implicantia, nam eo caſu potentia viſiva non elevaretur extra latitudinem ſui objecti formalis, quod eſt lucidum, & coloratum; Corpus enim Chriſti in Euchariſtia eſt coloratum, & repræſentabile per ſpeciem. Ita cum D. Thoma *qu. 7. art. 7.* tenent communiter Thomiſtæ, Nugnus, Sylvius, Serra, Gonet, Vaſquez, Lugus, Amicus, Valentia, Coninch, & alii apud Madernum *q. 4. art. 8.* & Cacheran. §. 4. *n. 65.*

20 Quamvis autem Corpus Chriſti in Euchariſtia indiviſibiliter exiſtat, videri tamen poteſt extenſum etiam ſub humana ſpecie, & figura, ſi nimirum daretur una hoſtia magnitudinis hominis, & Deus in una parte ſpatii unam ſolum partem corporis, v. g. caput cum ſola præſentia capitis, quam ibi habet, demonſtraret in ſummitate hoſtiæ, & in proxima parte collum, in infima parte pedes, & ſic de cæteris: nam tunc videretur Chriſtus in tota hoſtia, & ſingulæ partes in ſingulis partibus hoſtiæ, occultando Deus, ſeu non manifeſtando reliquas partes in ſingulis partibus hoſtiæ, quem videndi modum poſſibilem aſſerunt, & approbant Averſa *q. 4. ſect. 7.* Ant. a Spiritu S. *diſp. 7. ſect. 2. n.* 196. Lugus cum Maderno *loco cit.* qui tamen bene advertit, quod videre hoc modo Corpus Chriſti, non eſt illud videre prout eſt in Euchariſtia, in qua indiviſibiliter exiſtit totus in toto, & totus in qualibet parte, ſed videretur modo quantitativo, & extenſo.

D U B I U M IV.

Quandonam incipiat, & deſinat eſſe Chriſtus in Euchariſtia.

21 CErtum eſt, Corpus Chriſti incipere eſſe in Euchariſtia in eo ultimo inſtanti, in quo completur prolatio, & ſignificatio verborum conſecrationis; nam tunc verba ſignificant ibi eſſe Corpus Chriſti, & ſic in eo tunc debet adeſſe, quia verba efficiunt id, quod ſignificant. Inde ſi Sacerdos ſcrupulo preſſus diferat ultimæ ſyllabæ prolationem, vel illam protrahat, non tamen ſuſpenditur effectus conſecrationis, cum non ſit in poteſtate Miniſtri, poſita materia, & integra prolatione formæ cum debita intentione, ſuſpendere effectum Sacramenti, & Conſecrationis, ut cum D. Thoma *q. 75. art. 7. & q. 78. art. 4. & 6.* docent communiter Doctores. Quoad deſitionem

22 Reſp. Chriſtum deſinere eſſe ſub ſpeciebus Euchariſticis, quando ſpecies ita corrumpuntur, & alterantur, ut corrumperetur, & deſineret eſſe ſubſtantia panis, & vini, ſi ibi adeſſet. Ratio eſt, quia Chriſtus ex inſtitutione Sacramenti ſuccedit in locum ſubſtantiæ panis, & vini, & ſic tamdiu perſeverare debet ſub illis ſpeciebus, quamdiu conſervaretur ſubſtantia panis, ſi adeſſet; quando autem non maneret ſubſtantia panis, neque debet manere ſubſtantia Corporis Chriſti, alioquin male diceretur eſſe loco ſubſtantiæ panis, cum iſta non poſſet ibi eſſe.

23 Hinc ſequitur, valde probabile eſſe, ſpecies vini conſecrati per mixtionem cum aqua amittere conſecrationem, ſi mixtio fiat in magna quantitate, quia activitas aquæ, & illius cum vino contrarietas videtur omnino ſufficiens ad ipſius ſpecies ſubſtantialiter alterandas. Inde damnandus eſt illorum Sacerdotum abuſus, qui Calicem aqua purificant, in tali enim purificatione exponunt ſe periculo corrumpendi ſpecies conſecratas, quæ corruptio illicita eſt, nam ſpecies conſecratæ extra caſum neceſſitatis, nequeunt corrumpi, niſi per ſumptionem & uſum; & ſicuti non licet Sacerdoti ſpecies comburere, quamvis deinde ſtatim ſumeret cineres; ita nec licet ſpecies vini aqua corrumpere, quamvis, deinde ſtatim talem aquam ſumeret. Ita de corruptione ſpecierum vini per mixtionem cum aqua tenet Leander *diſp. 10. q. 29.* ubi dicit eſſe communem. Adde, quod Rubricæ Miſſalis docent, Calicem eſſe vino purificandum, digitos vero eſſe abluendos vino & aqua. Idem habetur cap. *ex parte, de celebrat. Miſſar.* ubi Pontifex ait: *Reſpondemus, quod ſemper Sacerdos vino perfundere debet, poſtquam totum acceperit Euchariſtiæ Sacramentum.* Hoc idem notat Gavant. *in Rubr. Miſſal. part. 2. tit. 10. n. 5. litt. T.* dicens: *Deceret, ut vinum, pro purificatione Calicis infuſum, eſſet ejuſdem ſaltem quantitatis, qua fuerunt primæ ſpecies Sanguinis, alioquin Sacerdos illud ſaltem intra Calicem circumagat, ut abſumantur dictæ ſpecies. Monet de prædicta vini ad purificationem adhibenda quantitate Pius V. in Epiſt. ad Archiepiſcopum Tarac. additque, quod ſumatur ablutio per eamdem partem Calicis per quam Sanguis Chriſti hauſtus eſt. Mirare quæſo Sanctiſſimi Pontificis, etiam in minimis, diligentiam.* Hæc Gavantus addens: *Abſtemii non debent ſine vino purificare Calicem, Papa inconſulto, ex Romana praxi*: & ita tenent Doctores communiter, quamvis nonnulli excuſent a peccato lethali purificantem Calicem ſola aqua, ſed non a veniali, ut conſtat ex Tamburino *de Miſſa, lib. 3. cap. 9.*

24 Sequitur 2. Vinum conſecratum per mixtionem cum vino non conſecrato non amittere conſecrationem. Ratio eſt, quia vina vel non habent inter ſe ſpecificam diverſitatem, ut docent Suarez *diſp. 57. ſect. 4.* Lugus *diſp. 10. ſect. 3. n. 41.* Valentia, Henriquez, & alii, quos ſequitur Leander *diſp. 10. qu. 25.* vel non habent contrarietatem in activitate, quia ſi quam habent contrarietatem, illam habent in qualitatibus ſecundis, quæ activæ non ſunt. Ita cum Scoto, Bonaventura, Ledeſma, & Victoria, tenent Suarez *loco cit.* ſequitur Madernus *art. 9. n. 4.* & Lugus *n.* 41. qui *n. 44.* hoc probat etiam in caſu, quo admittamus vinum album, & nigrum differre ſpecie, Bonac. *diſp. 4. q. 3 punct. 6. §. 3. n. 6.* Hinc nimis ſcrupuloſe loquuntur Doctores apud Lugum, qui Calicem in vino rubro conſecratum contendunt non licere purificare albo, aut nec etiam rubro diverſæ rationis, ne Sacerdos ſe exponat periculo corrumpendi ſpecies conſecratas, quæ adhuc adhærent Calici, quia ſi tale eſſet periculum, Eccleſia præcaveret illud, & præciperet, ne prima ſaltem purificatio Calicis fieret cum vino alterius rationis, ſicut præcipit, ne fiat cum aqua; at Eccleſia de tali periculo non curat, nec ullus de hoc adhuc ſcrupulum habuit, quod ſignum eſt, quod licite fieri poſſit, ut cum Lugo *n. 47.* tenet Leander *quæſt. 26.*

25 Sequitur 3. guttam vini conſecrati, dolio vini non conſecrati admixtam, retinere conſecrationem, cum non corrumpatur, maxime ſi vina ſint ejuſdem rationis, nam tunc ſimile non agit in ſimile. Non tamen propterea totum dolium manet conſecratum, ſicut ex mixtione aquæ benedictæ cum non benedicta, tota aqua manet benedicta: diſparitas eſt; quia aquam eſſe benedictam, eſt mera denominatio extrinſeca, quæ ex inſtitutione Eccleſiæ bene poteſt ſic extendi per ſolum contactum, aut phyſicum, aut moralem; at vinum eſſe conſecratum, involvit tranſubſtantiationem, quæ non poteſt fieri, niſi vi prolationis verborum conſecratoriorum.

26 Hinc ſtatim dubitatur, quid faciendum eſſet de dolio vini, cui gutta conſecrata fuiſſet immiſſa. Suarez *diſp. 47. ſect. 4. in fine*, Coninch *q. 77. art. 8. n. 73.* Leander *diſp. 10. q. 28.* volunt, tale vinum non poſſe a Laicis ſumi, ſed ſervandum eſſe ad uſus ſacros, & celebrationem Miſſarum adhiberi, ſeu conſummandum a Sacerdotibus poſt ſumptionem Calicis, ante ablutionem. Henriquez *lib. 8. cap. 28. n.* 4. & Sotus *diſt. 10. q. 2. art. 8.* docent, ſine ſcrupulo poſſe a Laicis bibi, nec opus eſſe ut ſervetur pro Miſſis celebrandis, quia ex una parte, cum talis gutta omnino ſit ignota, non exponit ſe moraliter Laicus periculo bibendi vinum conſecratum: ex alia parte non videtur dominus ſine gravi cauſa privandus jure bibendi proprium vinum. Simili ratione docet, ſi particula conſecrata panis, vel vini, ſupra tapetem aureum pretioſiſſimum cecidiſſet, nec diſcernatur ubi ſit, non teneri Dominum cedere juri ſuo, & tapetem comburere. Utraque opinio eſt probabilis, ſed prima reverentiæ Sacramenti, ſecunda utilitati Dominorum magis conſonat. Vide Bonacinam *qu. 3. punct. 6. § 3. n. 8.*

27 Multo minus gutta aquæ admixta ſpeciebus vini conſecrati manet conſecrata, quia ſpecies conſecratæ non habent vim conſecrandi alias ſpecies, cum, ut dixi, hæc vis data ſit ſolum verbis conſecratoriis; inde gutta illa aquæ vel maneret in propria ſubſtantia, vel ſi converte-

retur

retur in vinum, nullo modo ſub illis accidentibus eſſet Sanguis Chriſti. Sic Suarez *diſp.* 47. *ſect.* 4. Leander *diſp.* 10. *q.* 30.

DUBIUM V.

An deſinat eſſe Chriſtus ſub ſpeciebus, quando miraculoſe apparet in ipſis Caro, Sanguis, vel Puer.

28 CErto conſtat ex hiſtoriis Eccleſiaſticis, non ſemel factas fuiſſe mutationes, & apparentias ſenſibiles in ſpeciebus Euchariſticis, quatenus in illis apparuit Chriſtus ſub ſpecie Pueri, vel apparuit Caro, aut Sanguis, vel ſimilis alia mutatio facta eſt. Dubium autem eſt: *an tales apparitiones fiant per realem, & phyſicam immutationem ſpecierum, adeo ut ſub illis deſinat eſſe Chriſtus, & vere ibi adſit Caro Sanguis, & Chriſtus in propria ſpecie, vel id contingat per aliam mutationem apparentem, abſque phyſica mutatione ſpecierum; utroque enim modo, divina virtute fieri poſſe, certum eſt.*

29 Reſp. in hujuſmodi apparitionibus, regulariter loquendo, Chriſtum non deſinere, ſed remanere ſub ſpeciebus Sacramentalibus. Ratio eſt, quia hujuſmodi apparitiones dupliciter ſolent contingere; primo per ſolam mutationem potentiæ viſivæ, organi viſorii, aut etiam per ſolam immutationem medii abſque ulla mutatione ex parte objecti, ſeu ſpecierum Euchariſticarum, & hæc contingere ſolet, quando mutatio durat ad breve tempus, vel quando non omnibus, ſed aliquibus tantum illa mutatio apparet; ſi enim mutatio eſſet in objecto, & in ſpeciebus, omnibus eodem modo appareret. Secundo poſſunt contingere per realem mutationem ſpecierum Euchariſticarum, & hæc mutatio poteſt eſſe vel in ſolo colore, & externa figura, aut accidentibus communibus, vel etiam poteſt eſſe totalis mutatio ſpecierum, ut quando Euchariſticæ ſpecies, ad terrendos indigne communicantes, convertuntur in lapides, aut cineres.

30 Igitur ſi mutatio fiat primo modo, certum eſt, Chriſtum non deſinere eſſe ſub ſpeciebus, cum remaneant immutatæ, & abſque ulla alteratione, ſeu corruptione: ex regula autem ſuperius allata, tunc ſolum Chriſtus deſinit eſſe ſub ſpeciebus, quando iſtæ ita alterantur, & corrumpuntur, ut non ſint amplius ſpecies panis, nec aptæ retinere ſubſtantiam panis; regulariter autem apparentiæ fieri ſolent hoc primo modo, quando brevi tempore durant, nec omnibus apparent. Si vero mutatio fiat in objecto, & immutentur ſpecies ſolum quoad colorem, figuram, aliaque accidentia communia, quatenus color hoſtiæ, qui eſt albus, tranſit in carneum, vel ſanguineum, figura circularis in aliam, puta in formam externam Pueri, tunc remanet Chriſtus ſub ſpeciebus, quia illa externa immutatio non eſt tanta, ut valeat corrumpere ſubſtantiam panis, ſi adeſſet, & ſpecies illæ ita exterius immutatæ, adhuc ſunt ſpecies panis, cum odore, & ſapore panis; id enim quod apparet non eſt vera Caro, nec Sanguis Chriſti, nec Puer cum intrinſecis organizationibus, ſed Pueri, Carnis, aut Sanguinis exterior apparentia in ſolis coloribus, & figura conſiſtens; nam talis exterior apparentia videtur ſufficiens ad roborandam fidem, vel conſolandam Animam alicujus Juſti, cujus rei intuitu ſolent fieri hujuſmodi apparitiones, & inde eſt, quod adhuc ſolet Sacramentum a Fidelibus adorari, quando tales apparitiones contingunt, ſicut adorabatur antea.

31 Si autem tanta ſit mutatio ſpecierum, ut vere tranſeant in lapides, aut cineres, ad ſignificandam, & puniendam indignitatem, & impietatem ſumentis, tunc vere deſinit eſſe Chriſtus ſub illis ſpeciebus, quare lapides illi, aut cineres aſſervantur ſolum in memoriam miraculi, non ad venerandum, & adorandum ſub ipſis Chriſtum, ut aſſervari ſolent hoſtiæ, quas contingit in carneo, aut ſanguineo colore apparere, & remanere. Ita P. Cacheranus *c.* 6. §. 6. *n.* 102. ubi citat D. Thomam, Sylvium, Vaſquium, Suarium, & Amicum, ſequitur Madernus *qu.* 4. *art.* 9. *n.* 10. Antonius a Spiritu S. *diſp.* 7. *ſect.* 5. & alii ſatis communiter.

32 Si quæras, *quid agere debeat Sacerdos in hujuſmodi apparitionibus?*

Reſpondetur communiter, non teneri Sacerdotem ſumere ſpecies ſic mutatas, quia obligatio eſt ſolum ſumendi Chriſti Corpus ſub ſpeciebus exterioribus panis, & vini, non ſub alia apparentia, quæ horrorem imprimeret ſumenti. Quare ſi una ſpecies manſerit immutata, eam ſumere debet ut Sacrificium perficiat, vel etiam alteram conſecrare, ſi ſequatur opinionem aſſerentem ſumptionem utriuſque ſpeciei eſſe de eſſentia Sacrificii. Si utraque mutata ſit, neutram ſumet, ſed utramque denuo conſecrare poteſt, quamvis ad id non teneatur, quia eo ipſo, quod Deus tale miraculum fecit, cenſetur velle diſpenſare Sacerdotem a ſumptione unius, vel etiam utriuſque ſpeciei, ſi in utraque operatur miraculum. Ita Doctores apud Cacheranum *loco cit.* Sotus *in* 4. *diſt.* 13. *art.* 4. *ad* 3. Sylveſter *verb. Euchariſt.* 3. *in fine.* Cajet. *q.* 82. *art.* 4. & ibidem S. Thom. *ad* 3. ubi tamen docet conſulendum tali Sacerdoti, ut ſecundo conſecret, & hoc eſſe conformius Rubricis Miſſalis obſervat Henrincx apud Cacheranum.

DUBIUM VI.

Quomodo remaneant ſpecies, & accidentia in Euchariſtia.

33 SUppono certum, omnia accidentia realia panis & vini remanere in Euchariſtia poſt conſecrationem, ut ſenſibus ipſis notum eſt; nam videmus, poſt conſecrationem, eumdem colorem, ſaporem, odorem, quantitatem, & figuram, & hoc erat expediens, ne indicium aliquod ſenſibus appareret hujus excelſi Myſterii, & Converſionis, quæ in illo fit. Dixi *accidentia realia*, quia modalia, ſi quæ admittuntur, ita ſunt affixa ſubſtantiæ, cujus ſunt modi, ut nequeant ab illa ſeparari, aut, ipſa deſtructa, conſervari, ut docent communiter Modaliſtæ in philoſophia.

34 Certum eſt etiam, accidentia in hoc Sacramento manere ſine ullo ſubjecto ſubſtantiali, ut colligitur ex Trid. *ſeſſ.* 13. *can.* 2. ubi definit ſolas ſpecies poſt conſecrationem manere ſine ſubſtantia panis, & vini: ſi enim accidentia non ſunt in ſubſtantia panis, tanquam in ſubjecto, quia hæc periit, nec ſunt in Corpore Chriſti, cui non inhærent, utpote inextenſo, & indiviſibiliter exiſtenti, ſequitur quod ibi remaneant ſine ullo prorſus ſubjecto ſubſtantiali. Dubium eſt apud Auctores: *an ſaltem habeant ſubjectum aliquod accidentale, & quid illa agere, & pati poſſint, & quomodo deſtrui, ac corrumpi.*

35 Reſp. 1. poſt conſecrationem quantitatem remanere ſine ullo prorſus ſubjecto, ſive ſubſtantiali, ſive accidentali; reliqua vero accidentia remanere ſubjectata in quantitate, eo modo, quo antea. Ratio eſt, quia hæc accidentia ante conſecrationem inhærebant quantitati, tanquam ſubjecto immediato, eaque mediante inhærebant ſubſtantiæ, ut certum ſuppono ex dictis in philoſophia; ſed poſt conſecrationem, deficiente ſubſtantia panis, & vini, remanet quantitas cum reliquis accidentibus; ergo iſta remanent ſubjectata in quantitate, quia talia accidentia ſe habent ad quantitatem poſt conſecrationem, ſicut antea: afficiunt enim quantitatem, moventur ad motum quantitatis, extenduntur cum exigentia impenetrationis per quantitatem, & ſic eodem modo ſe habent, ac antea; quantitas vero ipſa conſervatur a Deo concurſu effectivo potentiori ſupplente ſubſtentationem, & concurſum materialem ſubjecti, qui prius præſtabatur a ſubſtantia panis, & nunc præſtatur a Deo, non quidem in genere cauſæ materialis, ſed in genere cauſæ efficientis. Ita Madernus *q.* 5. *art.* 1. Cacheranus *cap.* 6. §. 2. Ant. a Spiritu S. *diſp.* 8. *ſect.* 1. ubi tamen cum pluribus aliis contendit, quantitatem conſervari per modum quemdam perſeitatis ſimilem modo, quo per ſe exiſtit ſubſtantia, quem modum fuſe impugnat Cacheranus.

36 Reſp. 2. Accidentia panis & vini, poſt conſecrationem remanentia, poſſunt efficere, agere, & pati, corrumpere, & corrumpi eodem modo, quo ante conſecrationem, ut patet experientia. Ratio eſt, quia accidentia in Euchariſtia ſunt eadem numero, & habeant idem omnino eſſe, ac eamdem activitatem, ac antea, illiſque deficit ſola inhærentia, quæ eſt neceſſaria ad hoc ut exiſtant, non ad hoc ut operentur, & inde eo ipſo quod exiſtunt, & conſervantur ſine ſubjecto, poterunt etiam ſine illo efficere quid poterant antea. Et de facto tranſmittunt ſpeciem intentionalem ad oculum, ut videantur, ad alios ſenſus, ut percipiantur, per proprium frigus ſubjectum extrinſecum frigefaciunt, & ab agente extrinſeco alterantur, & calefiunt ſicut antea, quæ omnia vix habent difficultatem, poſito quod accidentia conſecrata remaneant in quantitate, tanquam in ſubjecto immediato eodem modo ac antea, ut ſupra dixi. Et ita cum D. Thoma *qu.* 77. *art.* 3. docent Cacheranus §. 3. Madernus *qu.* 5. *art.* 2. & 3. alii communiter apud Suarez *diſp.* 57. *ſect.* 1.

37 Reſp. 3. ex accidentibus conſecratis poteſt virtute naturalis agentis aliqua ſubſtantia generari, & aliquando de facto generatur; conſtat enim experientia, hoſtias conſecratas diu conſervatas, præſertim ſi ſint in loco humido, corrumpi, & vermes ex iis generari, ut docet D. Thom. *art.* 5. Eadem experientia conſtat, ſpecies conſecratas eadem in nobis præſtare, eodemque modo nutrire, ac panis & vinum, quod ſine generatione fieri non poteſt, de quo D. Thomas *art.* 6. Difficultas eſt in explicando modo, quo poſſit ex ſpeciebus conſecratis ſubſtantia generari, ſiquidem generatio præſupponit materiam, ex cujus potentia educatur forma geniti; hic autem materia non adeſt: quomodo ergo fiet generatio?

38 Relictis variis dicendi modis relatis ab Averſa *q.* 5. *ſect.* 5. breviter dico cum communi Sententia, quod, introductis ab agente naturali in quantitate diſpoſitionibus pro nova forma, producitur a Deo ſub tali quantitate materia prima, ex qua poſſit agens formam ſubſtantialem educere, & ex qua poſſit ſimul cum nova forma ſubſtantiali producta, novum compoſitum ſubſtantiale conſtitui. Utrum autem in tali caſu reproducatur eadem numero materia, quæ erat ſub ſpeciebus, ſeu accidentibus ante conſecrationem, an ponatur diverſa materia, neutrum poteſt certo definiri, quia liberum eſt Deo facere, quod voluerit, forte tamen Deus magis ſe conformabit exigentiæ talium accidentium, ſi eamdem reproducat materiam, quam

quam propterea reproduci veriſimilius eſt. Sicuti autem dum, ſpeciebus corruptis, aliquid ſubſtantiale generatur, de novo creatur a Deo materia talis compoſiti; ita ſi ſpecies conſecratæ aliquod ſubſtantiale corrumpant, & in ſe convertant, puta ſi ſpecies vini corrumpant, & convertant in ſe ſubſtantiam aquæ, productio novæ formæ in ſubſtantia, ſeu materia aquæ, erit immediate a Deo; nam accidentia, ex philoſophia, vel non producunt ſubſtantiam, vel certo producunt in virtute præexiſtentis ſubſtantiæ; hic autem nulla eſt ſubſtantia, in cujus virtute agant. Similiter dum ſpecies vini calefactæ ſe reducunt ad priſtinum frigus, dicendum eſt, illud produci a Deo, ſupplante defectum formæ ſubſtantialis vini, a qua deberet produci. Ita Suarez *diſp. 57. ſect. 1.* Averſa *q. 5. ſect. 5.* Coninch *art. 3. ra commeat.* Madernus *q. 5. art. 2.* Cacheranus *cap. 6. §. 4.* ubi alios pro hac Sententia citat.

D U B I U M VII.

Quanto tempore durent ſpecies Sacramentales in Stomacho antequam corrumpantur.

39 CErtum eſt, ſpecies Sacramentales in ſtomacho ſumentis tamdiu Chriſtum retinere, quamdiu retinerent propriam ſubſtantiam panis, & vini, ſi adeſſet; quando autem ita ſunt alteratæ, ut amplius non retinerent propriam ſubſtantiam, tunc deſinit eſſe Corpus Chriſti. Quanto autem tempore retinerent propriam ſubſtantiam, & per conſequens quanto tempore duret Chriſtus ſub illis in ſtomacho, non poteſt ita certo, & univerſaliter definiri, quia hoc pendet a ſpecierum quantitate, majori, vel minori ſtomachi activitate, & calore. Lugus *diſp. 10. ſect. 3. n. 54.* docet, a ſe conſultis clariſſimis artis medicæ profeſſoribus, habuiſſe, quod calor naturalis regulariter poteſt ſingulis horis duas uncias cibi ſolidi corrumpere, & concoquere, ut refert Marſilius Cagnatus *lib. 1. de ſanit. tuenda cap. 18.* & probat ex uſu Veterum, qui die una quadraginta octo uncias cibi ſolidi ſumere ſolebant, ut ſingulis horis duæ unciæ correſponderent. Hinc, facta comparatione ſpecierum Sacramentalium ad duas uncias, refert particulam communem, quæ Laicis datur, in ſexageſima horæ parte, hoc eſt in uno minuto, corrumpendam, quia vix eſt ſexageſima duarum unciarum pars; hoſtiam vero majorem, quæ accipitur a Sacerdote, ſimul cum ſpeciebus vini, in horæ ſemiquadrante corrumpendam, vel certe extra omne dubium ſpatio quadrantis.

40 Leander *diſp. 10. q. 23.* docet, conſultis a ſe pluribus Complutenſis Accademiæ Medicis, non Philoſophiæ tantum, ſed & Medicinæ Profeſſoribus publicis, quod ut particula, quæ Laicis datur in Communionem alteretur, & corrumpatur, ita ut amplius non retineat Corpus Chriſti, elabi debeat ad minus quarta pars quadrantis horæ, ſeu, quod idem eſt, quatuor minuti: loquendo vero de majori hoſtia, & ſpeciebus vini, quas Sacerdos recipit, neceſſarium eſſe pro corruptione eorum, quod prætereat unius quadrantis ſpatium, plus, minuſve, quia totum hoc temporis ſpatium, ad prædictarum ſpecierum corruptionem a temperato ſtomacho inducendam, requiri videtur. Hoc ſpatium magis extendit Herincx *diſp. 4. q. 4. n. 20.* apud Cacheranum, & putat ad minimum requiri pro ſacræ particulæ corruptione horæ quadrantem, & proportionaliter ſemihoram, aut etiam majus temporis ſpatium, pro corruptione ſpecierum, quas ſumit Sacerdos, ſemihora videtur ſpatium excedens, ſpatium quadrantis videtur congruum regulariter pro ſtomacho bene conſtituto, prout etiam admittit Madernus *art. 9. n. 12.*

41 Hinc habes, ſumpta Euchariſtia, quanto tempore tenearis præcavere a ſputis, nimirum ſaltem per horæ ſemiquadrantem; a vomitu vero majori ſpatio præcavendum, quia imbecillitas, & mala affectio ſtomachi, a qua ſolet vomitus provenire, indicat imbecilliorem calorem naturalem, & per conſequens requiri majus ſpatium ad coquendum cibum, & alterandam particulam; nec incongrue aliqui apud Cacheranum conſulunt per horam a ſumpta Euchariſtia præcavendum eſſe vomitum. Conſulit etiam Bonacina *q. 3. punct. 6. §. 3. n. 4.* abſtinendum poſt ſumptam Euchariſtiam per aliquod ſpatium a ſumptione cibi corporalis, donec ſpecies alterentur, & corrumpantur, quia non decet cibum corporalem cum Euchariſtia conjungere, quamvis uſu receptum ſit apud Religioſos, ut qui ultimam Miſſam celebravit, ſtatim ad menſam prandii cauſa accedat.

C A P U T. V.

De effectibus Sacramenti Euchariſtiæ.

D U B I U M I.

Qualem gratiam producat Euchariſtia?

VArii, ac mirabiles ſunt effectus, quos producit Euchariſtia, de qua, ſicut olim de Manna, dici poteſt, quod omnem habeat ſaporis ſuavitatem: & de illa dicitur in Lectionibus, quæ leguntur in Officio hujus Feſtivitatis: *Nullum autem eſt Sacramentum iſto ſalubrius, quo purgantur peccata, virtutes augentur, & mens omnium ſpiritualium Chariſmatum abundantia impinguatur.* De illis ordinate dicturi, incipimus a gratia ſanctificante, quam poſſe recte diſpoſitis, & digne recipientibus conferre non minus, ac alia Sacramenta, certo conſtat ex Scriptura, Jo. 6. *Qui manducat hunc panem vivet in æternum. Qui manducat me, vivit propter me. Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo;* ſi enim Euchariſtia dat vitam ſpiritualem, & unionem cum Chriſto, utique confert gratiam ſanctificantem. Quod etiam definitum eſt in Concilio Florent. in Decreto Eugenii §. *Tertium eſt*, ubi habetur: *Per hoc Sacramentum in ſumentibus digne gratia augetur.* Et in Trident. *ſeſſ. 13. c. 3.* dicitur: *Commune hoc quidem eſt Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, cum cæteris Sacramentis, Symbolum eſſe rei ſacræ, & inviſibilis gratiæ formam viſibilem.* Et ſatis conſtat ex iis, quæ diximus *tract. 1. de Sacramentis in genere;* cum enim ſit unum ex ſeptem Eccleſiæ Sacramentis, debet, ſicut alia, conferre gratiam, imo præ aliis majorem, cæteris paribus, & abundantiorem, cum in iſto fons ipſe gratiarum, & omnium Chariſmatum, ac donorum cæleſtium contineatur, ut dicit Catechiſmus Romanus, & tenent Catholici omnes, apud quos ſolum eſt difficultas: *an conferat dumtaxat ſecundam gratiam, ſeu augmentum gratiæ, vel etiam poſſit aliquando conferre primam gratiam, & facere de attrito contritum.*

2 Reſp. 1. Euchariſtiam per ſe, & directe inſtitutam eſſe ad augendam gratiam, non vero ad conferendam primam gratiam juſtificationis, quia hoc Sacramentum eſt per ſe inſtitutum pro ſpiritualiter vivis, ut in vita ſpirituali creſcant, non pro ſpiritualiter mortuis: ut ad vitam revocentur; unde etiam dicitur Sacramentum Vivorum, non Mortuorum, quare qui ad illud accedit conſcius alicujus peccati lethalis, facit contra inſtitutionem ejus, indigne ſumit, ac peccat lethaliter, ut colligitur ex Apoſtolo 1. Corinth. 11. *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat; qui enim manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Quæ verba Concilium Trident. *ſeſſ. 13. c. 7.* intellexit de Confeſſione Sacramentali neceſſario præmittenda ad digne communicandum; ait enim: *Eccleſiaſtica conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad Sacram Euchariſtiam accedere debeat.* Quod ſignum eſt, nonniſi cum conſcientia pura, & munda, Fideles debere ad illam accedere. Ratio etiam eſt, quia Euchariſtia eſt Sacramentum inſtitutum per modum viventium Animarum cibi, quo aluntur, & confortantur Viventes vita illius, qui dixit: *Qui manducat me, & ipſe vivet propter me*, ut docet Trident. *cit. ſeſſ. 13. c. 2.* Quapropter Euchariſtia ſupponit in ſuſcipiente vitam gratiæ, illique confert talis gratiæ augmentum. & in hoc conveniunt omnes Patres, & Doctores, ut videre eſt apud Suarez *diſp. 63. ſect. 1.* & hoc de fide tenet Pater Cacheranus *lib. 2. c. 5. §. 2.*

3 Reſp. 2. Sacramentum Euchariſtiæ poteſt aliquando per accidens conferre primam gratiam ſanctificantem, & expellentem peccatum mortale, & ſic facere de attrito contritum, quod tunc contingit, quando quis inculpabiliter immemor alicujus peccati mortalis, facta ſufficienti diſcuſſione conſcientiæ, putat ſe eſſe in gratia, vel, quando urgente neceſſitate, abſque copia Confeſſarii bona fide accedit ad Euchariſtiam cum attritione ſupernaturali, quam putat eſſe contritionem; in hoc enim duplici caſu ſic accedens bona fide, ex attrito fit contritus, & recipit primam gratiam. Colligitur ex D. Thoma *q. 79. art. 3.* de tali homine dicente: *devote, & reverenter accedens conſequatur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficit, & remiſſionem peccati*, non quaſi quod talis homo recipiat auxilium charitatis, quo actum contritionis eliciat, ſed habitum gratiæ, & charitatis, quo dicitur homo fieri ex attrito contritus quantum ad effectum, & ita juſtificari a peccato. Ratio eſt, quia Euchariſtia, ſicut alia omnia Sacramenta, gratiam conferre debet cunctis non ponentibus obicem; ſed peccator, qui bona fide accedit cum ſupernaturali attritione, putans ſe eſſe contritum, nullum ponit obicem gratiæ conferendæ; ergo Euchariſtia in eo producit gratiam, non ſecundam, cum nullam aliam præſupponat, ergo primam. Deinde Sacramenta per ſe primo inſtituta ad conferendam gratiam primam, poſſunt interdum conferre ſecundam; ergo etiam licet Euchariſtia ſit per ſe primo inſtituta ad producendam gratiam ſecundam, ſeu augmentum gratiæ, poterit aliquando producere primam, maxime quia continet Chriſtum auctorem gratiæ, fontem vitæ, & ſingulari modo meritum paſſionis Chriſti, quam repræſentat, quæ eſt totius peccati remedium, ac proinde convenienter illi tribuitur virtus conferendi gratiam juſtificationis peccatori bona fide accedenti, & de ſuis peccatis attrito. Et ita tenent cum D. Thoma, Palud, Ricard, Scotus, Sylveſter, Bellarminus, Ledeſma, Palacius, & alii, quos affert, & ſequitur Suarez *diſp. 12. ſect. 1.* Bonacina *quæſt. 4. punct. 1.* Diana *part. 3. tract. 6. reſol.*

reſol. 98. Ant. a Spiritu S. *diſp.* 9. *ſect.* 1. Averſa *q.* 7. *ſect.* 1. & alii ſatis communiter.

4 Dices; Nullus effectus tribui debet Sacramento, niſi conſtet ex Scriptura, definitione Eccleſiæ, ex traditione Patrum, aut ex natura, ſeu inſtirutione Sacramenti; ſed ex nullo capite conſtat, Euchariſtiam poſſe producere primam gratiam: quin potius habetur oppoſitum, nam cum ſit inſtituta per modum cibi & potus, nullatenus prodeſſe poteſt mortuis peccato, ut notavit Catechiſmus Romanus *part.* 2. *de effect. Euchariſtiæ num.* 49. *Quemadmodum mortuis Corporibus naturale alimentum nihil prodeſt, ita etiam Animæ, quæ Spiritu non vivit, Sacra Myſteria non prodeſſe*; ergo non poteſt Euchariſtia conferre primam gratiam, cum ad illam conferendam non ſit inſtituta. Sed contra; ſufficienter conſtat Euchariſtiam poſſe aliquando producere primam gratiam ex eo, quod Sacramenta omnia gratiam conferant non ponentibus obicem; qui autem ſupernaturaliter attritus bona fide accedit ad Euchariſtiam, non ponit obicem gratiæ, & ſic debet illam recipere. Paritas de cibo corporali, qui non prodeſt mortuo, in eo conſiſtit, quod Euchariſtia non ſit primario inſtituta ad dandam primam gratiam, nec proſit accedenti ad illam cum conſcientia peccati, cum quo ſtat ſecundario, & quaſi per accidens conferre primam gratiam bona fide accedenti, maxime quia mortuus per peccatum poteſt aliquos actus ſupernaturales elicere, & cum ſupernaturali diſpoſitione accedere ad Euchariſtiam, per quam proinde poſſit vivificari, & per gratiam juſtificantem mundari a peccato, ut fuſius diximus *tract.* 1. *cap.* 3. *dub.* 4.

D U B I U M II.

Quantam gratiam cauſet Euchariſtia.

5 CErtum eſt, Sacramentum Euchariſtiæ non ſemper cauſare in omnibus æqualem gratiam, ſed majorem, aut minorem, juxta majorem, aut minorem diſpoſitionem ſuſcipientis, ut colligitur ex dictis ſupra *tract.* 1. *c.* 3. *dub.* 5. ubi diximus, Chriſtum in inſtitutione Sacramentorum non determinaſſe quantitatem gratiæ, quam ſingula Sacramenta producerent, ſed ut homines excitaret ad meliores diſpoſitiones in Sacramentorum ſuſceptione adhibendas, dignioremque ad ipſam acceſſum, quantitatem Sacramentalis gratiæ penes quantitatem diſpoſitionis, menſurandam reliquiſſe. Congruum etiam fuit, ut, ſicut cauſæ naturales in Subjecto melius diſpoſito, melius operantur, & abundantiorem producunt effectum; ita etiam cauſæ Sacramentales in Subjecto melius diſpoſito, majorem gratiam producerent, in quo conveniunt Doctores communiter.

6 Difficultas eſt; *An utraque ſpecies panis, & vini conferat majorem gratiam, quam ſingulæ ſeorſim, adeout ceteris paribus, detur major gratia communicanti ſub utraque ſpecie, quam communicanti ſub una tantum, in quo maxime diſcrepant Doctores, & quidem, relictis Hæreticis, qui contendunt debere Euchariſtiam in utraque ſpecie ſuſcipi, ad hoc ut ſuum habeat valorem, inter Catholicos, qui etiam inter ſe diſſentiunt.*

7 Prima Sententia affirmat, concedi majorem gratiam communicanti ſub utraque ſpecie, quam communicanti ſub una tantum. Ratio eſt, quia Sacramenta Novæ Legis cauſant id, quod ſignificant; ſed ſpecies panis, & vini ſignificant gratiam peculiari modo, & peculiarem refectionem, nam utraque ſpecies ſimul ſignificat plenitudinem Convivii ſpiritualis, & perfectam Animæ ſatietatem, quam ſingulæ ſpecies ſeorſim non ſignificant, ac proinde ex parte rei ſignificatæ aliquid correſpondet diverſum utrique ſpeciei ſimul, quod non correſpondet ſingulis ſeorſim.

8 Conf. ex iis, quæ canit Eccleſia in Feſto Corporis Chriſti in Hymno:

Dedit fragilibus Corporis ferculum,
Dedit & triſtibus Sanguinis poculum.

Et Pſalm. 103. *Panis cor hominis confirmat, & vinum lætificat*; ſed lætificare cor, & confirmare cor, ſunt aliquid diverſum; ergo utrique ſpeciei ſimul correſpondet aliquid magis, & aliquid diverſum, quod non correſpondet ſingulis. Favet Clement. VI. qui in Bulla ad Regem Galliæ data, anno 1541. in qua illi conceſſit Communionem ſub utraque ſpecie, dicit, hoc illi concedere *ad majus gratiæ augmentum*. Favet etiam Trid. *ſeſſ.* 21. *cap.* 3. ubi caute dicit: *Quoad fructum attinet, nulla gratia ad ſalutem neceſſaria eos defraudari, qui unam ſolum ſpeciem accipiunt*. Non enim dixit abſolute, nulla gratia defraudari, ſed nulla gratia ad ſalutem neceſſaria, ubi tacite inſinuatur alia gratia, quamvis non neceſſaria ad ſalutem. Et ita tenent Alenſis, Gaſpar, Caſſalius, Arboreus, Ricardus, quos affert, & ſequitur Vaſquez *diſp.* 215. *c.* 2. Hurtado *diſp.* 10. *diff.* 6. Cornejo *diſp.* 80. *art.* 12. *dub.* 2. Lugus *diſp.* 12. *ſect.* 3. *n.* 68. Palaus *punct.* 9. §. 1. Ant. a Spiritu S. *diſp.* 9. *ſect.* 4. Leander *diſp.* 10. *qu.* 25. & probabilem affirmant Suarez, Becanus, Facundez, & Diana *part.* 5. *tract.* 13 *reſ.* 29.

9 Secunda Sententia negat, idque probat ex Trid. *dicta ſeſſ.* 21. *cap.* 3. dicente: *Fatendum eſſe, etiam ſub altera tantum ſpecie totum, & integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi, ac propterea, quod fructum attinet, nulla gratia neceſſaria ad ſalutem eos defraudari, qui unam ſpeciem ſolum accipiunt*. Nec valet effugium ſuprapoſitum; nam Hæretici, contra quos agit Tridentinum, non negabant communicantem ſub una tantum ſpecie recipere gratiam, ſed negabant recipere tantam, quantam recipit qui communicat ſub utraque ſpecie; ac proinde dum Concilium definit, Fideles nulla defraudari gratia, intentum ipſius eſt, tantam dari gratiam communicanti ſub una, quam communicanti ſub utraque ſpecie; idque ſuadet ratio addicta a Concilio, quia ſub una tantum ſpecie totus Chriſtus, ſecundum totam ſuam ſubſtantiam, continetur, ratione cujus præſentiæ hoc Sacramentum habet vim conferendi gratiam, idque repetens *can.* 3. addit: *Totum, & integrum Chriſtum, omnium gratiarum fontem, & auctorem, ſub una panis ſpecie ſumi*. Favet D. Thomas *opuſc.* 48. *c.* 29. ubi ait: *Sicut ſumit Sacerdos Sanginem Chriſti ſacramentaliter de Calice, ſic Populus ſumit eum intellectualiter ſub ſpecie panis de ipſo Corpore Chriſti, & eſt ei tam utilis, tam dulcis, ut Sacerdotibus, qui ſumunt eum ſub ſpecie vini de Calice.*

10 Probat. ratione, quia ex dictis ſupra *cap.* 1. *dub.* 2. licet quælìet ſpecies ſumpta formaliſſime ſecundum ea, quæ præciſe continet ex vi verborum, non ſit integrum ſpirituale Convivium, ſed una ſpecies cauſet gratiam nutrientem per modum cibi, & altera cauſet gatiam per modum potus humectantis, & ſpiritualiter refrigerantis; vere tamen quælibet ſpecies adæquate ſumpta continet totum Chriſtum, quælibet habet rationem cibi, & potus, eſtque integrum Sacramentum, & Convivium ſpirituale, ac proinde quælibet ſpecies cauſat tantam, eamdemque gratiam, quam ambæ ſimul, quod inſinuavit Concilium, dum dixit: *Laicos communicantes ſub una tantum ſpecie, nulla gratia defraudari, quia quælibet ſpecies continet totum Chriſtum*. Adde, quod fames, & ſitis in ſpiritualibus, ſicut non diſtinguuntur, niſi penes modum ſignificandi, non ex parte rei ſignificatæ, juxta illud Matth. 5. *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam*; ita gratia, quæ datur per modum cibi nutrientis, non diſtinguitur a gratia, quæ datur per modum potus, niſi ex parte modi ſignificandi, non ex parte rei ſignificatæ.

11 Nec obſtant fundamenta prioris Sententiæ; facile enim reſpondetur ad primum. Species panis, & vini ſignificare gratiam peculiari modo ex parte modi ſignificandi per allegoriam ad cibum, & potum corporalem, non vero ex parte rei ſignificatæ; nam fames, & ſitis in ſpiritualibus non diſtinguuntur, ut ſupra dixi. Ad ſecundum pariter dico, lætificare, & confirmare cor non diſtingui, niſi ex parte modi ſignificandi. Quod additur ex Clement. VI. dico conceſſiſſe Regi Galliæ Communionem ſub utraque ſpecie ad majus gratiæ augmentum ſumendum, non ex opere operato, ſed ex opere operantis. Hæc Sententia eſt probabilior, eamque ſequuntur cum D. Thoma Cajetanus, Nugnus, Sylvius, Sotus, Gonettus, quos affert, & ſequitur Cacheranus *lib.* 2. *cap.* 5. §. 5. Madernus *q.* 7. *art.* 4. ubi dicit eſſe omnium Thomiſtarum. Ex Scotiſtis citat Gavatium, Herincx, & Lauræam, Sequitur Suarez *diſp.* 63. *ſect.* 6. Coninch *q.* 80. *art.* 1. *dub.* 2. Amicus *diſp.* 25. *ſect.* 3. Arriaga *diſp.* 42. *ſect.* 4. Filliuc. *tract.* 4. *n.* 172. Villalob. *tract.* 7. *diff.* 31. *n.* 2. Diana *part.* 3. *tract.* 6. *reſ.* 97. & aliis pluribus citatis, Averſa *q.* 7. *ſect.* 3.

Hanc a Parochis, animarumque Rectoribus, evitandam „
docet quæſtionem SS. Dominus Noſter Benedictus XIV. in ſua „
Synodo Diœceſana lib. 7. *cap.* 11. *quam ipſi Tridentini Pa-* „
tres reliquerunt intactam. Differentes enim de fructu, quem „
Fideles e Sanctiſſima Euchariſtia percipiunt, caute dixere „
ſeſſ. 21. *c.* 3. nulla gratia neceſſaria ad ſalutem eos de- „
fraudari, qui unam ſpeciem ſolum accipiunt; *quaſi de-* „
finire nolentes, an ſumentes Sacroſanctam Euchariſtiam ſub „
una tantum ſpecie participes fierent tota ubertate gratiæ, qua „
donantur illam ſub utraque ſpecie deguſtantes. Satius autem „
fore oſtendit, ſi Parochi, inutili hac prætermiſſa quæſtione, „
crebro in Fidelium revocent memoriam præceptum Apoſtoli „
1. ad Corinth. 2. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de „
pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bi- „
bit, non dijudicans Corpus Domini. „

D U B I U M III.

Quando, & quamdiu Euchariſtia gratiam cauſet.

12 CErtum eſt, Euchariſtiam, ſicut alia Sacramenta, nullum effectum producere ex opere operato ante realem ſui ſuſceptionem, nec poſtquam ſpecies ſuſceptæ ſunt jam conſumptæ. Dubium ergo eſt de tempore, quo ſuſcipitur Euchariſtia in ore, & de tempore, quo perſeverat in ſtomacho: *an toto illo tempore gratiam producat*.

13 Reſp. 1. Euchariſtia tunc primo gratiam producit, quando primo pars aliqua ſpecierum deglutita pertingit ſtomachum. Ratio eſt, quia Euchariſtia tunc primo gratiam producit, quando dici poteſt, quod ſit manducata; nam gratia promiſſa eſt manducanti Euchariſtiam, juxta illud; *Qui manducant hunc panem vivet in æternum. Qui manducat me, vivet propter me. Qui manducat meam Carnem, & bibit*

meum

meum Sanguinem, &c. Ex quo fit, non niſi per manducationem, regulariter loquendo, poſſe Euchariſtiam applicari ad producendam gratiam; ſed non poteſt dici manducata, niſi quando deglutita pertingit ſtomachum, quia manducatio complectitur ſuſceptionem intra os, & trajectionem in ſtomachum; ergo tunc gratiam producit, quando deglutita primo pertingit ſtomachum. Probatur minor ex eo præciſe, quod aliquis cibum in ore ſumat, vel etiam dentibus atterat, & niſi in ſtomachum trajiciat, non dicitur manducare, nec propterea jejunium frangit, ſicut ex eo, quod potum ore deguſtet, non dicitur bibere; unde habetur Matth. 26. *cum guſtaſſet, noluit bibere*; ergo manducare, & bibere non eſt præciſe cibum, & potum ore ſumere, ſed inſuper eſt ipſum in ſtomachum trajicere. Quod deinde ſufficiat partem aliquam ſpecierum ſtomachum pertingere, ex eo patet, quod ut producatur gratia, ſatis eſt, quod pars aliqua ſpecierum dici poſſit manducata, nam eo ipſo dicitur manducari Corpus, & Sanguis Chriſti, qui in qualibet parte ſpecierum totus exiſtit. Ita Suarez *diſp.* 63. *ſect.* 4. Henriquez *cap.* 43. Palaus *punct.* 9. n. 5. Bonacina *qu.* 4. *punct.* 2. Franc. a Jeſu M. *tract.* 4. *cap.* 6. *n.* 4. Cacheranus §. 3. Madernus *qu.* 7. *art.* 2.

14 Hinc fit, quod ſi quis poſt ore ſuſceptam Euchariſtiam moriatur, antequam aliqua pars attingat ſtomachum, vel ſi diu hoſtiam retinet in ore, ita ut ſpecies corrumpantur antequam deglutiantur, non recipit gratiam hujus Sacramenti ex opere operato, quia non dicitur Chriſtum manducare. Secundo fit, quod ſi quis plures partes hoſtiæ, vel plures particulas ſucceſſive ſumeret, ut ſæpe accidit in Miſſa, gratia Euchariſtiæ cauſatur, quando prima particula, vel prima pars hoſtiæ, pertingit ſtomachum; reliquæ vero partes, quæ ſucceſſive ſumuntur, non amplius cauſant gratiam, niſi diſpoſitio ſuſcipientis augeatur. Ita Doctores citati, Suarez *diſp.* 63. *ſect.* 5 Coninch *qu.* 79. *art.* 1. *n.* 30. Bonacina *n.* 2. Leander *diſp.* 11. *q.* 13. & 22.

15 Reſp. 2. Euchariſtia ex opere operato non producit majorem gratiam quamdiu permanet in ſtomacho, ſi nova, & melior diſpoſitio non ſuccedat, bene tamen ſi ſuccedat nova, & melior diſpoſitio. Ratio eſt, quia cauſa neceſſaria, cum primo eſt applicata ſubjecto diſpoſito, producit ſimul totum ſuum effectum, eumque non amplius auget, niſi aut virtus activa augeatur, aut ſubjectum melius diſponatur, & approximetur; ſed Sacramentum Euchariſtiæ ex divina diſpoſitione eſt cauſa neceſſario agens, eſtque perfecte applicata ſecundum totam ſuam virtutem, quando primo ſtomachum attingit; ergo tunc totum ſuum producit effectum, nec eumdem poſtea auget, niſi augeatur, & melioretur diſpoſitio ſubjecti: virtus enim activa non augetur, ſive una, ſive plures recipiantur ſpecies, quia in ſingulis illarum eſt totus Chriſtus, qui gratiam cauſat.

16 Quod ſi, durantibus in ſtomacho ſpeciebus, ponatur melior diſpoſitio, ferventiores eliciantur actus charitatis, Euchariſtia augebit effectum gratiæ, ſicut illum augeri ſolet cauſa naturalis, poſita meliori diſpoſitione ſubjecti; poteſt autem diſpoſitio eſſe melior intenſive, ſi ponantur intenſiores actus amoris, vel etiam extenſive, ſi actus amoris continuetur, nam etiam actus diutius continuatus melior eſt, quam non continuatus. Nec propterea eſt ſuperſtitioſe curandum, plures hoſtias in communione ſuſcipere, ut ſic diutius, remanentibus in ſtomacho ſpeciebus, major gratia producatur; enim vero ſive parum, ſive diu ſpecies in ſtomacho permaneant, facile quiſque poteſt æqualem, vel etiam majorem conſequi gratiam, compenſando per diſpoſitiones antecedentes, vel concomitantes majorem durationem ſpecierum. Et ita tenent Suarez *diſp.* 63. *ſect.* 7. Lugus *diſp.* 12. *ſect.* 2. Cachet. §. 3. n. 64. ubi citat Cajetanum, Nugnum, Gonettum, Amicum, Coninch, & alios ſequitur etiam Leander *diſp.* 11. *q.* 15. & Ant. a Spiritu S. *diſp.* 9. *ſect.* 3. Reginald. *lib.* 29. *n.* 140.

17 Dices: Si Euchariſtia cauſat gratiam quamdiu perſeverat in ſtomacho, poſſet quis, ſuſcepta Euchariſtia in ſtatu peccati, dum adhuc ſpecies in ſtomacho permanent, confiteri, vel conteri, & ſic, ablato obice, gratiam Sacramentalem recipere, quod videtur abſurdum. Sed contra Antonius a Spiritu S. concedit totum argumentum, nec putat abſurdum peccatorem recipere gratiam Sacramentalem, ſi conteratur, vel confiteatur, antequam ſpecies in ſtomacho corrumpantur; & Suarez *loco cit.* quem ſequitur Leander *qu.* 17. & 18. hoc reputat Chriſti benignitate maxime dignum, & humanæ fragilitati maxime accommodatum, quod a fortiori procedit in illo, qui ſumpta prima parte hoſtiæ in peccato, conteritur, aut confitetur, antequam recipiat ſecundam partem, quæ ſumpta cauſabit ſuum effectum gratiæ. Dici etiam poteſt, Euchariſtiam non cauſare gratiam quandiu perſeverat in ſtomacho, niſi fuerit digne ſumpta, & manducata, & ſubſequens ablatio obicis, ſicut non facit Euchariſtiam fuiſſe digne ſuſceptam, ita non juvat ad effectum gratiæ, quæ ſemel ſua ſignificatione in prima ſumptione fraudata, nullum alium effectum poſtea producit. Quare ſpecies in ſtomacho perſeverantes non cauſant gratiam, niſi ſub hac duplici conditione, nimirum ſi in prima ſumptione cauſaverit, & ſi poſt ſumptionem melior diſpoſitio ſucceſſerit.

18 *Si ſpecies Euchariſtiæ miraculoſe ponerentur in ſto-*

macho ſine manducatione, an tunc cauſarent gratiam? Affirmat Leander *qu.* 16. quia manducatio eſt ſolum conditio requiſita, ut cibus alioquin potens applicetur; ſi enim cibus naturalis miraculoſe poneretur intra ſtomachum, eodem modo nutriret hominem, ac ſi manducaretur: ita cibus divinus, ſi miraculoſe poneretur in ſtomacho, eodem modo cauſaret gratiam, & citat Lugum *diſp.* 1. *ſect.* 7. *n.* 115. & *diſp.* 12. *n* 58. Alii negant, quia ex vi præſentis inſtitutionis Euchariſtia ſolum manducata, & ab ore in ſtomacum trajecta, confert ſuum effectum, & gratiam ex opere operato, non quod manducatio ſit ratio formalis cauſandi gratiam, ſed conditio, ſine qua Euchariſtia non cauſat. Ita Suarez *diſp.* 63 *ſect.* 7. §. *in hac re*, Gonettus *diſp* 2. *art.* 1. *nu.* 25. Madernus *qu.* 1. *art.* 4. *n.* 16. nam gratia ſolum eſt promiſſa realiter manducanti, non alio modo tangenti Euchariſtiam. Utrumque probabiliter dici poteſt, quia nihil certi poteſt affirmari.

D U B I U M IV.

De aliis effectibus Euchariſtiæ.

19 Ultra gratiam ſanctificantem, & auxilia actualia gratiæ, neceſſaria ad exercendos actus vitæ ſpiritualis, nimirum ad exercendos pios actus amoris, & charitatis erga Deum, & unionis cum Chriſto, alios plures producit effectus, quorum primus eſt *remiſſio peccatorum venialium*, ut habetur ex Trident. *ſeſſ.* 13. *cap.* 2. *Sumi voluit Sacramentum hoc tanquam ſpiritualem animarum cibum, & tanquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis*, hoc eſt venialibus. *& a peccatis mortalibus præſervemur*; idque indubitatum ſupponit Catechiſmus Pii V. *tit. de Euchar. num.* 51. ubi ait: *Remitti vero Euchariſtia, & condonari leviora peccata, quæ venialia dici ſolent, non eſt quod dubitari debeat.* Idque explicat exemplo cibi corporalis, dicens: ſicut in naturali nutritione, quod innati caloris vi quotidie detrahitur, ac deperit, paulatim addi, ac refici naturali alimento ſentimus; ita hoc Sacramentum ſpiritualiter reſtaurat, quod per venialia, & quotidiana peccata amiſimus. Et quidem hæc peccata remittit Euchariſtia, non ſolum ex opere operantis, excitando fervorem charitatis, & actus contritionis, quibus delentur, ſed etiam ex opere operato, & ex ipſa ratione gratiæ cibantis, & nutrientis, quæ reſtaurat id, quod per peccata venialia quotidie deperditur. Nec alia diſpoſitio ad hoc eſt neceſſaria ex parte ſumentis, niſi quod non habeat complacentiam peccati venialis; voluntas enim ſupernaturalis recipiendi hoc Sacramentum, & illius effectum, eſt virtualis retractatio peccati venialis, quæ eſt ſufficiens diſpoſitio ad illa delenda, ut docent Suarez *diſp.* 63. *ſect.* 10. Palaus *ſupra* §. 1. *num.* 2. Madernus *q.* 7. *art.* 1. Leander *diſp.* 11. *q.* 8. & alii communiter.

20 Secundus eſt *præſervatio a lethalibus*, ut habetur ex Tridentino ſupra: hoc autem præſtat Euchariſtia pluribus modis; quatenus confert uberiora auxilia ad tentationes ſuperandas, & pravos motus cohibendos; quatenus Dæmones, tam per Chriſti præſentiam, tum per memoriam paſſionis, quam continet, fugat, ne inordinatas excitent concupiſcentias, juxta illud Pſalm. 22. *Paraſti in conſpectu meo menſam adverſus eos, qui tribulant me*; quatenus fomitem imminuit, mentem illuminat, ad bonos actus præmovet, ac alia auxilia opportuno tempore confert, per quæ charitas conſervatur, roboratur, & perficitur. Alia denique præſtat in Anima, quæ panis, & vinum corpori conferre ſolet, ut habetur in Decreto Eugenii illis verbis: *Omnem effectum, quem cibus, & potus materialis quoad vitam operatur corporalem, ſuſtentando, augendo, reparando, & delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operari ſpiritualem.*

21 Tertius eſt *adeptio gloriæ*, quæ, licet ſit effectus communis omnium Sacramentorum, quatenus quodlibet Sacramentum, conferendo gratiam, confert jus ad gloriam, eſt tamen ſpecialior effectus Euchariſtiæ, quam propterea appellat Eccleſia: *pignus futuræ gloriæ*; juxta promiſſionem factam a Chriſto Joan. 6. *Qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Eſt, inquam, ſpecialior effectus Euchariſtiæ, quia, ſicuti proprium eſt cibi nutrientis ad ſtatum perfectum hominem deducere: ita Euchariſtia, tanquam cibus ſpiritualiter nutriens, ſpecialiter ſibi vindicat conducere hominem ad ſtatum perfectum vitæ ſpiritualis, hoc eſt, ad gratiam conſummatam, & gloriam. Ita Anton. a Spiritu S. *ſect.* 6.

22 Quartus eſt *dulcedo* quædam, & *delectatio ſpiritualis*, conſequens ex præſentia objecti amati, & ex fervore charitatis, quem circa ipſum excitat Euchariſtia, juxta illud: *Pinguis eſt panis Chriſti, & præbebit delicias Regibus.* Et Pſalm. 67. *Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.* Hæc dulcedo, & delectatio poteſt multipliciter impediri, puta ex eo, quod homo non cooperetur auxiliis, quibus ad fervorem charitatis excitatur, & ex eo, quod terrenarum rerum affectu occupatus ſpiritualem dulcedinem minus curet.

23 Quintus eſt *ſpecialis unio, & conjunctio cum Chriſto per vinculum ſpecialis amoris*, dicente ipſo: *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, &*

Ego in eo. Unde etiam dicitur transformari in Chriſtum, juxta illud S. Auguſtini 7. *Confeſſ. cap.* 10. ubi introducit Chriſtum loquentem, & ſic dicentem: *Manducabis me, nec tu mutabis me in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me*. De hac mirabili unione ſæpe, cum maximo pietatis ſenſu, loquuntur Sancti Patres.

24 Sextus eſt *corporis reſurrectio, & glorificatio*, quæ ſpeciali modo tribuitur Euchariſtiæ, juxta illud Joan. 6. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die*. Aliqua difficultas eſt, quomodo reſurrectio glorioſa, quæ convenit etiam iis, qui nunquam Euchariſtiam ſumpſerunt, vere exiſtimetur effectus Euchariſtiæ; tamen dici poteſt ſpecialis effectus ipſius, quia ſicut ex Euchariſtia habet corpus ſpecialem unionem cum Corpore Chriſti: ita etiam habet ſpeciale jus ad glorioſam reſurrectionem omnino debitam Corpori Chriſti: quod valet de iis, qui Euchariſtiam ſumpſerunt in hoc mundo, quibus etiam hoc titulo debita eſt reſurrectio glorioſa; nam illi Beati, qui Euchariſtiam nunquam ſumpſerunt, ſunt adepturi reſurrectionem ad vitam immortalem titulo ſuæ beatitudinis.

25 Aliqui aſſignant pro effectu Euchariſtiæ *remiſſionem pœnæ temporalis*, ſed male, cum talis effectus ex Scriptura, aut Patribus non colligatur, neque ſit juxta exigentiam ipſius Euchariſtiæ, quæ, ut habet D. Thomas *qu.* 79. *art.* 5. ad ſpecialiter nutriendum, non ad ſatisfaciendum eſt inſtituta, nec remiſſio pœnæ ad vitam ſpiritualem nutriendam aliquid prodeſt. Ad ſummum mediate, & remote conducit Euchariſtia ad remiſſionem pœnæ temporalis, quatenus excitat ad bonos actus ſatisfactorios ipſius; item quatenus directe remittit venialia quoad culpam, & cum remiſſione culpæ ſolet ſemper remitti aliqua pars pœnæ.

CAPUT VI.

De Miniſtro Euchariſtiæ.

DUBIUM I.

Quiſnam ſit Miniſter Euchariſtiæ?

Duplex poteſt aſſignari Miniſter Euchariſtiæ, alter conficiens, ſeu conſecrans Euchariſtiam, alter illam diſtribuens. Quoad primum, certum eſt, ac de fide, ſanctum ſolum Sacerdotem, rite ordinatum, eſſe Miniſtrum conſecrationis. Ita enim definitur in Concilio Nicæno I. *cap.* 14. in Lateranen. ſub Innocentio, in Florentino, & in Tridentino *ſeſſ.* 22. *c.* 1. & *ſeſſ.* 23. *c.* 4. quia ſolis Sacerdotibus data fuit hæc poteſtas illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*. Quapropter nullus, qui non ſit Sacerdos, in nullo unquam caſu poteſt Euchariſtiam conſecrare: e contra vero quilibet Sacerdos, quamvis ſuſpenſus, excommunicatus, degradatus, hæreticus, ſchiſmaticus, poteſt valide conſecrare, quia retinet Characterem Sacerdotalem, in quo radicatur poteſtas conſecrandi. Et inde Concil. Trident. *ſeſſ.* 23. *c.* 4. *damnat eorum Sententiam, qui aſſerunt Novi Teſtamenti Sacerdotes temporariam tantummodo poteſtatem habere, & ſemel rite ordinatos, iterum Laicos effici poſſe*. Non tamen omnis Sacerdos poteſt licite conſecrare, ut per ſe patet. Loquendo autem de Miniſtro diſpenſationis

2 Reſp. 1. ſolus Sacerdos ex Chriſti inſtitutione eſt Miniſter ordinarius diſpenſationis Euchariſtiæ, ſeu habet poteſtatem ordinariam miniſtrandi Populo Chriſtiano Euchariſtiam. Sumitur ex Apoſt. 1. Corinth. 4. *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei*, ubi loquitur Apoſtolus de Sacerdotibus; & ex Trid. *ſeſſ.* 13. *c.* 8. *Semper in Eccleſia Dei mos fuit, ut Laici a Sacerdotibus Communionem acciperent: Sacerdotes autem celebrantes ſe ipſos communicarent; qui mos tanquam ex Apoſtolica traditione deſcendens, jure, ac merito retineri debet*; idque certum ſupponitur ab Eccleſia, quæ in Hymno hujus Feſtivitatis habet: *Cujus officium committi voluit ſolis Presbyteris, quibus ſic congruit, ut ſumant, & dent ceteris*. Ratio eſt, quia ſolus Sacerdos, ratione ſuæ Ordinationis, adeoque ex officio, poteſtatem habet ſuper Corpus Chriſti conficiendum; ſed poteſtas miniſtrandi annexa eſt poteſtati conſecrandi, cum ſolis Sacerdotibus dictum fuerit a Chriſto: *Hoc facite in meam commemorationem*; ideſt conſecrate, ſumite, & aliis diſtribuite. Sumitur etiam ex cap. *Pervenit, de Conſecrat. diſt.* 2. & docent cum D. Thoma *q.* 82. *art.* 3. communiter Doctores, Sylveſter, Henriquez, Coninch, Vaſquez, Suarez *diſp.* 72. *ſect.* 1. Bonac. *q.* 5. *punct.* 1. & alii apud ipſos.

3 Reſp. 2. Sacerdos, ut licite adminiſtret Euchariſtiam, ultra poteſtatem Ordinis, debet habere poteſtatem juriſdictionis, ſeu licentiam proprii Paſtoris. Ratio eſt, quia talis adminiſtratio eſt actus juriſdictionis, cum ſit actus Paſtoris paſcentis Oves Chriſti; inde qui ſine licentia, ſaltem præſumpta, alienis Ovibus Euchariſtiam adminiſtrat, peccat lethaliter, quia ſibi uſurpat alienum officium in re gravi, ut cum communi docet Bonacina *n.* 6. *circa finem*; nullam tamen incurrit cenſuram, cum nullibi reperiatur expreſſa. Excipe Religioſos, qui, ſi Euchariſtiam adminiſtrant ſine licentia Parochorum, incidunt in excommunicationem latam in Clement. *Ne Religioſi, de Privilegiis*, quod verum eſt de jure communi, nam hodie habent privilegia miniſtrandi Euchariſtiam omnibus Fidelibus ſine ulla licentia Parochi, ut poſtea dicam.

4 Hæc licentia miniſtrandi Euchariſtiam ſufficit præſumpta, quæ intelligitur, quando ex aliqua cauſa rationabiliter judicas proprio Sacerdoti non fore ingratum, quod ejus ovibus Euchariſtiam miniſtres, ut docent Navar. *cap.* 21. *n.* 52. Suarez *diſp.* 72. *ſect.* 2. Bonacina *diſp.* 4. *quæſt.* 5. *punct.* 1. *nu.* 6. Madernus *art.* 9. *n.* 8. ubi advertit jam uſu invaluiſſe, ut communicari volenti quilibet Celebrans Communionem præbeat, quia Parochi ſolum ſibi videntur reſervare Communionem Paſchalem, & Infirmorum, & in hoc differt Sacramentum Euchariſtiæ a Sacramento Pœnitentiæ, ad cujus validam adminiſtrationem non ſufficit præſumpta voluntas Superioris, & ratihabitio, ſicut ſufficit ad licitam adminiſtrationem Euchariſtiæ: & ratio diſparitatis eſt, quod juriſdictio non pertinet ad ſubſtantiam, & eſſentiam Sacramenti Euchariſtiæ, ſicut pertinet ad ſubſtantiam Sacramenti Pœnitentiæ; proinde ad validam iſtius adminiſtrationem neceſſaria eſt poſitiva voluntas Superioris juriſdictionem concedentis, nec ſufficit præſumpta, ut cum Suarez, Coninch, & Reginaldo docet Bonacina *quæſt.* 5. *num.* 7. Cacheranus *cap.* 2. §. 1. *n.* 5.

5 Urgente vero neceſſitate communicandi Infirmum in articulo mortis, ſi Parochus abſit, vel injuſte renuat Communionem præbere, poteſt quilibet Sacerdos, etiam ſimplex, Euchariſtiam miniſtrare, quia in tali caſu, & neceſſitate, rationabiliter præſumitur licentia aut proprii Parochi, qui eam concedere tenetur, vel ipſo injuſte renuente, licentia Eccleſiæ, quæ omni meliori modo, & quacumque ratione poſſibili, vult ſuis Ovibus in tali periculo ſubvenire. Ita Suarez *diſp.* 72. *ſect.* 2. Coninch *q.* 72. *art.* 3. Madernus *art.* 9. *n.* 10.

DUBIUM II.

An, & quando Sacerdos poſſit ſe ipſum communicare extra Miſſam?

6 Conveniunt omnes Doctores, poſſe Sacerdotem graviter ægrotantem ſuis manibus ſe ipſum communicare, ſi nullus alius adſit Sacerdos, & ipſe commode poſſit e Sacrario hoſtiam conſecratam ſibi ſumere. Suarez *cit. diſp.* 72. *ſect.* 3. Coninch *qu.* 82. *art.* 3. *num.* 25. Filliuc. *tract.* 4. *cap.* 9. *num.* 285. Difficultas eſt: *an hoc idem poſſit facere Sacerdos ſanus ex ſola devotione, ne, occurrente aliqua magna feſtivitate, privetur Sacra Communione, ſi non poſſit Miſſam celebrare, & habeat hoſtiam conſecratam paratam?*

7 Reſp. in eo caſu poſſe Sacerdotem ſanum ſe ipſum communicare, ſecluſo ſcandalo, & abſente quocumque alio Sacerdote. Ratio eſt, quia in hoc Sacramento non requiritur neceſſario, quod miniſtrans ſit perſona diſtincta a ſuſcipiente, ut evenit in aliis Sacramentis, diſparitatemque aſſignat D. Thomas *qu.* 82. *art.* 4. *ad* 2. quod alia Sacramenta conſiſtunt in fieri, hoc autem poſt tactum permanet, & ſola indiget applicatione, quæ fieri poteſt etiam propriis manibus ipſius Sacerdotis: & olim erat in uſu panem conſecratum porrigi in proprias manus ſingulorum Communicantium, ut ipſi per ſe ſumerent, prout etiam fecit Chriſtus cum Apoſtolis, & licet hic uſus a multis ſæculis ex præcepto, ſeu conſuetudine Eccleſiæ jam ceſſaverit, non tamen prohibitum eſt lege aliqua ſcripta Sacerdoti in dato caſu ſe ipſum communicare; nec conſuetudo cenſenda eſt adeo rigoroſa, ut hunc caſum excludat, nam de facto in die Paraſceve Sacerdos communicat ſe ipſum non conſecrando, & ſic poteſt Sacerdos in aſſignato caſu ſe ipſum communicare ex particulis præconſecratis, ne privetur Sacra Euchariſtia. Sic Suarez *loc. cit.* Vaſquez *diſp.* 219. *c.* 1. Hurtado *diſp.* 10. *diff.* 3. Lugus *diſp.* 18. *num.* 20. 31. 33. 35. Homobonus *de exam. Eccleſ. part.* 1. *tract* 4. *cap.* 11. *num.* 106. Diana *part.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 53. addens, hoc eſſe practicandum, ſecluſo ſcandalo, quod quidem Sacerdos vitare poterit monendo adſtantes, ne ſcandalum patiantur, nam ita facere in illo caſu ſibi licet.

8 Poſſe hoc idem facere Sacerdotem, etiam præſente Diacono, docet Leander *diſp.* 4. *q.* 14. & 15. quia Sacerdos, cum ſit Miniſter ex officio, non debet privari jure ſuo: quare ſi Sacerdos infirmus nequeat ad locum, in quo Sacramentum aſſervatur, accedere, Diaconus, ſi adſit, debebit ipſi Pyxidem cum Sacramento deferre, at non miniſtrare ex Pyxide particulam conſecratam, ſed relinquere Sacerdoti propria manu ſumendam, ut ſuis ipſe manibus ſe communicet, ſi hoc ex ægritudine poſſit: & ita cum Durando, Suarez, & Amico, ſupponit Cacheranus *n.* 45. Sequitur Ant. a Spiritu S. *diſp.* 11. *n.* 284. Marchinus *de Ordine tract.* 2. *punct.* 7. *part.* 3. *n.* 4. id probat ex *can.* 14. Concilii Nicæni. Durandus *in* 4. *diſp.* 3. *q.* 4. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 47. *circa finem*.

9 *An vero Sacerdos ſe ipſum communicans extra Miſſam, poſſit hoc facere qualibet hora diei, poſt meridiem, ſi ſit jejunus*, affirmat Diana *part.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 54. quia nullo jure

jure prohibetur. Eſt quidem prohibitum celebrare, & conſecrare poſt meridiem, non tamen Sacram Communionem ſuſcipere, citat pro ſe Azorium, Sylvium, Henriquez, & Coninchum, qui *qu.* 80. *art.* 10. *n.* 85. optime monet, ex reverentia debita tanto Sacramento, non eſſe extra neceſſitatem permittendum, ut aliquis ſub veſperam, & qualibet hora diei, communicet.

10 *An vero non ſolum Sacerdos, ſed etiam Diaconus, abſente Presbytero, poſſit ſe ipſum communicare extra urgentem neceſſitatem*, affirmat Leander *diſp.* 4. *qu.* 16. quia hoc illi abſolute concedit Concilium Nicænum *can.* 14. Ita etiam Vaſquez *diſp.* 219. *cap.* 1. & Dicaſtillo *tract.* 4. *de Euchariſt. diſp.* 11. *dub.* 6. *n.* 103. & *n.* 110. Negant Emanuel Sà, & Ludovicus apud Leandrum *loco cit.*

DUBIUM III.

An, & quando Diaconus poſſit Euchariſtiam miniſtrare?

11 RESP. Diaconum poſſe Euchariſtiam miniſtrare ex commiſſione Sacerdotis, non vero auctoritate propria. Ratio eſt, quia licet jure divino ſolus Sacerdos, ſicut habet poteſtatem Corpus Chriſti conſecrandi, ita poteſtatem habeat illud jure ordinario Populo miniſtrandi; hanc tamen adminiſtrationem committere poteſt Diacono, ut habetur ex Concilio Carthag. IV. *can.* 38. ubi ſtatuitur: *Ut Diaconus, præſente Presbytero, Euchariſtiam Corporis Chriſti populo, ſi neceſſitas cogat, juſſus eroget.* Et Clemens I. *lib.* 8. *Conſtit. Apoſtol. can.* 28. dixit: *Diaconus oblationem a Presbytero factam dat Populo, non tanquam Sacerdos, ſed tanquam qui Sacerdoti miniſtrat.* Et olim, quando Communio dabatur ſub utraque ſpecie, ſolebat Diaconus, ex commiſſione Sacerdotis, Calicem Domini diſpenſare, ut patet ex illis verbis Sancti Laurentii ad Sixtum Pontificem: *Cui commiſiſti Dominici Sanguinis diſpenſationem.* Ita Doctores communiter cum D. Thoma *q.* 82. *art.* 3. ubi obſervat, facilius committi Diacono diſpenſationem Calicis, quam diſpenſationem Corporis Chriſti, quia Sanguis continetur in vaſe, nec eſt neceſſe, quod immediate tangatur a diſpenſante, ſicut tangitur Corpus Chriſti. Marchinus *de Ordine tract.* 2. *part.* 7. *c.* 3. *n.* 2. & 3. Averſa *qu.* 10. *ſect.* 3. Lugus *diſp.* 18. *ſect.* 1. Leander *diſp.* 4. *q.* 7.

12 Requiritur neceſſitas ad hoc, ut Diacono committatur diſtributio Euchariſtiæ, ut patet ex Decreto Concilii Carthagin. *Si neceſſitas cogat, juſſus eroget.* Nam ſine rationabili cauſa non debet Sacerdos cedere muneri ſuo. Hæc neceſſitas non requiritur quod ſit extrema, ut eſſet neceſſitas miniſtrandi Viaticum moribundo, ſed ſufficit neceſſitas gravis, ſeu moralis, ut ſi Sacerdos eſſet debilis, infirmus, vel graviter impeditus, aut occupatus in confeſſionibus audiendis, nec ſit alius Sacerdos, qui poſſit Euchariſtiam Populo diſtribuere: & inde poterit Diaconus credere Sacerdoti aſſerenti, ſe eſſe legitime impeditum, ut tenent Suarez *diſp.* 72. *ſect.* 1. *aſſert.* 3. Rodriguez *q.* 56. *art.* 8. *tom.* 1. *moral.* Dicaſtillus *diſp.* 11. *dub.* 5. *n.* 71. Leander *diſp.* 4. *q.* 8.

13 Aliquando tamen ſufficit licentia, & voluntas interpretativa, ſi nimirum dandum ſit Viaticum exiſtenti in articulo mortis, & Sacerdos ſit abſens; imo etiam ſi Sacerdos ſit præſens, quando irrationabiliter non vult Viaticum miniſtrare, ut docent plures cum Marchino, *citat. c.* 3. *n.* 5. & tenent Henriq. Suarez, Facundez, Hurtado, Lugus, Sylveſter, & alii, quos affert, & ſequitur Leander *q.* 9. & 10. & Diana *part.* 9. *tract.* 6. *reſol.* 39. Verum ſecundum præſentem Eccleſiæ ſtatum, ubi major eſt copia Sacerdotum exolevit conſuetudo committendi Diacono Sacræ Euchariſtiæ diſtributionem, & vix extra mortis periculum poteſt occurrere neceſſitas committendi Diacono talem diſtributionem, ut notant Palaus *punct.* 17. *n.* 6. Layman *c.* 7. *a.* 2. & Bonacina *q.* 5. *punct.* 1. *n.* 5.

DUBIUM IV.

An Subdiaconus, Clericus inferior, vel etiam Laicus, poſſit aliquando Euchariſtiam miniſtrare?

14 CERtum eſt, non poſſe Laicos, & Clericos Diacono inferiores, extra mortis periculum, Euchariſtiam diſpenſare, ne quidem ex commiſſione Sacerdotis, quia ex Trident. *ſeſſ.* 13. *c.* 8. *Semper in Eccleſia Dei mos fuit, ut Laici a Sacerdotibus Communionem acciperent, Sacerdotes autem celebrantes ſe ipſos communicarent, qui mos tanquam ex traditione Apoſtolica deſcendens, jure ac merito retineri debet.* Nec conſtat unquam fuiſſe cum Laico, aut Clerico inferiore diſpenſatum, ut Euchariſtiam miniſtraret, ſicut fuit cum Diacono diſpenſatum, ut probat Cacheranus *cap.* 2. §. 3. & tradit Palaus *punct.* 17. *n.* 7. Difficultas eſt: *An Subdiaconus, Clericus inferior, aut etiam Laicus, poſſit, in extrema neceſſitate, Euchariſtiam miniſtrare ſibi, vel alteri infirmo, in proximo periculo mortis conſtituto, ſi abſit Sacerdos, & Diaconus, in quo maxime diſcrepant Doctores.*

15 Prima Sententia negat etiam in tali neceſſitate poſſe Subdiaconum, aut Laicum, Euchariſtiam miniſtrare, ſive ſibi, ſive aliis. Ratio eſt quia hoc repugnat Eccleſiaſticæ conſuetudini, quæ nunquam permittit Laico, vel Clerico inferiori talem adminiſtrationem, nec etiam Euchariſtiam tangere. Et cap. *Pervenit de Conſecr. diſt.* 2. graviter reprehenduntur Sacerdotes, qui Communionem per Laicos Infirmis mittebant: & ex *can.* 28. Concilii Carthag. ſolum Diaconis conceditur, in caſu neceſſitatis, facultas miniſtrandi hoc Sacramentum; ex quo videtur hæc facultas expreſſe denegari aliis inferioribus. Deinde hoc Sacramentum, cum non ſit medium neceſſarium ad ſalutem, miniſtrari non debet ſine Miniſtro idoneo, quamvis Infirmus debeat ſine illo mori; ſicut non poteſt Sacerdos conſecrare ſine ſacris Veſtibus, etiam ad communicandum Ægrotum in articulo mortis conſtitutum.

16 Nec obſtat, quod refertur de Regina Scotiæ, quæ morti proxima Euchariſtiam, quam domi conſervabat, ſuis ipſa manibus ſumpſit. Nam hoc vel factum fuit ex diſpenſatione Pontificis, qui, concedendo illi facultatem aſſervandi domi Euchariſtiam, conceſſit facultatem ſaltem interpretativam ipſam ſumendi: vel fuit hoc ipſi licitum, non præciſe propter ſumendum Viaticum in mortis articulo, ſed propter vitandam irreverentiam, quæ Euchariſtiæ imminebat, ſi in manus hæreticorum incidiſſet. Hæc Sententia eſt valde probabilis propter Eccleſiæ conſuetudinem, nam ſæpe accidit aliquos mori ſine Viatico ob defectum idonei Miniſtri abſque eo, quod Laicus, aut Clericus inferior audeat illis Euchariſtiam miniſtrare. Hanc Sententiam ſequuntur cum D. Thoma, Vaſquez, Valentia, Amicus, Lugus, & Madernus, quos citat, & ſequitur P. Cacheranus *lib.* 2. *cap.* 2. §. 3. Henriquez, Emanuel Sà, Victoria, Poſſevinus, Chamerota, quos affert, & ſequitur Bonacina *q.* 5. *p.* 1. *n.* 6. Gonet. *diſp.* 10. *n.* 18. Salmat. ſeu Franc. a Jeſu M. *tract.* 4. *cap.* 9. *a.* 81. Facundez *præcept.* 3. *lib.* 3. *cap.* 1. *a.* 10. & alii plures apud ipſos.

17 Secunda Sententia, quæ magis placet, affirmat, licere Laicis, & Clericis inferioribus in tali extrema neceſſitate miniſtrare ſibi, & aliis Euchariſtiam, quia licet illam miniſtrare ex officio conveniat ſoli Sacerdoti, in caſu tamen neceſſitatis, & ſine ſolemnitate nullo jure, ſive divino, ſive humano, prohibetur Subdiacono, & Laico; nam caput *Pervenit, diſt.* 2. *de Conſecr.* loquitur extra caſum neceſſitatis, & univerſaliter loquitur de omnibus, qui non ſunt Sacerdotes; unde ſicut excipiuntur Diaconi in caſu neceſſitatis, excipi etiam poterunt Laici, ut ſuccurratur Infirmo morienti: & olim Euchariſtia dabatur in manus proprias Laicorum, qui ſe ipſos communicabant, & interdum per Laicos mittebatur ad Infirmos, ut teſtatur Euſebius *lib.* 6. *hiſtor. c.* 36. Deinde cum non ſit abſolute prohibitum Laico tangere Euchariſtiam in neceſſitate, nam poteſt hoſtiam in terra delabentem elevare, poteſt ſe ipſum communicare, ne Euchariſtia veniat in manus Infidelium, a quibus indigne tractetur; poterit etiam ſuccurrere Infirmo morienti, ipſi miniſtrando Euchariſtiam, vel etiam ſibi, ſi ſit in eadem neceſſitate, ſicut factum legimus a Regina Scotiæ, quæ mortem ſubitam, Euchariſtiam, quam domi habebat, propriis manibus ſumpſit.

18 Nec ſufficit dicere, id feciſſe Reginam ex ſpeciali diſpenſatione Pontificis, quia de tali diſpenſatione non conſtat, & ſi ea fuit præſumpta, poterit etiam talis conceſſio in ſimili caſu extremæ neceſſitatis præſumi. Si vero Pontifex expreſſe diſpenſavit, jam prohibitio Eccleſiæ facta Laicis tangendi, & miniſtrandi Euchariſtiam non eſt adeo rigoroſa, ſicut eſt illa facta Sacerdotibus, ne celebrent abſque Veſtibus ſacris, quæ neque pro mortis articulo relaxatur. Nec etiam valet Eccleſiæ conſuetudo in contrarium, quia omnes concedunt, Diaconum poſſe in tali caſu extremæ neceſſitatis Euchariſtiam miniſtrare, & tamen his temporibus nullus id facit, etiamſi Infirmus debeat mori ſine Viatico: id ergo fieri non ſolet a Laicis, & aliis Clericis inferioribus, nec etiam a Diacono, non quia ſit illicitum, ſed quia caſus ex ſe ipſo rarus eſt, vel quia non adeſt parata Euchariſtia, vel quia oppoſita Sententia eſt magis practicata, addita etiam ignorantia, maxime in Oppidis, noſtræ Sententiæ alioquin probabilis. Hanc tenet Gloſſa in cap. *Pervenit, de Conſecrat. diſt.* 2. quæ ad illa verba: *Presbyter per ſe ipſum, Infirmum communicet*, ſubdit, *vel per Diaconum, ſi neceſſe eſt, vel per Laicum Catholicum.* Sequuntur Fillincius, Coninch, Layman, Valentia, Mercærus, Capeavilla, Reginaldus, Granado, quos citat, & ſequitur Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 47. *part.* 5. *tract.* 3. *reſ.* 47. *part.* 8. *tract.* 1. *reſol.* 48. & *part.* 9. *tract.* 5. *reſol.* 39. Averſa *de Sacram. Euchariſt. q.* 10. *ſect.* 3. Suarez *diſp.* 72. *ſect.* 3. & alios referens Leander *diſp.* 4. *q.* 11. 12. & 13.

DUBIUM V.

An, & quando poſſint Regulares Euchariſtiam miniſtrare?

19 CErtum eſt, Regulares extra diem Paſchatis Dominicæ Reſurrectionis, & mortis articulum, poſſe, virtute ſuorum privilegiorum, Euchariſtiam Fidelibus miniſtrare, quocumque anni tempore, in ſuis Eccleſiis, licentia Parochi minime requiſita; quod idem facere poſſunt Sacerdotes Sæculares in Eccleſiis Regularium, habita ſolum ipſorum Regularium licentia, ut patet ex compendiis, & privilegiis Mendicantium, de quibus late differit Ant. a Spiritu S. *in directorio Regular. tract.* 2. *diſp.* 3. *ſect.* 3. & notant

Coninch. *q.* 83. *art.* 3. Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib* 9. *cap.* 3. *n* 5. Palaus *punct.* 19. & alii plores.

20 Dubium tamen eſt, quid intelligatur per diem Paſchatis: *an ſolum ipſa primo dies Paſchæ, ut contendit Navar. cap.* 21. *n.* 32. *an omnes dies, qui aſſignantur pro tempor. ſatisfaciendi præcepto, adeo ut, qui in uno ex illis communicavit in Parœcia, poſſit deinde communicare apud Regulares etiam in die Paſchatis?* Probabilius eſt non intelligi ſolum primum diem, ſed intelligi Paſchalem Communionem, qua Fideles ſatisfacere tenentur præcepto Eccleſiæ quocumque die fiat ex quindecim aſſignatis. Ratio deſumitur ex fine prohibitionis, qui fuit, ut Parochi eſſent certi de ſuorum Subditorum Communione; unde ſi Parochiani in Parochia ſua ſemel communicent tempore Paſchali, nihil omnino Parochis adimitur, ſi iterum, eodem tempore Paſchali durante, in alia Eccleſia Regularium Sacram Communionem ex devotione accipiant, etiam in ipſo die Paſchatis. Neque obſtant verba prohibitionis: *Præterquam in die Paſchatis*, nam attendi debet ſenſus formalis, & intentio Pontificis, qui Communionem, qua impletur præceptum, vocat Paſchalem, ſeu dici Paſchalis, ex eo quod ſoleat, ut plurimum fieri illa die, ut notat Filliuc. *tract.* 4. *c.* 9. *n.* 265. Sequitur Madernus *q.* 5. *art.* 9. *a.* 9. Ant. a Spiritu S. *loco cit. n.* 98. Suarez *diſp.* 72. *ſect.* 2. Diana *part.* 10. *tract.* 11. *reſ.* 31.

21 Inde licite poſſunt Regulares ipſa die Dominica Reſurrectionis Communionem præbere Fidelibus illis, qui præcepto Communionis Paſchalis in propria Eccleſia Parochiali jam ſatisfecerunt, vel intentionem habent ſequentibus diebus ſatisfaciendi, prout docent Suarez *diſp.* 32. *ſect.* 2. *& tom.* 4. *de Relig. tract.* 10. *lib.* 6. *c.* 3. *n.* 7. Coninch *q.* 82. *art.* 3. *n.* 31. Bonac. *diſp.* 4. *q.* 7. *n.* 9. Palaus *punct.* 19. *n.* 3. Leander *diſp.* 3. *q.* 20. Lugus *diſp.* 18. *n.* 60. ubi advertit cum Layman, in dubio præſumi poſſe, ac debere, eos, qui tali die accedunt ad communicandum, jam ſatisfeciſſe, vel habere animum ſatisfaciendi in ſua Parochia. Ita etiam Diana *part.* 8. *tract.* 1. *reſol.* 88.

22 Addit Ant. a Spiritu S. *a.* 101. eſſe ſatis probabile, poſſe Regulares in ſuis Eccleſiis Euchariſtiam miniſtrare omnibus Fidelibus quocumque anni tempore, etiam in Paſchate pro adimplendo præcepto, nullo ad hoc conſenſu Parochorum acquiſito, quia ſic conceſſit Nicolaus V. Fratribus de Gandalupe, Ordinis D. Hieronymi, & alii poſteriores Pontifices confirmarunt. Et ita etiam tenent Cruz, Rodriquez, Beja, & alii, quos ſequitur Peyrinus *ad Conſtit.* 8. Julii II. *n.* 88. Facundez *in præcept. Eccl. præcept.* 3. *lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 13. Lugus *diſp.* 18. *n.* 49. quem citat, & ſequitur Dicaſtill. *tom.* 2. *c.* 24. *dub.* 7. *a.* 9. Tambur. *Opuſc. de Communione cap.* 4. §. 4. *a n.* 51. *ad* 55. ubi contraria ſolvere conatur. Hanc Sententiam approbare non audet Palaus *punct.* 19. *n.* 5. illamque rejicit Leander Palaus *punct.* 19. *n.* 5. illamque rejicit Leander *diſp.* 3. *qu.* 19. Si eſſet probabilis, nunquam foret practicanda ad vitandas contentiones cum Parochis, maxime poſt declarationem Cardinalium Sacræ Congregationis, quam affert Diana *part.* 6. *tract.* 7. *reſ.* 58. idemque repetit *p.* 11. *tr.* 7. *reſ.* 4. ubi aſſerit, quod ſtante tali declaratione Cardinalium, non debeat amplius practicari, etiam ſecluſo ſcandalo, & rixis cum Parochis.

23 Poſſunt tamen Regulares in Paſchate, pro adimplendo præcepto, libere adminiſtrare Euchariſtiam familiaribus, & ſervitoribus actualiter ſervientibus Religioſis, & intra Monaſteria, ſeu loca Religioſorum commorantibus, & ſub eorum obedientia viventibus, quia ſic conceſſit Prædicatoribus Sixtus V. *Bulla* 33. & alii etiam Pontifices apud Peyrinum, Portellum, & Lezanam *tom.* 2. *cap.* 16. *n.* 191. Nec non Peregrinis tranſeuntibus, & Mercatoribus, ex conceſſione Julii II. *Conſtit. ſua* 1. §. 37. apud Peyrinum, & tenent Diana *p.* 3. *tr.* 2. *reſ.* 12. & *p.* 10. *tr.* 11. *reſ.* 31. Anton. a Spiritu S. *n.* 100. & alii apud ipſos. Averſa *q.* 10. *ſect.* 4.

„ *Quinam potiſſimum Familiares Paſchali huic præcepto ſatisfacere judicentur, quibuſve poſitis circumſtantiis, „ ſi a Regularibus, & non a proprio Parocho, divinam, ſtatuto tempore, accipiunt Euchariſtiam, videre eſt in Notificat.* 14. *lib.* 3. *ubi hæc adnotantur:* Deprehendimus etiam „ in controverſiam revocari: an Sæculares, qui Monialibus, aut Regularibus inſerviunt, ad Parochiam pro ſumenda Paſchali Communione ſe conferre debeant, an „ vero in Eccleſiis ipſorum Regularium, aut Monialium „ præcepto ſatisfacere judicentur. Pro quo Trident. Conc. „ *ſeſſ.* 24. *c.* 11. *de Reform.* tres neceſſarias conditiones enumerat, *ut nempe actu inſerviant; intra eorum ſepta, ac „ domos reſideant; ac ſub eorum obedientia vivant.* Quare „ Parochiam adire debet in Paſchate, qui aliqua ex iis „ conditionibus caret, licet in æde verſetur, quæ pertineat ad Monaſterium, eique conjungatur, ipſiuſque circuitu per muros exteriores includatur. Quippe per *Domum* Monaſteria, per *Septa* vero Clauſtra a Tridentina Synodo intelliguntur: quod Scriptores unanimes affirmant, Navarrus *de Regularib. comment.* 4. *n.* 44. *in princ.* „ Bonac. *Oper. Moral. tom.* 1. *tit. de Clauſur. qu.* 1. *punct.* 1. *n.* „ 2. & 3. Sanchez *ad præcepta Decal. tom.* 2. *lib.* 6. *c.* 25. *n.* „ 9. Idque Sacræ Concilii Congregationis pluribus ſententiis comprobatur, quorum Nos ipſi exemplaria cognovimus, Maceraten. *variar. reſ. lib.* 1. *reſ.* 18. *n.* 4. Card. de Luca *de Juriſdict. diſc.* 4. *n.* 9. Cum autem ejuſdem Congregationis Secretarii munere fungeremur, die 22. Novembr. an. 1721. propoſitum fuit in Cauſa Lauden. *Juramentum Parochiale um die* 14. *Aprilis an.* 1685. *lib.* 35. *Decretor. fol.* 187. In Cauſa Spoletin. *Juramentum Parochial.* 19. *Aprilis* 1692. *lib.* 42. *Decret. fol.* 234. In Cauſa Barcinon. 21. *Januar.* 1713. In Cauſa Ulyſſiponen. Occidentalis: *An famuli, & famulæ Monialium ſæculares, degentes in manſionibus ſitis in atriis Monaſteriorum, muro circumvallatis, „ & quæ ſunt contigua Monaſteriis, & habent portam, quæ „ clauditur, teneantur recipere Sacramentum Euchariſtiæ „ tempore Paſchali a Parochis, in quorum Parochiis Monaſterium, & Manſiones ſitæ ſunt.* Die 19. Septembris ann. „ 1722. reſponſum fuit: *Affirmative, & amplius;* quo vocabolo *amplius* Cardinales omnes iuiſſe unanimes declaratur, nullamque in poſterum de eadem re, ſatis clara, quæſtionem habendam. „

24 Eodem modo poſſunt Regulares miniſtrare Viaticum ſuis familiaribus intra clauſtra degentibus, quando ſunt in periculo mortis, ut conceſſit Sixtus IV. apud Lezanam *tom.* 5. *in mari magno Prædicat.* §. 11. *a.* 25. Clemens IV. Minoribus, & Pius IV. Clericis Regularibus apud Dianam *part.* 5. *tract.* 3. *reſ.* 52. Reliquis Sæcularibus non poſſunt Regulares miniſtrare Euchariſtiam tempore mortis, niſi, abſente Parocho, periculum ſit in mora, quia tunc præſumitur licentia Parochi, ne Infirmus ſine Viatico decedat. Ita Lugus, Facundez, Hurtadus, Tannerus, Peyrinus, Suarez, & alii, quos affert Diana *loco cit. reſol.* 51.

DUBIUM IV.

Quando Parochus tenentur ſuis Ovibus Euchariſtiam miniſtrare.

25 NOn ſolum tempore Paſchali pro adimplendo præcepto, & in articulo mortis tenetur Parochus ſuis Subditis Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrare, de quo non poteſt eſſe dubium, quia tali tempore, urgente præcepto, tenentur ſubditi Euchariſtiam recipere, ac proinde tenetur Parochus illam miniſtrare; ſed etiam quotieſcumque id rationabiliter petunt, maxime ſi non ſint alii, puta Religioſi, a quibus petere poſſint. Ratio eſt, quia Paſtor tenetur Ovibus præſtare, non tantum neceſſaria, ſed etiam valde utilia ad ſalutem, cujuſmodi eſt Sacramentum Euchariſtiæ. Hoc etiam maxime pertinet ad munus Paſtorum, & eo nomine aluntur a ſubditis; nec par eſt, ut parvuli petant panem, & non ſit, qui panem eis frangat. Ita cum communi Sententia Adrianus, Sotus, Navarrus, Reginaldus, Azorius, Poſſevinus, Vaſquez, quos affert, & ſequitur Franc. a Jeſu M. *c.* 9. *punct.* 3. *n.* 28. Filliuc. *c.* 9. *n.* 268. Suarez *diſp.* 72. *ſect.* 3. Bonac. *q.* 5. *p.* 1. *n.* 14.

26 Nonnunquam tamen poteſt excuſari Parochus, ſi nimirum ſubditus irrationabiliter, & tempore importuno petat, ſi illum remittat ad ſuum Coadjutorem, ſeu Capellanum, vel ad Regulares, ſine diſpendio ſubditi, & illo conſentiente, vel ſi aliam habeat cauſam rationabiliter excuſantem, cujuſmodi eſt infirmitas, aut laſſitudo gravis: cauſa vero ceſſante, tenetur Parochus per ſe ipſum miniſtrare ſubdito poſtulanti, quia ſubditus non tenetur alium Paſtorem adire. Sic Bonacina *loco cit.* & alii apud ipſum. Ex quo ſequitur, teneri Parochum deferre Euchariſtiam Ægroto, non ſolum in periculo mortis, ſed etiam extra periculum mortis, quando longa eſt infirmitas, & Ægrotus communicare vult ex ſua devotione, non ſolum ſemel, ſed etiam ſæpius, ſpectatis circumſtantiis loci, & temporis, & dummodo Ægrotus ſit jejunus, quia nimirum Infirmus ille diuturnus rationabiliter petit, proinde Parochus, ſi non habet cauſam excuſantem, tenetur miniſtrare, ut cum Layman, & Baſſæo, docet Anton. a Spiritu S. *diſp.* 11. *ſect.* 2. Non tamen tenetur Euchariſtiam deferre ad Infirmum, propter tuſſim communicare non potentem, ut ſaltem ab ipſo adoretur; hoc enim prohibitum eſt a Pio V. ut habetur ea declaratione Cardinalium Sacræ Congreg. Concilii *ſeſſ.* 13. *c.* 6. apud Sà verb. *Euchariſt. n.* 6.

27 Utrum vero Parochus tempore peſtis teneatur ſuis Ovibus Euchariſtiam miniſtrare cum periculo vitæ: plures affirmant, quia hoc Sacramentum pro articulo mortis eſt de neceſſitate præcepti divini, adeoque ſi Ægrotus tenetur illud ex præcepto divino ſumere, tenetur etiam Parochus hoc illi miniſtrare. Ita Navar. Suarez, Sà, Toletus, Sylvius, quos affert, & ſequitur Leander *diſp.* 4. *qu.* 18. Filliuc. *tom.* 1. *tr.* 3. *cap.* 5. *a.* 92. Facundez *præcept.* 3. *lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 1. qui bene advertit, nomine Parochi intelligi etiam Superiores Religioſorum, reſpectu ſuorum ſubditorum, qui etiam cum periculo vitæ, tempore peſtis, tenentur ſuis ſubditis Euchariſtiam miniſtrare, Sed contraria Sententia eſt, & ipſa probabilis, eamque ſequitur Diana *part.* 5. *tr.* 3. *reſol* 53. ubi pro ſe citat Philibertum Marchinum *de Bello Divino p.* 3. *c.* 2. Philiarcum, Majolum, Benzonium, Tabienam, & affirmat ita declaraſſe Gregorium XIII. quia hoc Sacramentum non eſt tantæ neceſſitatis. Eamdem ſequitur Ant. a Spiritu S. *ſect.* 2. *n.* 296. & Franc. a Jeſu Maria *in curſu morali Salmat. loco cit. n.* 29.

28 Notat Leander *qu.* 20. licitum eſſe tempore peſtis, ad vitandum contagium, Euchariſtiam præbere Infirmis

in

Digitized by Google

in cochleari argenteo; imo & ponere Euchariſtiam in loco decenti, ut inde proprio ore, aut manibus Infirmorum capiatur, quia licitum eſt Laico, in caſu neceſſitatis, ſe ipſum propriis manibus communicare, ut vidimus *ſupra dub.* 4. Oppoſitum docet Diana *part.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 114. & *part.* 5. *tr.* 3. *reſol.* 50. quamvis non conſequenter, ut notat Leander *q.* 20. nam ille loco cit. *reſol.* 104. notat pro praxi, Ægroto, non potenti res ſolidas tranſmittere, poſſe Communionem dari, impoſita parva parte hoſtiæ cum vino in cochleari. Si enim poteſt Communio ei præberi in uno caſu in cochleari, poterit etiam in alio ad vitandum contagium.

29 An, & quando debeat Euchariſtia miniſtrari peccatori indigne petenti, dictum eſt ſupra *tract.* 5. *c.* 6. *dub.* 3.

D U B I U M VII.

De diſpoſitionibus requiſitis ex parte Miniſtri.

30 ULtra poteſtatem Ordinis, & Juriſdictionis, quam diximus neceſſariam in Miniſtro Sacramentorum, requiritur ad digne, & licite miniſtrandam Euchariſtiam ſtatus gratiæ. Dubium tamen eſt: *an peccet lethaliter, vel ſolum venialiter, qui extra Miſſam Euchariſtiam miniſtrat in peccato lethali?*

Plures affirmant, ipſum peccare mortaliter, quia licet diſpenſare Euchariſtiam extra Miſſam non ſit conficere Sacramentum, ſola tamen diſpenſatio eſt ea ſe graviſſimum miniſterium, ad quod ſancte perficiendum conſecratur ſpecialiter Miniſter, & recipit peculiaria auxilia; ergo peccat mortaliter, qui illam diſpenſat in peccato lethali. Ita Palaud, Gonet., Henricx, & Suarez, quos citat, & ſequitur Cacheranus *lib.* 2. *c.* 2. §. 4. *a.* 57. Madernus *de Sacram. in com. qu.* 5. *art.* 7. *a.* 8. Valentia, Bonacina, quos refert Palaus *tract.* 18. *diſp. unica punct.* 5. *a.* 12. Villalobus, Ochagavia, Marchinus, Granado, quos refert Leander *diſp.* 4. *q.* 25. quæ certe Sententia eſt valde probabilis, & in praxi ſequenda.

31 Alii tamen probabiliter docent, Sacerdotem ſic miniſtrantem non peccare lethaliter, ſed ſolum venialiter; quia miniſtrare Euchariſtiam, non eſt conficere Sacramentum, ſicut contingit in miniſtratione aliorum Sacramentorum, ſed eſt Sacramentum jam factum conferre, & applicare ſumere volenti, & ſe habet Miniſter, veluti in rebus naturalibus, cauſa per accidens, applicans activa paſſivis. Quare talis actio, cum per ſe non ſit cauſativa gratiæ, quantumvis ſit ſancta, & religioſa, ſi tamen fiat in peccato lethali, non tranſcendit culpam venialem. Ad rationem oppoſitam facile reſpondetur, ad peccatum mortale non ſufficere ſolam diſpenſationem, quæ non ſit Sacramenti confectio. Et ita tenent Vaſquez, Nugnus, Cabrera, Sylvius, Petrus Ledeſma, Joan. de Cruce, Barboſa, Hurtado, Lugus, Diana, quos affert, & ſequitur Leander *diſp.* 4. *q.* 25. Averſa *qu.* 10. *ſect.* 5. Ant. a Spiritu S. *de Sacram. in genere tract.* 1. *diſp.* 4. *ſect.* 2. *n.* 45.

32 Idem a fortiori dicendum de Diacono Euchariſtiam miniſtrante in caſu neceſſitatis: & idem de Sacerdote, ſeu Diacono transferente Euchariſtiam de loco ad locum, aut ſi ſolemniter in Proceſſione deferat, quia in hoc non eſt tanta irreverentia, quanta in adminiſtratione. Ita cum Dicaſtillo Ant. a Spiritu S. *n.* 46. Averſa *cit. ſect.* 5.

33 *An vero Sacerdos, ſic adminiſtrans Euchariſtiam in peccato mortali, tot peccata ſive mortalia, ſive venialia, committat, quot Perſonas communicat?* Unum peccatum committere tenet Madernus, quando ſucceſſive plures communicat, quia moraliter cenſetur una actio continuata; plura autem eſſent cenſenda peccata, ſi diverſis temporibus interruptis Euchariſtiam pluribus adminiſtraret. Idem tenet Diana, & alii plures: contrarium probabilius exiſtimant Coninch, & Bonacina, quia ſunt plures Sacramenti diſtributiones, & plures actiones terminatæ, & completæ; ſed de hoc redibit ſermo in materia de Pœnitentia.

34 Peccare mortaliter Sacerdotem adminiſtrantem Euchariſtiam ſine Superpelliceo, habetur in *cap. Sane, de celebr. Miſſar.* quod idem dicendum de adminiſtrante cum Superpelliceo ſine ſtola, eo quia Sacerdos adminiſtrat hoc Sacramentum ex officio, & ſic tenetur ſub gravi culpa uti Veſtibus Sacerdotalibus, qualis eſt Stola ab utroque humero deſcendens. Ita in utroque caſu Suarez *diſp.* 72. *ſect.* 4. Lugus *diſp.* 18. *n.* 13. Facundez *præcept.* 3. *c.* 3. *n.* 9. Leander *diſp.* 4. *q.* 26. & 27. ubi *qu.* 8. idem cenſet dicendum, ſi extra Miſſam omittantur aliæ Cæremoniæ, ut luminis accenſi, confeſſionis generalis, & abſolutionis venialium; nam quod accendatur lumen, habetur in *cap. Sane, de celebr. Miſſar.* & ſic illius omiſſio videtur gravis irreverentia, non ſic ſi omittatur confeſſio generalis. Excipe caſum ſummæ neceſſitatis, quando tempore peſtis, miniſtranda eſt Euchariſtia exiſtenti in articulo mortis, quia tunc poterit ſine lumine, imo etiam ſine Superpelliceo, & Stola, licite adminiſtrari, ut docet Leander *q.* 29. licet contrarium aſſerat Bonac. *diſp.* 4. *q.* 5. *punct.* 2. *n.* 8. & alii nonnulli apud Dianam *part.* 10 *tract.* 11. *reſ.* 40.

35 Dubitatur 1. *An Sacerdos, qui Chiragra impeditus, nequit Euchariſtiam pollice, & indice miniſtrare, id poſſit facere aliis digitis?* Affirmat Leander *q.* 19. quia tota Sacerdotis manus eſt conſecrata; ſed melius negandum eſt extra caſum neceſſitatis, quia licet tota Sacerdotis manus ſit conſecrata, tamen ex uſu, & conſuetudine Eccleſiæ, illi duo digiti ſunt ſpecialiter deputati ad hoc miniſterium, a qua conſuetudine ſine gravi neceſſitate non eſt recedendum, prout docent Bonacina *p.* 5. *p.* 2. *n.* 10. & Averſa *de Sacram. Euchar. qu.* 10. *ſect.* 5.

36 Dubitatur 2. *An poſſit Sacerdos Communicaturis partem ſuæ hoſtiæ miniſtrare?* Certum eſt, hoc poſſe facere ad communicandum Infirmum, ſi non ſit alia particula conſecrata, ne ille ſine Viatico decedat. *An vero id poſſit facere reſpectu ſani, ex ſola devotione communicare volentis?*

37 Reſp. affirmative, ſi non detur alia forma, ſeu particula conſecrata, nec commoditas in alia Miſſa communicandi, quia id non minuit Sacrificium, nec aliquo jure, ſive divino, ſive canonico, ſit prohibitum; quin antiquitus mos fuit in Eccleſia, ut unus, & idem Panis conſecratus frangeretur, & ex eodem Calice Sanguinis Domini a Fidelibus ſumeretur, prout etiam fecit Chriſtus cum Apoſtolis. Nunc autem licet non ſit recedendum ſine cauſa ab ordinario, & nunc uſitato Eccleſiæ ritu, non eſt tamen peccatum mortale, nec veniale, cum aliqua rationabili cauſa ab illo recedere, & partem hoſtiæ tribuere communicare volenti, quando non eſſet alia particula conſecrata, nec commoditas alterius Miſſæ, prout docent Diana *part.* 2. *tr.* 14. *de celebr. Miſſ. reſol.* 37. *part.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 34. & *p.* 10. *tr.* 11. *reſ.* 70. Homobon. de Bonis *de exam. Eccl. p.* 1. *tr.* 4. *c.* 11. *qu.* 110. Merchinus *de Sacrif. Miſſ. c.* 4. *tr.* 3. *a.* 16. Bonac. *diſp.* 4. *q.* 5. *p.* 1. *n.* 13. Averſa *q.* 10. *ſect.* 5. & cum aliis Leander *diſp.* 4. *q.* 17.

C A P U T VII.

De Subjecto, & Obligatione ſumendi Euchariſtiam.

D U B I U M I.

Quinam ſint Capaces Euchariſtiæ?

CErtum eſt ex ſupra dictis *tract.* 1. *cap.* 6. *dub.* 1. regulariter, & de via ordinaria, ſolum hominem viventem, & viatorem, capacem eſſe Sacramentorum, quia ſolus homo viator de via ordinaria eſt capax recipiendi gratiam per actionem ſenſibilem; Angeli enim, quamvis ſint capaces gratiæ, non ſunt tamen capaces recipiendi Euchariſtiam, quæ datur per modum cibi, per realem manducationem Corporis Chriſti, quod idem valet de Anima ſeparata. Bruta, quamvis poſſint ſpecies conſecratas materialiter manducare, non tamen poſſunt recipere fructum gratiæ.

2 Certum eſt etiam ad fructuoſam receptionem Euchariſtiæ prærequiri Baptiſmum, qui eſt janua omnium Sacramentorum; & inde nullus, qui non ſit baptizatus, quamvis ſit Cathecumenus, capax eſt recipiendi fructum hujus Sacramenti, ut colligitur ex Auguſt. *tr.* 11. *in Joan.* & tenet communis Eccleſiæ, & Theologorum conſenſus. Difficultas reducitur ad pueros ante uſum rationis, & ad perpetuo amentes: *an iſti ſint capaces recipiendi Euchariſtiam cum fructu?*

3 Reſp. Infantes ante uſum rationis, & perpetuo amentes, dummodo ſint baptizati, ſunt capaces recipiendi fructum Euchariſtiæ. Deducitur ex veteri Eccleſiæ conſuetudine, qua Infantibus baptizatis dabatur Euchariſtia, ut habetur in Cathechiſmo Rom. *p.* 2. *de Euchariſt.* §. 26. dicente: *Veterem fuiſſe in quibuſdam locis conſuetudinem, ut Infantibus etiam Sacram Euchariſtiam præberent.* Et de illa loquens Trid. *ſeſſ.* 21. *c.* 4. ait: *Sanctos illos Patres ſui facti probabilem habuiſſe cauſam pro illius temporis ratione.* Ratio eſſe poteſt, quia ad recipiendum fructum Euchariſtiæ nihil plus requiritur, quam quod ſit homo viator, baptizatus, & in gratia exiſtens, hujuſmodi ſunt Infantes, & perpetuo amentes, qui habent gratiam in Baptiſmo ſuſceptam, & ſic ſunt capaces recipiendi fructum Euchariſtiæ, ſicut etiam ſunt capaces recipiendi gratiam per Sacramentum Ordinis, & Confirmationis. Ita cum Suarez, Vaſquez, Amico, Lugo, Henricx, & Maderno, tenet Cacheranus *lib.* 2. *c.* 3. §. 1.

4 De facto tamen in Eccleſia ſaltem Latina contraria conſuetudine introductum eſt, ut Infantibus, & perpetuo amentibus, Euchariſtia non miniſtretur; quam quidem conſuetudinem approbat Eccleſia in Rituali Pauli V. & videtur colligi ex cap. *Omnes utriuſque ſexus.* Dum enim dicitur, debere omnes Euchariſtiam ſumere, cum ad annos diſcretionis pervenerint, tacite inſinuatur, non eſſe dandam Pueris ante uſum rationis; & hoc eſſe factum ob majorem reverentiam hujus Diviniſſimi Sacramenti, cum non poſſint ita facile vitari incommoda, quæ ex Communione data parvulis paſſim occurrere ſolent, docet Suarez *diſp.* 62. *ſect.* 4. & quia, ut habet Catechiſmus *loco cit. Hi*, ſcilicet pueri, *neque Sacram Euchariſtiam a communi, & profano pane ſciunt diſcernere, neque ad eam accipiendam, pietatem animi, & religionem afferre poſſunt.* Dixi, *hunc morem fuiſſe abrogatum in Eccleſia ſaltem Latina*; quia Lugus *diſp.* 13. *ſect.* 2.

n. 12. refert, Æthiopes, & Ruthenos adhuc obſervare antiquum morem communicandi pueros, ſed ait, eos magis ſpectare ad Eccleſiam Orientalem.

» *Quanam vero ætate hæc potiſſimum obligatio utriuſque ſexus Fideles obſtringat, Sacroſanctam ſcilicet ſumendi Euchariſtiam, videre eſt in Synodo Diœceſana cap. 12. lib. 7. ubi nonnulla varia re, ſcitu admodum neceſſaria, & Scripturarum, & Patrum auctoritate, hujus iiſdem terminis attinguntur.* Cuilibet antiquitatis ſtudioſo notiſſimum eſt, antiquam Eccleſiæ conſuetudinem obtinuiſſe, ut Sanctiſſimæ Euchariſtiæ participes fierent Infantes ſtatim poſt Baptiſmum, quod pluribus monumentis demonſtrat Martene *de antiq. Eccleſ. ritib. tom. 1. lib. 1. c. 1. art. 15. §. 12.* iiſdemque Infantibus, perinde ac Adultis, conſuevisse frequenter Sacra Myſteria miniſtrari, teſtantur Cyprian. *tract. de lapſis*, Auctor Conſtit. *lib. 8. c. 12. & 13.* Dionyſius, ſeu quicumque ſit Auctor *Eccl. Hierarch. c. 2. & 7.* Auguſt. *ſerm. 8. de verbis Apoſtoli, & Epiſt. 106. ad Boniſ.* & conſtat ex Sacramentario, quod inſcribitur nomine S. Gregorii, *tit. de Sabbatho Sancta*, aliiſque teſtimoniis adductis a Card. Bona *rer. liturgic. lib. 2. cap. 19. n. 11.* a Mattene *cit. lib. 1. c. 4. art. 10. §. 14.* & Juenini *de Sacram. diſſ. 4. q. 6. c. 2.* atque etiam ab Hæretico Bingamo *origin. Eccl. tom. 4. lib. 12. c. 1. §. 3. & tom. 6. lib. 15. c. 4. §. 7 & c. 7. §. 4.* Hic mos, quem a Græcis, ſua ætate, retentum obſervat D. Thom. *3. part. q. 80. art. 9 ad. 3.* & etiamnum apud eoſdem perſeverare tradit Arcudius *lib. 3. de Sacr. Euch. c. 18.* quandonam in Eccleſia Latina obſoleverit, incertum eſt: hoc unum certo ſcimus, ejuſdem ritus veſtigia inveniri apud Hugonem a Sancto Victore, qui Sæculo XI. ſcripſit *de Sacram. lib. 1. c. 20.* & apud Gaibertum Abbatem, Auctorem XII. Sæculi, *lib. 1. de Pignoribus Sanctorum c. 2. §. 1.* Sed ſubſequenti ætate deprehendimus omnino deletam, nec quadringentis ab hinc annis uſquam legimus, fuiſſe Infantibus Sanctiſſimam Euchariſtiam in Eccleſia Latina adminiſtratam. Utramque diſciplinam, habita ratione diverſitatis temporum, commendavit Trident. *ſeſſ. 21. c. 4.* ubi hæc habentur; *Denique Sancta Synodus docet, parvulos, uſu rationis carentes, nulla obligari neceſſitate ad Sacramentalem Euchariſtiæ Communionem .... Neque ideo tamen damnanda eſt antiquitas, ſi eum morem in quibuſdam locis aliquando ſervavit: ut enim Sanctiſſimi illi Patres ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certe eos nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe, ſine controverſia credendum eſt.*

» Facta porro prædicta diſciplinæ mutatione, Innocent. III in cap. *omnis utriuſque ſexus, de Pænit. & Remiſſ.* omnes Chriſti Fideles, *poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint*, obligavit ad Euchariſtiam, ad minus in Paſchate, reverenter percipiendam. Hinc vero orta eſt inter Scholaſticos diſſenſio, in determinando tempore, quo ejuſmodi præcepto urgeri incipiant pueri. Plerique Doctores non improbabiliter docent, omnes pueros ſtatim ac ſunt doli capaces, ſicuti obſtringuntur Sacramentalis Confeſſionis præcepto, ita obligari ad communicandum in Paſchate, niſi forte, ut decernitur in *cit. cap. omnis utriuſque ſexus; de proprii Sacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus ab hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum.* Allegata enim Decretalis Innocentii III. utrumque præceptum conjungit, & abſque ullo inter unum, & alterum diſcrimine, utrumque onus imponit omnibus utriuſque ſexus Fidelibus, *poſtquam ad annos diſcretionis pervenerint.* Ita Paludanus, S. Antoninus, Tabiena, quos refert, & ſequitur Joannes Sanchez *in ſelectis diſp. 26.* quibus adde Caſtropalaum *tr. 21. diſp. unic. punct. 10. n. 12.* & Philippum de la Crux *in Theſaur. Eccl. tract. 1. §. 11. n. 3.* atque huic ſententiæ patrocinatur Manuale Henrici Epiſcopi Siſtaricenſis a Synodo Siſtaricenſi approbatum, in cujus *Canone 16.* habetur: *Moneant autem Sacerdotes Parochianos ſuos, ut Pueros a ſeptennio, & ſupra, Pater noſter, & Credo doceant, ac in die Sancta Paraſceve ad Eccleſiam adducant ad oſculandam Crucem, & in die Sancta Paſchæ, ut Corpus Chriſti, prius tamen confeſſi, recipiant.* (*tom. 4. anecdot.* Martene, & Durand. *col. 1088.*) At alii, quos citant, & ſequuntur Suarez *tom. 3. in 3. part. q. 80. diſp. 70. ſect. 1.* Vaſquez *diſp. 214. c. 4.* Dicaſtillo *tract. 4. diſp. 10. dub. 5. n. 110.* perfectiorem uſum rationis expectandum cenſent, ut pueri ad annuam Communionem conſtringantur: non omnis quippe diſcretio, quæ ſufficiens habetur ad ſuſcipiendum Sacramentalem Confeſſionem, ſatis eſt ad rite percipiendam Euchariſtiam, cujus excellentia majorem exigit in Suſcipiente judicii maturitatem, ut debita religione, ac reverentia ad eam accedat; quo vero ætatis anno eam maturitatem adveniſſe ſit præſumendum, non poteſt certa regula definiri, cum alii tardius, alii citius, perfectum rationis uſum, rerumque ſpiritualium intelligentiam aſſequantur: id autem intra decimum, & decimum quartum ætatis annum communiter evenire, notat citatus Suarez..... huicque ſententiæ ſuffragatur Auctor Anonymus in carmine MS. prolato a Martene *de antiquis Eccleſ. ritibus tom. 1. lib. 1. c. 4. art. 10. §. 14.* inquiens:

» *Nos Patris infra bis quinque manentibus annos*
» *Dei Corpus Domini, quamvis ſint corpore puri*
» *Quid ſumant, cum ignorent, ergo prohibentur.*

DUBIUM II.

An detur Præceptum Divinum ſumendi Euchariſtiam, & quandonam obliget?

5 Quamvis onnulli apud Leandrum *diſp. 2. q. 1.* negent obligationem ſumendi Euchariſtiam ex præcepto, probabilius tamen eſt, ac fere certum, dari præceptum Divinum ſumendi Euchariſtiam omnes homines, ratione utentes, obligans ſub mortali. Sic enim colligitur ex Scriptura Joan. 6. *Niſi manducaveritis Carnem Filii Hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; quæ verba, ſecundum doctrinam Sanctorum Patrum, continent neceſſitatem, & cum fuerint a Chriſto prolata, continent præceptum divinum. Patet etiam ex illo Lucæ 22. & 1. Corinth. 18. *Hoc facite in meam commemorationem*; quæ verba explicans Trid. *ſeſſ. 13. c. 2.* ait: *Illius Sacramenti ſumptione colere nos ſui memoriam præcepit.* Et paulo poſt: *Sumi autem voluit Sacramentum hoc tanquam ſpiritualem animarum cibum.* Ex quo etiam deducitur ratio; nam Euchariſtia, cum ſit inſtituta per modum cibi ſpiritualiter nutrientis ex vi ſuæ inſtitutionis, adeoque ex jure, & præcepto Divino ſumenda eſt; nam ſicut cibus corporeus neceſſarius eſt ad reparandas vires corporis, ejuſque vitam fovendam: ita eo ipſo, quod Euchariſtia inſtituta eſt per modum cibi ſpiritualis, videtur neceſſaria ad conſervandas, & reparandas vires ſpirituales Animæ. Ita cum D. Thoma *q. 80. art. 11.* tenent non ſolum ejus Diſcipuli, ſed Doctores communiter, adeo ut Valentia *diſp. 6 q. 8. punct. 4.* dicat, jam nullum Catholicorum contrarium docere, quamvis nonnulli olim docuerint, præceptum Euchariſtiæ eſſe dumtaxat humanum, & Eccleſiaſticum.

6 Hoc præceptum Chriſti, cum ſit univerſale, obligat omnes, etiam non baptizatos, qui habent uſum rationis, ut poſtea dicam *dub. 5.* & tenent Suarez *diſp. 69. ſect. 2.* Vaſquez *diſp. 214. c. 4.* Hurtado *diſp. 12. diff. 4.* Lugo *diſp. 16. n. 17.* contra Bonacinam, Facundez, & alios, quos ſequitur Leander *diſp. 2. q. 2.*

7 Major difficultas eſt in aſſignando tempore, quo tale præceptum obligat; nam aliqui dixerunt, obligare ſemel dumtaxat in vita, ſive in morte, ſive ante, adeo ut non teneatur communicare in morte, qui antea in Paſchate, vel alio tempore, communicavit. Ita referunt ſenſiſſe Ledeſma, & Victoria. Alii volunt, obligare ſemel dumtaxat, ſed in articulo mortis, adeo ut, ſecluſa Eccleſiæ determinatione, nemo teneatur extra mortis articulum hoc Sacramentum ſumere, quia nimirum Chriſtus non determinavit tempus talis obligationis extra mortis articulum, ſed illud reliquit Eccleſiæ determinandum, adeoque, ſecluſa Eccleſiæ determinatione, qua determinatur tempus talis obligationis, nemo tenetur ex præcepto Divino communicare, niſi in articulo mortis. Hanc Sententiam ſequitur Caſtro Palaus *tract. 21. diſp. unic. punct. 14. n. 9.* Dicaſtillus *diſp. 10. n. 65.* & Ant. a Spiritu S. *diſp. 1. ſect. 1.* Alii denique volunt, hoc præceptum divinum obligare in articulo mortis, & ulterius aliquoties, ſeu pluries in vita, niſi vita fuerit valde brevis, cum quibus

8 Reſp. præceptum Divinum ſumendi Euchariſtiam obligare in articulo mortis, & pluries etiam in vita, niſi fuerit valde brevis. Ratio primæ partis eſt, quia præceptum Euchariſtiæ eo maxime tempore obligare debet, quo ipſius uſus eſt maxime neceſſarius ad obtinendum finem præcepti, qui eſt conſervare, & roborare vitam ſpiritualem; at uſus Euchariſtiæ ad hunc effectum eſt magis neceſſarius in articulo mortis, quam quovis alio tempore, quia ex illo pendet Æternitas, & in illo Diabolus graviores inſidias parat, & tentationes excitat, & ſic eo tempore tenetur homo vires ſpirituales reficere ad ſuperandas tentationes, & finaliter perſeverandum, necnon adhibere media, quæ maxime conducunt ad gratiam augendam, & conſervandam; ergo pro eo tempore maxime urget præceptum ſumendi Euchariſtiam. Conf. ex Eccleſiæ praxi, quæ ſemper magna ſollicitudine curavit, ut extreme laborantibus conferretur Viaticum, & hoc in executionem Decreti Concilii Nicæni relati in cap. *De iis 26. q. 6.* ubi habetur: *Cum iis, qui vita credantur diſceſſuri, antiqua Lex ſervetur, nempe ut ultimo, & neceſſario Viatico non priventur.* Ubi P. Cacheranus ponderat illa verba: *Antiqua Lex, & neceſſario Viatico*, quæ videntur importare obligationem divinam deductam ex traditione Apoſtolica. Hanc Sententiam tenent cum D. Thoma *q. 80. art. 11.* Suarez, Vaſquez, Valentia, Amicus, Lugus, Gonetus, & Mađernus, quos affert, & ſequitur Cacheranus *cap. 3. §. 3. n. 49.* Concinch *qu. 80. art. 11.* Bonacina, pluribus relatis, *diſp. 4. qu. 6. part. 1.* Layman *tract. 4. c. 3. n. 2.* & cum aliis pluribus Leander *diſp. 2. q. 4.*

9 Prob. ſecunda pars a pari aliorum præceptorum, Fidei, Spei, & Charitatis, quæ pariter ſunt affirmativa, & licet non habeant determinatum tempus, quo urgeat illorum obligatio, tamen non ſolum in articulo mortis, ſed etiam obligant pluries in vita, ut tenent Doctores

com-

communiter; ergo hoc idem dicendum eſt de præcepto Euchariſtiæ, quod pariter eſt affirmativum, & incertum habet tempus ſuæ obligationis. Conf. ex natura, & inſtitutione iſtius Sacramenti, quod eſt inſtitutum per modum cibi ſpiritualiter nutrientis, & reficientis; cibus autem non ſolum eſt neceſſarius in periculo mortis, ſed pluries etiam in vita. Ita P. Cacheranus, & Bonacina *ſupra*, & apud ipſum Reginaldus, Leander *quæſt.* 5. citans Vaſquium, Granadum, & Lugum.

10 Quanto autem tempore, præſcindendo a determinatione Eccleſiæ, poſſit differri ſumptio Euchariſtiæ ſine peccato, non poteſt ita facile definiri, ſed relinquitur prudentum judicio definiendum, itaut illius ſumptio nimium non differatur, ſicut univerſaliter dicitur de aliis præceptis affirmativis. At quia ab Innocent. XI. prop. 5. damnantur, qui dicunt: *non peccare mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret*; & prop. 6. *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum*; ita videtur dicendum, non ſatisfacere Divino præcepto Communionis, qui ſemel tantum in vita communicat, aut ultra quinquennium differt. Spatium longum videtur aliquibus apud Bonacinam, ſi differatur per ſpatium trium, vel quatuor annorum; at hæc difficultas videtur ſublata, cum Eccleſia determinaverit præceptum communicandi ſemel in anno, & ſic per talem Communionem factam ſemel in anno, certum eſt ſatisfieri non ſolum præcepto Eccleſiaſtico, ſed etiam præcepto Divino, quo præcipitur ſumptio Euchariſtiæ extra mortis articulum, ut docent Suarez *diſp.* 70. *ſect.* 7. Reginaldus *lib.* 29. *n.* 67. *&* 73. Bonacina *num.* 9. *&* 10. Cacheranus *n.* 54. & alii communiter.

11. Hinc infertur, eos, qui mortem violentam, auctoritate Judicis infligendam, patiuntur, teneri præcepto Divino ad Communionem ſumendam, etiamſi non eſſent jejuni, quia vere ſunt in articulo mortis, eamdemque habent neceſſitatem, & forte majorem, quam ii, qui morbo laborant: & poteſt eis miniſtrari Euchariſtia non ſolum eadem die, ſed etiam una hora antequam occidantur, quia in hoc nulla irrogatur injuria Sacramento, ad noſtram utilitatem inſtituto, cum ſpatio unius horæ illius ſpecies ſint conſumptæ. Ita Navar. *cap.* 25. *num.* 23. & *conſil.* 40. *de Pœnit. & Remiſſ.* Facundez *præcept.* 3. *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 3. Bonacina *diſp.* 4. *q.* 7. *punct.* 1. *n.* 5. Dicaſtillo *tr.* 4. *diſp.* 10. *dub.* 2. *n.* 26. Suarez *diſp.* 68. *ſect.* 5. Coninch q. 80. *art.* 9. *num.* 50. Diana *part.* 3. *tract.* 6. *reſol.* 59. *& part.* 5. *tr.* 3. *reſol.* 38. Leander *diſp.* 2. *q.* 9.

12. Ex quo inferunt communiter Doctores, teneri Judices damnatis ad mortem concedere tempus neceſſarium, ut peccata ſacramentaliter confiteri, & Euchariſtiam ſumere poſſint, idque denegando peccare mortaliter; nam in Clement. 1. *de Pœnit.* dicitur, compellendos eſſe Judices, etiam mediis Cenſuris, ad concedendum tempus damnatis ad mortem pro Sacramento Pœnitentiæ, quod intelligitur etiam de Sacramento Euchariſtiæ, ut cum Gloſſa notant ibi Doctores, nam in jure nomine Pœnitentiæ venit etiam Viaticum, ut decernitur in cap. *Quod in te, de Pœnit. & Remiſſ.* ibi: *Per quod Pœnitentiam morientibus non denegamus, Viaticum etiam, quod vere pœnitentibus exhibetur, intelligi volumus.* Ita etiam decernitur cap. *Tanta. diſt.* 96. & cap. *Quæſitum* 13. *qu.* 2. & motu proprio Pii V. edito anno 1569. & ita tenent Suarez *diſput.* 69. *ſect.* 3. *in fin*, Henriquez *lib.* 8. *ſum. cap.* 5. *n.* 4. Silveſter verbo *Euchariſtia* 3. *q.* 3. Bonacina *p.* 1. *num.* 6. Dicaſtill. *diſp.* 10. *dub.* 2. *num.* 28. Leander *diſp.* 2. *q.* 12.

13. Quod ſi, conceſſo ſufficienti tempore, reus noluit ſe diſponere, ſed perſeverat in ſua pertinacia, abſque ſpe emendationis, non tenetur Judex deſiſtere, nec concedere ulteriorem dilationem, quia cum habuerit tempus ſufficiens ſe præparandi, ſibi imputare debet, quod non ſe præparaverit; ſecus daretur occaſio reis non ſumendi Euchariſtiam, ut ſe eriperent a morte, cum damno, & præjudicio Juſtitiæ, ut cum aliis docet Bonac. *n.* 7. Si autem ſpes eſſet, quod data dilatione ſe præparabit, tenetur Judex ex charitate illam concedere, ſaltem ut poſſit peccata confiteri, ut docent Bonac. *n.* 6. Reginaldus *lib.* 29. *nu.* 70. Dicaſtill. *dub.* 2. *n.* 27. & expediens erit, ſi concedatur etiam tempus pro ſumenda Euchariſtia, quæ poteſt eſſe utilis, & neceſſaria ad vincendas tentationes illo tempore occurrentes.

DUBIUM III.

An teneatur communicare in periculo mortis, qui paucis ante diebus communicavit?

14. Certum eſt, teneri ad communicandum in articulo mortis, qui communicavit in Paſchate, ſi tale periculum longo tempore, puta poſt unum, vel plures menſes, occurrat, quia diſtincto præcepto tenetur in eo periculo communicare, omnium præcepto Divino, cui non ſatisfecit per Communionem tamdiu præcedentem, quæ nullo modo habeat rationem Viatici: ſi vero periculum occurrat poſt duos, tres, vel etiam octo dies poſt ultimam Communionem.

15. Prima Sententia tenet, illum non obligari iterum communicare, quia per Communionem paulo ante factam ſatisfactum eſt præcepto Divino communicandi in articulo mortis; finis enim talis præcepti eſt, ut homo per receptionem Euchariſtiæ ſe præparet ad exitum ex hac vita. Cenſetur autem ſe præparaſſe ad hujuſmodi tranſitum per Euchariſtiam ſuſceptam paulo antequam incideret in periculum mortis, quamvis tale periculum ignoraretur; ſicut qui audit Sacrum in die Feſto, ignorans tunc eſſe Feſtum, non tenetur iterum Sacrum audire, quamquam cognovit eſſe diem Feſtum. Deinde ſi quis in morbo periculoſo communicavit, non tenetur amplius communicare, etiamſi morbus duret per quindecim, vel plures dies, quia jam cenſetur Communio facta proxime ante mortem; ergo etiam qui per tres, ſex, vel octo dies communicat ante periculum, cenſetur communicaſſe proxime ante mortem. Ita Suarez *diſp.* 69. *ſect.* 3. Lugus *diſp.* 16. *n.* 37. Amicus *diſp.* 29. *num.* 17. Arriaga *diſp.* 47. *ſect.* 3. Coninch *q.* 80. *art.* 11. *dub.* 9. *num.* 98. Layman *tr.* 4. *cap.* 5. *nu.* 4. Facundez *præcept.* 3. *lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 7. Bonacina *q.* 7. *punct.* 1. *num.* 3. Homobonus de Bonis *conſult. vol.* 2. *part.* 5. *reſp.* 47. & alii iatis communiter.

16. Secunda Sententia, quæ videtur probabilior, docet non ſatisfeciſſe præcepto Divino ſumendi Viaticum, qui paulo ante periculum mortis tribus, ſex, vel octo diebus communicavit; ideoque teneri iterum communicare, ac ſumere Viaticum. Ratio eſt, quia obligatio ſumendi Viaticum non urget, niſi inſtante periculo mortis; ſed Communio facta ſex, vel octo diebus ante periculum, non eſt facta inſtante periculo, quod tunc nondum erat, nec inſtabat; ergo per illam non fuit extincta obligatio ſumendi Viaticum in periculo mortis: ea ratione, qua ſi non communicaſti exiſtente periculo mortis, peccaſti, nec potes tali obligationi ſatisfacere tranſacto periculo, quia nimirum obligatio ſumendi Viaticum eſt alligata periculo mortis, nec illi potes ſatisfacere ante, vel poſt tale periculum.

17 Nec obſtat ratio in contrarium adducta; negatur enim ſatisfeciſſe præcepto, & fini præcepti, qui ante periculum mortis communicavit, quia non ſufficit feciſſe id quod præcipitur, niſi fiat tempore, quo præcipitur. Nec valet argumentum de audiente Sacrum, ignorando eſſe diem Feſtum, qui non tenetur audire aliud Sacrum, quia iſte vere ſatisfecit præcepto, quod jam tunc urgebat, quamvis ignoraretur; at in noſtro caſu, qui communicat ſex, vel octo diebus ante periculum mortis, non communicavit tempore ſtatuto, quo urgebat præceptum, cum tunc nondum daretur tale præceptum. Qui ſemel communicavit, urgente periculo, non tenetur, durante eodem periculo etiam per plures dies, amplius communicare, quia ſatisfecit præcepto tempore debito, quo urgebat tale præceptum; non ſic qui ante, vel poſt periculum communicavit. Hanc Sententiam ſequuntur Vaſquez *diſp.* 214. *cap.* 2. Hurtad. *diſp.* 10. *diff.* 2. Ochagavia *tract.* 2. *de Euchariſt. q.* 14. *n.* 7. Mauernus *q.* 7. *art.* 6. *nu.* 4. Franc. a Jeſu Maria *tr.* 4. *cap.* 8. *n.* 7. Diana *part.* 5. *tract.* 3. *reſ.* 41. & pluribus citatis Leander *diſp.* 2. *q.* 5.

Circa hanc obligationem, Sanctiſſimam ſumendi Euchariſtiam in articulo mortis, & per modum Viatici; necnon circa nonnullas alias circumſtantias hanc obligationem ipſam concernentes, vide quid decernatur in Synod. Diœceſan. c. 12. *lib.* 7. *§.* 4. *hiſce verbis*: Similiter abſque formidine ſe aliqua involvendi controverſia, & poteſt, & interdum debet Epiſcopus conſtituere, ne Parochi renuant Sanctiſſimam Euchariſtiam iterato deferre ad ægrotos, qui, etiam perſeverante eodem morbi periculo, illam ſæpius, per modum Viatici, cum naturale jejunium ſervare nequeant, percipere cupiant. Quamvis enim Vaſquez *in* 3. *part. diſp.* 214. *cap.* 2. *in fine* doceat, Divino præcepto ſatisfieri per unicam perceptionem Sanctiſſimi Viatici in eadem ægritudine, nullum tamen invenimus alicujus nominis Theologum, qui neget, & licitum, & pium, ac laudabile eſſe illud ſæpius repetere. Ita quippe expreſſe tradunt Silveſter verb. *Euchariſt.* 3. *§.* 6. Tabiena verb. *Communicare num.* 48. Sotus *in* 4. *diſt.* 12. *q.* 1. *art.* 8. Toletus *in ſumma lib.* 10. *cap.* 15. Henriquez *lib.* 8. *cap.* 4. *num.* 1. *& cap.* 50. *n.* 1. Suarez *diſput.* 68. *ſect.* 5. Layman *libr.* 5. *ſum. tr.* 4. *cap.* 6. *quæſt.* 6. *num.* 20. Diana *tom.* 1. *reſol.* 75. Card. de Lugo *diſp.* 15. *ſect.* 3. *num.* 64. qui male traducit Vaſquez, quaſi auctorem contrariæ ſententiæ, cum hic de ſola loquatur obligatione, ut diximus, & legenti patebit.

Aliqua dumtaxat diſſenſio eſt in præfiniendo temporis ſpatio, quod debeat intercedere, ut intra eamdem infirmitatem poſſit iterum non jejuno dari Euchariſtia. Aliqui enim, cum Navarro, multum temporis influere debere exiſtimant inter unam, & alteram Communionem, quam indefinitam Navarri aſſertionem de ſpatio triginta dierum explicat Villalobos *in ſumm.* 1. *part. tractat.* 7. *dub.* 38. Alii cum Suarez *cit. loco* decem, aut octo dies expoſcunt. Alii cum Ludovico a S. Joanne *in ſumm. Hiſpano ſermone edita tom.* 1. *qu.* 7. *art.* 10. *diff.* 4. *de Sacram. Euchariſt.* poſt elapſos tres dies Viaticum iterari concedunt. Alii demum cum Laym. *cit. c.* 6. *n.* 20. etiam in ſequenti die illud repeti permittunt, ſi videatur inſtare mortis periculum, & ægrotus, qui cum ſanus eſſet,

„ fre-

„ frequenter conſueverat Euchariſticum panem deguſtare,
„ eo denuo nutriri, & roborari cupiat. Abſtrahat igitur
„ Epiſcopus ab hiſce quæſtionibus, ſolumque Parochis inſi-
„ nuet, poſse, & debere Sanctiſſimum Viaticum in eadem
„ infirmitate iterum, & tertio adminiſtrari, præſertim ſi
„ ipſimet ægrotantes iterum cæleſtem illum panem eſu-
„ riant; & ſi velit, pœnam etiam in Parochos decernat,
„ qui poſt plurimum temporis Euchariſtiam ad eumdem
„ Infirmum; eam devote efflagitantem, falſis quibuſdam,
„ & emendicatis prætextibus denuo deferre obſtinate de-
„ trectant; nihil quippe in hac ſaluberrima Conſtitutione
„ invenietur cenſura, & caſtigatione dignum &c.

DUBIUM IV.

An qui communicavit mane, teneatur iterum communicare, ſi illa die incidat in periculum mortis?

18 MAjor eſt difficultas de illo, qui ſanus, ac bene valens communicavit mane ex devotione, aut Miſsam celebravit, ſi veſpere incidat in mortis articulum ex vulnere, infirmitate, aut alio caſu, adeo ut probabili judicio Medicorum ſupravivere non poſſit uſque ad ſequentem diem? *an ille tunc teneatur, vel ſaltem poſſit iterum communicare, & ſumere Viaticum?* in quo diſcrepant Doctores.

19 Prima Sententia docet, nec teneri, nec poſse iterum communicare pro Viatico, quia ex una parte jam ſatisfecit obligationi ſumendæ Euchariſtiæ tempore mortis, cum illa ſumptio facta mane cenſeatur facta in periculo mortis ſuperveniente eodem die, juxta dicta *dub. præcedenti* pro prima Sententia. Ex alia parte datur Eccleſiæ præceptum, & prohibitio non communicandi bis eadem die, quod cum poſſit, debet obſervari; ac proinde qui mane ex devotione communicavit, non ſolum non tenetur, ſed nec licite poteſt veſpere ſumere Viaticum, quia ſine juſto titulo tranſgrederetur præceptum non communicandi pluries eadem die. Ita Layman *cap.* 5. *num.* 5. Coninch *nu.* 100. Gonet *diſp. 9. num.* 35. Suarez, Facundez, Lugus, & alii citati *dub. præcedenti*.

20 Secunda Sententia docet, poſse, & teneri iterum communicare, ac ſumere Viaticum, quia præceptum Divinum communicandi in articulo mortis prævalet præcepto Eccleſiaſtico non communicandi bis eadem die. Nec videtur ſatisfactum præcepto Divino per communionem factam mane, cum illa non fuerit facta in periculo mortis, cui eſt alligata obligatio ſumendi Viaticum; nec illi poteſt ſatisfieri per communionem factam ſive ante, ſive poſt tale periculum, ſicut obligatus jejunare, aut audire Sacrum hodie, non poteſt tali obligationi ſatisfacere per jejunium, ſeu auditionem factam heri, aut cras, quando vel nondum aderat, vel jam ceſsaverat obligatio. Ita pluribus in locis Diana *par.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 197. *par.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 33. *part.* 6. *tract.* 6. *reſol.* 18. *par.* 8. *tract.* 1. *reſol.* 87. & *par.* 10. *tr.* 10. *reſol.* 40. quibus in locis citat Marcellum, Megalium, Breſserum, Hurtadum, Turrianum, Ochagaviam, Kelliſonium, & alios, quos etiam citat, & ſequitur Leander *q.* 6. eamque probabilem putat Dicaſtillus *diſp.* 10. *nu* 41. & 56. ſequitur etiam Madernus *art.* 7. *n.* 18.

21 Hanc Sententiam, ut refert Diana *part.* 6. *tract.* 6. *reſol.* 18. re mature conſiderata, & inter illos diſcuſsa, deduxerunt in praxim PP. Societatis Jeſu domus profeſsæ Panormitanæ ann. 1638. in perſona P. Gaſcone, qui cum mane Miſsam celebraſset, & poſt prandium lethali morbo correptus fuiſset, iterum in eodem die ſacram Communionem per modum Viatici ei præbuerunt. Idemque factum fuiſse in morte R. P. Claudii Aquavivæ Soc. Jeſu Generalis, refert Amicus *diſp.* 27., necnon multos Viros doctos ita ſentire, & facere teſtatur Dicaſtillus *tract.* 4. *de Euchariſt. diſp.* 10. *num.* 56. idemque ſentire graviſſimos Viros Accademiæ Complutenſis, & Salmaticenſis, docet Gaſpar Hurtado *de Euchariſtia diſp.* 10. *diff.* 2. Quare negari non poteſt hanc Sententiam eſse probabilem, & tuta conſcientia practicabilem, ut etiam concedit Anton. a Spiritu Sancto, ſaltem propter auctoritatem tot doctiſſimorum Virorum.

22 Fateor partem aſserentem, non ſolum poſse, ſed adeſse obligationem ſuſcipiendi Viaticum in tali periculo reſpectu illius, qui mane communicavit, non omnino convincere, ſtante maxime conſuetudine Eccleſiæ, quæ non eſt ſollicita dare bis Communionem in eadem die, quæ conſuetudo, ſatis univerſaliter recepta, videtur explicare, quod præceptum Chriſti de Communione in morte intelligi debeat de die, in qua quis incidit in periculum, adeo ut illi cenſeatur ſatisfactum per Communionem factam eadem die, ſive mane quis fuerit in periculo, ſive non; ea ratione, qua dicimus Subdiaconum ſatisfeciſſe præcepto recitandi Officium, etiam ſi mane recitet antequam ſit ordinatus: idem de Novitio recitante Officium eadem die ante emiſſam profeſſionem. Nec inde debet inferri, ſatisfeciſse etiam præcepto Divino ſumendi Viaticum, qui pridie, vel per tres, aut ſex dies antea communicavit; ſicut etiam non ſatisfecit Officio Subdiaconus, qui pridie illum recitavit, etiam ſi ſatisfecerit ille, qui eadem die mane recitavit, antequam eſſet orta obligatio recitandi, quia nimirum recitavit illa die, qua currit obligatio recitandi: ita etiam dici debet, ſatisfeciſſe præcepto communicandi ſolum, qui mane ante periculum communicavit, quia nimirum ſemper verum eſt dicere communicaſſe ea die, qua currit obligatio. Quare cenſeo, in caſu propoſito illum poſſe tuta conſcientia iterum communicare, & ſumere Viaticum; ſed ad hoc non teneri.

Vide hac in re quid ſtatuatur in Synod. Diœceſana lib. 7. „
c. 11.; *hæc enim leguntur;* Recte, ac ſancte in pleriſque „
Synodis commonitos legimus Parochos, ut ſolliciti ſint „
de Sanctiſſimo Viatico, iis ſtatim porrigendo, quos vi- „
ta periclitari deprehenderint: in aliis gravem inſuper pœ- „
nam iiſdem inflictam invenimus, ſi ipſorum inertia eve- „
nerit, ut aliquis ſine Sanctiſſimi Chriſti Corporis Viatico „
ex hac vita deceſſerit. At fingamus Sacerdotem, corpore „
ſanum, mane Miſſam celebraſſe, aut Laicum, ex mera „
devotione, Sanctiſſimam Euchariſtiam percepiſſe: corripi- „
tur eadem die ſubito morbo, aut lethali percutitur vul- „
nere, ita ut Medicorum judicio prudenter timeatur ne „
ea ipſa die intereat: cupit ægrotus refici Sanctiſs. Viati- „
co, illudque a Parocho inſtanter expoſcit, quod tamen „
Parochus ad eum deferre renuit, non tamen idcirco dam- „
nandus erit Parochus tanquam tranſgreſſor Synodalis ſta- „
tuti; nec quidquam de hac re, quæ forte ſæpius in Diœ- „
ceſi acciderit, erit in Synodo deliberandum, niſi maxi- „
ma adhibita circumſpectione, & cautela. Etenim licet „
communiter Theologi cum S. Thoma 3. *part. quæſt.* 8. „
artic. 11. in illis Chriſti Domini verbis Joan. 6. *Niſi* „
manducaveritis carnem Filii Hominis, & biberitis ejus „
ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, contineri exi- „
ſtiment præceptum, obligans omnes Fideles ad Eucha- „
riſtiam percipiendam aliquoties in vita, atque imminen- „
te mortis periculo; neque ulli fas ſit, ſine temeritatis „
nota contrarium opinari, uti probant Valentia *diſp.* 6. „
quæſt. 8. *punct.* 4. & Vincentius Baronius 2. *part. Ma-* „
nuductionis pag. 258. atque ex iis liquet, quæ ad præ- „
ceptum comprobandum adducunt Suarez *de Euchariſtia* „
diſp. 69. *ſect.* 1. Vaſquez *diſp.* 213. *cap.* 2. & Card. de „
Lugo *de Euchariſt. diſp.* 16. *ſect.* 1. & 2. *num.* 17. & „
33.: nihilominus tamen iidem Theologi diſſident inter „
ſe, num, adveniente repentino mortis periculo, Sanctiſ- „
ſimi Chriſti Corporis Viatico ſit etiam illi ſuccurendum, „
qui eadem die, cum cæteroquin nondum ulla laboraret „
corporis infirmitate, Euchariſtiam accepit. Docent ple- „
rique etiam hunc inopinato incidentem in mortis peri- „
culum, teneri denuo ſe reficere Euchariſtico cibo, quo „
fiat validior ad ultimam ſuſtinendam cum Dœmone „
luctam, neque enim inquiunt per Communionem, an- „
te vulnus, vel morbum, peractam, potuit ſatisfieri „
præcepto, quod nondum urgebat, Euchariſtiam ſumendi „
in mortis articulo. Ita Hurtadus *de Euchariſt. diſp.* 11. „
diff. 2. Pellizarius, Dicaſtillo, Quintanadvenas, aliique „
relati a Diana *part.* 10. *tract.* 11. *reſol.* 40. Alii ex ad- „
verſo cum Suarez *cit. diſp.* 69. *ſect.* 3. §. *Rogabis*. Co- „
ninc. *quæſt.* 80. *art.* 11. *dub.* 3. *n.* 100. Card. de Lugo *cit.* „
loc. num. 52. aliiſque a Nobis allegatis in noſtro Opere „
de Canonizat. Sanctorum *lib.* 3. *cap.* 38. *num.* 22. ubi „
aliquid de hac quæſtione delibavimus, ſentiunt, in præ- „
dicto rerum eventu, non ſolum non urgere præceptum „
ſumendi Viaticum, ſed recipi non poſſe ſine piaculo. „
Siquidem ex una parte Divinæ Legi, qua jubentur Fi- „
deles Sanctiſſimam Euchariſtiam percipere, cum in ulti- „
mo verſantur diſcrimine, veluti prævia quadam ſolutio- „
ne, jam ſatisfactum autumant per Communionem mane „
peractam: ex alia vero parte, nemini licet bis eadem „
die Chriſti Corporis participare Myſteria, ſolumque id „
permittitur Parocho in aliquo extraordinario eventu, „
de quo Nos pariter egimus *cit. cap.* 38. cum ſcilicet „
duas adminiſtrat Parochias, & in utraque debet eadem „
die celebrare. Inter has duas e diametro oppoſitas opi- „
niones, mediam viam ineuntes alii, quos tacito nomi- „
ne citat de Lugo *eodem cit. loco num.* 50. & ſequuntur „
Gobat. *Theolog. experim. tract.* 8. *num.* 175. & Marin. „
tom. 3. *diſp.* 9. *ſect.* 1. *num.* 13. dicunt, prædictum ho- „
minem, qui mane bene valens ad Euchariſtiam acceſſit, „
& deinde in periculoſum incidit morbum, poſſe, ſi ve- „
lit, denuo Euchariſtiam ſumere per modum Viatici, „
nullo tamen præcepto ad id faciendum obſtringi. At- „
que huic Sententiæ adſtipulatur praxis quorumdam Reli- „
gioſorum, a quibus, uti referunt Diana *part.* 8. *tract.* 2. „
reſol. 87. Gaſpar Hurtado *de Sacram. diſp.* 10. *de Eu-* „
chariſt. diff. 2. & Card. de Lugo *cit. loco num.* 51. in „
prædicto eventu Sanctiſſimum Viaticum porrigi conſuevit „
Sacerdotibus, qui ea ipſa die celebrarunt. „
In tanta opinionum varietate, Doctorumque diſcre- „
pantia, integrum erit Parocho eam Sententiam ample- „
cti, quæ ſibi magis arriſerit, quin fiat reus violati ſta- „
tuti Synodalis, quod certe non potuit caſum iſtum „
extraordinarium reſpicere; neque fas erit Epiſco- „
po, aut in Parochum animadvertere, qui præfato „
ægrotanti Viaticum denegavit, aut quidquam de „
ejuſmodi controverſia in ſua Synodo decernere, ne „
videa-

„ videatur ſibi arrogare partes Judicis inter graviſſimos
„ hac ſuper re ſecum contendentes Theologos.

23 Ex dictis infertur, quod ille, qui non communicavit in periculo mortis, non tenetur amplius, tranſacto periculo, communicare, ut adimpleat Divinum præceptum, quia jam obligatio illa ceſſavit, ut notat Bonacina *qu. 7. punct. 1. num. 4.*

D U B I U M V.

Quinam teneantur ex præcepto Divino communicare?

24 Reſpond. Præcepto Divino Communionis obligantur omnes Adulti ratione utentes, ſaltem ſi baptizati ſint. Ratio eſt, quia tale præceptum abſolute, univerſaliter, & abſque ulla limitatione fuit a Chriſto promulgatum, & ſic omnes Adultos, ratione utentes, obligat. Dixi *omnes Adultos*, quia Parvuli, & ratione carentes, non obligantur tali præcepto ob defectum in Concilio Trid. *ſeſſ.* 21. *can.* 4.

25 Dixi, *ſaltem ſi ſint baptizati*, quia de nondum baptizatis, qui hujus præcepti notitiam habent, v. g. de Fideli Catechumeno, incertum eſt, an teneantur hoc Divino præcepto, vel non. Negant plures, quia Infideles, & nondum Baptizati, non ſunt capaces Communionis, & gratiæ, ergo nec poſſunt ad illam obligari. Ita cum Soto, & Gonetto tenet Madernus *q.* 7. *art.* 6. *num.* 2. Alii probabilius affirmant, quia præcepta Divina, a Deo ſummo Legiſlatore prolata, obligant omnes capaces; ſed præceptum Communionis eſt generale, & univerſale, reſpectu omnium; ergo obligat omnes, etiam Infideles, qui ſunt illius capaces, ſi volunt Baptiſmum recipere. Nec obſtat, quod non Baptizatus non poſſit Euchariſtiam ſumere, inde enim non ſequitur, quod non obligetur præcepto ſumendi Euchariſtiam, ſed quod teneatur ſe diſponere, & Baptiſmum ſuſcipere, ut tali præcepto ſatisfacere poſſit; ea ratione, qua exiſtens in peccato mortali non poteſt licite hoc Sacramentum ſumere, & tamen nihilominus ad hoc obligatur, non quidem ut communicet indigne, ſed ut prius diſponatur, & digne communicet: inde Catechumenus, ſi in fine vitæ omitteret recipere Baptiſmum, & Euchariſtiam, duo peccata committeret contra duo præcepta diſtincta. Ita Suarez, Vaſquez, Lugus, Arriaga, & Laurea, quos citat, & ſequitur Cacheranus §. 5. *n.* 97. *cap.* 3. ubi dicit ita ſentire Theologos magis communiter.

26 Dices: præceptum Divinum Sacramentalis Confeſſionis non obligat non Baptizatos: ergo nec illos obligat præceptum Communionis. Sed contra, dato antecedente, nego conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia præceptum Confeſſionis non eſt abſolutum, & univerſale, reſpectu omnium, ſed conditionatum, reſpectu illorum, qui peccaverunt poſt Baptiſmum, & ex ſuppoſitione peccati commiſſi poſt Baptiſmum. Quare ſicut Adultus baptizatus non obligatur tali præcepto, ſi nullum habeat peccatum; ita nec tenetur Adultus nondum baptizatus, quia non habet peccata poſt Baptiſmum commiſſa, quæ ſola ſunt materia Confeſſionis. At præceptum Communionis eſt univerſale, & abſolutum, immediate afficiens omnes Adultos, & ſic poſſunt illo nondum baptizati obligari.

C A P U T VIII.

De Præcepto Eccleſiaſtico ſumendi Euchariſtiam.

D U B I U M I.

De Exiſtentia Præcepti Eccleſiaſtici.

Certum eſt, ultra præceptum Divinum ſumendi Euchariſtiam, de quo ſupra, dari etiam præceptum Eccleſiaſticum, obligans omnes Fideles adultos, ratione utentes, ad communicandum ſemel ſingulis annis in Paſchate. Jam olim ſtatutum fuerat a Fabiano Papa, ut omnes Fideles ter in anno, id eſt in Paſchate, Pentecoſte, & Natali Domini communicare deberent, ut refertur *de Conſecrat. diſt.* 2. can. *Sæculares*; ſed refrigeſcente poſtea populorum pietate, reſtricta fuit obligatio ad communicandum ſemel in anno in Paſchate, quæ reſtrictio fuit facta ab Innocentio III. in Concilio Lateran. ubi cap. *Omnes utriuſque ſexus, de Pœnitentiis, & Remiſſionibus*, ita decrevit: *Omnis utriuſque ſexus Fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, ſemel ſaltem in anno confiteatur, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum, niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum*. Quod quidem præceptum confirmatum fuit in Concil. Trident. *ſeſſ.* 13. *can.* 9. ubi habetur: *Si quis negaverit, omnes & ſingulos Chriſti Fideles utriuſque ſexus, cum ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis annis ſaltem in Paſchate ad communicandum, juxta præceptum Sanctæ Matris Eccleſiæ; anathema ſit*. Quod quidem fuit congruenter ſtatutum; quia cum præceptum Divinum communicandi aliquoties in vita ſit indeterminatum, debuit ab Eccleſia determinari tempus, quo talis obligatio impleri deberet.

Hoc ipſum videre poteris, vel extenſius pertractatum in Notif. 4. *lib.* 3. *hiſce verbis*: In actis Apoſtolorum traditur priores Fideles, *quorum erat cor unum, & anima una*, ſingulis diebus ad Sacram Euchariſtiam percipiendam acceſſiſſe: *erant enim perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*. Qua de re S. Cyprianus, qui tertio Sæculo floruit, hæc poſteris ſcripta commendavit *in ſuo tr. de Orat. Dominic. Hunc autem panem dari nobis quotidie poſtulamus, ne, qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie, ac cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto dum abſtenti, & non communicantes a cœleſti pane prohibemur a Chriſti Corpore ſeparemur.*

Ignoramus, utrum pietas, an præceptum hanc ſanctiſſimam conſuetudinem induxerit, & quamdiu ipſa permanſerit. Illud affirmari certo poteſt, remiſſa, imminutaque ob diuturnitatem temporis Fidelium pietate, conſtitutum fuiſſe circa Sæculum VIII. can. *etſi non frequentius &c. de Conſecrat. diſt.* 2. ut *etſi non frequentius, ſaltem in anno ter Laici homines communicent (niſi forte quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur) in Paſcha videlicet, & Pentecoſte, & Natali Domini*. Gratianus quidem hanc legem Sancto Fabiano Pontifici tribuit, ſed communis hoc tempore litteratorum hominum conſenſus ad Sæculum VIII. illam referendam exiſtimat.

Aſſerendum pariter videtur eamdem legem uſque ab initio Sæculi XIII. receptam a Fidelibus, & obſervatam fuiſſe. Etenim in Epiſtola, qua Innoc. III. eos inſtituit, & quæ habetur in cap. *Deus, de Pœnit. & Remiſſ.* quorum opera Livoniæ populis, ad Chriſtianam Fidem paulo ante traductis, neceſſaria erat, hæc mandat: *Interim tamen Corporis, & Sanguinis Domini Sacramentum, renatis Fonte Baptiſmatis, conſuetis Feſtivitatibus, & in mortis articulo, tribuatis.*

Inſuper diſſimulari nequit pietatis ſtudium in dies adeo extenuatum fuiſſe, ut diſciplina etiam in Eccleſia commutaretur. Quippe hæc in Lateranenſi Concilio ſancita fuerunt, quæ etiam in cap. *Omnis, eod. tit. de Pœnit. & Remiſſion.* continetur: *Omnis utriuſque ſexus Fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum.*

Tridentina autem Synodus, cum *ſeſſ.* 22. *de Sacrif. Miſſæ* illud prius declaraſſet; *optaret quidem Sacroſancta Synodus, ut ſingulis Miſſis Fideles adſtantes non ſolum ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent*: pœnam tamen excommunicationis in iis indixit, qui præceptum ſumendæ Sacræ Euchariſtiæ ſaltem in Paſchate inficiarentur, ut in *ſeſſ.* 13. *de Euch. can.* 9. *Si quis negaverit omnes, & ſingulos Chriſti Fideles utriuſque ſexus, cum ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis annis ſaltem in Paſchate ad communicandum, juxta præceptum Sanctæ Matris Eccleſiæ; anathema ſit.*

Patres Concilii Lateranenſis, cum ſuſpicarentur, haud eſſe defuturos, qui Euchariſtiam Paſchali tempore ſumere, adeoque præceptum ſuum exequi detrectarent, eam pœnam ſtatuerunt *cap. ſuperius allato*: *Alioquin, & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura*. Idem decernit Rituale Romanum juſſu Pauli V. editum titulo: *quibus non licet dare Eccleſiaſticam ſepulturam*, inter quos illi adnumerantur, *de quibus publice conſtat, quod ſemel in anno non ſuſceperint Sacramenta Confeſſionis, & Communionis in Paſcha; & abſque ullo ſigno contritionis obierunt*. Cum tamen evenire poſſit, ut Confeſſarii conſilio a percipiendo Euchariſtiæ Sacramento aliqui tunc abſtineant, hinc ejuſdem Concilii Patres eos ab omni pœna liberos, & immunes his verbis declararunt: *Niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum.*

Quamobrem in Diœceſibus bene inſtitutis Parochi de præcepto Paſchalis Communionis populum per Quadrageſimam admoneant. Diligenter eos deſcribant, qui huic præcepto ſatisfaciunt, & illos pariter, qui juſſa detrectant, uti per Rituale Romanum *tit. de Commun. Paſch.* præcipitur. Pervicaces ſæpius objurgent, quorum nomina ad Epiſcopum deferant: eos quoque denuncient, qui Confeſſarii juſſu Sacram Euchariſtiam in Paſchate non ſuſceperint. Contumaces autem Epiſcopus ab ingreſſu Eccleſiæ interdictos, & Eccleſiaſtica ſepultura carentes declaret, eorumque nomina publice exhibeat, ut hac ignominia puniantur.

Verum prætermiſſis his omnibus, quæ in aliis Diœceſibus fieri ſolent, quid in hac Bononienſi poſitum in more fuit indicabimus, cum Cardinales Paleottus, & Alphonſus quoque Paleottus hanc Eccleſiam adminiſtrarent. Siquidem in Compendio Decretorum, quæ typis excuſa fuerunt in hac eadem Civitate an. 1603. pag. 50. hæc habentur:

„ Mo-

„ *Monitio, quæ per Parochos fieri debet ſecunda, ac tertia die Paſchatis iis, qui ſacram Euchariſtiam non ſuſceperint.*

„ *Admonentur omnes, qui die Dominico Paſchatis ad Sacramentum Euchariſtiæ non acceſſerint, ea lege teneri, ut hujus hebdomadæ ſpatio, per pœnitentiam prius expiati, Sanctiſſimum Chriſti Corpus percipiant: qui non paruerint, ab ingreſſu Eccleſiæ palam interdicentur, ipſorumque nomina publice exponentur; ſi vita forte deceſſerint, Eccleſiaſtica ſepultura carebunt.*

2 Hic dubitari ſolet, quid veniat nomine Paſchatis, in quo tenentur Fideles communicare. Sed breviter reſpondetur, non intelligi ſolum ipſum diem Reſurrectionis Dominicæ, ſed quindecim dies, a Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in albis incluſive, ita ut ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ, qui ſemel communicat intra illos quindecim dies, juxta praxim, & communem uſum Eccleſiæ, ex declaratione Eugenii IV. Imo ex conſuetudine, vel ex privilegio, aliquibus in locis extenditur hoc tempus ad totam Quadrageſimam, ita ut qualibet ejus die ſatisfieri poſſit præcepto, quam conſuetudinem ad totam Hiſpaniam extendit Dicaſtillus *diſp.* 10. *num.* 166. ex privilegio Clementis VII.

„ *Quanto autem tempore Paſchalis hæc obligatio ſacræ percipiendæ Synaxis perſeverare cenſendum ſit, agnoſcere clariſſime poteris ex Notific. 4 lib. 3. in qua ſic legitur*: Primum quidem per Sacros Canones apertiſſime decernitur, quod negligere haud poſſumus, ſi muneris noſtri partes adimplere velimus; alterum, nempe tempus Paſchatis, Sancta Mater Eccleſia conſtituit, non quidem ut ſumendæ Euchariſtiæ præceptum eo tempore concluderet, verum ut palam faceret, quo tempore id præceptum Fidelibus explendum foret. Hinc omnino conſequitur, non modo pœnis Canonicis per Epiſcopum eos afficiendos, qui in Paſchate ſacram Synaxim non percipiunt, uti Cardinalis de Lugo *diſp.* 16. *de Sacram. ſect.* 4. *num.* 72. & 73. clare demonſtrat, ſed etiam omnem operam, ſtudiumque conferendum eſſe, ut qui in Paſchali celebritate ejuſmodi præceptum contempſerint, alio tempore ad Divinam Euchariſtiam accedant. Ita Theologi unanimes, Suarez *in 3. par. D. Thom. tom. 3. pag.* 892. Juenin *de Sacram. diſſert. 4. quæſt. 9. cap. 2. quæſit.* 5.

„ Inſuper Pontifex Eugenius IV. tempus hujus Paſchalis præcepti his verbis declaravit in Conſtit. 20. Bullar. Rom. tom. 1.: *Intelligimus igitur optimo jure ſatisfactum eſſe Canoni, ſi in Hebdomada Sancta, vel infra Octavam Paſchæ Reſurrectionis Dominicæ, ſecundum meliorem conſcientiæ diſpoſitionem, & aptiorem mentis devotionem, Fideles præparatione debita Sanctum Euchariſtiæ pignus accipiant, & cum Domino Paſcha celebrent ad ſalutem; & huic ſententiæ omnes volumus acquieſcere.* Romæ autem die Feſto S. Bartholomæi, quod in ea Civitate die 25. Auguſti celebratur, nomina illorum, qui idem Paſchatis præceptum neglexerint, in porticu Eccleſiæ S. Bartholomæi publice deſcripta exhibentur. Cum hæc ita ſint, nemo exemplum ſeveræ nimis diſciplinæ judicabit, ſed potius mitiſſime actum a Nobis fatebitur, qui hoc anno Paſchale præceptum ad diem uſque octavum Septembris prorogavimus; nomina vero delinquentium uſque ad diem decimum octavum ejuſdem menſis promulganda decrevimus: attamen in ſequentibus annis aliter huic negotio proſpiciemus.

„ *Et nonnullis interjectis ſic in fine ejuſdem Notificationis concludit*: Illud igitur vehementer, & unice expetimus, ut in feſto Nativitatis B. Virginis Sacram Euchariſtiam percipiant, qui in Paſchate id facere omiſerunt, & animum criminum maculis penitus expurgent, cum nullum vinculum excogitari poſſit, quod facile non ſolvatur, ſi Dei opem vehementer imploremus: *Nam Deus*, ut habetur in Concil. Trident. *ſeſſ.* 6. *cap.* 11. *impoſſibilia non jubet, ſed jubendo, monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.*

„ *Hoc idem vero iterum, clariuſque confirmatur in Notific.* 14. *lib.* 3. *hiſce verbis:* In poſtrema Synodo *cap.* 3. *lib.* 2. quam Cardinalis Jacobus Boncompagnus Deceſſor noſter celebravit, ſancitum fuit, Paſchalis Communionis præceptum a Dominica *Palmarum* uſque ad Dominicam *in Albis* concludi; ad celebritatem uſque Aſcenſionis Domini monendos a Parochis pervicaces, ut juſſa faciant; poſtea denunciandos, qui parere detrectaverint, vel quos Sacra Euchariſtia indignos deprehenderint.

„ Nos autem alio loco edicimus in eos, qui in Paſchate ſumere Euchariſtiam prætermiſerint, ut die decima octava menſis Septembris in porticu noſtræ Metropolitanæ publice exponerentur, uti factum eſt, illorum nomina, qui ſaltem Euchariſtiam percipere omiſerint octava die Septembris, cum Feſtum Nativitatis Beatæ Virginis peragitur: eodem Decreto admonuimus, aliud conſilium ſuper hac re, aliamque rationem a nobis in poſterum ſuſcipiendam. Itaque rurſum indicimus ea, quæ in ipſo Decreto, & omnia, quæ in allata Synodo Cardinalis Boncompagni continentur, uti ſuperius indicavimus: nomina quoque illorum, qui Paſchali mandato non paruerint, in Diœceſi Parochiæ foribus affigi decernimus, in Civitate autem foribus Metropolitanæ, vel ſub ejus porticu die 15. Auguſti, cum Feſtum Aſſumptionis Beatæ Virginis celebratur; quos etiam ab Eccleſiæ ingreſſu interdictos eodem die declarari conſtituimus, niſi forte triduo ante ipſam celebritatem teſtimonium de percepta Sacra Euchariſtia protulerint.

Sed quoniam plura negligenter, plura etiam magna cum difficultate peragi cognovimus, vel a Parochis, vel ab iis, qui Parochiæ præcepto ſatisfacere debent, aut pro iis denunciationibus, quæ fieri ante interdictum in pervicaces conſueverunt, ideo in eam neceſſitatem adducti ſumus, ut perpauca alia ſubjiciamus.

Ac primum aliqui Rectores Eccleſiarum facile negligunt illorum nomina Patri Pœnitentiario ſcripta referre, qui ad Divinam Euchariſtiam in Paſchate non acceſſerunt, vel ea prorſus indigni judicati ſunt. Quare, ne graviſſimum hoc malum invaleſcat, ſingulis Parochis tum Civitatis, tum Diœceſis præcipimus, ut intra deſignatum temporis ſpatium Patrem Pœnitentiarium admoneant, ſi forte aliquis in Paſchate Euchariſtiæ Sacramentum haud ſumpſerit, aut ob ſingularem Dei miſericordiam præceptum ejuſmodi nemo violaverit: & ipſius Pœnitentiarii juſſu ad pronunciandum in contumaces Interdictum devenient. Qui hæc facere contempſerint, pœnas noſtro arbitrio ſtatuendas perſolvent.

Et in Notific. 4. *lib.* 3. *hæc habentur*: Suam Nobis virtutem, ſtudiumque pietatis, adeo teſtati ſunt Parochi, ut nullus timoris, ac ſuſpicionis locus ſuperſit, quin omnem curam diligenter impendant, ut eos, qui Paſchalis Communionis præceptum contempſerint, deprehendant, perditoſque homines omni benevolentiæ ſignificatione ad bonam frugem traducant. Eoſdem Parochos ab omni ſimulatione alienos ita ducimus, ut nullam ob cauſam, hominumque rationem, ſilentio aliquem præterire velint, cum ſcripta ad noſtros Miniſtros illorum nomina deferent, qui in Paſchatis celebritate Sacram Euchariſtiam non ſuſceperint. At ne Apoſtolico muneri, quo Nos ipſi fungimur, deeſſe videamur, indicimus omnibus, qui in Paſchate, vel ſpatio temporis interjecto, Sacram Euchariſtiam in Parochia, vel in alia Eccleſia, probante Parocho, non acceperint, indicimus, inquam, ut ejuſmodi præcepto ſatisfaciant ſaltem ad octavam diem Septembris, qui Beatæ Virginis Natali conſecratur. Sciant etiam decima octava die ejuſdem menſis, cum Sacra Myſteria in hac Metropolitana, ſupplicatione indicta, circumferuntur, Eccleſiæ foribus eorum nomina defigenda, qui juſſa pervicaciter haud fecerint, pœnaſque infligendas, quæ per Sacros Canones decernuntur. Itaque Parochis mandamus, ut adminiſtris noſtris a die nona Septembris ad decimam quartam eorum nomina denuncient, qui contumaces fuerint. Ne autem ſacrilegiis occaſio præbeatur, prudenter ſe gerant Parochi, dum ſcriptum teſtimonium de peracta Confeſſione ab illis pervicacibus exigunt, quos ad Sacram Menſam acceſſuros ſuſpicantur.

3 Proprius Sacerdos, de cujus conſilio poteſt differri Communio, non ſolum eſt Parochus, ſed quilibet Confeſſarius, qui a peccatis mortalibus legitime pœnitentem poteſt abſolvere, ut recte obſervant Palaus *diſp. unic. punct.* 15. Ant. a Spiritu S. *diſp.* 10. *ſect.* 2. *num.* 257. & cum aliis Dicaſtillus *diſputat.* 10. *dub.* 6. *num.* 137. Coninch *quæſt.* 80. *dub.* 4. *num.* 110. nam ille debet examinare, & cognoſcere ſtatum pœnitentis, an ſit ſufficienter diſpoſitus ad Communionem recipiendam; non enim loquimus in præſenti de impedimento phyſico, & extrinſeco, ſed de impedimento morali, ſeu de indiſpoſitione morali, ratione cujus debeat differri Communio.

Quiſnam intelligendus ſit proprius Sacerdos, *ad quem accedere debet quicumque Paſchali præcepto ſatisfacere vult, videre poteris in Notific.* 18. *lib.* 1. *in qua hæc leguntur*. Nos quidem Joannis Launoii opus illud de intelligentia memorati Canonis Lateranenſis perlegimus, qui *proprii Sacerdotis* nomine Parochum deſignari contendit. Attamen diſſertationem quoque Patris Natalis Alexandri expendimus de Hiſtoria Eccleſiaſtica XIII. ac XIV. Sæculi, in qua Launoii ſententia ſapienter refellitur. Revera ſi Joannes XXII. proſcripſit Joannis Poliaci Pariſienſis opinionem, qui Canonem Lateranenſis Concilii male interpretatus, palam affirmaverat, Sæculares, qui Regularibus Sacerdotibus ſua crimina confeſſi eſſent, ad Confeſſionem iterandam prorſus obſtringi, Parochumque adeundum, ut rite expiarentur, ſicut aperte comprobatur in Extravaganti ejuſdem Pontificis, & ex præclaro monumento deducto ex Actis Vaticani, allatoque a Raynaldo *an. Chriſti* 1321. *n.* 20.; ſi, inquam, hæc ita ſe habent, veterem, damnatumque Joannis Poliaci errorem iterum in lucem revocaret, uti Raynaldus *tom.* 2. *ſuorum Oper. pag.* 552. expendit, qui Paſchali præcepto de Confeſſione haud ſatisfieri aſſereret, niſi Parochus, aut alius Sacerdos ipſius facultate prius obtenta, ſeligatur.

Jubet igitur Lateranenſe Concilium, ut proprius Sacer-

„ dos,

„ dos, vel alter quiſpiam illius facultate pro Sacramento Pœnitentiæ adhibeatur. Illud ſolum perpendum eſt, *utrum Parochus tantum Sacerdotis proprii nomine intelligatur*. Cum tamen inficiari nemo poſſit Summo Pontifici, & Epiſcopis, præter Parochos, Sacerdotis proprii titulum convenire, hinc ſi quis ſua crimina vel ipſis, vel etiam Presbyteris, ab eiſdem ſine ulla limitatione deſignatis, confiteatur, Concilii Lateranenſis præcepto ſatis obſequitur. Ut reliquos omnes, qui graviſſime ſuper hac re ſcripſerunt, omittamus, S. Thomam *opuſculo contra impugnantes Religionem*, & S. Bonaventuram *tract. Quare Fratres Minores prædicent, & Confeſſiones audiant*, tantum afferimus, ac nominamus. Qui contrariam Sententiam audacter tueri voluit, eo paulatim adductus eſt, ut rem in medium proferret, quæ nulla ratione inniteretur, Epiſcopum nempe haud poſſe ſuorum Diœceſanorum Sacerdotem nuncupari, niſi cum Sacramentum Confirmationis, atque Ordinis adminiſtraret, vel a Caſibus reſervatis abſolveret. Sic porro deprehenditur ex Epiſtola Encyclica a Clero Gallicano, pro Generalibus Comitiis coacto, ad Epiſcopos Galliæ miſſa, in qua communem Sententiam, quam docuit Pater Bagot Soc. Jeſu, complectitur, & eum vehementer improbat, qui eumdem auctorem audaci ſcripto laceſſere non dubitaverat.

„ Hinc Pontifex Clemens VIII. anno 1592. in quoſdam Galliæ Parochos ita decrevit: *Præſenti Decreto noſtro ſancimus &c. dictis Fratribus, & Presbyteris dictæ Societatis, quam aliis privilegiatis prædictis, quibus id a Sede Apoſtolica indultum eſt, idoneis tamen, & ab Ordinario approbatis, peccata ſua, etiam Quadrageſimali, & Paſchali, & quovis alio tempore, confiteri licite poſſe, dummodo tamen iidem Sæculares Chriſti-Fideles Sacramentum Euchariſtiæ die feſto Paſchalis Reſurrectionis in propria Parochia ab eorum Parocho ſumant.*

„ Idem confirmat Clemens X. in ea Conſtitutione, quæ incipit: *Suprema*; & eos, qui dictis Religioſis ſimpliciter approbatis Paſchatis tempore confeſſi fuerint, Conſtitutione, quæ incipit: *Omnis utriuſque ſexus*, quoad Confeſſiones dumtaxat, omnes ſatisfeciſſe cenſendos.

„ Ex iis, quæ huc uſque commemoravimus, ſatis apparet, ut impleatur mandatum Lateranenſis Concilii ſæpius allatum, atque a Sacra Tridentina Synodo renovatum, quæ pariter jubet, ſemel in anno ſumendam eſſe ab omnibus Paſchali tempore Euchariſtiam, apparet, inquam, Confeſſionis præcepto ſatisfacere, qui peccata ſua cuilibet probato Sacerdoti confiteatur; tamen pro Communionis præcepto ſatis haud eſſe, Euchariſtiam qualibet in Eccleſia percipere, ſed in Parochiali id neceſſario gerendum Paſchali tempore, videlicet intra majorem Hebdomadam, aut intra Paſchatis octiduum, quemadmodum Eugenius IV. *in Conſtit.* 25. *tom.* 1. *Bullar. Roman.* declaravit.

4 Qui omittit Communionem in Paſchate, nullam cenſuram ipſo facto incurrit, quia in cap. *Omnis utriuſque ſexus*, ſolum præcipitur, ut tranſgreſſor iſtius præcepti arceatur ab ingreſſu Eccleſiæ, & careat Eccleſiaſtica ſepultura, quæ, cum ſint pœnæ ferendæ, ſi non imponantur, non incurruntur, ut notat Filliucius *tract.* 4. *num.* 61. & Coninch *quæſt.* 80. *num.* 110. Tambur. in Methodo expeditæ Commun. *cap.* 4. *num.* 65. ubi addit; *Neminem huic pœnæ ſubjici, niſi poſt latam Sententiam; cum autem vix ſit in uſu, ut contra aliquem ſimilis Sententia fulminetur, numquam ex hoc capite erit Fidelis a ſacra ſepultura depellendus.*

D U B I U M II.

Quaſnam Perſonas obliget præceptum Eccleſiaſticum ſumendi Euchariſtiam?

5 RESpond. Præceptum Eccleſiaſticum ſumendi Euchariſtiam in Paſchate obligat omnes Fideles baptizatos, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerunt, niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus ab hujuſmodi perceptione ſit abſtinendum, ut patet ex dictis *dubio præcedenti*. At quia plures ſunt, de quibus dubitari poteſt, an tali præcepto obligentur, ideo de illis ſingillatim agendum, ideſt de pueris ad uſum rationis pervenientibus, de perpetuo Amentibus, de Adultis debili ratione utentibus, de Semifatuis, Obſeſſis, & hujuſmodi.

6 Et quidem loquendo de pueris, certum eſt, illos non obligari ante uſum rationis, ut eſt definitum in Tridènt. *ſeſſ.* 21. *cap.* 4. nec obligantur ſtatim adepto rationis uſu, ſed requiritur, ut habeant ſufficientem notitiam iſtius Sacramenti, ut ſcient diſcernere inter cibum communem, & Euchariſticum, ut illi debitam reverentiam exhibere poſſint, & ad illum cum ſufficienti, & debita diſpoſitione accedere. Et quia iſta notitia, & perfectus rationis uſus, in aliis citius, in aliis tardius eluceſcit; ideo non poteſt pro omnibus aſſignari certa regula, & definiri tempus, quo incipiant obligari, ſed relinquitur prudentiæ Parochi, & Confeſſarii judicio, qui alium citius, alium tardius, prout opus fuerit, poterit ad Communionem admittere. Regulariter loquendo, obligationem primo communicandi in Paſchate videtur contineri intra annum ætatis decimum, & decimum quartum, adeo ut, regulariter loquendo, nulli ſit concedenda prima Communio ante decimum ætatis annum, nulli differenda ultra decimum quartum. Inde patet, citius obligari pueros ad Confeſſionem, quam ad Communionem, quia facilius eſt bonum a malo, quam panem conſecratum a non conſecrato diſcernere, & quia major eſt Confeſſionis, quam Communionis neceſſitas, quæ omnia patent ex praxi, & uſu Eccleſiæ.

„ *Satis hac de re dictum invenies in cap.* 7. *dub.* 1. *ad finem* §. 4. *in adnotatione potiſſimum, quæ incipit*: Quanam vero ætate *&c.*

7 Dubium eſt: *An pueri rationis, & doli capaces, & apti confiteri, qui ad Communionem nondum ſunt admiſſi, & numquam Euchariſtiam ſuſceperunt, teneantur præcepto Divino communicare in articulo mortis, & ſi infirmentur, poſſit, & debeat ipſis miniſtrari Viaticum?*

Reſp. affirmative. Ratio eſt, quia præceptum Divinum communicandi extra mortis articulum, cum ſit indeterminatum, & relictum Eccleſiæ determinandum quandonam urgeat illius obligatio, poteſt Eccleſia determinare, quod Pueri non teneantur ante perfectum uſum rationis, at præceptum Divinum communicandi in articulo mortis, cum non habeat tempus indeterminatum, non eſt relictum determinationi Eccleſiæ, ſed per ſe immediate obligat omnes capaces exiſtentes in tali periculo, ſed Pueri rationis, & doli capaces, quamvis numquam communicaverint, ſunt tamen capaces præceptum ſervandi, ſicut ſunt capaces annuæ Confeſſionis, audiendi Miſſam, & abſtinendi a carnibus, & cognoſcunt, & adorant Chriſtum in Euchariſtia exiſtentem; ergo tenentur in articulo mortis communicare, & ſumere Viaticum, etiam ſi numquam alias communicaverint. Ita Cacheran. §. 5. *num.* 88. Madernus *art.* 5. *num.* 12. Adverſa *quæſt.* 8. *ſect.* 2. Lugus *diſp.* 13. *n.* 37. Bonacina *q.* 7. *punct.* 2. *nu.* 4. & pluribus citatis Diana *par.* 5. *tr.* 3. *reſ.* 44.

8 Quod ſi dubium ſit: an Puer ſufficientem habeat uſum rationis, & cognitionem iſtius Myſterii, probabile eſt tunc Puerum non teneri communicare; melius tamen erit, ſi Communio ipſi miniſtretur a Parocho, quia in tali dubio videtur favendum tum obligationi præcepti Divini, tum utilitati pueri, qui capax eſt recipiendi fructum, & gratiam Sacramenti, & poteſt ſufficienter inſtrui, ſi opus eſt, nec ulla irrogatur irreverentia Sacramento. Ita Lugus *nu.* 44. Dicaſtillus *nu.* 120. Cacheranus *nu.* 91. & Madernus *num.* 14.

„ *Quid de Pueris proxime deceſſuris ſentiendum ſit; ac utrum eis Sanctiſſimum ſit adminiſtrandum in extremo vitæ diſcrimine Viaticum, vide quid in Synodo Diœceſana ſtatuatur lib.* 7. *cap.* 12. *Hæc autem ſunt verba*: Recte tamen, & ſine reprehenſione poterit Epiſcopus Synodali Conſtitutione Parochos compellere ad adminiſtrandum Sanctiſſimum Viaticum Pueris, mox deceſſuris, ſi eos compererint tantam aſſecutos judicii maturitatem, ut cibum iſtum cœleſtem, & ſupernum, a communi, & materiali diſcernant. Haud enim leviter delinquere credimus, qui pueros etiam duodennos, & perſpicacis ingenii, ſinunt ex hac vita migrare ſine Viatico, hanc unam ob cauſam, quia ſcilicet numquam antea, Parochorum certe incuria, & oſcitantia, Euchariſticum panem deguſtarunt.

„ *Hic vero nonnulla producuntur Patrum teſtimonia, nonnullæ etiam diſſenſiones ad hoc, ut cuilibet Parocho clare innoteſcat, quanam potiſſimum ætate ſint Pueri ipſi, alioquin mente, & corpore ſani, ad Sacram Euchariſtiam primum admittendi, quas jam ſuperius adduximus dub.* 1. *huj. cap. una cum ipſis Doctorum hac in re auctoritatibus, quibus breviter hinc inde allatis, ſic rurſus de Pueris in mortis articulo conſtitutis.* Verum etſi Doctores ita inter ſe diſſentiant, fere tamen communiter fatentur, tantam non deſiderari ætatem, ut quis in mortis articulo, & poſſit, & debeat Sanctiſſimo Viatico muniri; quinimmo Suarez expreſſe docet, omnibus, qui ſunt doli capaces, poſitis in vitæ diſcrimine, illud eſſe, ex Divino præcepto, porrigendum; abſolvit quippe ſectionem 21. cap. 4. Concil. Trid. quæ ait: *Denique Sancta Synodus docet, parvulos, uſu rationis carentes, nulla obligari neceſſitate ad Sacramentalem Euchariſtiæ Communionem &c.*..... abſolvit, inquam, in hunc modum: *Ad vero de Communione facienda in articulo mortis non eſt eadem ratio.... unde exiſtimo in illo articulo dandam eſſe Communionem cuicumque homini habenti uſum rationis ad peccandum, & capaci Confeſſionis, & Extremæ Unctionis. Quod Navarrus quidem fatetur eſſe omnibus conſulendum: ego vero exiſtimo, eſſe obligationem tam ex parte petentium, quam diſpenſantium.* Hanc Suareſii ſententiam pluribus comprobat Cardinalis de Lugo *de Euchariſt. diſp.* 13. *ſect.* 4. *num.* 37. eidemque ſuffragatur Auctor Anonymus in Carmine MS. prolato a Martene *de antiq. Eccleſ. ritib. cit. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 4. *art.* 10. §. 14. inquiens:

„ *Non Pueris des Corpus &c.....*

„ *Excipe, quos urget fera mors, anni licet bis ſint*

„ *Octo,*

„ *Octo, ſive novem, vel ſeptem, dum ſibi conſtet*
„ *Scire* Pater noſter, *& eorum vita probata.*
„ Quare nulli controverſæ opinioni calculum adjicit
„ Epiſcopus, qui in ſua Synodo Parochos ſerio adhortatur,
„ & monet, ne patiantur, omnes pueros indiſcriminatim
„ interire ſine Chriſti Corporis Viatico, illudque iis præben-
„ dum præcipit, quos iidem Parochi, diligenti præmiſſo
„ examine, tanta compererint pollere ingenii perſpicacia,
„ ut latentem ſub ſpeciebus Sacramentalibus Chriſtum, &
„ firmiter credant, & reverenter adorent: tunc vero ſecu-
„ rius id in Synodo decernitur, cum non determinatur certa
„ ætas, in qua deceſſurus puer ſit Chriſti Corpore reficien-
„ dus; circa quam unice vertitur Theologorum diſſenſio,
„ ſed ipſiuſmet prudentis Parochi judicio permittitur defi-
„ nire, an moriturus puer, ſpectata ejus indole, ſit tanti
„ Sacramenti capax; hoc ſiquidem adhibito temperamen-
„ to, nemo facile contradicet Synodali Conſtitutioni, cui
„ pene omnes Theologi ſuffragantur.

9 De Adultis habentibus debilem uſum rationis eodem modo loquendum eſt, ac de Pueris; ſi enim tanta ſit debilitas, & fatuitas, ut nullo modo valeant diſcernere inter cibum ſacrum, & prophanum, tunc illis deneganda eſt Euchariſtia, tam in vita, quam in morte, ſicut dictum eſt de pueris carentibus uſu rationis: ſi vero habeant capacitatem, & cognitionem iſtius Sacramenti, licet imperfectam, ſi adſit ſpes quod tractu temporis poſſint habere perfectiorem uſum rationis, poterit Euchariſtia ipſis differri ad tempus: ſi vero nulla ſit ſpes melioris cognitionis, & perfectioris uſus rationis, non eſt illis deneganda Communio, neque in morte, neque in Paſchate, quia ex D. Thoma *qu.* 80. *art.* 9. qui, habentes debilem uſum rationis, poſſunt aliquam devotionem hujus Sacramenti concipere, non eſt eis denegandum. Ita Henriquez, Bonacina, Lugus, Averſa, & Arriaga, quos citat, & ſequitur Madernus *art.* 5. *n.* 6.

10 Amentibus, qui nunquam uſum rationis habuerunt, nec in vita, nec in morte eſt miniſtranda Euchariſtia, ſicut nec Parvulis ante uſum rationis, quia hoc Sacramentum non eſt illis neceſſarium ad ſalutem, & timeri poteſt irreverentia. Amentibus, qui habuerunt uſum rationis, ſi non conſtat fuiſſe in peccato mortali quando inciderunt in amentiam, vel ſi non conſtat antea peccaſſe, vel conſtat ſaltem per unum teſtem de illorum pęnitentia, debet dari Euchariſtia in articulo mortis, ſi non adſit periculum vomitus, aut alterius irreverentię; quod quia in praxi raro videtur abeſſe, non ſunt Parochi ita facile damnandi peccati mortalis, ſi talibus negligant dare Euchariſtiam, cum per Extremam Unctionem poſſint illis ſubvenire. In caſu quo ſit illis danda Communio, advertunt nonnulli, prius illis dandam eſſe hoſtiam non conſecratam ad experiendum, an cum decentia illam recipiant. Ita cum Suarez, Layman, & Coninch, Palaus *tr.* 21. *punct.* 10. *n.* 9.

11 Si amentia non ſit perpetua, ſed habeant lucidum intervallum, poterit Euchariſtia illis miniſtrari etiam in vita, ſi illam in tali lucido intervallo cum debita devotione recipiant, maxime ſi in una, aut altera tantum re ſint amentes, & non in materia iſtius Sacramenti, ut recte obſervat Lugus *de Pęn. diſp.* 15. *n.* 148. Coninch *n.* 74. Idem dicendum de Phræneticis, quibus danda eſt Euchariſtia, ſi non timeatur irreverentia; quapropter, ad experiendum, poterit infirmo deliranti prius præberi particula non conſecrata, quam ſi reverenter recipit, poterit præberi particula conſecrata. Ita Franc. a Jeſu Maria *tract.* 4. *c.* 8. *n.* 14.

12 Semifatui, ſi judicantur eſſe in gratia, debent admitti ſolum ad Communionem Paſchalem, & in articulo mortis: & ſi agatur de Sene, maxime Religioſo, qui ſemper bene vixit, & præ ſenectute ſemifatuus judicatur, ſi retinet antiquam bene vivendi rationem, frequentius poterit ipſi miniſtrari Euchariſtia, judicio prudentis Confeſſarii, quia cum his non apparet tanta indecentia. Ita Antonius a Spiritu S. *diſp.* 10. *ſect.* 2. *n.* 259.

13 Cum Energumenis, ſeu a Dęmone obſeſſis, ſi perpetuo, vel ad tempus rationis uſu priventur, idem agendum, ac de Amentibus dictum eſt. Si vero non priventur uſu rationis, ſed corporaliter dumtaxat, ut ſæpe fit, a Dæmone vexentur, concedenda eſt illis Euchariſtia, ſecluſo irreverentiæ periculo; non ſolum in mortis articulo, de quo nullum eſt dubium, ſed etiam in Paſchate, & aliis temporibus, prudentis arbitrio Confeſſarii; nam ejus virtute, & auxilio, vel Dęmon expelletur, ſi ita homini expedit, vel homo juvabitur ad patienter, & cum fructu ſuſtinendum laborem. Ita cum D. Thoma *art.* 9. *ad* 2. Suarez *diſp.* 69. *ſect.* 2. Reginaldus, Poſſevinus, Bonacina, Sotus, Layman, Palaus, & alii, quos citat, & ſequitur Franciſcus, a Jeſu M. *cap.* 7. *punct.* 1. *num.* 14. colligitur ex Caſſiano *coll.* 7. *cap.* 30. ubi ait: *Qui ab immundis vexantur Spiritibus, Communionem Sacroſanctam a Senioribus noſtris nunquam meminimus interdictam*, & hujus rei rationem affert: *magis namque, ac magis, inimicus inſultabit obſeſſo, cum eum a cæleſti medicina viderit ſegregatum, tantoque diutius, & frequentius attentabit, quantum eum a ſpirituali remedio longius ſenſerit abdicatum.* Et miracula quædam refert, quibus Energumeni, per Communionem liberati, aut alias quandoque adjuti fuerunt.

DUBIUM III.

Qualis Euchariſtiæ ſumptio requiratur ad implendum præceptum Communionis in Paſchate?

14 Triplex communiter aſſignatur ſumptio Euchariſtię, ſeu tribus modis poteſt ſumi Euchariſtia ex Tridentino *ſeſſ.* 13. *c.* 8. & *ſeſſ.* 22. *cap.* 6. & Catechiſmo Pii V., ubi de hoc Sacramento. Primo ſpititualiter tantum, & contingit, quando quis habet affectum, & deſiderium ſumendi Euchariſtiam abſque reali manducatione. Secundo ſacramentaliter tantum, quando Sacramentum re ipſa ſuſcipitur, ſed ſine fructu, propter obicem peccati, ut contingit iis, qui indigne communicant. Tertio ſacramentaliter, & ſpiritualiter ſimul, quando re ipſa ſuſcipitur Sacramentum cum fructu, ut contingit iis, qui digne, & debite ſuſcipiunt. Addunt alii quartum modum ſumendi Euchariſtiam mere materialiter, & contingit, quando hoſtia conſecrata ab ignorante conſecrationem ſumitur per modum panis communis, & hæc ſumptio poteſt competere etiam Brutis, & Hominibus non baptizatis; ſed hæc non eſt vera ſumptio Euchariſtiæ, ſicut aliæ aſſignatæ. His poſitis.

15 Certum eſt, ſumptionem pure ſpiritualem non ſufficere pro implendo præcepto ſuſcipiendi Euchariſtiam in Paſchate, nam illud obligat ad veram, & realem manducationem, & ſumptionem; eſt tamen ſumptio ſpiritualis ſufficiens ad recipiendam gratiam ex opere operantis: nam qui voto, affectu, ac deſiderio, nec non fide viva, quę per dilectionem operatur, cęleſtem panem edunt, fructum ejus, & utilitatem ſentiunt, ut docet Trid. *ſeſſ.* 13. *cap.* 8. *Neque tamen fruſtra*, inquit D. Thomas *quæſt.* 80. *art.* 1. *adhibetur Sacramentalis manducatio, quia plenius inducit Sacramenti effectum ipſa Sacramenti ſuſceptio, quam ſolum deſiderium.* Difficultas eſt: *an ſufficiat ſumptio mere Sacramentalis*, quod eſt idem ac quærere: *an ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ ſumendi Euchariſtiam in Paſchate, qui indigne, & cum peccato mortali voluntarie ſumit hoc Sacramentum.*

16 Prima Sententia affirmabat, indigne communicantem peccare quidem mortaliter contra præceptum Divinum, & Naturale non communicandi indigne, attamen adimplere pręceptum Eccleſiaſticum communicandi in Paſchate. Ratio eſt, quia taliter communicans adimplet ſubſtantiam præcepti Eccleſiaſtici, quo præcipitur actualis Communio, quamvis non adimpleat modum, quo digne ſumenda eſt; modus autem præcepti non cadit ſub præcepto. Ita Azorius, Sotus, Suarez, Coninchus, Sà, Facundez, quos affert, & ſequitur Palaus *punct.* 15. *n.* 12. Vaſquez *de Pœnit. q.* 92. *art.* 3. *dub.* 5. Lugus *diſp.* 16. *ſect.* 4. *n.* 83. Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſ.* 43. & pluribus citatis, Leander *diſp.* 3. *q.* 28.

17 Sed hi omnes Doctores ſcripſerunt ante propoſitionem damnatam ab Innocentio XI. qui *die* 2. *Martii* 1679. in Congregatione Generali Inquiſitionis damnavit illam propoſitionem, quæ eſt in num. 55. *Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.* Quare prædicta Sententia non amplius ſubſiſtit, & facile reſpondetur rationi oppoſitæ, præceptum Communionis annuæ non ſolum obligare quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad modum dignæ ſumptionis, quia præcipit, ut ſumatur tanquam cibus ſpiritualis animarum, quo alantur, & confortentur viventes, ut loquitur Trid. *ſeſſ.* 13. *c.* 2. Non poteſt autem hoc modo ſumi, niſi digne ſumatur, & in gratia.

DUBIUM IV.

An qui non communicavit in Paſchate, teneatur communicare quamprimum poſt Paſcha?

18 Qui ex cauſa rationabili Communionem omiſit in Paſchate, ex conſilio Confeſſarii, tenetur abſque dubio Communionem ſumere tempore a Confeſſario præſcripto, quia in cap. *Omnis utriuſque ſexus* conceditur Confeſſario facultas prorogandi tempus Paſchale. Difficultas igitur eſt: *an quando ex tua malitia, vel ex impotentia, Communionem eo tempore omiſiſti, tenearis communicare quamprimum moraliter potes poſt Paſcha?* in quo diſcrepant Doctores.

19 Prima Sententia docet, omittentem Communionem in Paſcha, non teneri amplius eo anno communicare, ea ratione, qua qui hodie non recitavit Officium, aut non audivit Miſſam in die Feſto, non tenetur die ſequenti recitare, aut Miſſam audire, quia nimirum illæ ſunt obligationes affixæ diei: ita ſimiliter obligatio Communionis eſt affixa tempori Paſchali, quo tempore ſpecialiter intendit Eccleſia hac Sacra Communione recolere memoriam Dominicæ paſſionis, & mortis; ac proinde, illo tempore tranſacto, ceſſat obligatio communicandi illo anno. Ita Silveſter, Tabiena, Valentia, Henrincx, Sotus, Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 41. apud Cacheranum §. 4. *n.* 64. alii apud Leandrum *diſp.* 3. *qu.* 29. & probabilem aſſerit Filliucius *cap.* 3. *num.* 57. tum propter auctoritatem Doctorum, tum quia communiter Fideles ſe tantum peccare, ſemel, non communi-

municando, putant, cui communi exiſtimationi videtur ſavendum, ne tot peccata multiplicentur.

20 Secunda Sententia ſequenda, & in praxi conſulenda, tenet, non communicantem in Paſchate, ſive ex malitia, ſive ex alio impedimento, teneri communicare quamprimum moraliter poteſt poſt Paſcha. Ratio eſt, quia obligatio communicandi in Paſchate includit virtualiter duo præcepta; alterum communicandi ſemel in anno, ne Euchariſtiæ ſumptio nimium differatur cum periculo violandi præceptum Divinum de communicando aliquoties in vita: alterum communicandi in Paſchate propter ſolemnitatem illius temporis, ac proinde tempus Paſchale non aſſignatur pro finienda obligatione, ſed ne ulterius differatur. Quando autem terminus non aſſignatur ad finiendam obligationem, ſed ne ulterius differatur, qui tempore præſcripto omiſit facere rem debitam, non manet liber ab obligatione, ſed tenetur illam facere quamprimum poteſt; ſicut obligatus ſolvere pecuniam certo die, ſi tempore præſcripto non ſolvit, non manet liber ab obligatione, ſed tenetur ſolvere quamprimum poteſt, quia terminus non eſt aſſignatus ad finiendam obligationem, per quod patet ad rationem oppoſitam. Et ita tenet Navarrus, Paludanus, Nugnus, Gonettus, Sylvius, Suarez, Amicus, Lugus, Lauræa, quos citat, & ſequitur Cacheranus §. 4. *num.* 65. Madernus *quæſt.* 7. *art.* 6. *num.* 12. Averſa *q.* 8. *ſect.* 3. Laym. Reginaldus, Filliucius, Facundez, Hurtado, Villalobos, Trullench, & alii, quos citat, & ſequitur Leander *diſp.* 3. *quæſt.* 29.

„ *Satis ſuperque huic ſatisfactum fuit difficultati in Notiſic. 4. lib. 3. jam allata ad* §. 2. *dub.* 1. *cap.* 8.

21 *An qui prævidet ſibi futurum impedimentum communicandi in Paſchate, teneatur prævenire Communionem?* Negant qui aſſerunt obligationem Communionis eſſe affixam tempori Paſchali. At quia diximus, præceptum communicandi eſſe virtualiter duplex, alterum communicandi ſemel in anno, alterum communicandi tempore Paſchatis, qui jam antea illo anno communicavit, non tenetur anticipare Communionem Paſchalem, quia per illam Communionem ſatisfecit obligationi communicandi ſemel in anno, & per anticipationem non ſatisfacit obligationi communicandi in Paſchate. At qui nondum eo anno communicavit, & prævidet ſibi futurum impedimentum non amplius eo anno communicandi, tenetur prævenire, & anticipare pro adimplenda obligatione communicandi ſemel in anno; a fortiori, qui in Hebdomada Sancta prævidet ſibi futurum impedimentum communicandi reliquis diebus, tenetur in Hebdomada Sancta communicare, quia jam currit tempus talis obligationis; ſicuti qui primo mane diei Feſti prævidet impedimentum audiendi Sacrum reliquo tempore illius diei, tenetur audire primo mane, quia jam cœpit obligatio, & poteſt illi ſatisfacere. Ita Cacheranus *num.* 66. Suarez, Sà, Bonacina *q.* 7. *punct.* 2. *num.* 15. Madernus *loco cit. num.* 15. & 16.

22 *An qui Communionem Paſchalem propter futurum impedimentum bona fide anticipavit, teneatur iterum communicare, ſi forte ceſſet impedimentum?* Negat Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 42. quia per illam Communionem anticipatam ex interpretatione legis cenſetur præceptum adimpletum.

Reſp. affirmative, quia Communio anticipata fuit ad ſatisfaciendum præcepto Communionis annuæ, non Communionis in Paſchate. Ita Arriaga, & alii cum Cacherano *num.* 70. Lugus *diſp.* 16. *num.* 77 Hurtado *diſp.* 10. *diff.* 3. Dicaſtillus *diſp.* 10. *num.* 93. Leander *q.* 31.

D U B I U M V.

An præceptum Communionis Paſchalis obliget ad eam ſumendam in propria Parochia, & de manu proprii Paſtoris?

23 RESpond. affirmative, niſi proprii Paſtoris licentia, conſuetudine, aut privilegio eximatur, quia ſic præcipitur in cap. *Omnis utriuſque ſexus*, & quia diſpenſare Euchariſtiam eſt actus juriſdictionis proprius Parochi, & Paſtoris paſcentis Gregem Chriſti, ut dictum eſt ſupra *cap.* 6. *dub.* 1. Et licet pro reliquo tempore, reſpectu Communicantium ex devotione, præſumatur conſenſus Parochi, ut poſſint a quocumque Sacerdote Communionem accipere; non ſic reſpectu Communicantium in Paſchate pro adimplendo præcepto, ut ibidem innuimus. Quare qui communicat in Paſchate extra propriam Parochiam abſque conſenſu ſui Paſtoris, non dicitur ſatisfeciſſe præcepto Eccleſiæ. Ita Suarez *diſp.* 72. *ſect.* 2. Leander *diſp.* 3. *quæſt.* 14. Navarrus, Henriquez, Azorius, Reginaldus, quos affert, & ſequitur Bonac. *diſp.* 4. *q.* 7. *punct.* 2. a. 7.

24 Excipiuntur primo Regulares, qui non ſubduntur Parocho, ſed proprium Superiorem agnoſcunt: Famuli etiam Religioſis, ſeu Regularibus inſervientes, ſi in Clauſura degunt, ex variis Summorum Pontificum privilegiis, poſſunt de manibus Religioſorum Euchariſtiam ſumere, non ſolum pro adimplendo præcepto, tempore Paſchali, ſed etiam pro Viatico, tempore mortis, ut notavimus ſupra *cap.* 6. *dub.* 5. & docet Bonacina *n.* 10.

25 *Excipiuntur* ſecundo Sacerdotes celebrantes, qui, ubivis celebrando tempore Paſchatis, ſatisfaciunt præcepto Communionis Paſchalis, quando tamen non celebrant, ſed communicant more Laicorum, tunc tenentur de manu proprii Sacerdotis, & in propria Parochia Euchariſtiam recipere, quia conſuetudine introductum eſt, ut ſatisfaciant ſolum quando celebrant in Paſchate, non quando communicant more Laicorum. Ita Lugus *diſp.* 58. *ſect.* 1. *num.* 31. Palaus *punct.* 15. *num.* 12.

„ *Utrum vero, & quando Sacerdotes teneantur Paſchali huic præcepto in Parochia propria, more Laicorum, ſatisfacere, vide quid decernatur in Notiſic.* 4 *lib.* 3. *in qua hæc potiſſimum legantur:* Non ignoramus pariter, Sacerdotes in Paſchate ea lege non obſtringi, ut a ſuis Parochis Communionem accipiant, vel in Parochia rem divinam faciant, ut Roſignolius *de Euchariſt. tom.* 15. *art.* 3. *q.* 8. *num.* 50. aſſerit, plurium Scriptorum auctoritatibus confirmatus; ſed etiam cognitum habemus Sacerdotes aliquos raro per annum in hac Diœceſi Sacro peragendo vacare, eam opinionem re ipſam probantes, quam S. Pius V. ex libris Cardinalis Cajetani deleri juſſit, nempe levi culpæ ſolum obnoxios eſſe, qui nulla animarum cura præditi, nunquam per anni curſum Sacrificium Miſſæ celebraverint. Siquidem S. Thomas 3. *part quæſt.* 81. *art.* 10., ac deinde reliqui Theologi fere omnes docent, a Presbytero, licet nulli Eccleſiæ præpoſito, lethale crimen admitti, niſi ſolemnioribus Feſtis Sacrum conficiat; quod etiam Trident. Synodus *ſeſſ.* 23 *cap.* 14. indicat, & Juveninus in quinta diſſertatione de Sacramentis *quæſt.* 7. *cap.* 1. *art.* 1. commemorat. Quare ſi Sacerdotes ejuſmodi ne quidem in Paſchate Sacrificium Miſſæ agere velint, aut impediantur, Euchariſtiam ex manibus Parochi ſuſcipiendam ipſis declaramus, ut præcepto ſatisfaciant; tunc enim ipſos, veluti inter Laicos adnumeramus, uti Roſignolius idem *loco ſuperius allato* teſtatur &c.

„ Excipiuntur tertio Familiæ Cardinalium, nam ipſemet Cardinalis, etiam pro Paſchate, ſolet toti ſuæ Familiæ Euchariſtiam diſpenſare, ut notat Cacheranus §. 4. *numer.* 77.

26 Quoad Peregrinos, & Advenas dicunt aliqui, liberum illis eſſe Euchariſtiam ſumere in Paſchate, quando ad proprios Parochos commode accedere non poſſunt, ex tacita eorum licentia, juxta declarationem Eugenii IV., non ſolum a Religioſis, qui juxta eorum privilegia poſſunt illis Euchariſtiam miniſtrare, ut cum aliis docet Leander *diſp.* 3. *quæſt.* 17. ſed etiam a quocumque alio Sacerdote non Parocho, & extra Eccleſiam Parochialem, ut cum Cajetano, Navarro, Soto, & Azorio, docent Palaus *num.* 10. & Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. diſp.* 23. *a num.* 17. Sed alii rationabilius volunt, debere communicare in Parochia ſui hoſpitii, vel ſi omnino ſint vagi, & errantes, in Eccleſia Cathedrali, ut docet Bonacina *quæſt.* 7. *punct.* 2. *num.* 8. ubi affert declarationem Eugenii IV., & quidem ſi in tali Parochia communicant, ſatisfacere præcepto non eſt dubium.

27 Reſtat difficultas: *an quilibet Fidelis poſſit Euchariſtiam, aliaque Sacramenta recipere in ſua Eccleſia Cathedrali?* Videtur affirmandum; nam Eccleſia Cathedralis videtur communis illius Diœceſis Eccleſia, cum in ea reſideat communis Paſtor illius Diœceſis, qui poteſt appellari proprius Sacerdos omnium Fidelium illius Diœceſis.

28 Reſp. Communicantem in Eccleſia Cathedrali ſine licentia proprii Parochi, vel Epiſcopi, non ſatisfacere præcepto Communionis Paſchalis a proprio Sacerdote ſumendæ, juxta caput: *Omnis utriuſque ſexus*, nam uſus obtinuit, ut hoc præceptum adimpleatur in propria Parochia. Ita cum Bonacina, & aliis, tenet Ant. a Spiritu S. *diſp.* 10. *ſect.* 2. *num.* 270. Leander *diſp.* 3. *quæſt.* 15. Et ita deciſum videtur ab Innocentio XI. anno 1681. qui declaravit, non ſatisfieri præcepto Communionis Paſchalis a communicantibus in Baſilica Lateranenſi, vel Vaticana, vel Nationali, ſed eſſe communicandum in propria Parochia, ſub qua quis habitat, ut teſtatur Jacobus Pignatellus *tom.* 7. *conſ.* 89. *num.* 18.

„ *De hoc præcepto, Sacroſanctam ſcilicet ſumendi Euchariſtiam tempore Paſchali in propria Parochia, vel ſi in alia, ſemper tamen de proprii Paſtoris conſenſu, diſtinctius ſermo pluribus in locis habetur, in duabus potiſſimum, & diverſis Notificationibus, quas hic, ut promiſſis fideliter ſatisfaciam, ſic ad litteram, & ſeparatim exponam; ad hoc præcipue, ut illorum removeatur error, qui Paſchali huic præcepto ſatisfeciſſe ſe putant, ſi, pro ſumenda Euchariſtia, Metropolitanam, vel Cathedralem potius, quam Parochialem Eccleſiam adierint. Et primum vide Notificationem poſitam num.* 18. *lib.* 1. *a* §. 7. *qui incipit:* Hinc Pontifex &c. *quem ad litteram adjunctum invenies ad* §. 3. *hujuſce Capitis, ubi duo exhibentur Decreta, alterum Clementis VIII. quod incipit:* Præſenti Decreto noſtro &c. *alterum Clementis X. in Conſtitut. quæ incipit:* Suprema; *quibus Decretis hoc idem firmiſſime ſtatuitur; ad implendum ſcilicet Concilii Lateranenſis mandatum, quod jubet ſemel ſaltem in an-*

„ no

„ *no ſumendam eſſe ab omnibus Paſchali tempore Euchariſtiam, non qualibet in Eccleſia eam eſſe percipiendam, ſed in Parochiali tantum, & a proprio Parocho, vel ſi ab alio, ſaltem de Parochi ejuſdem expreſſo conſenſu: ad cujus rei confirmationem hæc itidem eodem loco ſecuntur.*

„ Licet hæc Conſtitutio apertiſſima ſit, alias tamen varia impedimenta propoſita fuerunt, ut Eccleſiæ Parochiales hoc jure ſpoliarentur. Nonnulli ſe præcepto parere arbitrabantur, ſi in ſua Eccleſia, licet non Parochiali, Sacramentum Communionis acciperent, & inane quoddam privilegium ad id præſeferebant. Verum Sacra Congregatio hanc opinionem penitus evertit, uti ex declaratione, quæ apud Dianam typis *in Editione coordinata t.2.reſol.* 20. tradita fuit, liquido probatur.

„ Hac proſcripta Sententia illud novum contra Parochiales Eccleſias excogitatum fuit, id eſt Paſchale mandatum ſatis impleri, ſi quis pro ſumenda Communione Metropolitanam, vel Cathedralem Eccleſiam adiret. Sed omiſſis iis omnibus, quæ in hanc rem ſcripta fuerunt, certum quidem eſt, poſt Innocentii XI. deciſionem, habitam die 5. Febr. an. 1682. in qua Pontifex hujuſmodi præcepto minime ſatisfieri declarat, ſi qui Romæ in Eccleſiis etiam Patriarchalibus S. Joannis Lateranenſis, aut S. Petri in Vaticano, Sacram Euchariſtiam ſumant; certum, inquam, eſt Sententiam, quæ ſuperius allata eſt, omnino corruere, niſi forte Epiſcopus, vel Parochus conſentiant, ac id permittant. Ita pariter tradit Pater Giribaldus (*nempe hoc eodem cap.* 8. *dub.* 5. §. 28.) qui in noſtra Metropolitana Pœnitentiarii munus per tot annos exercuit.

„ Sed præ ceteris Card. de Lugo *lib.* 1. *de reſponſ. moral. dub.* 15. ſuper hac re luculenter diſſeruit, qui Theologicæ Scientiæ, quam in Cathedris Soc. Jeſu profeſſus fuerat, rerum quoque experientiam adjunxit, quam ex Sacris Congregationibus, quibus Cardinalis interfuit, conſecutus eſt. Rem, de qua nunc agimus, proponit, & coram Pontifice diligenter examinatam fuiſſe aſſerit, decretumque Paſchali præcepto illum non ſatisfacere, qui in ſua Parochia ad Sacram Euchariſtiam minime accedat, licet illam in Metropolitana, ſeu Cathedrali percipiat, cum unaquæque Parochia certis quibuſdam terminis concludatur, quos ultra nequit excurrere Metropolitana, licet inter Parochias adnumeretur. Et ſane quemadmodum ex Decreto Tridentinæ Synodi Parochus, ſeu alius Sacerdos, ipſo conſentiente, intereſſe debet, cum Matrimonium celebratur, neque huic mandato parerent Sponſi, qui alteri Parochiæ adſcripti, coram Parocho Metropolitano, ſive alio Sacerdote, ex ejus permiſſu, Matrimonium inirent; ita de præcepto Paſchalis Communionis idem ſtatuendum eſt. Quippe Lateranenſe Concilium per Clementem VIII. declaratum, uti diximus, hoc apertiſſime indicit, ut in ſua quiſque Parochia ad Euchariſtiæ Sacramentum accedat, ipſumque a Parocho tradatur, aut alibi, ſi tamen Parochi conſenſus habeatur.

„ Volumus autem, ut hæc noſtra Declaratio non modo locis publicis figatur, ſed etiam ut ſinguli Parochi in ſuis Eccleſiis ante proximam Paſchæ celebritatem die aliquo feſto, dum Sacrum faciunt, populo exponant omnia, quæ in ipſa continentur. Sicut autem facultas ſumendæ extra Parochiam Communionis, nonnili raro, & legitima de cauſa per Nos, aut per Vicarium noſtrum Generalem, tribuetur, ea ſemper conditione adhibita, ut acceptam facultatem, ſcriptumque teſtimonium de Communione alibi peracta Parocho oſtendant; ita id ipſum Parochi ſedulo requirant, qui ſane intelligent eo ſpectare voluntatem noſtram, ut eorum jura, atque Apoſtolica decreta illæſa tueamur &c.

„ *Id ipſum clarioribus etiam verbis exponitur in Notific.* 14. *lib.* 3. *in qua ſic legitur:* Sed jam ſermonem ad eos convertamus, qui hoc præcepto adſtringuntur. Inſtitutionem divulgavimus 18. loco libri primi poſitam, qua pro jure Parochiali, contra plurimorum opiniones, ſtatuimus Paſchalem Communionem in propria cujuſcumque Parochia peragendam; nec impleri præceptum, ſi in noſtra Metropolitana Sacra Euchariſtia ſumatur. Porro jus Parochorum, quod nos tuendum ſuſcepimus, eorum negligentia ita imminutum eſt, ut nihil pene ſupereſſe videatur; nam illos tantum ex populo, qui velint, ad Sacram Communionem in Parochia excipiunt, ceteris in agrum commigrandi poteſtatem, etiam in Hebdomada majori, facile concedunt, ſatiſque habent, ſi in Urbem redeuntes aliquod teſtimonium peractæ Communionis afferant, ab ejuſdem agri Parocho obſignatum; ita ut plures inveniantur, qui conſueta Parochi indulgentia perducti, per plures annos ad Parochiam, nequidem in Paſchate, acceſſerint, & alibi Divinam Euchariſtiam perceperint.

„ Id quidem in aliquibus Conciliis Provincialibus, & Diœceſanis alias permiſſum fuiſſe non ignoramus. In Burdigalenſi anno 1583. ita decernitur *cap.* 11. *Nemo extra ſuam Parochiam, abſque Rectoris ſui facultate, alio ſe conferat hoc Sacramentum percepturus.* In Aquenſi vero, quod celebratum fuit an. 1585. *tit. de his, quæ ad Sacram. Euchar. pertinent, Nec ulli liceat illud ſumere ab alio, quam a proprio Parocho, vel de ejus licentia.* Idem in plurimis Conciliis in Italia coactis decretum fuit, ac præſertim in ſecundo Provinciali, quod Mediolani S. Carolus habuit *Decret.* 41. *tit.* 1.: *Niſi item qui ab Epiſcopo, propriove Parocho, facultatem ſcripto conceſſam exhibuerint alio loco communicandi.* Quoniam vero Parochi nimia facilitate in his facultatibus tribuendis utebantur, idem S. Carolus in undecima Diœceſana Synodo, relatis iis, quæ in ſecunda Provinciali ſanxerat, eam facultatem alternatim concedi vetuit, videlicet a Parocho, & ab Epiſcopo, ſed illam ſibi tantum reſervavit (*Tit. monita execut. Decret. quæ ad Sacramentalia, & Sacramenta pertinent*). *Cui Decreto hæc præterea cautio adhibeatur; ne cuiquam, eadem propoſita pœna, alibi Communionem Sacram accipere liceat, etiam conſenſu, permiſſuque Parochi, niſi id ſcripto Nos probaverimus.* Urbanos itaque Parochos ſerio monemus, ne ejuſmodi modi facultatem ita facile elargiantur, caveantque diligentius, ne aliquis ex ſuo populo, ſibi de illorum facultate nimium confidens, alio commigret Sanctiſſimam Euchariſtiam percepturus. Si aliter fiat, Sancti Caroli propoſitum exemplum, conſiliumque ſequemur &c.

DUBIUM VI.

Quonam jure Laici teneantur communicare ſub una tantum ſpecie?

29 Reſp. teneri jure Eccleſiaſtico propter definitionem Trident. *ſeſſ.* 21. *cap.* 1. & 2. in quorum altero definit, non eſſe de jure divino communicare ſub utraque ſpecie, in altero ſtatuit, habere Eccleſiam poteſtatem miniſtrandi vel utramque, vel unam tantum ſpeciem, tandem decernit, quamvis ab initio Chriſtianæ Religionis non infrequens fuerit utriuſque ſpeciei uſus, de facto tamen habendam eſſe pro lege conſuetudinem communicandi ſub altera tantum ſpecie, nec alicui licere ſine Eccleſiæ auctoritate, talem conſuetudinem, aut mutare, aut reprobare. Habuit autem Eccleſia rationabiles cauſas hujus legis faciendæ; primo, ut conſuleret reverentiæ Sacramenti, quæ facile potuiſſet detrimentum pati in miniſtratione Sanguinis, propter periculum effuſionis ipſius: ſecundo, ut fidem roboraret, qua credimus ſub altera tantum ſpecie totum Chriſtum contineri: tertio, ut faveret unitati Fidelium, præcipiendo apud omnes Fideles unum, eundemque ritum Communionis, dum omnes (exceptis Sacerdotibus Sacramentum conficientibus) tenentur ſub una eademque ſpecie communicare, niſi cum aliquibus Pontifex ſpecialiter diſpenſet. Ita tenent Catholici omnes, & videri poſſunt Dicaſtillus *diſp.* 10. *dub.* 9. & Diana *part.* 8. *tract.* 1. *reſol.* 24. Bellarm. *lib.* 4. *cap.* 28.

30 Hinc facile rejiciuntur Hæretici noſtri temporis contendentes, Communionem ſub utraque ſpecie eſſe de jure divino, propter verba Chriſti Domini Joan. 6. *Niſi manducaveritis Carnem Filii Hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* nam ut habet Tridentin. *loco citat. capit.* 1. *Qui dixit: Niſi manducaveritis, & biberitis, &c. dixit quoque: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; & qui dixit: Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, dixit etiam: Panis, quem ego dabo, Caro mea eſt pro Mundi vita; & denique qui dixit: Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo, dixit nihilominus: Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Igitur auctoritas prima, *niſi manducaveritis, & biberitis,* intelligitur ſub disjunctione, ut ſenſus ſit, *niſi manducaveritis, vel biberitis.* Aliæ auctoritates probant, Communionem ſub utraque ſpecie eſſe de genere ſuo bonam, & fructuoſam, non tamen eſſe obligatoriam; qua de re late diſſerunt Cacheranus *c.* 3. §. 6. & Bellarm. *lib.* 4. *cap.* 24.

31 *Utrum vero in aliquo caſu liceat Laico ſumere Sanguinem Domini abſque ſpeciali diſpenſatione.*

Dico licere propter reverentiam Sacramenti, ut ſi contingat Sanguinem Domini in terram cadere, & Sacerdos nolit, vel nequeat lambere, poterit ipſum lambere Laicus; & propter perfectionem Sacrificii, ut ſi Sacerdos poſt ſumptam Hoſtiam moriatur, nec alius adſit Sacerdos, qui Sanguinem ſumat, poterit ipſum ſumere Laicus; nam præceptum Eccleſiaſticum, quo prohibitum eſt Laicis non communicare ſub utraque ſpecie, eſt introductum ob majorem reverentiam hujus Sacramenti, & ſic non debet obligare cum periculo majoris irreverentiæ. Sic cum Suarez, Facundez, Filliucio, Ledeſma, & Vaſquio docent Leander *diſp.* 10. *q.* 30. & Diana *part.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 34.

32 Ex nullo alio capite, præterquam ad vitandam Sacramenti irreverentiam, videtur licere, poſſe Laico ſine diſpenſatione Summi Pontificis bibere Sanguinem Chriſti; & caſus, quem aliqui afferunt de infirmo in articulo mortis conſtituto, qui poſſit vini conſecrati hauſtum, non hoſtiæ particulam ſumere, eſt metaphyſicus; qui enim poteſt ſumere ſpecies vini conſecrati, poterit etiam ſumere minimam hoſtiæ particulam, vino non conſecrato, vel aquæ

aquæ immiatam. Ita Suarez *diſp. 71. ſect. 3.* Pacondea, Sylvius, & alii, quos ſequitur Dicaſtillus *diſp. 10. dub. 11.* quidquid dicat in contrarium Leander *quæſt. 31.* & alii apud Dianam *loco cit.*

DUBIUM VII.

De frequenti uſu Euchariſtiæ.

33 Quamvis certum ſit, Fideles non teneri præcepto ſive Divino, ſive Eccleſiaſtico, ad Euchariſtiam accedere, & communicare, niſi in Paſchate, & in articulo mortis; attamen Sancti Patres, quos affert Salmeron *tom. 5. tract. 10.* & *tom. 9. tract. 41. in Joan.* ad frequentem, & quotidianam Euchariſtiæ ſumptionem hortantur, ut quod per concupiſcentiam quotidie deperditur, illo Sacroſancto animarum cibo reſtauretur. Et quidem in primitiva Eccleſia uſitatam fuiſſe quotidianam ſumptionem, colligitur ex illis verbis Actor. 2. *Erant perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & orationibus, & communicatione fractionis panis*, unde etiam nonnulli Patres apud Suarez *diſp. 69. ſect. 3. & 4.* panem quotidianum, quem in Oratione Dominica petimus, hunc ſuperſubſtantialem, & divinum interpretantur. Quapropter SS. Ambroſius *lib. 5. de Sacram. c. 4.* & Auguſt. *in lib. de verbis Domini ſerm. 28.* ajunt: *Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumis? accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit.* Et S. Baſilius in Epiſt. ad Cæſarium Patritium: *Communicare ſingulis diebus, & Sanctum Chriſti Corpus accipere, præclarum, & utile eſt.* Et in Concil. Trid. *ſeſſ. 22. c. 6* habetur: *Optaret quidem Sacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis Fideles adſtantes non ſolum ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent.*

34 Nec obſtat, quod omnes fere homines in peccata venialia ſæpiſſime labantur, hoc enim non ſufficit, ut retrahi debeant a frequenti Communione, quin potius hortandi ſunt ad illius frequentiam; nam, ut docet Trident. *ſeſſ. 13. cap. 2.* Euchariſtia inſtituta eſt tanquam antidotum, quo liberamur a culpis venialibus, & a mortalibus præſervamur. Experientia etiam conſtat, quam plures frequentatione hujus Sacramenti mutare vitam, & ad meliorem frugem reduci: quare S. Franciſcus Saleſius *in libello Introductionis ad vitam devotam*, loquens de frequenti Communione, ait: *Duo genera hominum frequente hujus Sacramenti participatione indigent; perfecti quidem, cum enim ſint optime diſpoſiti, vitaperent ipſis veteretur, ſi ad perfectionis fontem non accederent; imperfecti autem, ut ad perfectionem poſſint aliquando pertingere: fortes, ne debilitentur: debiles, ut roborentur: infirmi, ut ſanitatem recuperent: ſani, ne in morbum incidant.*

35 Quam frequens autem debeat eſſe, reſpectu uniuſcujuſque, uſus Euchariſtiæ, non poteſt certa regula definiri, ſed hoc relinquendum eſt judicio prudentis Confeſſarii, qui juxta diverſam diſpoſitionem, qualitatem, & ſtatum perſonarum alios frequentius, alios rarius ad Sacram Communionem admittere poterit. Communio quotidiana non eſt indifferenter omnibus, ſed pauciſſimis dumtaxat permittenda, cum, attentis variis impedimentis, negotiorum occupationibus, & diſtractionibus, non omnes, ſed pauci habeant neceſſariam diſpoſitionem, nec omnes ita quotidie vivant, ut quotidie mereantur accipere, ut requirunt S. Ambroſius, & S. Auguſtinus, qui poſt illa verba: *accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit*, addunt: *Sic vive, ut quotidie merearis accipere.* Religioſi, & Moniales debent, per ſe loquendo, frequentius accedere, quam Sæculares, in quibus, attentis occupationibus, & diſtractionibus jam rari ſunt, qui debeant ad Communionem admitti pluſquam ſemel in hebdomada, ut notat Layman *tract. 4. cap. 5. nu. 7.* Videri etiam poſſunt Coninch *quæſt. 80. art. 10.* Franc. a Jeſu Maria in curſu morali Salmat. *cap 8. punct. 3.* Cacheranus §. 7. & Lugus *diſp. 17. ſect. 2. per totam.*

„ *De Sacramentalis autem Communionis frequentia, vi-*
„ *de quid decernatur in Synodo Diœceſana cap. 12. lib. 7. ubi*
„ *hæc habentur*: Quod ſi in Synodo aliquid dicendum oc-
„ currat de Sacramentalis Communionis frequentia, caveat
„ Epiſcopus, ne, aut univerſim improbet, aut omnibus
„ indiſcriminatim ſuadeat quotidianum ad Sacram Men-
„ ſam acceſſum. Etſi enim priſci Fideles conſueverint quo-
„ tidie Euchariſticum panem deguſtare, quod diſcimus ex
„ S. Juſtino *in Apologia prima*, quam pro Chriſtianis ob-
„ tulit Imperatori Antonino, ex S. Cypriano *in expoſitio-*
„ *ne Orationis Dominicæ*, ex S. Hieronymo *Epiſt. 50.* ex
„ Canon. *Omnes Fideles, de Conſecrat. diſt. 1. & Canon.*
„ *Peracta, ibid. diſt. 2.* Quidquid ſit, an ad quotidianam
„ Communionem ex Eccleſiæ præcepto adigerentur, que-
„ madmodum opinatur Vaſquez *3. part. diſp. 214.* an po-
„ tius ex mera devotione, & charitatis ardore, quotidia-
„ nus ejuſdem uſus fuerit a Fidelibus receptus, quod exi-
„ ſtimant Suarez *cit. diſp. 69. ſect. 3.* & Juenin *de Sacra-*
„ *ment. diſſert. 4. quæſt. 9. cap. 3. art. 1. in fine*, indubita-
„ tum eſt, poſterioribus Sæculis, poſtquam ſcilicet elan-
„ guit Fidelium charitas, non ſolum intermiſſam fuiſſe
„ Communionis frequentiam, ſed jamdudum, hoc eſt a
„ Sæculo XII. inter pios, & doctos vehementer dubita-
tum, an conſulendus eſſet Fidelibus quotidianus Chriſti „
Corporis eſus: ſiquidem apud Innocentium III. *de My-* „
ſter. Miſſ. lib. 4. cap. 42. legimus: *Dicat ergo quis, non com-* „
municandum eſſe quotidie, dixerit alius quotidie com- „
municandum non eſſe, quæ certe verba indicant, rem „
poſitam in quæſtione, quam Innocentius non ſolvit, ſub- „
jungens: *Faciat unuſquiſque, quod pie crediderit fa-* „
ciendum; atque ad id comprobandum affert Auguſti- „
num, relatum in *Can. Quotidie, de Conſecrat. diſt. 2.* „
ubi ait: *Dixerit quiſpiam non quotidie accipiendam Eu-* „
chariſtiam; alius affirmat quotidie: faciat unuſquiſque, „
quod ſecundum Fidem ſuam pie credit eſſe faciendum. „
Eamdem quæſtionem diſtincte, & perſpicue, ſuo more, „
pertractavit Divus Thomas *3. part. quæſt. 80. art. 10.*, „
in qua docet, eſum quidem Euchariſtici panis, in ſe „
ſpectatum, ſemper eſſe ſalutarem, & nihilominus non „
ſemper cuicumque expedire illum ſumere, quia non ſem- „
per reperitur in ſumente diſpoſitio requiſita ad dignam „
illius comeſtionem: ex quo concludit: *Et ideo ſi ali-* „
quis ſe quotidie ad hoc paratum invenit, laudabile „
eſt, quod quotidie ſumat; unde Auguſtinus cum dixiſ- „
ſet: accipe quod quotidie tibi proſit, ſubjungit: *ſic vi-* „
ve, ut quotidie merearis accipere; ſed quia multoties „
in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotio- „
nis occurrunt, propter corporis indiſpoſitionem, vel ani- „
mæ, non eſt utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sa- „
cramentum accedere. „

Hæc perpendentes Sapientiſſimi Tridentini Patres, „
duobus a ſe editis Decretis, Fideles hortati ſunt ad San- „
ctiſſimæ Communionis frequentiam, ſibique in votis eſſe „
demonſtrarunt, ut quilibet tanta emineat morum inte- „
gritate, ut digne poſſit etiam quotidie Chriſti carnibus „
paſci: conſulto tamen abſtinuerunt ab univerſali regula, „
hac de re tradenda, cum ſatis exploratum haberent, „
eam unice deſumi poſſe a cujuſlibet peculiari ſtatu, de- „
votione, & charitate. Primum Decretum habetur *ſeſſ.* „
13. cap. 8. eſtque hujuſmodi: *Paterno affectu admonet* „
S. Synodus, hortatur, rogat, & obſecrat per viſcera „
miſericordiæ Dei noſtri, ut omnes, & ſinguli, qui Chri- „
ſtiano nomine cenſentur .... hæc Sacra Myſteria Corporis, „
& Sanguinis ejus, ea Fidei conſtantia, & firmitate, ea „
animi devotione, ea pietate, & cultu credant, & vene- „
rentur, ut panem illum ſuperſubſtantialem frequenter ſu- „
ſcipere poſſint. Alterum extat *ſeſſ. 22. cap. 6. de Sacrif.* „
Miſſæ: Optaret quidem Sacroſancta Synodus, ut in ſin- „
gulis Miſſis Fideles adſtantes non ſolum ſpirituali affectu, „
ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione commu- „
nicarent, quo ad eos Sanctiſſimi hujus Sacrificii fructus „
uberior proveniret. „

Sed nihilominus hæc ſaluberrima Tridentini Decreta „
non extinxerunt antiquam, quam innuimus, controver- „
ſiam; quinimmo hæc, Sæculo elapſo, acrius inter Theo- „
logos recruduit; plures quippe quotidianæ Communioni „
plus æquo patrocinantes, eam omnibus, ſine perſonarum „
delectu, ſuadendam dictitarunt, e quorum numero fuit, „
qui hanc etiam propoſitionem non eſt veritus aſſerere, „
quam die 2. Martii 1679. Apoſtolicæ damnationis telo „
confixit Innoc. XI.: *Frequens Confeſſio, & Communio,* „
etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinatio- „
nis; alii contra frequentiorem, multoque magis quotidia- „
num ad Sacram Menſam acceſſum, nimium imprudenter „
univerſim damnarunt. Utriuſque claſſis Auctores referunt „
Rhodes *diſp. 1. q. 4. ſect. 1. §. 2. & 3.* Joannes Sanchez *diſp.* „
22. Card. de Lugo *de Euch. diſp. 17.* & Cardenas *Cri-* „
ſis Theolog. tom. 3. diſputat. 66 Ad hanc vero litem „
præcidendam, jubente, atque approbante Innocentio XI. „
die 12 Februarii 1679. promulgatum eſt Decretum, „
quod integrum legitur apud citatum Cardenas *cap. 1.* & „
la Croix *lib. 6. part. 1. n. 655.* e quo hæc verba, ad Epiſ- „
copos maxime pertinentia, tranſcribimus: *In hoc igitur* „
Paſtorum diligentia potiſſimum invigilabit, non ut a fre- „
quenti, aut quotidiana Sacræ Communionis ſumptione, „
unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut ſu- „
mendi dies generaliter conſtituantur, ſed magis quid „
ſingulis permittendum per ſe, aut Parochos, ſeu Con- „
feſſarios, ſibi decernendum putet, illudque omnino pro- „
videat, ut nemo a Sacro Convivio, ſeu frequenter, ſeu „
quotidie acceſſerit, repellatur; & nihilominus det operam, „
ut unuſquiſque digne, pro devotionis, & præparationis „
modo rarius, aut crebrius Dominici Corporis ſuavitatem „
deguſtet .... Proderit etiam præter Parochorum, & Con- „
feſſariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti „
& cum eis conſtitutum haberi, ut cum Fideles ad San- „
ctiſſimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) „
accenderint, ſtatim de magna ad illud ſumendum præ- „
paratione orationem habeant, generatimque oſtendant, „
eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam ſalutiferi ci- „
bi ſumptionem, devoto ſtudio excitantur, debere, ſive „
Laici negotiatores ſint, ſive Conjugati, ſive quicumque „
alii, ſuam agnoſcere infirmitatem, ut dignitate Sacra- „
menti, ac Divini judicii formidine, diſcant cæleſtem „
Menſam, in qua Chriſtus eſt, revereri; & ſi quando ſe „
minus paratos ſenſerint, ab ea abſtinere, ſeque ad majo- „
rem præparationem accingere. „

„ Si itaque in Synodo inſtituatur ſermo de frequenti, aut etiam quotidiano Sanctiſſimæ Euchariſtiæ eſu, non eſt deviandum ab hujus Decreti ſemita; ſed ſi qua Parochis tradenda ſit inſtructio, curandum eſt, ut hæc illi adamuſſim reſpondeat: præcipue vero monendi ſunt Confeſſarii, ne frequentem ad Euchariſtiam acceſſum iis aut ſuadeant, aut permittant, qui in gravia peccata ſæpe labuntur, nec de pœnitentia peragenda, ſuaque vita emendanda ſunt ſolliciti; ſicuti nec illis, qui, etſi gravia evitent crimina, voluntatem tamen habent venialibus inhærentem; qua de re legendi ſunt S. Franciſcus Saleſius *Philoteæ par. 2. cap. 20.*, & Joannes Taulerus *ſerm. 4. in Feſto Ven. Sacram.*

CAPUT IX.

De Diſpoſitionibus ad Euchariſtiam requiſitis ex parte Animæ.

DUBIUM I.

Quænam diſpoſitio requiratur ad recipiendum fructum hujus Sacramenti?

AD ſumendam Euchariſtiam alia requiritur diſpoſitio quoad animam, alia quoad corpus: quoad animam requiritur puritas, & mundities ab omni macula peccati mortalis, & ſtatus gratiæ ſanctificantis; adeo ut peccet mortaliter, qui ad illam accedit cum conſcientia peccati mortalis, ut colligitur ex 1. Corinth. 11. *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini*: quod eſt novam culpam committere, ut habetur ex Trident. *ſeſſ. 13. cap. 7.* Ratio eſt, quia hoc non eſt Sacramentum Mortuorum, per ſe inſtitutum ad producendam primam gratiam, ſicut Baptiſmus, & Pœnitentia, ſed Sacramentum Vivorum, per ſe inſtitutum ad producendam ſecundam gratiam, quod proinde ſupponit primam gratiam jam productam. Eſt etiam Euchariſtia per ſe primo inſtituta per modum cibi, & potus ad nutriendam animam, non autem ad primo vivificandam; quapropter qui ad illam accedit cum conſcientia peccati mortalis, facit contra ejus finem, & inſtitutionem, ac proinde graviter peccat, & quidem gravius, prout cum majori, & graviori peccato accedit. Hoc peccatum indigne communicantium S. Auguſtinus *tract. 92. in Joan.* comparat cum peccato Judæ proditoris; & S. Chryſoſtomus *hom. 6. ad Populum Antioch.* cum peccato illorum, qui Chriſtum Dominum occiderunt; & Apoſtolus *loco citato* ait, indigne manducantem, & bibentem, reum eſſe Corporis, & Sanguinis Chriſti. Et ita cum D. Thoma *quæſt. 80. art. 5.* tenent Suarez, Henriquez, Ledeſma, Valſquez, Lugus, Bonacina, & alii communiter apud Leandrum *diſp. 7. q. 3.*

2 Qui accedit ad hoc Sacramentum cum peccato veniali, aliquando novum committit peccatum veniale, aliquando nullum; poteſt enim illud peccatum veniale, cum quo quis accedit, eſſe tantum habituale, quatenus fuit ante commiſſum, & non retractatum; vel etiam poteſt eſſe actuale, ut quando quis communicat ob inanem gloriam, aut alium finem venialiter malum, aut cum actuali complacentia peccati alicujus venialis: qui hoc ſecundo modo communicat, utique peccat venialiter, quia vel ipſa ſumptio eſt peccaminoſa venialiter, ſi fiat ob inanem gloriam, aut alium finem venialiter malum, vel habet adjunctam poſitivam irreverentiam. Ita Filliucius *cap. 7. n. 206.* Suarez *diſp. 66. ſect. 1.* Toletus, Facundez, Lugus, Ochagavia, Cornejo, & alii, quos ſequitur Leander *diſp. 7. q. 9.*

3 Qui vero accedit cum peccato veniali ſolum habituali, non peccat venialiter, quia qui ſic accedit, nullam habet poſitivam irreverentiam, ſed negationem duntaxat perfectæ reverentiæ, in quo nullum eſt peccatum: ſecus Sanctiſſimi ſolum Viri ſine peccato veniali communicarent, cum illi ſolum habeant affectum omnino purum a quocumque veniali etiam habituali. Deinde quia actualis voluntas, & deſiderium recipiendi Euchariſtiam, & illius effectum, eſt virtualis quædam retractatio venialium, ſufficiens ad illa delenda cum Sacramento, & ſic qui cum tali voluntate, & deſiderio accedit, habet ſufficientem diſpoſitionem, ut nec venialiter peccet ſic accedendo. Ita Auctores ſupra citati cum Leandro *quæſt. 8.* & alii apud Dianam *part. 3. tract. 4 reſol. 31.*

4 Ad recipiendum primarium effectum Euchariſtiæ, qui eſt augmentum gratiæ, ſufficit ſtatus gratiæ, & non requiritur neceſſario actualis devotio, & carentia venialium, quæ tamen requiritur ad recipiendos effectus aliquos ſecundarios. Prima pars colligitur ex Trident. *ſeſſ. 13. c. 7.* ubi ex profeſſo agens de diſpoſitione neceſſaria ad Euchariſtiam, ſolum prærequirit ſtatum gratiæ, & carentiam peccati lethalis, non vero actualem devotionem, aut carentiam venialium. Ratio eſt, quia Sacramenta Novæ Legis cauſant gratiam, eamque conferunt non ponentibus obicem; ſed Euchariſtia eſt Sacramentum Novæ Legis; ergo gratiam cauſat, & confert non ponentibus obicem. At qui ad illam accedit ſine actuali devotione, imo cum divagatione, & diſtractione mentis, & cum conſcientia peccati venialis, nullum ponit obicem gratiæ, cum qua ſolum peccatum mortale habet repugnantiam, & incompatibilitatem, non ſic peccatum veniale, aut mentis diſtractio; ergo actualis devotio, & carentia venialium, non eſt diſpoſitio eſſentialiter requiſita ad recipiendum augmentum gratiæ, ſed ſufficit ſtatus gratiæ, ſine aliqua alia attentione, aut fervore. Ita D. Thomas *quæſt. 79. art. 8.* & alii, quos refert, & ſequitur Suarez *diſp. 63. ſect. 3.* Vaſquez *diſp. 206. cap. 2.* Nugnus, Sylvius, Gonetus, Lauræa, Herincx, Amicus, Lugus, quos citat, & ſequitur Cacheranus *cap. 4. §. 4.* ubi dicit, eſſe communem Thomiſtarum, Scotiſtarum, & Recentiorum.

5 Dices, qui accedit ad Euchariſtiam cum peccato veniali, & mentis divagatione, accedit indigne; nam Sancti Patres communiter requirunt in ſumentibus hoc Sacramentum magnam animi puritatem, & devotionem, & ſic accedit indigne, qui illam non habet, ſecus poſſet homo ſimul peccare venialiter, & recipere augmentum gratiæ, quod eſt inconveniens, maxime ſi ſumptio Euchariſtiæ, ex eo quod fiat ob finem venialiter malum, ſit in ſe mala, & peccaminoſa. Sed contra nego antecedens, nec Sancti Patres requirunt in accedente ad Euchariſtiam animi puritatem, & devotionem, tanquam diſpoſitionem neceſſario requiſitam ad recipiendam gratiam, ſed tanquam diſpoſitionem utilem ad recipiendam majorem gratiam, quam non negamus recipi ab illo, qui cum majori devotione, & puritate accedit. Ad id quod additur, dico, nullum eſſe inconveniens, quod quis actu peccet venialiter, & ſimul recipiat augmentum gratiæ, quia tale augmentum non datur ex opere operantis, ſed ex opere operato, nec ipſa ſumptio eſt quæ dat gratiam, ſed Sacramentum tali ſumptione receptum, ac proinde non eſt inconveniens, quod ipſa ſumptio ſit venialiter peccaminoſa, & Sacramentum ſumptum conferat gratiam, ut conſtat a pari de reliquis Sacramentis.

6 Prob. ſecunda pars, quia ultra gratiam ſanctificantem plures alios producit effectus Euchariſtia, qui ſunt præcipue tres; nimirum dulcedo quædam ſpiritualis interna, remiſſio venialium, & copioſa auxiliorum collatio in ordine ad quamcumque bonam operationem: ad iſtos autem effectus ſecundarios non ſufficit ſtatus gratiæ, ſed requiritur attentio, & devotio, & quidem ad fervorem charitatis, & ſpiritualem dulcedinem eſſe neceſſariam puritatem, & animi attentionem, aperte docet D. Thomas *q. 79. art. 8.* ubi habet: *Effectus hujus Sacramenti non ſolum eſt adeptio habitualis gratiæ, & charitatis, ſed etiam quædam actualis refectio ſpiritualis dulcedinis: quæ quidem impeditur, ſi aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente diſtractus; non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ, vel charitatis.*

7 Ad remiſſionem peccatorum venialium requiritur, quod nulla adſit complacentia, aut affectus ad peccatum veniale, quod debet remitti, & adſit aliqua ſaltem virtualis illorum retractatio incluſa in ipſa voluntate recipiendi Sacramentum, & illius effectum, quæ pia voluntas attentionem aliquam, & devotionem includit, qua poſita, Sacramentum ex opere operato delet venialia omnia, ſi nullius ſit complacentia, vel illa, quorum non eſt complacentia. Auxilia actualia maxime conſiſtunt in ſanctis cogitationibus, & piis affectionibus, quæ aut totaliter, aut ſecundum aliquam partem impediuntur per diſtractionem, & vagationem mentis, & affectum male ordinatum ad peccata venialia: quare Euchariſtia, per ſe loquendo, cum actuali attentione, & devotione ſumenda eſt, ut integrum effectum in Suſcipiente producat. Ita Suarez *diſp. 63. ſect. 9.* Filliucius *c. 6. n. 166.* aliique communiter.

8 Dices: qui accedit ad Euchariſtiam cum peccatis venialibus, & voluntaria mentis divagatione, ponit obicem tum quibuſdam effectibus ſecundariis, tum majori gratiæ habitualis augmento, quod produceret Euchariſtia, ſi cum puritate, & devotione reciperetur; ergo qui ſic accedit peccat lethaliter, quia reddit Sacramentum mutilum, & impedit illius effectum. Sed contra, conceſſo antecedente, nego conſequentiam, quia nulla eſt obligatio ponendi diſpoſitionem talem, ut Sacramentum producat totum effectum poſſibilem, ſecus nullus unquam eſſet diſpoſitus ſufficienter, cum ſemper poſſit dari major diſpoſitio pro majori effectu conſequendo. Ad vitandum peccatum mortale ſufficit, quod non ponatur obex effectui primario: ad vitandum etiam veniale ſufficit, quod ſumptio in ſe non ſit peccaminoſa, nec adjunctum habeat actuale peccatum veniale. Melior diſpoſitio eſt voluntaria, & utilis, non neceſſaria: obex, qui ponitur per negationem majoris, & melioris diſpoſitionis, eſt obex negativus, non obex poſitivus.

DUBIUM II.

De Confeſſione Communioni præmittenda.

9 HAbentem peccatum mortale, teneri, antequam accedat ad Communionem, præmittere Confeſſionem Sa-

Sacramentalem, etiam ſi quis ſibi contritus videatur, definitum eſt in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 13. *c.* 7. ubi, ſtatuendo neceſſitatem præparationis, & non accedendi ad Euchariſtiam indigna, ne quis ſibi judicium manducet, & bibat, ſubdit: *Quare communicare volenti, renovandum eſt in memoriam Apoſtoli præceptum*: Probet autem ſe ipſum homo. *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione, ad Sacram Euchariſtiam accedere debeat, quod a Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incumbit celebrare hæc Sancta Synodus perpetuo ſervandum eſſe decrevit; modo non deſit illis copia Confeſſarii.* Idem ſtatuit *Can.* 11. & poſtea ſubdit: *Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeu etiam publice diſputando defendere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat.* Quare non ſunt audiendi aliqui Doctores contrarium docentes, nam illi ſcripſerunt ante Tridentinum, & ſic antequam veritas iſta eſſet definita; & hic obiter habes diſcrimen Sacramenti Euchariſtiæ a reliquis Sacramentis Vivorum, pro quibus digne recipiendis ſufficit, quod quis conſtituatur in gratia per contritionem, non ſic pro receptione Euchariſtiæ, ad quam omnino requiritur, quod præmittatur Confeſſio Sacramentalis ab eo, qui habet conſcientiam peccati mortalis, etiam ſi contritus ſibi videatur.

10 Hoc præceptum præmittendi Sacramentalem Confeſſionem, non eſt pure humanum, ſed eſt præceptum Divinum, latum a Chriſto Domino, & promulgatum, ac declaratum ab ejus Apoſtolo Paulo 1. Corinth. 11. illis verbis: *Probet autem ſe ipſum homo*, quæ per Trid. continent neceſſitatem præmittendi Confeſſionem, illudque ſe accepiſſe a Domino, aperte fatetur dicens: *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis*, & inde præceptum hoc non debet cenſeri humanum, ſed Divinum. Et ita tenent Cacheranus *cap.* 4. §. 2. *n.* 25. Madern. *quæſt.* 7. *art* 8. Marchinus *tract.* 3. *de Miſſ. part.* 3. *cap.* 1. Sotus, Suarez, Vaſquez, Filliucius, Valentia, Hurtadus, Facundez, Lugus, Bonacina, & alii, quos affert, & ſequitur Leander *diſp.* 7. *q.* 12.

11 Quamvis detur præceptum præmittendæ Confeſſionis ab eo, qui conſcientiam habet peccati lethalis, non tamen obligat ita ſtricte, ut in quibuſdam caſibus non liceat peccatori, dumtaxat contritione, ad Euchariſtiam cum fructu accedere, quando nimirum deeſt copia Confeſſoris, & neceſſitas urget communicandi; utrumque enim concurrere debet, ut conſtat ex Tridentino *ſeſſ.* 13. *c.* 7. ubi, poſtquam dixit, Confeſſionem eſſe præmittendam ab omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incumbit celebrare, addit; *Modo non deſit copia Confeſſoris*: quod ſi, neceſſitate urgente, Sacerdos abſque prævia Confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur. Difficultas eſt: *quandonam cenſeatur deeſſe copia Confeſſoris, & urgere neceſſitas communicandi?* quod ut diſtinctius percipiatur, ſit

DUBIUM III.

In quibus caſibus cenſeatur deeſſe copia Confeſſoris?

12 Dantur utique plures caſus, in quibus deeſſe cenſetur copia Confeſſoris. Primo, ſi nullus ſit Sacerdos, vel ſi adeſt, ex ignorantia, aut malitia, vel impotentia, quia Mutus, aut Surdus non poteſt abſolvere; aut cui non poſſis ſine Interprete confiteri; vel ſi ab illo timeas grave malum, ſeu revelationem Sigilli, in quo caſu, tacito peccato, ex quo detrimentum times, debes alia confiteri. Sic Bonacina *quæſt.* 6. *punct.* 1. *num.* 28. Coninch *qu.* 80. *art.* 4. *num.* 19. Lugus *diſp.* 14. *ſect.* 6. Diana *part.* 9. *tract.* 3. *reſol.* 10.

13 Secundo, ſi ita diſtet, ut propter corporis imbecillitatem, vel temporis intemperiem, propter inundationem, pluviam, aut nives, vel propter latronum pericula, ad illum accedere non poſſis. Ita Madernus *q.* 7. *art.* 8. *n.* 4. An ſi, cum Sacerdos ſit abſens duo, vel tria milliaria, cenſeatur abeſſe, ut quis, non præmiſſa Confeſſione, poſſit communicare, aut Miſſam celebrare, non poteſt certo definiri. Illa diſtantia dicitur ſufficiens, quæ, conſideratis circumſtantiis perſonæ, complexionis, ætatis, ſexus, loci, & temporis, reddit judicio prudentum, acceſſum moraliter impoſſibilem; etenim reſpectu alicujus ſpatium trium milliarium poteſt pro recreatione inſervire, reſpectu alterius unum milliare erit diſtantia magna ſufficiens, ut dicatur non habere copiam Confeſſarii: quare res tota relinquenda eſt judicio prudentum, ut tradunt Cacheran. *n.* 32. Vaſquez *diſp.* 207. *c.* 2. *n.* 9. Bonacina *q.* 6. *p.* 1. *n.* 30.

14 Tertio, ſi nullus ſit Sacerdos, qui juriſdictionem habeat; nam deficiente juriſdictione, Sacramentum Pœnitentiæ miniſtrari non poteſt. Quid ſi Pœnitens habeat peccata reſervata, & adſit ſolum ſimplex Confeſſarius, ſine poteſtate abſolvendi a reſervatis; poteritne Pœnitens communicare, aut celebrare, non præmiſſa Confeſſione? Dico dupliciter poſſe contingere caſum; primo, ſi nullum aliud peccatum habeas, niſi reſervatum; ſecundo, ſi, *præter* reſervatum, habeas alia peccata. In primo caſu fere omnes concedunt, te poſſe communicare, aut celebrare, non præmiſſa Confeſſione, quia perinde eſt, ac ſi nullum habeas Confeſſarium, nec peccata venialia teneris confiteri ad hoc, ut ab eis abſolvaris directe, & ab aliis indirecte. Quod ſi non exiſtimes te contritum, ſed ſolum attritum, tunc teneris confiteri venialia, ad hoc, ut virtute Sacramenti ex attrito fias contritus, & non accedas ad recipiendam Euchariſtiam in ſtatu peccati. Ita Navar. *in Man. cap.* 7. Reginaldus *lib.* 6. *num.* 159. Suarez *diſp.* 23. *de Pœnit. ſect.* 2. Lugus *diſp.* 14. *num.* 96. Diana *part.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 65. & iterum *part.* 9. *tract.* 3. *reſol.* 11.

15 Major difficultas eſt: *an ſi ultra peccata reſervata habeas alia peccata mortalia non reſervata, an tunc tenearis confiteri Confeſſario inferiori, non habenti facultatem in reſervata, an vero poſſis communicare abſque Confeſſione, quaſi non habeas copiam Confeſſarii*; in quo maxime diſſident Doctores, & triplex aſſignatur Sententia. Prima eſt illorum, qui volunt debere confiteri Confeſſario inferiori omnia peccata, tam reſervata, quam non reſervata, ut Pœnitens directe abſolvatur ab iſtis, & indirecte ab illis. Ratio eſt, quia urget præceptum Divinum faciendi Confeſſionem integram, a qua integritate non poteſt quis excuſari propter onus, quod habet bis ſubjiciendi clavibus idem peccatum, quod onus non eſt tam grave, ut propter illud poſſit dimidiari Confeſſio, & fieri contra præceptum Divinum de integritate Confeſſionis. Ita Nugnus *q.* 80. *art.* 4. Coninch *ibidem*, Suarez *diſp.* 66. *ſect.* 4. Bonacina *q.* 6. *p.* 1. *n.* 31. Reginaldus *lib.* 29. *n.* 103. Averſa *q.* 8. *ſect.* 6. Madernus *q.* 7. *art.* 8. *num.* 14. ubi dicit, eſſe communiorem; eamdemque ſatis communem fatetur Lugus *diſp* 14. *ſect.* 5. *n.* 87.; eſſe ſecuriorem, & conſulendam docet Filliucius *tract.* 4. *de Euchar. cap.* 8. *num.* 213.

16 Secunda Sententia eſt aſſerentium, poſſe communicare cum ſola contritione, non tamen poſſe confiteri inferiori, quia inferior non poteſt valide abſolvere a reſervatis, & non poteſt licite dimidiari Confeſſio, nec Abſolutio. Ita Vaſquez *diſp.* 208. *c.* 2. & *Pœnit. diſp.* 19. *art.* 3. *dub.* 9. apud Madernum *loco cit. num.* 8. Diana vero, cum aliis ab ipſo allatis, *par.* 2. *tr.* 14. *reſol.* 65. & *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 104. docet, hujuſmodi poſſe quidem confiteri, ſed non teneri, & ſic poſſe communicare, non præmiſſa Confeſſione, ac ſi non haberet copiam Confeſſarii, prout ſibi magis libuerit.

17 Tertia Sententia eſt aſſerentium, in eo eventu non obligari ad confitenda peccata reſervata, a quibus inferior non poteſt abſolvere, obligari tamen ad confitenda peccata non reſervata, a quibus Confeſſarius poteſt abſolvere. Ratio primæ partis eſt, quia Pœnitens non debet ſubire onus confitendi bis eadem peccata, quod onus eſt grave. Cum enim inferior non poſſit eſſe Judex reſervatorum, nec ab illis abſolvere, non poteſt eſſe neceſſaria talis Confeſſio; maxime quia peccatum reſervatum poteſt in eo caſu indirecte remitti, etiam ſi non manifeſtetur, nec obligat integritas materialis Confeſſionis cum gravi onere ſubjiciendi bis eadem peccata clavibus. Ratio ſecundæ partis habetur ex Trident. dicente: *Nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad Sacram Euchariſtiam accedere debet*; ſed qui habet peccata mortalia non reſervata, poteſt præmittere illorum Sacramentalem Confeſſionem; ergo ad illam tenetur. Nec obſtat dimidiatio Confeſſionis, quia ſicut in aliis caſibus, ita & in iſto poteſt licite dimidiari, ſervata integritate formali, & materiali, quantum fieri poteſt. Ita, pluribus citatis, Leander *de Euchariſt. diſp.* 7. *quæſt.* 36. & *de Pœnit. tract.* 5. *diſp.* 12. *q.* 31. & 33. Lugus *diſp.* 14. *de Euchar. a num.* 86. & *diſp.* 20. *de Pœnit. num.* 74. Palaus 1. *p. tract.* 4. *diſp.* 4. *punct.* 3. §. 6. & probabilem putat Filliucius *loco citato*.

18 Has omnes Sententias eſſe probabiles docet Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 104. & iterum citatis Ledeſma, & Caſpenſi *part.* 9. *tr.* 3. *reſ.* 11. ac proinde, adveniente caſu, liberum eſſe unicuique, aut integre confiteri omnia peccata, tam reſervata, quam non reſervata, vel, dimidiando Confeſſionem, confiteri ſolum non reſervata, vel elicere actum contritionis, & ſine prævia Confeſſione celebrare, aut communicare, prout magis libuerit, vel expedierit. Prima Sententia mihi videtur probabilior, magis tuta, ac omnino ſequenda, & conſulenda, quia urget præceptum Divinum faciendi Confeſſionem integram, quod obſervari poteſt ſine gravi incommodo. Nec obſtat Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. dicens: *Sacerdotem inferiorem nihil poſſe in caſibus reſervatis extra mortis articulum*; facile enim reſpondetur, nihil poſſe directe, poſſe tamen indirecte ab illis abſolvere.

19 Hinc facile colligitur quid faciendum ſit, quando aliquis habet excommunicationem reſervatam, & urget gravis neceſſitas communicandi, vel celebrandi, nec adeſt Superior legitimus, qui poſſit ab excommunicatione abſolvere, an tunc debeat confiteri Confeſſario inferiori, non potenti ab excommunicatione abſolvere. Nam, juxta diverſitatem Sententiarum, poterit iſte communicare, præmiſſa dumtaxat contritione, vel poterit confiteri, aut omnia, quod eſt probabilius, vel ſaltem non reſervata, ut ab iſtis abſolvatur directe, & ab illis indirecte, quamvis ab excommunica-

tione nullo modo abſolvatur, ſed remaneat adhuc excommunicatus. Nam excommunicatum, ſicut propter urgentem neceſſitatem non privat illum tunc tempore Euchariſtiæ, ita ob eamdem neceſſitatem non privat illum receptione Sacramenti Pœnitentiæ. Sic Suarez *tom.* 4. *diſp.* 31. *ſect.* 3. Coninch *diſp.* 8. *de Pœnit.* n. 107. Lugus *diſp.* 14. *ſect.* 5. Madernus *art.* 8. *n.* 15. Leander *diſp.* 7 *de Euchar. q.* 39. & 40.

20 Nec dicas: excommunicatum non poſſe valide abſolvi a peccatis, niſi prius abſolvatur ab excommunicatione; ergo ſi in dicto caſu non poteſt abſolvi ab excommunicatione, nec poterit abſolvi a peccatis, & inde poterit communicare, præmiſſa contritione, ſed non poterit confiteri, ut volunt Valquea *tom.* 4. *q.* 9. *art.* 3. *dub.* 9. *n.* 8. & Sylvius *in addit. ad* 3. *p. q.* 20. *art.* 2. Sed contra reſpond., antecedens non eſſe ita univerſaliter verum, ut in aliquo caſu, per accidens, non poſſit excommunicatus valide abſolvi, a peccatis, antequam abſolvatur a Cenſura, ut præter Suarez, Coninch, & Lugum, docet etiam Thomas Sanchez *lib.* 2. *in Decalog. c.* 8. *n.* 5. Addit Lugus, & bene, tunc illum non ſolum poſſe, ſed etiam debere, per ſe loquendo, præmittere Confeſſionem, ut obſervet, quantum fieri poteſt, præceptum Divinum confitendi omnia mortalia ante Communionem: licet per accidens poſſit excuſari, practice ſe conformando cum Sententia contraria.

21 An dicatur; carere Confeſſario ad effectum celebrandi, vel communicandi, non præmiſſa Confeſſione, qui non habet proprium Confeſſarium, vel alium, cui poſſit devotius, & utilius confiteri, ſed habet alium, a quo poteſt abſolvi, ſed quia apud ipſum eſt in bona exiſtimatione, non vult ipſi confiteri, ne apud ipſum perdat bonum nomen.

Reſp. negative, quia puritas, & reverentia debita tanto Sacramento prævalet privatæ utilitati, & commoditati; nec per Confeſſionem deperditur exiſtimatio propria, cum debeat ſervari ſigillum: & quamvis forte diminueretur exiſtimatio apud talem Confeſſarium, non per hoc excuſaretur ab integra Confeſſione, cum hoc ſit neceſſario connexum cum peccato commiſſo: ſicut nec excuſatur propter ſolam verecundiam, aut difficultatem, quæ ſentiri tunc poteſt. Ita cum multis Suarez *diſp.* 66. Coninch *q.* 80. *art.* 4. Madernus *art.* 8. *num.* 5. & alii communiter contra Ricardum, & Armillam.

22 Hinc infertur contra Roſellam *in Sum.* non poſſe Religioſum, qui poteſt confiteri Confeſſori Sæculari, differre Confeſſionem, & celebrare Miſſam, ut, more ſuo, intra Religionem confiteatur ſine infamia Religionis, quia iſte Religioſus vere habet copiam Confeſſarii, & ſic tenetur Confeſſionem præmittere. Nec obſtat infamia Religionis, quæ nulla eſt, nec minuitur fama per lapſum unius Religioſi, & ſi forte eſt aliqua diminutio, eſt neceſſario connexa Confeſſioni.

DUBIUM IV.

Qualis, & quanta neceſſitas requiratur, ut quis poſſit accedere ad Euchariſtiam, non præmiſſa Confeſſione?

23 Ut quis poſſit accedere ad Euchariſtiam cum ſola Contritione, non præmiſſa Confeſſione, ultra carentiam Confeſſarii, requiritur etiam copulative neceſſitas communicandi, ſeu celebrandi, quæ certe gravis eſſe debet, ut poſſit excuſare a præcepto Divino in materia tam gravi. Prima neceſſitas eſt periculum mortis, quando quis in articulo mortis conſtitutus, nec confiteri, nec abſolutionem obtinere poteſt ob carentiam Sacerdotis, ſed adeſt Diaconus, a quo poteſt Communionem recipere; nam præceptum Divinum de ſumenda Euchariſtia in articulo mortis, videtur præponderare præcepto de præmittenda Confeſſione. Addunt Lugus, Coninch, Suarez, & alii ſatis communiter, non ſolum licere Infirmo in articulo mortis conſtituto, non præmiſſa Confeſſione, communicare, ſed etiam licere Sacerdoti ad talem Infirmum communicandum, eique Viaticum miniſtrandum, Confeſſione non præmiſſa, celebrare. Sic etiam Bonacina *n.* 21. & 22. & aliis adductis, Leander *diſp.* 7. *q.* 22. & 23.

24 Nec obſtat, quod pro communicando Infirmo non poſſit Sacerdos celebrare ſine Altari, aut ſine ſacris Veſtibus, quæ ſolo præcepto humano requiruntur; ergo nec poterit celebrare non præmiſſa Confeſſione, quæ requiritur de jure Divino. Diſparitas enim eſt quia impedimentum peccati in Sacerdote eſt occultum, & remedium Confeſſionis poteſt ſuppleri per contritionem, per quam poteſt acquiri gratia, quapropter in eo caſu non obligat præceptum Divinum præmittendi Confeſſionem. At carentia Altaris, & ſacrarum Veſtium, eſt impedimentum externum, & manifeſtum, quod nullo alio remedio compenſari poteſt; & ſic in illo caſu magis urget præceptum Eccleſiaſticum non celebrandi ſine ſacris Veſtibus, quod eſt inductum ob reverentiam tanti Sacramenti, ut ſolemni, & uniformi ritu, ac apparatu celebretur, quæ lex propter privatam communicandi neceſſitatem, non debet alterari, ut docent Lugus *diſp.* 14. *ſect.* 5. *n.* 110. Arriaga *diſp.* 46. *ſect.* 3. *ſubſect.* 3. Cacheranus §. 2. *num.* 35.

25 Secunda neceſſitas eſt periculum infamiæ, vel gravis ſcandali, ſi Communio, vel Miſſa omittatur, quia præceptum præmittendæ Confeſſionis non ita obligat, ſicut præceptum conſervandi propriam famam, & vitandi ſcandalum. Hoc titulo excuſatur Sacerdos, qui, inchoata jam Miſſa, recordatur alicujus peccati mortalis non confeſſi, aut in novum lethale fuit lapſus, tunc enim non tenetur Confeſſarium ad Altare accerſere, aut ab Altari recedere, Miſſa non abſoluta, quia vix umquam poteſt hoc contingere ſine gravi infamia, quæ ſi ceſſaret, & ſi recordaretur peccati ante Conſecrationem, & a fortiori ante Canonem, tunc vocandum eſſe Confeſſarium ad Altare docent Suarez *diſp.* 66. *ſect.* 4. Coninch *q.* 8. *art.* 4. *dub.* 2. *n.* 20. Reginaldus *lib.* 29. *q.* 4. *ſect.* 1. *n.* 106. quia talis Miſſæ pars, cum ſit extrinſeca Sacrificio, poteſt ex rationabili cauſa ſine indecentia interrumpi. Oppoſitum tenet cum multis Leander *diſp.* 7. *quæſt.* 16. & alii apud Dianam *Par.* 3. *tract.* 4. *de Sacram. reſol.* 77. & 48. & *Part.* 9 *tract.* 3. *reſol.* 7. Multo minus tenetur confiteri Sacerdos, peracta jam conſecratione, quia non decet cœptum Sacrificium interrumpere, ut fere omnes concedunt, & ſic præmiſſa contritione poterit Sacrificium perficere.

26 Multo minus tenetur Confeſſarium ad Altare accerſere, ſi recordetur lethalis obliti in Confeſſione præmiſſa, imo de hoc nec tenetur conteri, dummodo in Confeſſione præmiſſa habuerit dolorem univerſalem de omnibus peccatis, non vero de ſolis confeſſis. Ratio eſt, quia contritio debet ad Euchariſtiam præmitti loco Confeſſionis, quando homo non eſt in ſtatu gratiæ; at in tali caſu per Confeſſionem præmiſſam cum dolore univerſali fuiſſet homo poſitus in gratia; ergo potuit Miſſam progredi ſine novo actu contritionis. Hoc idem dicunt de Sacerdote ſacris Veſtibus induto procedente ad Altare, qui non videtur poſſe retrocedere ſine gravi nota, & infamia, qua ceſſante; deberet utique confiteri, ut fere omnes concedunt apud Leandrum *loco citato*.

27 Ulterius progrediuntur nonnulli docentes, eum, qui recordatur peccati inculpabiliter obliti, ad illius Confeſſionem non teneri, quamvis poſſit commode ante Communionem confiteri, quia jam eſt in gratia, & per Confeſſionem factam videtur ſufficienter impleviſſe præceptum Confeſſionis præmittendæ. Sed contra hujuſmodi dicendi modum ſtat communis uſus, & praxis Eccleſiæ, cujus conſuetudo videtur declarare, non ſolum eſſe obligationem præmittendi utcumque ad Euchariſtiam Confeſſionem, ſed eſſe obligationem præmittendi Confeſſionem omnium lethalium; cum autem in dato caſu commode poſſit confiteri lethale oblitum, ad illud confitendum tenetur. Ita Suarez *diſp.* 66. *ſect.* 4. Madernus *quæſt.* 7. *art.* 8. *n.* 16. Lugus *diſp.* 14. *ſect.* 6. Diana *part.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 48. & aliis adductis Leander *quæſt.* 21.

28 Titulo infamiæ, aut ſcandali, ſolet etiam excuſari Laicus, qui jam ad linteum Menſæ Divinæ communicaturus acceſſit, & recordatur alicujus peccati mortalis in Confeſſione obliti. Dicunt enim, illum non teneri ſurgere a Menſa ad quærendum Confeſſarium, ſed poſſe, non præmiſſa Confeſſione talis peccati, ad Euchariſtiam accedere, quod veriſſimum puto, ſi vere immineat infamia, ſeu ſcandalum: at hoc rariſſime adeſſe ſolet, & vix in parvis Oppidis, aut Villis poterit inveniri, non in magnis Urbibus, in quibus fere in ipſo actu Communionis multi ſurgere, aut ſe retrahere ſolent, abſque infamia, ſcandalo, vel admiratione alicujus, ut etiam ſe obſervaſſe, dum Euchariſtiam miniſtraret, fatetur P. Madernus.

29 *Ceſſante ſcandalo, & infamia: an debeat a ſacra Menſa recedere, qui recordatur alicujus peccati mortalis in præmiſſa Confeſſione obliti?*

Negant aliqui, quia ille jam juſtificatus eſt per Confeſſionem formaliter integram, & cum jam ſit quodammodo inchoata actio ſacra communicandi, non decet, ob reverentiam Euchariſtiæ, recedere a Divina illa Menſa, donec perficiatur; ſicut non decet recedere a Menſa Principis ante convivium peractum, poſtquam aliquis ad illam ſedet. Ita, multis citatis, Leander *diſp.* 7. *q.* 18. & apud ipſum Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 77. & *part.* 2. *tract.* 14. *reſ.* 6. & *part.* 9. *tract.* 3. *reſol.* 8. At ego cenſeo, debere in eo caſu recedere, quia ceſſante infamia, & adſtantium ſcandalo, non habet locum neceſſitas illa communicandi, quam exigit Concilium, ut quis, non præmiſſa Confeſſione peccati mortalis, poſſit ad Communionem accedere; nec ulla fit injuria, aut irreverentia Sacramento, quando quis recedit, ut majori puritate accedat. Ita Marchinus *de Ordine tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 1. *n.* 12. Medina, Ledeſma, Canus, Sylveſter apud Dianam *par.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 77. & cum multis Suarez *diſp.* 66. *ſect.* 4. §. *ſexta cauſa*. Bonac. *quæſt.* 6. *punct.* 1. *num.* 18. ubi requirit verum ſcandalum, quod tunc eſſe dicit, quando datur occaſio detrahendi, vel temere judicandi, ſeu proximum infamandi, nec ſufficere ſolam admirationem abſque ſcandalo, vel infamia.

30 Tertia eſt neceſſitas Populi, ne maneat ſine Miſſa in die Feſto; quare Parochus, ſi non habeat copiam Confeſſarii, nec ſit alius Sacerdos, qui poſſit Miſſam celebrare, poterit, præmiſſa contritione, celebrare; nam videtur ſufficiens neceſſitas celebrandi, ut ſatisfaciat proprio officio, quo tenetur curare, ne Parochiani maneant ſine Miſſa

in

Digitized by Google

in die Feſto. Ita ex communi Sententia Suarez *dict. ſect.* 4. Bonacina *q.* 6. *n.* 23. Palaus *punct.* 12. Diana *part.* 9. *tract.* 3. *reſol.* 9. Leander *q.* 24.

31 *An vero poſſit hoc idem facere alius Sacerdos, tum ne ipſe, tum ne Populus maneat ſine Miſſa in die Feſto?* Negant quamplures, quia id tunc non eſt neceſſarium ad peccatum proprium, ſeu aliorum vitandum; non enim tunc obligantur præcepto, quod non poteſt debito modo impleri. Sic Suarez, Filliucius, Corduba, Layman, Coninch, Marchinus, Lugus, Averſa, Palaus, apud Leandrum *diſp.* 7. *q.* 25. Affirmant probabilius alii, quia concurrit neceſſitas audiendi Sacrum ex præcepto, tum reſpectu ipſius Sacerdotis, tum reſpectu Populi, & inopia Confeſſarii, quod ex Trid. ſufficit, ut poſſit quis, non præmiſſa Confeſſione, celebrare. Ita Leander *loco cit.* Diana *p.* 2. *tract.* 14. *reſ.* 63. & *part.* 9. *tract.* 3. *reſ.* 9. Facundez *præcept.* 3. *lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 5. & probabile dicunt Suarez, Lugus, Filliucius, & alii. Hoc idem videtur dicendum, ſi urgeat neceſſitas communicandi in Paſchate; poterit enim tunc Laicus communicare, & Sacerdos celebrare, quia vere adeſt neceſſitas adimplendi præceptum Communionis, quod non eſt pure Eccleſiaſticum, ſed Divinum, determinatum ab Eccleſia quoad tempus. Ita Paludanus, Ricardus, Henriquez, Facundez, Coninch, Layman, Lugus, & Averſa, apud Leandrum *qu.* 27.

32 Dubitatur: *an Sacerdos celebrare poſſit, non præmiſſa Confeſſione, quando ex obligatione Capellaniæ, aut Eleemoſynæ acceptæ, tenetur offerre Sacrificium?*

Reſponſio communis eſt negativa, quia obligatio Capellaniæ, aut ſtipendii ad ſuſtentationem Sacerdotis, non debet conſeri neceſſitas ſufficienter excuſans, ſecus nimia licentia daretur Sacerdotibus ad celebrandum ſine Confeſſione. Ita, pluribus citatis, Diana *part.* 9. *tract.* 3. *reſ.* 13. & Marchinus *tract.* 3. *de Sacrif. Miſſ. part* 3. *cap.* 1. *num.* 16. At reſponſio affirmativa non caret probabilitate, maxime ſi Sacerdos ſit pauper, & vivat ex conſueta eleemoſyna Miſſæ, quia vere in eo reperitur neceſſitas corporalis, vel neceſſitas adimplendi obligationem Capellaniæ, quæ utraque eſt ſufficiens ad celebrandum ſine prævia Confeſſione, ut docent Henriquez *lib.* 8. *c.* 46. *n.* 6. & aliis citatis, Leander *diſp.* 7. *q.* 32. nec diſſentit Bonacina *qu.* 6. *p.* 1. *n.* 23. ubi ſolum dicit, hoc eſſe intelligendum cum grano ſalis, nec facile hujuſmodi Sacerdotibus tantam licentiam eſſe concedendam.

D U B I U M V.

Ad quid teneatur qui, non præmiſſa Confeſſione, communicavit, aut celebravit.

33 QUi, urgente neceſſitate, communicare, aut celebrare debet, non præmiſſa Confeſſione ob deficientiam Confeſſarii, tenetur ſine dubio præmittere contritionem, aut ſaltem attritionem ſupernaturalem, quæ exiſtimetur contritio, quia nemo poteſt licite accedere ad Euchariſtiam, niſi ſit in ſtatu gratiæ, ex ſupra dictis *dub.* 1. Iſte autem ſtatus ab eo, qui reus eſt peccati mortalis, acquiri nequit, niſi per Sacramentalem Confeſſionem, aut per contritionem, unde non ſufficit ſola attritio ſupernaturalis, cognita ut talis, quia ſe ſola non ſufficit ad delenda peccata, erit tamen ſufficiens, ſi exiſtimetur contritio, quia ſic accedens non peccat, ſed per accidens accipit primam gratiam, ut dictum eſt *de Sacramentis in genere*, & ſupra *cap.* 5. *dub.* 1. Unum caſum aſſignat Lugus *diſp.* 14. *ſect.* 1. *num.* 3. in quo conſcius peccati non peccat ſuſcipiendo Euchariſtiam, & eſt, quando in ſubita Paganorum, vel Hæreticorum irruptione, ad evitandam graviſſimam irreverentiam Euchariſtiæ inferendam, Catholicus illam ſumit cum conſcientia, & in ſtato peccati, quia ipſi non ſuppetit tempus nec confitendi, nec excitandi contritionem: ſicut a fortiori liceret eamdem ſumere non jejuno; malum enim, ad quod vitandum in tali caſu Euchariſtia ſumitur, videtur præponderare indignæ ſumptioni: & in hoc conveniunt fere omnes Doctores.

34 Sacerdos, qui, urgente neceſſitate, celebravit non præmiſſa Confeſſione, tenetur quamprimum confiteri, ut habetur ex Trid. *ſeſſ.* 13 *c.* 7. ubi, poſtquam decrevit præmittendam eſſe Confeſſionem etiam a Sacerdotibus ex officio celebrantibus, modo non deſit Confeſſarius, concludit: *Quod ſi, neceſſitate urgente, Sacerdos abſque prævia Confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur*; quæ verba non continere merum conſilium, ſed verum præceptum, patet ex propoſitionibus damnatis ab Alexandro VII. ſub die 18. Martii 1666. quarum XXXVIII. ita ſe habet: *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, eſt conſilium, non præceptum*; & ita obligare ſub mortali tenent Suarez, Reginaldus, Nugnus, Filliucius, & alii, quos ſequitur Diana *part.* 9. *tract.* 3. *reſol.* 22. Coninch *qu.* 80. *dub.* 2. *n.* 24. Lugus *diſp.* 14. *n.* 135.

35 Dubitatur quomodo ſint intelligenda illa verba Concilii: *Quamprimum confiteatur*. Facundez *præcept.* 3. *lib.* 3. *cap.* 8. *n.* 9. cenſet, Sacerdotem ſolum teneri ad Confeſſionem ſuo tempore, cum primum celebraverit, ſeu ante aliam celebrationem, ſed hæc Sententia communiter rejicitur tanquam improbabilis, quia, illa admiſſa, præceptum Concilii ad nihil obligat; nam jure divino Sacerdos ante aliam celebrationem tenetur confiteri, & ſi differret celebrationem ad ſex menſes, vel ad annum, non teneretur antea confiteri, quod eſt abſurdum, quia non confiteretur *quamprimum*, ſed *quam ſero*. Quare merito hæc Sententia damnata eſt ab Alexandro VII inter propoſitiones ab ipſo damnatas 39. & eſt: *Illa particula* quamprimum *intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur*.

36 E contra Sancius in Select. *diſp.* 32. *n.* 14. exiſtimat, illico, finita Miſſa, teneri Sacerdotem confiteri. Hæc Sententia videtur nimis rigoroſa, quia *Quamprimum* non debet intelligi methaphyſice, ſed moraliter, & patitur aliquam latitudinem temporis: ſic qui poſt duos vel tres dies confiteretur, adhuc diceretur confiteri *quamprimum*, ut probat Diana *part.* 2. *tr.* 14. *reſ.* 60. & iterum *part.* 9. *tr.* 3. *reſol.* 22. ubi ly *Quamprimum* intelligit intra triduum, & apud ipſum Candidus, Baſſeus, Coninch, & alii, quos ſequitur Averſa *qu.* 8. *ſect.* 7. Gonzalez, Riccius, Sanchez, Trullench, & Dicaſtillus, quos citat, & ſequitur Antonius a Spiritu Sancto *tract.* 7. *diſp.* 4. *ſect.* 2. *n.* 118. & Madernus *art.* 8. *nu.* 29. quæ Sententia debet intelligi per ſe loquendo, nam ſi forte Sacerdos prima die commoditatem haberet confitendi, quam non eſt habiturus ſequentibus diebus, certe teneretur tunc confiteri, ne cogatur longiori tempore differre.

37 Dubitatur etiam: *Quaſnam perſonas comprehendat hoc præceptum confitendi quamprimum.*

Reſp. afficere ſolummodo Sacerdotes ex neceſſitate celebrantes ſine Confeſſione ob carentiam Confeſſarii, ut patet ex contextu Tridentini, onde non debet extendi ad Laicos, nec ad Sacerdotes communicantes more Laicorum; nam Concilium ſolum loquitur de Sacerdotibus celebrantibus, non de aliis communicantibus, & odia non ſunt extendenda, ſed potius reſtringenda, ut docent communiter Doctores. Hinc etiam fit, non comprehendere Sacerdotem celebrantem in peccato ex ignorantia, vel oblivione illius, ſi de hoc recordatur poſt Miſſam. Ita Diana *p.* 9. *tr.* 3. *reſ.* 25. neque comprehendere Sacerdotem, qui celebrat in peccato ex malitia, docent Suarez, Nugnus, Coninch, & alii, quos ſequitur Madernus *loco cit. n.* 25. quia Concilium clare loquitur de illo, qui, urgente neceſſitate, abſque prævia Confeſſione celebrat; at qui celebrat in mortali ex pura malitia, non prætermittit Confeſſionem ex neceſſitate: ita etiam Diana *p.* 9. *tr.* 3. *reſ.* 26. comprehendit tamen eum, qui celebrat in peccato ex oblivione, ſi ante vel poſt conſecrationem ante Communionem recordetur, quia vere perficit ſacrum, & communicat ex neceſſitate ſine Confeſſione. Ita Suarez, Reginaldus, Arriaga, quos ſequitur Madernus *num.* 26. quamvis contrarium teneant Vaſquez *diſp.* 208. *n.* 19. Lugus *diſp.* 14. *n.* 146. & Diana *part.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 61. & iterum *part.* 9. *tract.* 3. *reſol.* 24. ubi poſt rationes adductas pro ſua Sententia, tandem dicit utramque eſſe probabilem.

38 Comprehendit etiam hoc præceptum Sacerdotem, qui abſque prævia Confeſſione celebrat in die Paraſceve, quia, licet proprie non dicat Miſſam, quia non conſecrat, ſimpliciter tamen dicitur celebrare, & communicare more Sacerdotali. Ita cum Suarez, Sancio, Filliucio, Leander *diſp.* 7. *qu.* 49. quod idem valet de Sacerdote, qui Sacrificium alterius Sacerdotis deficientis poſt Conſecrationem complevit, & conſummavit: ita pluribus citatis Diana *part.* 9. *tr.* 3. *reſ.* 29. & 30. nec non de Sacerdote qui ante celebrationem recordatus fuit alicujus peccati in Confeſſione obliti, & propter inſtantem neceſſitatem celebravit, ac de Sacerdote, qui facta Confeſſione non reſervatorum, tacuit peccata reſervata propter abſentiam Superioris potentis abſolvere; in his enim caſibus Sacerdos conſcius peccati mortalis ſine Confeſſione ex neceſſitate celebravit, & ſic tenetur quamprimum confiteri.

C A P U T X.

De Diſpoſitionibus ad Euchariſtiam Requiſitis ex parte Corporis.

D U B I U M I.

De Jejunio ad Euchariſtiam requiſito.

PRima diſpoſitio ex parte corporis requiſita ad licitam, & fructuoſam Euchariſtiæ ſumptionem, eſt, regulariter loquendo, jejunium naturale, ſeu abſtinentia ab omni cibo, & potu, a media nocte talem ſumptionem antecedente, & hoc non ex præcepto Chriſti, qui potius poſt eſum Agni Paſchalis Corpus ſuum Apoſtolis diſpenſavit, ſed ex præcepto Eccleſiæ, eoque antiquiſſimo ab Apoſtolorum temporibus uſque deducto, quod in reverentiam tanti Sacramenti fuit inductum; quo ſenſu Auguſtinus *Ep.* 118. *ad Januar.* dixit: *Placuit Spiritui Sancto, ut in honorem*

taati Sacramenti prius ia os Chriſtiani Corpus Domiaicum intraret, quam reliqui cibi: nam ideo per aniverſam Orbem mos iſte ſervatur, ut videre eſt apud Cacheranum *c.* 3. §. 5. a. 90., ubi per extenſam Auguſtini verba tranſcripſit. Hoc preceptum eſſe antiquiſſimum ab Apoſtolorum tempore deductum, ex SS. Patribus oſtendit Suarez *diſp.* 68. *ſect.* 3. Hoc idem ſtatutum fuit in Concilio Carthaginenſe III. *cap* 29. Toletano VII. *cap.* 2. Matiſcon. II. *can.* 6. in ſexta Synodo *can.* 29. & in Conſtant. *ſeſſ.* 13. & conſtat ex cap. *Liquido, de Conſecratione*, & ita teneot Catbolici omnes. Nec obſtat Chriſti factum poſt Cenam, nam cougrue fuit factum poſt eſum Agni, figura hujus Sacramenti, in quo illum non debemus imitari; nam tale factum fuir ad Myſterium, & ad implendas Prophetias, non ad præbendum nobis exemplum, aut præceptum idem faciendi, ut habetur ex Auguſtino *loco citato*.

2 Hoc jejunium debet eſſe naturale, quod per quamcumque etiam minimam cibi, aut potus ſumptionem frangitur nec ſufficit jejunium Eccleſiaſticum, quod non importat omnimodam abſtinentiam a quocumque cibo etiam modico, ſed conſiſtit in unica comeſtione, & abſtinentia a carnibus, nec frangitur per potum, nec per cibum, niſi io notabili quantitate ſumptum. Sic enim habetur ex Concilio Toletaoo VII. illis verbis; *Nullus poſt cibum, potumque quemlibet minimam ſumptam, Miſſas facere præſumat*; & conſtat ea aoiverſali Eccleſiæ conſuetudine, quæ eſt optima Legum omnium, & Conciliorum interpres, & ex conſenſu omnium Theologorum: unde parvitas materiæ non excuſat a peccato gravi. Sic Suarez *diſp.* 68. *ſect.* 4. Lugus *diſp.* 15. *ſect.* 2. *a.* 22. Boſſius *var. moral. tom.* 1. *par.* 2. *tit.* 1. §. 46. a. 1732 Diana *par.* 6. *tract.* 8. *reſol.* 8. & *part.* 10. *tract.* 16. *reſol.* 48. &, multis citatis, Palaus *diſp. unica p.* 13. *n.* 7.

3 Hinc ſequitur primo, non violari jejunium naturale ex trajectione ſalivæ, vel ſanguinis, vel humoris ex capite ad os, & ad ſtomachum deſcendentis, etiam in magna quantitate, quia deſcendit præter intentionem, ex actione, quæ non eſt ordiuata ad manducandum, vel bibendum, maxime quia de ratione cibi, & potus eſt, quod proveniat ab extrinſeco, namqua cibus debet eſſe ſubſtantia extranea ab extrinſeco proveniens. Ita Suarez *ſect.* 4. Bonacina *q.* 6. *punct.* 2. *n.* 6. Layman *cap.* 6 *n.* 18. Madernus *art.* 7. a. 7.; ſolveret tamen jejunium, ſi quis ſanguinem biberet ex proprio vulnere, vel propria vena, quia tunc illam ſumeret per modum cibi, vel potus, cum vere alterabilis ſit virtute ſtomachi, ſicut alii cibi. Ita Lugus *diſp.* 15. & Leander *q.* 11.

4 Sequitur ſecundo, eum qui abluendo os, deglutit aquæ, vel vini guttam per modum ſalivæ, cui admixta eſt, non frangere jejunium naturale: quod idem dicendum de illo, qui guſtat juſculum, ut ſaporem percipiat, & deinde expuit, etiam ſi remaneat aliquid, quod deglutiatur per modum ſalivæ. Ita Bonacina *loco cit.* Filliuc. *tract.* 4. *n.* 236. & *num.* 237. Marchinus *part.* 3. *de Sacrif. Miſſæ cap.* 3. a. 9. Madernus *n.* 9.

5 Sequitur tertio, reliquias cibi præcedentis diei, quæ remaneot inter dentes, ſi forte deglutiaotur, non frangere jejunium naturale, quia trajiciuntur per modum ſalivę, & pertinent potius ad manducationem præcedentis diei, quam præſentis. Ita Doctores communiter, quorum aliqui limitant, & dicuot, eſſe verum, ſi caſu deglutiuotur, ſecus, ſi advertenter, & ex induſtria. Ita cum D. Thoma *q.* 80. *art.* 8. *ad* 4. Suarez, Lugus, Vaſquez, Bonacina, Filliucius, Layman, Facundez, & alii, quos affert Leander *diſp.* 5. *quæſt.* 8. Verum hanc limitationem vocat Arriaga nimis ſcrupuloſam, cum Eccleſia non ſit ſollicita de illis reliquiis, quæ non ſunt ea die in os immiſſæ: eamque rejiciunt alii ea eo, quod non deglutiantur actione manducativa, quia non ſumuntur ab extrinſeco, ſed trajiciuntur ut immixtæ ſalivæ, & ſic non ſe habent per modum cibi. Ita Henriquez *lib.* 8. *c.* 50. a 4. Tabiena verb. *Communicare*. Coninch *q.* 80. *art.* 8. a. 47. Marchinus *loco cit. c.* 3. *n.* 9. Ant. a Spiritu S. *diſp.* 4. *ſect.* 4. *n.* 139. Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 37. &, pluribus citatis, Leander dicta *q.* 8, quod verum exiſtimo, ſi reliquiæ ſiot ita parvæ, ut immixtæ ſalivæ deglutiaotur, ſecus ſi fuerint magnæ, nam tunc expui debent.

6 Sequitur quarto, non frangi jejunium naturale, ſi quis reſpirando attrahat per os, aut per nares muſcam, illamque trajiciat, vel quid aliud ſimile, quia illa actio non eſt vera comeſtio, ſed reſpiratio; ad ſolvendum autem jejunium, ultra materiam comeſtibilem, requiritur etiam actio comeſtiva, vel potativa, cujuſmodi non eſt reſpiratio. Ita Reginaldus, Suarez, Facundez, Lugus, quos citat, & ſequitur Leander *quæſt.* 16. Diana *par.* 5. *tractat.* 5. *reſol.* 12. Antonius a Spiritu S. *num.* 136. ubi dicit, hoc eſſe verum, etiamſi, data opera, muſca, vel quid ſimile per reſpirationem attrahatur.

7 Sequitur quinto, non violari jejunium, ſi deglutiatur aliquid, quod ex natura ſua non eſt cibus, nec comeſtibile, ut ſunt nummi aurei, argentum, ferrum, lapilli, & ſimilia, quæ non habent rationem cibi, & comeſtibilis, & quomodocumque in ſtomachum trajiciantur, non digeruntur, nec alterantur, ſed egeruntur integra, & immutata. Ita Lugus *diſp.* 15. *n.* 26. Cacheranus §. 5. *n.* 108. Diana *par.* 1. *tract.* 14. *reſol.* 12. *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 48. & *part.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 1.

8 Utrum vero oſſicula fructuum, fruſtula ligni minus ſolidi, papyrus, terra, & creta, & alia ſimilia, habeant rationem comeſtibilis, & per conſequens frangant jejunium eſt in quæſtione. De oſſiculis fructuum negat Lugus *diſp.* 15. *num* 33. quia non digeruntur; ſed melius affirmat Leander cum aliis *q.* 15. quia talis materia ea ſe, & per ſe, vere eſt comeſtibilis, & alterabilis a ſtomacho, licet forſan per accidens non alteretur ratione corticis: eadem ratione frangeret jejunium, qui avellanam cum cortice deglutiret. De papyro, ſeu charta, an frangat jejunium, affirmaot Henriquez, Scortia, Reginaldus, Layman, Naldus, Bonacina, & alii, quos refert Diana *loco ſupra citato*; unde qui parum chartæ comederet, non poſſet amplius communicare. Negant probabiliter alii, quia jejunium naturale non ſolvitur niſi per cibum, & potum; at charta non eſt ex natura ſua cibus humanus, nec obſtat quod aliquando fuerit herba, quia jam talis non eſt. Ita Lugus, & cum aliis pluribus Diana *locis citatis*, ſequitur Paſqualigus *dec.* 429. *de jejun.* a. 3. qui idem affirmat de terra, licet contrarium teneat Diana de terra *p.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 52. affirmat etiam Leander *q.* 14. quia terra non eſt cibus, & conſequenter non ſolvit jejunium.

9 E contra vero jejunium naturale ſolvitur; primo per ſumptionem medicinæ, quæ eſt ſpecies cibi, vel potus a ſtomacho alterabilis, & quamvis non ſumatur ad nutriendum, ſed per modum medicinæ, non facit, quod in ſe vere non ſit cibus, nec vere comedatur, aut bibatur, & per conſequens non ſolvat jejunium naturale, & impediat Communionem, ut expreſſe habetur in Rituali Romano *tit. de Communione Infirmorum*.

10 Solvitur ſecundo, ſi Saccharum, aut quid ſimile ori immiſſum, ut paulatim liqueſcens raucedinem, aut diſtillationem temperet, poſt mediam noctem in ſtomachum fluat, etiamſi in ſomno, quia ad ſolvendum jejunium ſufficit, quod cibus deglutiatur poſt mediam noctem, ſive advertenter, ſive inadvertenter hoc fiat, niſi forte eſſet in tam parva quantitate, ut potius cenſeatur deſcendere per modum ſalivæ, quam per modum cibi, tunc non ſolveret jejunium, ut ſupra dicebamus de reliquiis cibi præcedentis diei remanentibus inter dentes, & qui mane deglutiuntur. Ita Suarez, Vaſquez, Filliucius, Reginaldus, Coninch, Sylvius, Bonacina, quos citat, & ſequitur Diana *part.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 59. & *par.* 6. *tract.* 7. *reſol.* 15. Lugus *diſp.* 15. *n.* 26. Marchinus *p.* 3. *de Sacrificio c.* 3. *n.* 6. & 7.

11 Solvitur tertio, quando quis inadvertenter mittit in os aliquid cibi, & caſu deglutiatur, quia illa fuit vera comeſtio, quamvis cibus deglutiatur præter intentionem. Ita Lugus, quem ſequitur Paſqualigus *dec.* 481.

D U B I U M II.

Utrum ſumptio Tabachi in folio, pulvere, vel fumo ſolvat jejunium naturale?

12 PArtem affirmativam ſequuntur Antonius de Leone in *quæſtionibus moralibus de Chocolate part.* 2. §. 4. *num.* 10. Lezana verb. *Euchariſtia num.* 16. & approbat Franciſcus de Nigro, quem refert Diana *tom.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 1. Ratio eſt, quia Tabachus vere eſt cibus, & nutrimentum affert, ut conſtat ex plurium experientiis, qui ex ipſo ſolo ſuſtentati ſunt, vel quia Tabachus, cum ſit herba medicamentoſa, ſumitur tanquam medicamentum, vel ad exonerandum caput, vel ad confortandum ſtomachum, ſive ad ſolvendam ventrem; ſed poſt ſumptionem medicamenti, in quacumque parva quantitate, non licet Euchariſtiam accipere, ut conſtat ex dubio præcedenti: ergo nec poſt ſumptionem Tabachi.

13 Sed verior, & probabilior eſt pars negativa. Ratio eſt, quia ad violandam jejunium naturale duo requiruntur. Primo, quod id, quod ſumitur tanquam cibus, vel potus ſumatur, ex cap. *Liquido, de Conſecr. diſt.* 2. Secundo, quod ſumatur actione, quæ ex communi hominum exiſtimatione dicatur comeſtio, vel potatio; ſed Tabachus, vel non eſt cibus; neque potus, vel non ſumitur per actionem, quæ ſit comeſtio, vel potatio; ergo non frangit jejunium naturale. Probatur minor, diſcurrendo per omnes modos, quibus ſumitur Tabachus; primo enim ſumitur per nares in pulvere ad excitanda ſternutamenta, & actio iſta non eſt comeſtiva ordinata ad ſtomachum, ad quem vel nihil omnino deſcendit, vel ſi aliquid deſcendit, vel non erit per modum cibi, ſed per modum reſpirationis, quę actio non ſolvit jejunium ea ſupradictis.

14. Si ſumatur folium Tabachi in ore ad maſticandum, & aliquid illius in ſtomachum deſcendat, admitto cum Diana jejunium naturale ſolvere. Si vero ſumatur ut tantum dentibus conteratur ad eliciendam pituitam e capite, & eam expuendam, etiamſi per aliquod tempus in ore permaneat, non poteſt jejunium ſolvere, cum non ſit comeſtio, vel potatio, de quarum eſſentia eſt trajicere cibum per guttur ad ſtomachum, & ſi aliquid deſcendat immixtum ſalivæ, nec etiam jejunium ſolvit, ſicut ſupra dictum eſt

eſt de abluente os. Idem dicendum de illo, qui aromata ori impoſita dentibus terit; iſte enim, ſi nihil deglutiat, non frangit jejunium naturale, etiamſi præter intentionem aliquid minimum deſcendat immixtum ſalivę, modo ſit imperceptibile, quia non deſcendit per modum cibi, ſed per modum ſalivæ.

15 Si autem ſumatur in fumo, non frangit jejunium naturale, quia nec fumus eſt cibus, nec talis actio eſt comeſtiva, cum nec deſcendat ad ſtomachum, attrahitur enim ex Tubulo fumus in os, ut in capitis cavitates deferatur, & inde pariter pituitam eliciat, quæ expuitur, & pars, quæ forte per reſpirationem in ſtomachum deſcendit, non eſt ſufficiens ad ſolvendum jejunium, cum attrahatur per modum reſpirationis. Adde, quod ſi ſecundum moralem exiſtimationem nec fumus eſt cibus, nec illius attractio eſt comeſtio, etiam ſi data opera fumus cujuſcumque rei, etiam carnium, attrahatur eo fine, ut deſcenderet in ſtomachum, non frangeret jejunium naturale, cum quis poſt illius attractionem nec manducaſſe, nec bibiſſe dicitur, ut cum Paſqualigo, Villalobos, Bonacina, & aliis, docet Trullench in praxi Sacramentorum *lib. 3. c. 6. dub. 5. num.* 14. Totam reſponſionem tenet, ac ex profeſſo probat, pluribus citatis, Diana *p. 5. tract.* 13. *reſol.* 1. & *par.* 8. *tract.* 7. *reſol.* 3. ac *part.* 10. *tract.* 16. *reſol.* 24. Sequitur etiam Leander *diſp.* 5. *quæſt.* 10. Lugus *lib.* 1. *reſp. moral. dub.* 9. & ex parte Franciſc. a Jeſu Maria *tr.* 4. *cap.* 7. *punct.* 4. *num.* 71. ubi ſolum affirmat, jejunium ſolvi, ſi fumus Tabachi data opera ad ſtomachum tranſmittatur.

16 Nec obſtat Tabachum, præcipue ſumaceum maxime nutrire, & ſuſtentare aliquos homines, quibus, deficiente Tabacho deficit ſtomachus; non obſtat, inquam, quia ſecundum moralem exiſtimationem, nec fumus eſt cibus, nec illius attractio eſt comeſtio; unde non ſufficit ad ſolvendum jejunium, etiam ſi ſtomachum confortet, excitando ſpiritus vitales, vel expurgando pituitam. Ita Diana *part.* 8. *tract.* 7. *reſ.* 3. & *alii locis citatis*.

17 At quia negari non poteſt, Tabachi ſumptionem non præſeferre indecentiam quamdam, maxime convenit vel omnino abſtinere, vel parciter uti ante celebrationem, vel Communionem, ob reverentiam tanto Sacramento debitam: quin etiam ab eo abſtinendum eſſet in Eccleſia, & illius ambitu, ſive ante, ſive poſt Miſſam, ob reverentiam illorum locorum. Certe in Eccleſia, vel in atrio Baſilicæ S. Petri Urbis Romæ Tabachum ſumi prohibuit Innocent. Papa X. anno 1650. ſub excommunicatione latæ Sententiæ, quam prohibitionem confirmavit Innocent. XI. die 10. Octob. 1681. ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis ipſo facto incurrenda, & Scutorum 25. ſolvendorum a Presbyteris ſumentibus Tabachum in Sacreſtiis Urbis Romæ, & de ejus Sanctitatis mandato S. Congreg. Concilii omnibus Epiſcopis impoſuit die prima Aprilis 1678. *Ut ſub pæna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda prohibere valeant Sacerdotibus, ne mane antequam Miſſam celebrent ultatenus Tabachum ſumant*, ut teſtatur Joſeph Chriſpinus Epiſcopus in lib. de Paſtorali Viſitatione *p.* 2. §. 10. *n.* 24. & jam antea Urbanus VIII. die 30. Januarii 1642. Conſt. incipien. *Cum Eccleſiæ*, prohibuit in tota Hiſpalen. Diœceſi quamcumque ſumptionem Tabachi in Eccleſiis, earumque atriis, & ambitu ſub pęna excommunicationis latæ Sententiæ.

DUBIUM III.

An poſſit communicare qui dubitat an ſit jejunus?

18 DUbium poteſt dupliciter contingere; primo enim poteſt eſſe dubium: *an quis aliquid comederit, necne;* ſecundo certus quod comederit, poteſt eſſe dubium: *an comeſtio fuerit ante mediam noctem, vel poſt illam*. In primo caſu Lugus *diſp.* 15. *ſect.* 2. *num.* 42. & Tamburinus *de Commun. cap.* 2. §. 7. *num.* 29. concedunt te poſſe communicare, non in ſecundo. Ratio eſt, quia in primo caſu poſſeſſio ſtat pro libertate, & in ſecundo poſſeſſio ſtat pro præcepto communicandi jejune.

19 Alii, nulla facta diſtinctione, abſolute negant, dubitantem de jejunio poſſe communicare, quia accedens ad Euchariſtiam dubitans, an ſit jejunus, accedit dubitans, an violet præceptum communicandi jejune, & ſic peccat taliter accedendo. Ita Sanchez, Coninch, Facundez, Villalobos, quos affert Leander *diſp.* 5. *q.* 4. Alii abſolute affirmant, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis; ſed in iſto caſu poſſeſſio ſtat pro libertate volentis communicare, non pro præcepto communicandi jejune quod nondum eſt in poſſeſſione, ut oſtendit Sancius *in Selectis diſp.* 42. & ita tenent Leander *loco citato*, Antonius a Spiritu S. *diſp.* 4. *ſect.* 6. Boſſius *in Morali tom.* 1. *par.* 2. *tit.* 1. §. 46. *num.* 1712. Diana *par.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 29. *& par.* 10. *tract.* 12. *reſol.* 17. *& tract.* 13. *reſol.* 54. & apud ipſum Dicaſtillus, Averſa, & alii; qui conſequenter idem dicendum affirmant de illo, qui aſſumens aquam ad os abluendum, dubitat, an aliquam guttam trajecerit; nec non de illo, qui dentibus quidpiam maſticans aliquid deglutierit, nam hi optime poterunt craſtino communicare, ſicut demum poterit ille, qui adhæret dicto aliquorum dicentium ſibi, horam noctis duodecimam non ſonuiſſe, aliis ſonuiſſe affirmantibus, quia præceptum de non niſi jejune ad Euchariſtiam accedendo non eſt impoſitum dubitanti, ſed certo ſcienti non eſſe jejunum, quam ultimam ſequelam etiam concedit Lugus *loco cit. num.* 43. ita Leander *dicta q.* 4. & Diana *tract.* 13. *reſol.* 54. *part.* 10.

20 Hæc ſecunda Sententia magis placet tanquam magis probabilis; debet tamen ſic accedens deponere dubium practicum, quod propter allatam rationem facere poteſt; in praxi tamen videtur conſulenda Sententia Patris Cacherani, quam habet §. 5. *num.* 111. ut ſtante tali dubio abſtineat a Communione, qui nullam habet neceſſitatem communicandi, juxta regulam: in dubiis tutior pars eſt eligenda; ſi vero habeat neceſſitatem communicandi, tunc poterit communicare, quia pia Mater Eccleſia non videtur in tali caſu prohibere Communionem poſt fractionem jejunii dubiam, ſed ſolum poſt fractionem certam.

21 Dubitatur: *an poſſit mane communicare, qui comedit uſque ad ultimum pulſum horæ duodecimæ?* Prima Sententia negat, quia ad primum horologii ictum hora 12. elapſa eſt, & horologium eſt ſolum teſtis id indicans, & ſi diverſi ſunt pulſus, id ſolum eſt, quia unico pulſu nequit hora 12. indicari, ſicut uno pulſu hora prima. Ita Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. diſput.* 41. *numer.* 40. Sancius *diſput.* 42. *num.* 19. Caſtropalao *de Conſcientia dubia tractat.* 3. *diſput.* 3. *punct.* 8. *numer.* 10. Villalobos, Facundez, & alii, quos citat, & ſequitur Diana *part.* 3. *tractat.* 4. *reſol.* 36. & *part.* 10. *tractat.* 13. *reſolut.* 54. Addit Lugus *diſp.* 15. *num.* 37. id verum eſſe non ſolum de primo pulſu, quo horæ deſignantur, ſed etiam de illo, quo prius deſignantur quadrantes horæ. Secunda Sententia, quæ non eſt minus probabilis, affirmat horam duodecimam durare moraliter uſque ad ultimum ſonum, & ictum, adeoque interim bibentem & comedentem non violare jejunium vel naturale, vel Eccleſiaſticum ſequentis diei; adeoque poſſe mane communicare. Ita cum Breſſero, Trullench, Paſqualigo, Dicaſtillo, & aliis tenet Leander *diſp.* 5. *qu.* 7. ſequitur Franc. a Jeſu Maria *in curſu morali c.* 7. *punct.* 4. *num.* 69.

22 Quod ſi diverſa fuerint horologia, poterit quis ſequi quod maluerit, & proſequi manducationem uſque ad pulſationem ſecundi, dummodo non conſtet de errore iſtius ſecundi, quia diverſa horologia ſe habent veluti diverſæ opiniones probabiles, quarum quamlibet amplecti licet. Ita Sanchez, Facundez, Villalobos, Lugus, & Paſqualigus, quos ſequitur Leander *quæſt.* 5. *par.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 36. Qui tamen unum horologium ſequitur pro regula ſui jejunii, non poterit amplius mutare, & ſequi alterum; licet enim liberum ſit, per ſe loquendo, ex duabus Sententiis probabilibus ſequi quam voluerit, eam tamen, quam amplectitur, debet retinere, nec mutare poteſt in præjudicium tertii, & jejunii. V. g. audivi horologium ſonans mediam noctem: ſi comedo carnes, quæ die ſequenti non prohibentur, illis manducatis, ſi audio alterum horologium ſonans mediam noctem, non poſſum, variata opinione, ſequi hoc ſecundum pro jejunio naturali, & mane communicare, quia dies craſtinus eſt in poſſeſſione per manducationem factam poſt ſonum primi horologii. Ita Leander *q.* 6. &, aliis citatis Diana *p.* 10. *tract.* 15. *reſol.* 29.

DUBIUM IV.

In quibus caſibus liceat non jejuno ſumere Euchariſtiam.

23 PLures aſſignantur caſus, in quibus licitum eſt non jejuno Euchariſtiam ſumere: primus eſt mortis articulus, ſeu periculum, in quo infirmo non potenti ſine gravi periculo, & detrimento, quod Medici judicio expendendum eſt, jejuno expectare, debet non jejuno Viaticum miniſtrari, quia Eccleſia non cenſetur obligare ſub tanto incommodo ad ſervandum jejunium pro ſumenda Euchariſtia; maxime quia tunc obligat præceptum Divinum communicandi, quod pręvalet Eccleſiaſtico communicandi jejunus, & ita habet uſus, & praxis Eccleſiæ: quod idem dicendum eſt de damnato ad mortem, ſi Judex nolit concedere tempus, ut jejunus communicet, quia ex ſupradictis iſte vere eſt in articulo mortis. Sic DD. communiter cum D. Thoma *q.* 80. *art.* 8. colligitur ex Concilio Conſtantien. ſeſſ. 13. ubi habetur: *Sacrorum Canonum auctoritas, & approbata conſuetudo Eccleſiæ ſervavit, & ſervat, quod hujuſmodi Sacramentum non ſumatur a non jejunis, præterquam in infirmitate*: & habetur etiam in Rituali Romano de communione infirmorum ibi: *poteſt quidem Viaticum brevi morituris dari non jejunis*. Addit Thomas Hurtadus *tom.* 2. *tract.* 11. *cap.* 10. *reſol.* 10. *num.* 342. non eſſe improbabile, quod etiam caſu, quo infirmus commode poſſit jejunus Euchariſtiam ſumere, ad id non teneatur, ſecus daretur cauſa plurium ſcrupulorum: in morbo periculoſo certe non eſt differenda ſcrupuloſe Communio propter jejunium, nam in Concilio Conſtant. a lege jejunii ſimpliciter excipiuntur infirmi.

24 Dubitatur: *an, durante eadem infirmitate, poſſit quis pluries Communionem recipere non jejunus*. Prima Sententia negat, quia tota ratio, cur poſſit in periculo mortis communi-

municare non jejunus eſt, ut ſatisfaciat præcepto Divino communicandi in tali periculo, quæ ratio ceſſat, quando ſemel communicando præceptum implevit. Ita Vaſquez *diſp.* 211. *n.* 38. Joannes de Cruce, Ledeſma, Medina, Ochagavia, & alii apud Dianam *p.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 37. Secunda Sententia probabilior affirmat, poſſe iterum atque iterum, etiam durante eodem periculo mortis, quia textus concedentes conſtitutis in mortis periculo, ut ſuſcipiant Euchariſtiam poſt cibum, vel potum, non limitant conceſſionem pro una vice tantum, ut patet ex verbis Concilii Conſtantienſis, & ex Rituali Romano, & pia Mater Eccleſia cenſetur velle pluries diſpenſare, ut a non jejunis ſumatur Euchariſtia in tali periculo, in quo agitur de æterna ſalute, ut majorem fructum, & vires tentationibus reſiſtendi inde recipiant. Ita docent Tabiena, Armilla, Sotus, Victoria, Graffis, Nugnus, Coninch, Reginaldus, Henriquez, & Suarez, quos citat & ſequitur Lugus *diſp.* 15. *num.* 64. Madernus *art.* 7. *num.* 25. Marchinus *tract.* 3. *de Miſſa part.* 3. *cap.* 3. *num.* 10. Bonacina *quæſt.* 6. *punct.* 2. *num.* 23. Leander *q.* 39. Diana *par.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 75. & 77. *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 44. & iterum *par.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 195. & *part.* 5. *loco ſupra citato.*

25 Dubitatur ulterius: *quantum ſpatium debeat intercedere inter unam Communionem, & aliam, quando in eadem infirmitate ſumitur a non jejunis, in quo maxime diſcrepant Doctores;* alii enim requirunt ſpatium triginta dierum; ita Navarrus *conſ.* 41. *lib.* 5. *de Pœnit. & Remiſſ.*; alii octo, vel decem dierum, ut Suarez, Henriquez, & alii, apud Dianam *par.* 2. *tr.* 14. *reſol.* 77.: alii ſex dierum; Poſſevinus de Officio Curati *c.* 8. *n.* 21., alii tertia die dari poſſe dicunt: ita Diana *p.* 9. *tr.* 9. *reſol.* 58., & fundatur in illis verbis Ritualis Romani de Commun. Infirm. *Si æger, ſumpto Viatico, dies aliquot vixerit, vel periculum mortis evaſerit, & communicare voluerit, ejus pio deſiderio Parochus non deerit;* nam pluralis locutio duorum numero eſt contenta. Alii denique volunt; poſſe etiam ſequenti die, ſi quis ſolitus ſit communicare, & ei difficile ſit abſtinere; quam Sententiam maxime piam ſecuntur plures infra citandi, docentes, poſſe Infirmum, durante periculo mortis, communicare quotidie non jejunum, & Parochum poſſe Infirmum prædictum etiam quotidie non jejunum communicare per Viaticum; talis enim præſumitur mens Sanctæ Matris Eccleſiæ, quæ non vult Filios ſuos, in tali periculo conſtitutos, privare excellenti ſubſidio Communionis Sacræ ad pugnandum cum hoſte maligno, & ad arripiendum tuto iter Æternitatis. Certe Concilium Conſtant. abſolute, & ſine limitatione concedit Infirmo periclitanti, ut non jejunus communicare poſſit. Deinde ſi poteſt Infirmus non jejunus poſt ſex, octo, decem dies communicare, cur non licebit ſtatim altera die? ut docet Dominicus Baltaſanas apud Leandrum *diſp.* 5. *q.* 40. & ita tenent Layman. *c.* 6. *n.* 20. Caſtropalaus *diſp. unic. punct.* 13. *n.* 14. Baunyus, Baſſeus, Eſcobar, Hurtadus, Serra, quos citat Diana, quibus adhærent Quintanadvenas *tr.* 4. *ſingul.* 14. *n.* 5. Tamburinus *de commemorat. c.* 5. §. 11. *n.* 24. & alii apud ipſos, nec diſſentit Marchinus *loco cit. num.* 11.

26 Nec obſtant verba illa Ritualis Romani: *Si Æger ſumpto Viatico dies aliquot vixerit*, quorum verborum vi Diana duos, vel tres dies cenſuit eſſe expectandos; nam Rubrica illa non eſt præceptiva, ſed directiva, & ſic non obligat ad expectandum ſpatium duorum, vel trium dierum, ut iterum Æger, in periculo mortis perſeverans, non jejunus communicetur, ut docet Eminentiſs. Cardinalis Brancatius in opuſculo *de Sacro Viatico pag.* 158. Quod ſi ceſſavit periculum, ratione cujus quis Euchariſtiam ſuſcepit non jejunus, & novum periculum ſucceſſit, poterit abſque ullo dubio iterum communicare non jejunus.

„ *Synodum Diœceſanum hac de re ſatis clare loquentem c.* 12. *lib.* 7. *jam opportuno loco, & non inconſulto ſub c.* 7. *hujuſce Tractatus dub.* 3. §. 17. *produxi: at quamvis eam tunc protulerim ad probandum nullo alligari præcepto pluries ſumendi Viaticum, qui in eodem mortis periculo per plures dies perſeverat: hoc tamen loco, utpote priori, atque aptiori, haud abs re quidem eam Synodi partem iterum ſic repetendam exiſtimo.* Similiter abſque formidine ſe aliqua involvendi controverſia, & poteſt, & interdum debet Epiſcopus conſtituere, ne Parochi renuant Sanctiſs. Euchariſtiam iterato deferre ad ægrotos, qui, etiam perſeverante eodem morbi periculo, illam ſæpius, per modum Viatici, cum naturale jejunium ſervare nequeant, percipere cupiunt. Quamvis enim Vaſquez *in* 3. *p. diſp.* 214. *c.* 2. *in fine* doceat, Divino præcepto ſatisfieri per unicam perceptionem Sanctiſſimi Viatici in eadem ægritudine; nullum tamen invenimus alicujus nominis Theologum, qui neget & licitum, & pium, ac laudabile eſſe illud ſæpius repetere. Ita quippe expreſſe tradunt Sylveſter verb. *Euchariſt.* 3. *in* 4. *diſt.* 12. *q.* 1. *art.* 8. Toletus *in ſumma lib.* 10. *c.* 15. Henriquez *lib.* 8. *c.* 4. *nu.* 1. & *c.* 50. *n.* 1. Suarez *diſp.* 68. *ſect.* 5. Layman *lib.* 5. *ſum. tr.* 4. *c.* 6. *q.* 6. *n.* 20. Diana *t.* 1. *reſ.* 75. Card. de Lugo *diſp.* 15. *ſect.* 3. *n.* 64. qui male traducit Vaſquez, quaſi auctorem contrariæ ſententiæ, cum hic de ſola loquatur obligatione, ut diximus, & legenti patebit.

„ Aliqua dumtaxat diſſenſio eſt in præfiniendo temporis ſpatio, quod debeat intercedere, ut intra eamdem infirmitatem poſſit iterum non jejuno dari Euchariſtiam. Aliqui enim, cum Navarro, multum temporis interfluere debere exiſtimant inter unam, & alteram Communionem, quam indefinitam Navarri aſſertionem de ſpatio triginta dierum explicat Villalobos *in ſumm.* 1. *p. tract.* 7. *dub.* 38. Alii cum Suarez *cit. loco* decem, aut octo dies expoſcunt. Alii cum Ludovico a S. Joanne *in ſumm. Hiſpano ſermone edita t.* 1. *q.* 7. *art.* 10. *diff.* 4. *de Sacram. Euchariſt.* poſt elapſos tres dies Viaticum iterari concedunt. Alii demum cum Layman *cit. c.* 6. *n.* 20. etiam in ſequenti die illud repeti permittunt, ſi videatur inſtare mortis periculum, & ægrotus, qui cum ſanus eſſet, frequenter conſueverat Euchariſticum panem deguſtare, eo denuo nutriri, & roborari cupiat. Abſtrahat igitur Epiſcopus ab hiſce quæſtionibus, ſolumque Parochis inſinuet, poſſe, & debere Sanctiſſimum Viaticum in eadem infirmitate iterum, & tertio adminiſtrari, præſertim ſi ipſimet ægrotantes iterum cœleſtem illum panem eſuriant; & ſi velit, pœnam etiam in Parochos decernat, qui poſt plurimum temporis Euchariſtiam ad eumdem Infirmum, eam devote efflagitantem, fallis quibuſdam, & emendicatis prætextibus denuo deferre obſtinate detrectant; nihil quippe in hac ſaluberrima Conſtitutione invenietur cenſura, & caſtigatione dignum &c. „

27 Dubitatur 3. *An poſſit Parochus, vel alius Sacerdos celebrare non jejunus ad dandum alteri Viaticum in articulo mortis?* Si ipſe Sacerdos ſit in tali periculo conſtitutus, ut ſi eſſet occidendus, vel ſi, ſumpto veneno, eſſet moriturus, aut eſſet proximus morti, & non haberet a quo poſſet recipere Viaticum, poterit utique celebrare non jejunus ad ſe communicandum: quia cum certum ſit poſſe communicare non jejunum, nulla eſt ratio, cur non poſſit etiam celebrare ad ſe communicandum. Et ita tenent Lugus, Layman, Coninch, & alii, quos refert, & ſequitur Diana *par.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 36. contra Bonacinam *qu.* 6. *p.* 2. *nu.* 24. ſi vero agatur de Communione alterius Infirmi.

28 Prima Sententia affirmat, poſſe Parochum celebrare non jejunum. Ratio eſt, quia præceptum Communionis in articulo mortis eſt juris divini, quod debet prævalere præcepto Eccleſiaſtico de jejunio. Sicut enim Eccleſia diſpenſat cum ipſo Infirmo a jejunio, ita cenſetur diſpenſare cum Sacerdote, ut poſſit communicare Infirmum: & ſi Sacerdos poteſt non jejunus celebrare, ut ſe ipſum communicet in articulo mortis conſtitutum; ita poterit hoc idem facere ad communicandum alium, cum ex lege charitatis, quod pro nobis facimus, pro proximo facere debeamus. Ita Major *in* 4. *diſt.* 9. *quæſt.* 3. *ad* 5. ubi ſubdit, in tali caſu poſſe etiam Sacerdotem celebrare in fermentato, & ſine Veſtibus ſacris, & ſi mors immineat, deficiatque tempus, ſufficere ſi recitet ſola verba conſecrationis, ut refert Layman *cap.* 6. *num.* 21. quæ tamen ampliatio ab aliis fere omnibus Theologis merito reprobatur tanquam contraria Eccleſiæ ritibus, & conſuetudini, & reverentiæ tanto Sacramento debitæ, quæ præferri debet alienæ utilitati ſpirituali, quam moriturus ex Euchariſtia capere poſſet, ut fuſe probat Suarez *diſp.* 66. *ſect.* 5. & alii cum Marchino dicto *cap.* 3. *num.* 13. Sine tali extenſione poſſe Parochum non jejunum celebrare, docent quamplures apud Dianam, quos ſequitur Franc. de Lugo *lib.* 4. *c.* 7. *q.* 7. *num.* 78. Quartus in Rubr. Miſſalis *par.* 3. *tit.* 9. *ſect.* 1. *dub.* 7. Azor. *par.* 1. *lib.* 10. *cap.* 30. *q.* 2. §. *ſed ut conſtat.* Barboſa *de offic. Parochi c.* 20. *n.* 40. Joan. de Lugo *diſp.* 15. *n.* 68. Pignatellus *t.* 3. *conſult.* 39. *n.* 2. & probabile putat Filliucius *cap.* 8. *n.* 242. Layman, & Marchinus *locis citatis.*

29 Secunda Sententia probabilior, & ſequenda negat, poſſe Parochum non jejunum celebrare pro Communione Infirmi. Ratio eſt, quia hoc Sacramentum, ſicut eſt majoris dignitatis, ita eſt minoris neceſſitatis, adeo ut plus ſit attendendum ejus reverentiæ, quam Infirmi neceſſitati, quæ non eſt neceſſitas medii, cum poſſit contritione, confeſſione, aliiſque Sacramentis ſalvari, ſed tantum eſt neceſſitas præcepti, quod licet ſit præceptum Divinum, tamen in eo caſu non obligat Infirmum, cum non habeat a quo Sacramentum recipiat, nec obligat Sacerdotem, qui non poteſt, niſi ſervato Eccleſiæ ritu, illud licite conficere, & celebrare. Sic Nugnus, Coninch, Sylvius, Suarez, Vaſquez, Homobonus, Facundez, Armilla, & alii, quos citat, & ſequitur Madernus *art.* 7. *num.* 29. Cacheranus §. 6. *num.* 115. Bonacina *q.* 6. *punct.* 2. *num.* 24. qui plures alios affert, Franc. a Jeſu M. *cap.* 7. *num.* 77. & Diana pluribus in locis *par.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 66. *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 33. *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 104. & *par.* 5. *tr.* 3. *reſol.* 35.

30 Nec obſtant rationes in oppoſitum: non prima, quia licet præceptum Communionis in articulo mortis ſit juris Divini; tamen, ut dixi, non obligat, quando decenter, & juxta ritum ab Eccleſia præſcriptum confici, & ſervari non poteſt. Non ſecunda, quia neceſſitas Infirmi eſt frequentiſſima, & ſic debet pia Mater Eccleſia cum illo diſpenſare, ut communicare poſſit non jejunus; at neceſſitas celebrandi eſt rariſſima, cum pro Communione Infirmorum ſoleat in Eccleſia Euchariſtia ſervari, proinde non eſt mi-

mirum, ſi cum Sacerdote non diſpenſet, cum caſus rariſſime accidat. Non tertia, quia Eccleſia, concedendo Sacerdoti in periculo mortis, ut communicet non jejunus, videtur etiam concedere ut celebret, ſi aliter Communionem habere non poteſt, quia non eſt plus celebrare, quam communicare ſine jejunio; at reſpectu alterius hoc non conceſſit. Ita Lugus, Diana, Layman, & Palaus *punct.* 13. *num.* 15.

31 Secundus caſus, in quo licitum eſt non jejuno ſumere Euchariſtiam aſt, ne Sacrificium maneat imperfectum. Sic ſi Sacerdos poſt conſecrationem recordatur ſe non eſſe jejunum, licite poteſt, imo tenetur Sacrificium proſequi, & Euchariſtiam ſumere; ſi vero recordetur ante conſecrationem, cum tunc nondum ſit Sacrificium eſſentialiter inchoatum, non tenetur, nec poteſt licite proſequi, ſed debet deſiſtere a Miſſa, ſi abſque ſcandalo, adſtantium offenſione, aut infamia ipſius Sacerdotis fieri poſſit, ut docent Marchinus *cap.* 3. *n.* 15. *in fine*, Diana *part.* 10. *tract.* 12. *reſol.* 14. Sylveſter verb. *Euchariſtia*, Azor. *lib.* 10. *cap.* 33. *q.* 2. quibus favet D. Thomas *q.* 83. *art.* 6. *ad* 2. ubi ait, *tutius reputarem, quod Miſſam inceptam deſereret, niſi grave ſcandalum timeretur.* At quia in Miſſis, quæ publice celebrantur, vix poteſt Sacerdos ab inchoata Miſſa deſiſtere ſine tali ſcandalo, & infamia, illam poterit hoc titulo proſequi non jejunus, nam leges poſitivæ non obligant cum tanto incommodo. Ita P. Cacheranus §. 6. *n.* 119. Suarez, Layman, Palaus, quos ſequitur Franc. a Jeſu Maria *num.* 79.

32 Eodem titulo perficiendi Sacrificium, ſi Sacerdos loco vini aquam in calice poſuit, qua inadvertenter ſumpta jejunium fregit, tenetur vinum iterum conſecrare, &, quamvis fracto per aquæ ſumptionem jejunio, ſumere. Quod ſi ore ſumptam guſtu cognoſceret eſſe aquam, antequam illam trajiceret, aliqui dicunt, in eo caſu debere Sacerdotem, extracta particula, aquam receptam in alio vaſo evomere, ut poſſit jejunus vinum conſecrare, & ſumere. At quia hoc ſine irreverentia, & indecentia fieri non poteſt, alii melius affirmant, poſſe, & debere aquam, ut talem cognitam, deglutire, & novo conſecrato vino illum ſumere, quia tunc ceſſat obligatio jejunii. Ita cum D. Thoma *quæſt.* 83. *art.* 6. *ad* 4. tenent Ledeſma, Cruz, Henriquez, Lugus, Hurtado, Marchinus, Diana, Dicaſtillus, & alii, quos refert, & ſequitur Leander *qu.* 23. & 24. ubi etiam cum Suarez, Facundez, Azorio, Marchino, Hurtado, & aliis citatis docet, Sacerdotem, qui aquam inadvertenter conſecratam ſumpſit, non teneri, cognito errore, novum vinum conſecrare, ſed poſſe abſque illo finire Miſſam, quando ſine gravi adſtantium ſcandalo, & ſui ipſius infamia, aut periculo, non poteſt novum vinum habere, quia præceptum Divinum de Sacrificio ſub utraque ſpecie non obligat cum tanto detrimento Sacerdotis, qui facile de incuria accuſari poteſt, & deponi.

33 Ad eamdem Sacrificii perfectionem pertinent particulæ conſecratæ, ſi quæ, facta purificatione, remanſerunt; quare ſi aliqua particula remaneat affixa palato, vel adhæſit Calici, poterit Sacerdos novam ablutionem ſumere, ut ſimul cum ablutione recipiat tales particulas, cum major ſit reverentia, iteratis ablutionibus, illa deglutire, quam digitum in os immittere, ut cum communi tenet Anton. a Spiritu S. *diſp.* 4. *ſect.* 7. *n.* 158. & Bonacina *qu.* 6. *punct.* 2. *n.* 12. Nec obſtat jejunium per primam ablutionem fuiſſe ſolutum, ſiquidem reputantur unica actio, quam Sacerdos jejunus inchoavit.

34 Eadem ratione, ſi poſt ablutionem, aut poſt dictas orationes, reperiat in patena aliquas particulas a ſe conſecratas, poterit illas ſumere, etiamſi ſit particula magnæ quantitatis, aut integra forma, quia ſunt complementum, & partes ejuſdem Sacrificii, quod plane abſolutum non cenſetur, quouſque Sacerdos in Altari perſiſtit. Ita, pluribus citatis, Bonacina *qu.* 6. *punct.* 2. *n.* 14. Lugus, Marchinus, Facundez, & alii communiter. Dixi *a ſe conſecratas*, nam ſi ab alio fuerunt conſecratæ, non poteſt illas ſumere, quia non ſpectant ad complementum ſui Sacrificii, ſed alterius, qui illas conſecravit; quapropter particulæ illæ, ſi decenter fieri poteſt, reſervandæ ſunt in Sacrario, vel ſimul cum hoſtia dari poterunt Laicis communicantibus, non tamen poſt ablutionem, quia, Communione ſumpta, terminatur Convivium. Ita Bonacina *num.* 15.

35 Dubium eſt: *an Sacerdos poſt longam Communionem factam immediate poſt finitum Miſſæ Sacrificium poſſit vaſa purificare, & reliquias, ſeu fragmenta, quæ ſuperſunt, conſumere?*

Reſp. affirmative, ſi particulæ, & earum reliquiæ fuerunt a ſe ipſo in ea Miſſa conſecratæ, nam cenſetur una actio moralis, & conſummatio ejuſdem Sacrificii; ſecus vero, ſi fuerunt ab alio conſecratæ, ut ſupra dictum eſt. Majus dubium eſt: *ſi Sacerdos, finita Miſſa, jam receſſit ab Altari, & reverſus in Sacriſtiam inveniat aliquas particulas, aut fragmentum in Patena, aut Calice, an poſſit illas ſumere, maxime ſi ſacris Veſtibus adhuc indutus maneat?* Affirmant quamplures, quia ſumptio harum particularum pertinet ad complementum ejuſdem Sacrificii. Ita Granados, Hurtadus, Leander, Jo. Baptiſta de Fabris, & Megalius apud Dianam *part.* 5. *tract.* 14. *reſol.* 43. Contrariam tamen Sententiam cenſeo probabiliorem, quia eo ipſo, quod Sacerdos ab Altari receſſit, cenſetur expleviſſe ſuum miniſterium, & actionem ſacrificandi. Ita cum Layman, Coninch, Suarez, Cruz, Facundez, Lugo, tenet Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 45. & Marchinus *cap.* 3. *n.* 20.

36 Hoc autem debet intelligi per ſe loquendo, quia per accidens, quando non poſſunt illæ particulæ conſervari ſine majori irreverentia, nec dari alteri Sacerdoti celebraturo, qui eas ante ablutionem ſumat, & propter parvitatem facile amitti poſſunt, in hoc caſu poſſunt a Sacerdote non jejuno, in Sacriſtiam reverſo, conſumi, etiamſi non fuerint a ſe conſecratæ, propter reverentiam Sacramenti. Ita Suarez, Coninch, Layman, Facundez, Lugus apud Dianam *loco citato*.

37 Ob eandem rationem, ſi peracta conſecratione pereat, aut deficiat Sacerdos, debet alius Sacerdos, etiam non jejunus, ſi alius jejunus non inveniatur, Sacrificium perficere, & conſummare, quia magis urget obligatio perficiendi Sacrificium, quam communicandi in jejunio. Ita expreſſe D. Thomas *qu.* 43. *art.* 6. *ad* 1. Navarrus, Tabiena, Vaſquez, Coninch, Lugus, Bonacina, Diana *part.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 66. Phillibertus Marchinus *part.* 2. *cap.* 3. *n.* 15. ubi addit, idem dicendum eſſe de Sacerdote excommunicato, & irregulari, qui etiam non jejunus Sacrificium cœptum proſequi, & perficere debet. Quod ſi deficiat Sacerdos ante Conſecrationem, nullus tenetur Miſſam perficere, quia Sacrificium non relinquitur imperfectum, cum non ſit eſſentialiter inceptum. Idem valet ſi deficiat poſt ſumptionem utriuſque ſpeciei, quia tunc eſſet eſſentialiter perfectum.

38 Tertius caſus, in quo quis non jejunus poteſt Euchariſtiam ſumere, eſt ad vitandam irreverentiam Euchariſtiæ imminentem; puta ne particula deveniat ad manus Infidelium, a quibus injurioſe tractetur, vel alio modo corrumpatur, vel alia ſimilis cauſa adveniat, quia jejunium ob reverentiam Euchariſtiæ præſcriptum, non debet cedere in majorem ipſius irreverentiam. Ita communiter Doctores cum Bonacina *num.* 18. & Cacherano *num.* 122. Hoc titulo, ſi poſt Conſecrationem deficiat Sacerdos, nulluſque alius Sacerdos reperiatur, qui Sacrificium perficiat, & Sanguinem ſumat; & immineat gravis irreverentia, & periculum, ne corrumpantur ſpecies, & aceſcant, ſi relinquantur, poterunt a Laico ſumi. Ita Vaſquez *tom.* 3. *diſp.* 216. *cap.* 4. *n.* 47. &, aliis citatis, Diana *part.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 34.

39 Quartus caſus eſt diſpenſatio Summi Pontificis, qui pluries diſpenſaſſe narratur, ut a non jejunis ſumeretur Euchariſtia, ut de Carolo V. & aliis refert P. Cacheranus *num.* 124. Et de facto videtur tacite diſpenſare Pontifex pro Cardinali celebrante in Sacello Pontificio in nocte Nativitatis; hic enim, ut dicunt, in Vigilia Nativitatis, hora conſueta, prandſus celebrat ante mediam noctem, adeoque celebrat non jejunus a media nocte præcedente. Lugus tamen *diſp.* 15. *ſect.* 2. *n.* 56. contendit, Pontificem in hoc non habere mentem diſpenſandi jejunium, ſed potius habere mentem anticipandi diem Natalis Domini per unam, vel aliam horam, quia ſi illa Miſſa eſſet intra diem Vigiliæ, non intra diem Nativitatis, Sacerdos non potuiſſet mane in die Vigiliæ celebrare, ſecus extra diem Nativitatis celebraſſet pluſquam ſemel. Secundo, ſi Vigilia Nativitatis occurreret in Dominica, audientes illam Miſſam ſatisfaceret præcepto audiendi Miſſam die Dominica, & non ſatisfacerent præcepto audiendi Miſſam in die Natalis. Tertio, poſſet in ſequenti die Natalis celebrare alias tres Miſſas, cum hoc ſit privilegium commune omnibus Sacerdotibus. Quarto, poſſet Sacerdos in illa Miſſa ablutionem ſumere, etiam ſi vellet celebrare ſecundam, & tertiam, quod eſt contra Rubricam illius Miſſæ. Sed facile reſpondetur, eſſe privilegium illius Sacerdotis, ut poſſit celebrare non jejunus, & unum Sacrum anticipare, ut docent Mader̃us *num.* 12. & Cacheranus *num.* 125.

DUBIUM V.

De aliis diſpoſitionibus ex parte Corporis.

40 ALiæ diſpoſitiones ex parte Corporis reducuntur ad exteriorem Corporis compoſitionem, ad ornatum decentem, & ad puritatem ab omni inquinamento carnis, & pollutione, de qua præcipue dubitatur: *an impediat Communionem, & Miſſæ celebrationem.* Et quidem pollutio poteſt contingere tripliciter: primo abſque ulla omnino culpa, ſive mortali, ſive veniali, ut quando evenit in ſomnis: ſecundo voluntarie, ſed ſine culpa, ut contingit in copula conjugali: tertio voluntarie cum culpa lethali, ut in ſimplici pollutione, aut copula fornicaria. His poſitis

41 Reſpond. pollutionem, per ſe loquendo, nec etiam ſub culpa veniali impedire Communionem in eadem die: & quidem ſi pollutio involuntarie, & ſine peccato contingat, res videtur certa, quia cum ſit inculpabilis, nullam relinquit maculam in anima, nec in corpore, cujus fuit effectus quidam naturalis. Quapropter Juſtinus Mar-

tyr

tyr *queſt.* 21. *ad Gentes* ait: *Non eſt æquum propter hanc involuntariam paſſionem abſtinere a Myſteriis*, maxime quia aliquando poteſt excitari a Dæmone ad retrahendum hominem pium, ac timoratum a Communione cum ſpirituali detrimento ipſius. Et ita tenent Doctores communiter.

42 Major difficultas eſt de pollutione peccaminoſa: *an illa ſaltem ſub veniali Communionem impediat in eadem die, in qua contingit, etiam ſi præceſſerit illius peccati Confeſſio?* Impedire ſub veniali affirmant quamplures, quia qui poſt peccatum carnale accedit ad Communionem, videtur aliquam irreverentiam irrogare Chriſto, caſtitatis, & puritatis auctori, qui maxime a peccatis carnalibus abhorret. Nec obſtat, quod præceſſerit illius peccati Confeſſio, quia, ut habet D. Thomas 3. *part. quæſt.* 80. *art.* 7. *ad* 4. *Licet per Confeſſionem auferatur reatus culpæ, non tamen aufertur corporalis immunditia, & diſtractio mentis ex pollutione ſequens, ratione cujus illud corpus non eſt aptum vas ad recipiendum puriſſimum Jeſu Corpus.* Et ita cum D. Thoma tenent Valentia *diſp.* 6. *q.* 9. *punct.* 3. *in fine*, Bonac. *qu.* 6. *punct.* 2. *n.* 4. Lugus *diſp.* 15. *n.* 4. Diana *part.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 65. Hæc Sententia non ſolum eſt probabilis, ſed in praxi conſulenda, ut qui peccatum carnale commiſit, abſtineat illo die a Communione ob reverentiam tanti Sacramenti, niſi urgeat aliqua rationabilis cauſa in contrarium.

43 In rigore tamen nullum puto eſſe peccatum, nec etiam veniale, accedere eadem die ad Communionem poſt pollutionem peccaminoſam. Ratio eſt, quia in pollutione, vel copula, duo poſſunt conſiderari, nimirum ratio peccati, & fœditas corporalis, & evagatio mentis, quæ ut plurimum conjuncta eſt cum pollutione, maxime voluntaria: ratio peccati, quæ in pollutione reperitur, non magis impedit Communionem, quam alia peccata etiam graviora, perjurii, hæreſis, & odii Dei; unde ſi iſta peccata non impediunt eadem die Communionem, ſi fuerunt Confeſſione deleta, ita nec impedit culpa, quæ in pollutione reperitur, ſi præceſſit illius Confeſſio. Siquidem per Sacramentum Pœnitentiæ homo recipit gratiam juſtificantem, per quam tollitur omnis macula peccati: fœditas vero corporalis, ſecundum ſe conſiderata, non eſt niſi denominatio quædam extrinſeca, proveniens ab actu præterito, quæ, deleta culpa, & ipſa deletur; nullum eſſe peccatum, nec etiam veniale, tenent Sancius, Azorius, Navarrus, Sylveſter, Coninch, Suarez, Filliucius, Hurtado, & alii, quos citat, & ſequitur Leander *diſp.* 6. *q.* 3. Diana *part.* 10. *tract.* 16. *reſol.* 33. & apud ipſum Dicaſtillus *tract.* 8. *dub.* 14.

44 Dixi in reſp. *per ſe loquendo*, quia ſi ex pollutione remaneat magna diſtractio mentis, commotio carnis, in qua ſupprimenda invenit ſe homo torpentem, & importune ſuboriuntur carnalis delectationis cogitationes, quæ animum perturbant, tunc impedit Communionem, & poteſt eſſe peccatum veniale accedere ad Euchariſtiam cum iſtis impedimentis; eſt enim quædam indecentia ita ad fontem omnis puritatis accedere. At quia non ſemper contingunt hujuſmodi commotiones, & divagationes, & fieri poteſt, ut voluntarie pollutus, & per Confeſſionem purgatus, magis ſit diſpoſitus, quam plures alii; ita bene monet P. Madernus *qu.* 7. *art.* 7. *n.* 5. relinquendum hoc eſſe prudentiæ Confeſſarii, qui, conſiderata qualitate perſonæ, temporis, & circumſtantiarum, judicet quid magis expediat. Aſſignantur a Marchino *de Ordine part.* 3. *tract.* 3. *cap.* 2. nonnulli caſus, in quibus voluntarie pollutus poterit poſt Confeſſionem ad Euchariſtiam accedere. Primus, ſi quis experimento probavit majores tentationes pati, & in eadem peccata facilius reincidere, ſi abſtineat a Communione. Secundus, ſi urgeat dies feſtus valde ſolemnis, vel tempus ſit Jubilæi, ad cujus lucrum prærequiritur Sacra Euchariſtia. Tertius, ſi urgeat conſuetudo communicandi illa die omnes Religioſos, vel Sodales alicujus Sodalitatis, & immineat periculum infamiæ, ſi abſtineat a Communione.

45 Quod dictum eſt de pollutione, proportionaliter dicendum eſt de actu conjugali Communione præcedente; ſi enim nulla intervenerit culpa, non impedit Communionem, maxime ex parte reddentis debitum, quod ex juſtitia tenetur reddere, etiam ſi ſequenti die ſit communicaturus, quamvis forte relinquatur aliqua mentis divagatio, cui præponderat honeſtas actus juſtitiæ, & obligatio reddendi. Ex parte etiam petentis non impedit, ſi debito fine petat, vel ad liberos procreandos, vel ad vitandum periculum incontinentiæ: & quamvis ex decentia ſuadendum ſit, ut Communionem omittant illo die, vel a debito petendo abſtineant; non tamen nimium ſunt urgendi, ſed ſuo judicio relinquendi, quia ſuſcipere Euchariſtiam eo die, quo habita eſt copula, nullum eſt peccatum; quando vero culpa intervenit, idem dicendum eſt, ac de pollutione.

46 Aliæ corporales immunditiæ ſunt lepra, fluxus ſanguinis, ſeminis, aut menſtrui, de quibus breviter dico, Sacerdotem leproſum non admitti ad Miſſæ celebrationem propter horrorem populi, ut patet ex cap. *Tua nos, de Cleric. ægrot.* poterit tamen Communionem recipere, & forte etiam ſecreto celebrare, ut cum Palao, & aliis, tenet Franciſcus a Jeſu Maria *cap.* 7. *punct.* 4. Fluxus ſanguinis, ſeminis, aut menſtrui, impedit ſolum ex decentia, ſi non ſit diuturnus, & expectari poſſit tempus, quo ceſſavit. Non lotis manibus celebrare, ſi advertenter fiat, Viri docti dicunt eſſe peccatum veniale, ut teſtatur Granado apud Leandrum *diſp.* 6. *quæſt.* 8. Quæ ad exteriorem compoſitionem pertinent, conſulto omittuntur, quia non habent particularem difficultatem.

ADDITIO
AD TRACTATUM QUARTUM.
DE CULTU EUCHARISTIÆ.

CUM in iis omnibus, de quibus huc uſque actum eſt, tanti hujuſce Sacramenti reverentiæ potiſſimum conſulendum arbitrati fuerint Theologi: nonnulla hic adjicienda haud inopportunum putavi, quæ circa externum Cultum illi exhibendum ſtatuerunt Patres, & ex Patrum, vel Conciliorum auctoritate, in ſua Bononienſi Diœceſi decrevit Benedictus XIV. tunc Cardinalis Archi-Epiſcopus Lambertini; quæ etiamſi ad Rubricas potius, quam ad Morales ſpectent doctrinas, plurimum tamen prodeſſe poterunt ad optime vel Parochum, vel Sacerdotem in munere ſuo inſtituendum, in quo harum adjectionum finis potiſſimum ineſt. Et primum quoad Cultum huic Diviniſſimo Sacramento præſtandum, quotieſcumque vel ad Infirmos, vel per Civitatem ſolemni pompa circumfertur, in publicis præſertim Supplicationibus, quæ vel in Solemnitate Corporis Chriſti, ac ejus Octava, vel in ſingulis Dominicis ineunte menſe, & in ſingulis Parochiis haberi ſolent, vide quid decernatur in Notificatione poſita num. 5. *lib.* 1. *hiſce verbis*: Interim Nos libere affirmare poſſumus (ut nihil de Orientis Eccleſia proferamus, ad quam Pontificiæ Conſtitutiones, cum de diſciplina agitur, niſi aperte nominetur, minime pertinent) per totum Occidentem ab Eccleſia Feſtum Corporis Chriſti, & ſolemnem per Urbem ſupplicationem quotannis renovari. Hinc alia pariter ſupplicatio dimanavit, cum Divina Myſteria magno Populi concurſu ad Infirmos deferuntur. Ob eam rem Martinus V. in ſuo Decreto, poſtquam largiora cœleſtis Theſauri munera in eos contulit, qui Dominicum Corpus pie comitati eſſent, cum, redeunte celebritate, aut per octo ſequentes dies, ſingulis annis, per Urbem ſolemni pompa circumfertur, eorumdem etiam bonorum participes eos decernit, qui idem facerent, cum Ægrotis adminiſtraretur. Hac profecto de cauſa pietas in Fidelium animis aucta eſt, & ſanctiſſima inducta conſuetudo, ut quolibet menſe in Eccleſiis Metropolitanis, Cathedralibus, atque etiam in Parochiis hujuſmodi publica ſupplicatio haberetur. Nonnulli autem pietatis cauſa Romæ ſimul convenerunt in Ædem Sanctæ Mariæ ſuper Minerva, ut Chriſto Domino, cum in Urbe circumgeſtaretur, operam, honoremque debitum ſedulo præſtarent; & plurima inter eos conſtituta ſunt, quæ non modo Pauli III. auctoritate probata fuerunt, ſed etiam Sodalitas a Corpore Chriſti nuncupata, tunc temporis exordium habuit, cui Pontifex, ut univerſos ad hoc pium opus incitaret, cœleſtia bona largiter impertivit. Illud etiam ſe expetere magnopere oſtendit, ut in aliis Civitatibus hæc Sodalitia inſtituerentur, ut magna frequentia præſto ſemper eſſent, qui humili veſte ſuperinducti, cereis funalibus accenſis, Pſalmoſque canentes, ſacra Myſteria per Urbem ſequerentur.

Sanctus Carolus Borromæus hujuſmodi Supplicationes, quæ unoquoque menſe fieri ſolent, cum in Civitatem, tum in Provinciam, jampridem inductas memorat in quarto Concilio *Tit. de pertinentibus ad Sacram Euchariſtiam*, quod Mediolani celebravit. Præclariſſimus Cardinalis Paleottus primus Bononienſium Archiepiſcopus Sodalitates, quas ſupra diximus, probavit magnopere; juſſitque ut ſingulis diebus Dominicis, ineunte menſe, illius Parochiæ, in qua ſedem haberent, conſuetam Supplicationem proſequerentur, ſicut in Rituali ipſius Libro præſcribitur. Cardinalis Columna, hujus etiam Civitatis Epiſcopus, in Synodo, quam anno 1634. convocavit, illud præſertim pag. 35. decrevit: *Unoquoque menſe Proceſſio fiat a Societate Corporis Chriſti, quæ, ubi non eſt erecta, quamprimum inſtituatur a Parochis: quibus menſtruis in Parochia Proceſſionibus, & iis, quæ habentur in Hebdomada Sancta, a Parochis invi-*

tentur benigne Confratres in propria Parochia exiſtentes, ut interſint, ſtudeantque benigne ſic ipſi invitati frequentes intereſſe, proprio amicti habitu, ut mos eſt in Eccleſia Metropolitana. Denique graviter, ſanctèque Cardinalis Jacobus Boncompagnus Deceſſor noſter *in ſua Synodo pag.* 31. *&* 32. conſuluit, ut perhonorifice Clericorum, & Sodalitatum frequentia nunquam deeſſet, cum de more ſingulis menſibus, vel ægrotantium cauſa, Sacra Myſteria circumferuntur.

Nolumus ſane perſcrutari, cur ſingulæ Parochiæ Sodalitates hujuſmodi adſcriptas non habeant (ſicut a Deceſſoribus noſtris merito præceptum fuit) nec ſuper hac re novum aliquid definire : cum præſertim cognitum Nobis ſit, quod aliæ Fidelium Societates, licet a Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento minime nominentur, omni tamen Religione, atque ſtudio, comitatum præſtare, cum opus fuerit, non prætermittant; ſed illud diſſimulare haud poſſumus, quod Nos ipſi non ſemel advertimus, paucos admodum Sodales convenire, cum publica Supplicatio in Parochiis quolibet menſe inſtauratur. Hinc pro ſingulari amore, quo Salvatorem Crucifixum proſequi debent, univerſos vehementer hortamur, ut quoties Sacris Myſteriis inſervire oporteat, frequentes congregentur. Admonemus etiam Parochos, qui Sodalitatem Eccleſiæ addictam non habent, ut aliquam omnino inſtituant, quæ iiſdem muneribus pie fungatur, omneſque magnopere ſuis verbis excitent, ut cœptum olim pietatis curſum, egregiamque conſuetudinem, majori in dies ſtudio, ac frequentia ſequantur; ſpeciem virtutis optimam in ipſis mutatam aliquando redarguant, & ampliſſima cœleſtis gratiæ munera a Pontificibus tradita, quæ ipſi per oſcitantiam negligunt, ſæpe ante oculos proponant. Si de graviſſimo hoc negotio cum Populo diligentius agant Parochi, uberrimos fructus, Deo præſertim juvante, conſequentur. Ita accidit Antonio Albergati Bononienſi, qui Leodium, ut eam Civitatem, ac Diœceſim auctoritate Apoſtolica viſeret, Legatus miſſus, cum exiguum Civium numerum ad Sacram Euchariſtiam per Urbem honorifice deducendam congregari videret, his verbis Parochos admonuit, & negligentes objurgavit: *Non eſt credibile, quin Populus monitus a Paſtore de gravitate negotii, non ſit plene pariturus; ſi etenim debitam adhibere voluerint diligentiam, certum eſt, Paſtores in hoc genere a populo libenter admodum omnia obtenturos eſſe.* Quod ita plane evenit, ut ſcribit Vanespenius *in lib.* 5. *Juriſdict. Eccleſiaſt. pag.* 470. *num.* 20. qui pariter cætera Apoſtolici Nuncii Decreta complexus eſt: *Veriſſime id prædixiſſe horum Decretorum Auctorem oſtendit concurſus populi, atque luminis copia, in delatione Euchariſtiæ iis in locis, in quibus Paſtorum zelus in excitanda populi pietate, ac reverentia erga hoc Auguſtiſſimum Sacramentum elucet.*

Sed non iis terminis concludi poteſt noſtra inſtitutio, cum præter ea, quæ Nos ipſi vidimus, honeſtiſſimi etiam viri, quorum ſane fides maxima eſt, plurima nobis detulerint, quibus conſulere pro rei magnitudine, noſtrique muneris ratione omnino debeamus. Novimus igitur ruſticos, licet Sacroſancta Myſteria in via offenderint, minime cum plauſtris ſubſidere; rhedarios autem, neque ex jumentis deſcendere, nec ea pauliſper retinere, & vix caput negligenter aperire; aliquos etiam, qui vel ſella geſtatoria incluſi, vel curru, vel equo per Urbem vehebuntur, ſi forte Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento obviam deferantur, minime ſubſiſtere, nec in terram deſcendere, quod tamen officii gratia, & ſæpe parum honeſta de cauſa facere conſueverunt. Nihil dicam de illis, qui porticibus inambulantes, ſi ex adverſo Sacra Supplicatio caſu prætereat, aperto capite, uno tantum genu ſubmiſſo, ſtatim inſtitutam deambulationem proſequuntur.

Quare ut hæc prava exempla, quibus nonnulli populum graviter offendunt, de medio auferantur, volumus, ut plauſtra, rhedæ, & Nobilium carpenta, tamdiu curſum ſuſtineant, donec Supplicatio tranſierit; ruſtici vero poplites flectant, neque e terra aſſurgant, donec Sacerdos, qui Sacram Euchariſtiam manibus geſtat, e conſpectu abierit. Tandem rhedarii detecto capite corpus humiliter inclinent, quoniam jumentorum cura impediti majora Religionis teſtimonia exhibere non poſſunt. Illi vero, qui ſellis geſtantur, vel curru feruntur, ſtatim proſiliant, in genua pervolvantur, & Sancta Myſteria, ſi commode fieri queat, pie comitentur. Ob hanc rem Parochos omnes admonemus, & illos præſertim, qui vel in Templis, vel in Foris ſacras ad Populum Conciones habent, ut parum religioſos homines ad meliorem frugem reducant, ne in Civitate, quæ pietatis laude potiſſimum commendatur, tam pernicioſa exempla verſentur.

Et quoniam ſummopere expetimus eorum veſtigiis inhærere, qui in Eccleſiis adminiſtrandis, veluti exemplar, cæteris exhiberi poſſunt, teſtimonium S. Caroli Borromæi *in actis Eccleſ. Mediolanenſ. lib.* 1. *pag.* 180. *edit. Lugdunenſ.* ſubjicimus: *Cum quis Sacerdoti Sanctiſſimi Corporis Domini Sacramentum ad Ægros ferenti, aut cum eodem inde redeunti obviam fit, dum vel equo, vel curru, vel jumento vehitur, ubi primum illum id ferentem viderit, inde ſtatim deſcendat, humique flexis genibus tamdiu in adoratione permaneat, quoad ille cum Sacramento tranſierit. At vero omnis Sacerdos ſive Clericus, ſive Laicus, quicumque eidem Sanctiſſimo Sacramento obviam fiet, domum uſque ejus, cui miniſtrandum eſt, & ad Eccleſiam quoque, quo reditur, pia veneratione proſequi, & comitari omnino ſtudeat, niſi neceſſitate, cauſave urgenti vehementer impediatur. Id omne ut cuncti Fideles ſtudioſe, religioſeque præſtent, illos unuſquiſque Parochus quamſæpiſſime, ac diligentiſſime commoneſaciat.*

Alphonſus, & Joannes I. Hiſpaniarum Reges legem promulgarunt, quæ in latinum ſermonem reddita hanc continet ſententiam: *Decernimus, ut Nos, Hæres Regni Princeps, aliique Liberi noſtri, quoties in via Sanctiſſimum Corporis Chriſti Sacramentum occurret, ad Templum, ex quo delatum fuerit, omnino proſequamur, flexiſque humi genibus, donec Sacerdos tranſierit, debitum Religionis cultum exhibeamus, a quo nec lutum, nec ullæ aliæ ſordes excuſare poſſint. Qui hoc Decretum violaverit, ſexcentis, ut ajunt, Maravedis pœnas dare mandamus, quorum binæ partes Clericis tribui debeant, tertia vero Judici, qui pœnas exegerit.*

Nos certam iis, qui deliquerint, pœnam non conſtituimus, ſed illam pro voluntate noſtra juxta criminis rationem expoſcemus, ſine ullo tamen detrimento aliorum Magiſtratuum, qui in hac re poſſint eaſdem pœnas repetere.

Confidimus tamen nullum fore tempus, quo ad coercendos irreligioſos homines impelli debeamus, ſed univerſi pie, ſanctèque omnibus, quæ præcepta ſunt, omnino ſatisfacient, memoria repetentes a Sacro Concilio Tridentino *ſeſſ.* 13. *can.* 6. Chtiſtum Unigenitum Dei Filium *cultu Latriæ etiam externo* in Sactis Myſteriis adorandum, tanquam Fidei dogma fuiſſe ſancitum. Perpendeant etiam, externas haſce cultus ſignificationes eſſe teſtimonia quædam, quibus Jeſum Chriſtum in Sacramento revera confitemur. Hinc etiam a Theologis contra Novatores pro veta Salvatoris præſentia aſſerenda, firmiſſima argumenta ducuntur. Cum vero nefarii homines in vulgus diſſeminarent, hujuſmodi cultum recentioribus ſolum temporibus inter Fideles excitatum eſſe, hinc, propoſitis ex omni vetuſtate exemplis, ac teſtimoniis, ab ipſis Eccleſiæ principiis rejecti penitus fuerunt. Inſuper cogitent ſinguli in Sacra Euchariſtia eum ipſum contineri, de quo cœleſtis Genitor, cum in Orbem terræ ipſum demitteret, ſic ait Pſalm. 96. v. 7. *Adorate eum omnes Angeli ejus*: quod etiam S. Paulus, cum ad Hebræos cap. 1. ſcriberet, retulit: *& cum iterum introducit Unigenitum in Orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei.* Cogitent etiam, Magos ipſi Domino maxima, quæ poterant, Religionis ſigna dediſſe; ait enim Matthæus cap. 2. v. 10. *Videntes autem ſtellam gaviſi ſunt gaudio magno valde, & intrantes domum invenerunt Puerum cum Maria Matre ejus, & procidentes adoraverunt eum.* Poſtremo in mentem adducant ab Apoſtolis in Gallilæa ſummo cultu adoratum fuiſſe, cum de ſepulchro in vitam fuit revocatus, ſicut S. Matthei teſtimonio accepimus: *& videntes eum adoraverunt.*

Huc uſque de cultu Sanctiſſimo Sacramento præſtandum, cum per Civitatem quacumque de cauſa circumfertur: nunc autem, circa cultum illi exibendum, quotieſcumque & in ipſa Eccleſia publicæ exponitur adorationi, lege quæ habetur in Notificatione 10. *Lib.* 2. *quam ſic hic ad litteram tibi, ſtudioſe Lector, fideliter tranſcribo.*

Sacroſanctam Euchariſtiam in Templis exponi poſſe, cultuque Latriæ adorandam, certiſſimo dogmate novimus Univerſi. Si quis autem contrarium ſentiat, obnoxius eſt excommunicationi, quam Tridentina Synodus *Can.* 5. *ſeſſ.* 13. *de Euchariſtia* promulgavit.

Certum quoque eſt, cum maximo honore, atque utilitate conjungi eam Catholicæ Eccleſiæ conſuetudinem, ſeu diſciplinam, qua Sanctiſſimum Sacramentum palam populo exhibetur. Qui res Eccleſiaſticas erudite perſequuntur, eamdem conſuetudinem inductam teſtantur, ſtatim ac Sanctiſſimum Chtiſti Corpus ſolemni pompa per Urbem circumferri incepit, ut videre eſt apud Veneſpen. *Juris Eccleſiaſtici part.* 2. *tit.* 4. *de Sacram. Euchariſtiæ cap.* 5. *n.* 13. Merbeſius *Summæ Chriſtianæ* 3. *part. ſect.* 10. Juvenin *de Sacram. diſſert.* 4. *qu.* 4. §. 5. *concl.* 2.

Chriſtianus Lupus *part.* 1. *tom.* 11. *in diſſert. de Sac. Proceſſ. cap.* 9. Sacramentum Euchariſtiæ in Templis exponi prius conſueviſſe, quam in Proceſſionibus publice deferri cœperit, plurimum contendit. Id quippe ad Urbani IV. Pontificis tempora primo referendum eſt; alterius vero indicia aliqua ex Vita S. Claræ Virginis, quæ anno 1253. vita defuncta eſt, deprehenduntur; traditur enim, Sacram Euchariſtiam juſſu ipſius ad portas Monaſterii delatam fuiſſe, cum ſub Friderico II. Imperatore Saracenorum armis Aſſiſii Civitas obſideretut; quod S. Clara auſa non eſſet, niſi tunc Euchariſtiam palam exponi pia conſuetudo permiſiſſet.

Cum tamen in actis S. Claræ, quæ duobus poſt ejus obitum annis ſcripta fuerunt juſſu Alexandri IV. qui illam in-

ter

ter Sanctos cooptavit, cum, inquam, habeatur, quod S. Clara Divinam Euchariſtiam præferri voluit *capſa argentea intra ebur incluſam*; hinc non ſequitur, eam diſciplinam tunc fuiſſe, ut palam colenda populo proponeretur, uti recte Thierſius in ſuo libro ſuper hac materia *lib. 2. cap. 2. pag.* 233. expendit.

Illud quod in hac re dubium eſt, examinari debet, an publice venerandam Euchariſtiam frequenter exponere perutile videatur. Qui ejuſdem Thierſii bipartitum opus ſedulo percurret, id maxime probari intelliget, ſi Eccleſiæ legibus conformetur. Inſuper tria conſtituit; primum haud permittendum unicuique, ut Euchariſtiæ Sacramentum, cum jubet, exponat, ſed Pontificis, & Epiſcoporum in hac re Sententiam ſervandam: ſecundo, juxta Eccleſiæ inſtituta, & Sapientum Virorum opinionem, id concedi rarius debere, quam in plurimis locis fieri conſuevit: tertio, id ipſum per Octavam Corporis Chriſti perfici ſolum fas eſſe, vel cum graviſſima cauſa Religionis, aut Reipublicæ id poſtulat, quæ ab Epiſcopo dijudicanda eſt. Ejuſmodi Thierſii Commentarium tot monumentis, ac rationibus redundat, ut doctiſſimus Martene in ſuo Opere *de antiqua Eccleſiæ diſciplina in Divinis celebrandis Officiis cap. 29. n. 6.* de exponendo Euchariſtiæ Sacramento verba facere recuſet, eam ob cauſam, quod hoc argumentum tam cupioſe, ac luculenter Thierſius pertractaverit, ut nihil ſuperaddi poſſe videatur; doctrinam vero Auctoris adeo probavit præclariſſimus Card. Bona, ut ad ipſum die 29. Auguſti ann. 1673. ita ſcripſerit: *Exiſtimo autem, quod ipſam* (hoc eſt Sententiam) *dudum audieris a communi Amico Domino Luca Dachtrio; librum videlicet optimum eſſe, & pium, & ab omnibus Viris doctis, atque eruditis approbatum.*

Contrariam vero conſuetudinem approbat magnopere P. Chriſtianus Lupus *loco citato*, tum quia populum a vanis periculoſiſque negotiis removet, frequentiam pro Euchariſtiæ adoratione ad Eccleſiam inducit, & obmurmurationes impedit, quæ in ipſa fieri conſueverunt: tum quia Fideles ad actus virtutum Thologalium promendos excitantur, culparum veniam implorant, divinamque opem, ut pietatis opera ſuſcipiant.

Pater Theophilus Raynaudus, qui in reliquis Controverſiis ſuum facile judicium proferre ſolet, licet pro exponenda frequenter Euchariſtia minime aſſentiat, ab ejuſmodi tamen quæſtione definienda conſulto abſtinet, ſed rem totam Eccleſiæ judicio relinquendam cenſet. Sic enim habet *tom. 5. ſuorum Operum, Heteroclita Spiritualia ad pag. 83. Herea, ſitne inter indecoros Chriſtita Euchariſtia honores frequens admodum Divinæ Euchariſtiæ expoſitio, cujus uſus in his oris tantopere invaleſcit, ut prope quotidianus evadat &c. Ego in hac parte nihil definio, & probatas conſuetudines ſollicito &c. Timendum eſt, ne majeſtas Myſterii Fidei, tam crebra, vel etiam aſſidua ejus vulgatione deteratur, nec adeo facile percellat contuentium mentes, quam ſi infrequentius, &, quod ſere conſequens eſt, majore cum apparatu, & uecuratione proponeretur. Viderint ii, ad quos attinet, quid magis in hac re ſit e Dei gloria, & bono animarum, nam meum hic judicium interponere conſultum non foret.* Venerabilis quoque Vir Cardinalis Thomaſius, veterum, ac recentiorum Eccleſiæ rituum periſſimus, in hac re dubius fuit; cum enim Archipresbyter Palmæ, quod eſt Oppidum ejuſdem Nobiliſſimæ Familiæ tributarium, Cardinalem conſuluiſſet, utrum ſingulis diebus Dominicis in Templo recens excitato Sacram Euchariſtiam exponendam probaret, his verbis die 17. Auguſti 1675. ad illum reſpondit: *Utrum Sacra Myſteria per ſingulos Dominicos dies palam exhibenda ſint ſerio perpendi debet, antequam deliberetur; id enim non ſemper Deo gloriam affert, populoque utilitatem.* Hanc Epiſtolam Dominicus Berninus inſeruit Cardinalis vitæ, quam in lucem edidit: civis autem noſter Antonius Albergatus Sedis Apoſtolicæ Nuntius, cum Parochos Civitatis, ac Diœceſis Laodienſis inſtrueret, ita libere ſcripſit *in actis Viſitation. ann.* 1613. *pag.* 29. *Multo melius eſt, ut non ita frequenter exponatur, & tunc cum debita reverentia, quam, ut frequentius, & ſine debito obſequio, & reverentiæ ſignificatione id fiat, ut cum noſtra animi commotione multis in locis exponi vidimus, & invenimus.*

Nos ſane hoc negotio implicari nolumus, quo pars utraque nihil aliud contendit, niſi, ut cultus Divinæ Euchariſtiæ debitus augeatur. Attamen juri Canonico inhærentes, certam noſtræ Urbi, ac Diœceſi in hac re normam conſtitui poſſe arbitramur.

Univerſi, qui hoc argumentum pertractarunt, aſſerunt, Euchariſtiæ Sacramentum publice exponi non poſſe, niſi publica cauſa intercedat, quæ per Epiſcopum probetur, qui ſolum facultatem impertiri poteſt, non modo in ſuis Eccleſiis, ſed in illis etiam, quæ ad Regulares pertinent, & quæ Epiſcopi juriſdictione penitus immunes judicantur. Inter Scriptores Tranſalpinos ita ſentiunt Juveninus *tract. de Sacrament. diſſert. 4. qu. 4. concluſ. 3.* Merbeſius *in Summa Chriſtiana part. 3. ſect. 10. concl. 3. & 4.* Thierſius *lib. 5. cap. 10.* Inter Regulares numerantur Lezana, & Gavantus apud Thierſium. Biſſus in verbo: *Expoſitio Sacramenti n. 232. §. 7.* Diana *in Editione coordinata tom. 7. tract. 1. reſol. 31. num. 1.* Denique inter Scriptores practicos Clericatus *de Sacram. Euchariſtiæ deciſ. 60. caſu 2. n. 9. & ſeq.* Monacellus *in Formulario Legali part. 1. lib. 6. form. 20. n. 1. & 2.* & Braſchius *in Promptuario Synodali cap. 29. num. 3. & ſeqq.* adſcribuntur.

Tridentini Concilii auctoritas hanc Sententiam magnopere confirmat *ſeſſ. 21. cap. 8. de Reform.* nempe: *Quæcumque in Diœceſi ad Dei cultum ſpectant, ab Ordinario diligenter curari, atque iis, ubi oportet, provideri æquum eſt.* Vanſpenius quoque affert Sacræ Congreg. Concilii Decretum, (*in ſuo Oper. Juris Eccleſ. part. 2. tit. 4. de Sacram. Euchar. cap. 5. num. 17.*) quod Card. Grimaldus per Galliam diſſeminavit, cum Nuntii munere fungeretur; quod pariter ab Aurelianenſi Synodo in medium profertur, hiſque verbis exaratum dicitur: *Congregatio Concilii cenſuit, non licere Regularibus etiam in eorum Eccleſiis Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum publice venerandum exponere, niſi ex cauſa publica, quæ probata ſit ab Ordinario.*

Cum tamen veritatis amiciſſimi ſimus, & Tranſalpino viro facile condonari oporteat, ſi Decretum integrum non evulgaverit, cum Sacræ Congregationis acta nunquam inſpexerit; ideo plene ipſum Decretum deſcribendum exiſtimamus, quemadmodum die 17. Auguſti anno 1630. editum fuit, cum de Cauſa Neapolitana ageretur: *Sacra &c. cenſuit non licere Regularibus, etiam in eorum propriis Eccleſiis, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum publice adorandum exponere, niſi ex cauſa publica, quæ probata ſit ab Ordinario; ex cauſa autem privata poſſe, dummodo Sanctiſſimum Sacramentum e Tabernaculo non extrahatur, & ſit velatum ita, ut ipſa Sacra Hoſtia videri non poſſit.*

Quamvis hoc Decretum pro peculiari cauſa judicanda promulgatum ſit; tamen pro generali norma deinceps a Sacra Congregatione receptum fuit, ita ut quoties hujus generis cauſæ propoſitæ ſunt, idem ſtatuendum reſponderit, quod in Cauſa Neapolitana antea ſancitum fuit. Ita contigit die 28. Februarii 1654. in Cauſa &c. *lib. 19. Decret. pag. 316. & ſeqq.* ac die 14. Aprilis ann. 1674. in Cauſa &c. *lib. 28. pag. 72.* Idem a Sacra Congregatione Regularium, & Epiſcoporum negotiis præpoſita conſtitutum fuit anno 1602. vel ut infra explicabitur.

Itaque cum Sacra Euchariſtia abſque facultate noſtra, & publica cauſa exponi nequeat, & cum Eccleſiæ leges, populique cultum erga Divinum Euchariſtiæ Sacramentum integre tueri maxime optemus, ideo ſummopere commendamus, ac probamus, quod in hac Civitate ſingulis diebus Euchariſtia publice in aliquo Templo colenda exhibeatur. Omnes quoque vehementer hortamur, ut in eadem Templa frequentes conveniant, Deumque pro Eccleſiæ utilitate magnopere exorent, in quo nos cauſæ publicæ rationem poſitam judicamus, ut Euchariſtiæ Sacramentum Fidelium venerationi proponatur; idque ſatis eſſe ad noſtram facultatem indicandam declaramus, quod Eccleſiarum nomina, in quibus exponitur Sacra Euchariſtia, noſtra auctoritate in lucem proferantur. Cæremoniale Epiſcoporum *lib. 2. cap. 33.* approbat, quod *Sacra Euchariſtia in Altari exponatur in ſingulis Eccleſiis Collegiatis ad totam Octavam Corporis Chriſti.* In hac Civitate ſingulæ Parochiæ id facere conſueverunt, quod ſane impedire nolumus. Illud tantum, quod jam cœptum fuit, ut perficiatur decernimus, ne ſcilicet Euchariſtia in alio quolibet Templo exponatur, licet per octiduum quoque Corporis Chriſti id ſuperiori tempore in more poſitum fuerit, cum ſatis habeatur, ſi Diviniſſimum Sacramentum in Parochiis populo adorandum proferatur. Ad hanc normam redigendam præcipimus, uti jam fieri cœpit, tabellam Eccleſiarum nomina deſignantem, in quibus Euchariſtia publice adoranda exponi ſolet.

Quod ſi Regulares, aut Sæculares iis diebus Sacram Euchariſtiam exponere velint, qui in eadem tabella minime deſignantur, pro re gerenda facultatem a nobis expoſtulent, cauſamque declarent. Qui contrarium audeant, debitis pœnis a Nobis afficientur: *quod ſi Regulares abſque licentia, & forma præfata Sanctiſſimum Sacramentum publicæ venerationi exponere auderent, poteſt Epiſcopus contra ipſos ad pœnam competentem procedere.* Ita in ſuo Promptuario Synodali *cap. 29. num. 3. & ſeqq.* Brachius, qui Sacrarum Congregationum ſuper hac re Decreta diligenter enumerat. Attamen ut jus noſtrum, ſimulque officium erga alios ſervetur, ſi contraria jampridem conſuetudo invaluerit, ut nempe in aliquo Templo, certis quibuſdam diebus in tabella minime deſcriptis, Sacra Euchariſtia publice exponatur, ſatis erit, ſi ejuſdem rei cauſa, & ad ipſam conſuetudinem probandam, argumenta nobis exhibeantur, quæ, ſi a nobis obſignentur, pro neceſſaria facultate ſufficient, donec novum aliquid contra ſtatuatur. Notum tamen eſſe volumus, eamdem facultatem Nos minime conceſſuros, ſi in ipſis Eccleſiis, ſtatis iiſdem anni diebus, Effigies B. Virginis exponatur, vel Feſtum alicujus Sancti celebretur, licet vetuſta hujus rei conſuetudo nobis producatur.

Id enim Sacrorum Rituum periti Scriptores magnopere damnant; ita enim Bauldr. *in Manual. Sacror. Cærem. cap. 17. de Miſſa ſolemni, & privata, quæ coram Sanctiſſimo Sacramento expoſito celebratur, num. 2.* Biſſus præſertim *in Expoſit.*

Sacram.

Sacram. num. 232. §. 5. hæc tradit: *Et libenter adverta, quod in Feſtivitatibus Sanctorum parum convenit Expoſitio Sacramenti, quia diverſus eſt cultus exhibendus Sacræ Euchariſtiæ, a cultu exhibendo Sanctis, & præſente Domino omnium Summo, debet ceſſare cultus Sanctorum.* De hac re copioſius agit Thierſius *lib.* 4. *c.* 12. qui Sanctorum cultum reipſa a Deo minime quidem ſeparari recte perpendit; cum tamen Sacra Euchariſtia populo adoranda proponitur, præcipui charitatis, ac religionis actus, uti fas eſt, ad Deum unice diriguntur; nec de honore Sanctis perſolvendo, tunc aliquis cogitat, ita ut conſilium, ac voluntas Eccleſiæ minime perficiatur. Nemo enim res ab ipſis præclare geſtas, eorumque eximias virtutes in mentem revocat, quæ nobis imitandæ proponuntur; nemo illorum patrocinium implorat, nec ullæ Deo gratiæ redduntur, quod ipſos in partem æternæ gloriæ vocaverit. Illud etiam præterire non poſſumus, quod maxime ad hanc Sententiam confert, plurima contra Euchariſtiæ ſanctitatem committi, cum feſtis Sanctorum diebus publice exponitur; maxima enim frequentia populus in Templum confluit, ubi poſt preces vanis colloquiis detinetur, utique animum Muſicorum concentibus intendit, Diviniſſimo Sacramento terga vertere non erubeſcit.

Si tamen ſermo ſit de exponenda privatim Euchariſtia, cum nullis Eccleſiæ legibus publica cauſa, & Epiſcopi facultas neceſſaria requiruntur, rem totam ad Præfectum illius Eccleſiæ rejicimus, ubi, vel pro alicujus ægritudine levanda, vel pro neceſſitate, ac deſiderio alicujus Religioſi Viri, Sacra Euchariſtia debet exponi, in quo hanc normam obſervandam præſcribimus; ut nempe Euchariſtiæ Tabernaculum ſolum aperiatur, & Sacra Pyxis clauſa, ſuoque velamine obtecta, populi oculis ſubjiciatur; vel ſi Euchariſtia e Tabernaculo proferenda ſit, ſphæra intra cryſtallam incluſa ſub umbella ſtatuatur, & cætera omnia circum apponantur, de quibus ſermonem inferius inſtituemus. Sphæra tamen velo adoperta ita ſit, ut Sacræ Hoſtiæ aſpectus impediatur. Primam Euchariſtiæ exponendæ normam, Decreta, Scriptoreſque ſuperius allati, aperte commemorant, altera vero Romanæ Urbis conſuetudine probatur. Verum penitus interdicitur Sacram Pyxidem ob privatam cauſam extra Tabernaculum efferri, ac velatam ſub umbella collocari, cum nullum hujuſce ritus veſtigium apud Scriptores, nullaque Sedis Apoſtolicæ conſuetudo deprehendatur, , quam ſequi omnino debemus.

At vero ut Sacra Euchariſtia, quo par eſt honore, ac religione publice coram populo exponatur, juxta ea, quæ Romani Pontifices, & Clemens etiam XII. qui ultimum hujuſce nominis Pontificatum geſſit, præſcripſerunt: *Primo* decernimus, ut illa in majori Eccleſiæ Altari collocetur. *Secundo*, ut alia quælibet effigies depicta, vel ſimulacrum ibi contegatur. *Tertio*, ne ſuper Altari Sanctorum reliquiæ, vel ſimulacra ſtatuantur; Angelorum tamen effigies non prohibemus, quibus candelabra efformantur. *Quarto*, ut duodecim ſaltem cerei circumardeant. *Quinto*, ne lances ad colligendam pecuniam in Eccleſia conſtituantur, nulluſque circumeat, ut eleemoſynas a Fidelibus eliciat, quod etiam egenis interdicitur, qui ad fores ſtipem poſtulabunt; hortamurque Fideles, ut illis opem, quo poterunt ſtudio, large ſuppeditent. *Sexto*, ut Campanulæ ſonus, qui a Sæculo XII. inductus eſt, ut *ſic Fidelium mentes ad orationes excitentur*, quemadmodum Decreto Guillelmi Pariſienſis Epiſcopi, apud Card. Bonam *rerum Liturgic. lib.* 2. *cap.* 12. comprobatur, ut is, inquam, ſonus, cum in Sacrificio Miſſæ elevatur Hoſtia, prætermittatur, dum Sacra Euchariſtia expoſita eſt; licet tamen exiguo Campanulæ ſigno populum monere, cum Sacerdotes e Sacrario prodeunt Sacrum facturi. *Septimo*, ne Conciones habeantur, quo tempore Divinum Euchariſtiæ Sacramentum publice expoſitum a Fidelibus adoratur. Si vero brevis Oratiuncula recitanda ſit, ut populus ad pietatem magis inflammetur, in Eccleſiæ locus deligatur, ita ut Fideles ab Euchariſtia palam expoſita faciem averſam tenere non cogantur, cultumque ipſi debitum prætermittere. *Octavo*, ut quilibet, ſive ad Aram accedens, in qua Sacra Euchariſtia publice collocata eſt, vel abſolutis precibus decedens, utrumque genu deflectat, uti Sacra Rituum Congregatio die 19. Auguſti ann. 1651. edicto ſanxit. *Nono*, ut Sacerdos ad aliud pergens Altare Sacrum facturus, cum ante Divinam Euchariſtiam pertranſit, illam flexis genibus, apertoque capite adoret, quo deinde tecto, ſuſceptum iter proſequatur, uti eadem Congregatio die 7. Septembris anni 1636. conſtituit. *Decimo*, ſi Miſſæ Sacrificium ſuper ipſo Altari celebrandum ſit, in quo Divinum Sacramentum expoſitum fuerit, Sacerdos ab Altari deſcendat, ut manus abluat, vultumque ad populum convertat, quod aliqui ſane negligunt, licet Euchariſtiæ dignitati, Rubricis, Romanæque Eccleſiæ conſuetudini omnino conveniat, uti Macrius in notitia Vocabulorum Eccleſiaſticorum, ad verbum *Euchariſtia*, recte perpendit. *Undecimo*, ſi in Metropolitana, aut qualibet alia Collegiata exponatur Euchariſtia, Canonici, & reliqui omnes, ſtantes, nudoque capite, Divina Officia in Choro perſolvant; quod ſi ob longum temporis ſpatium id efficere nequeant, ſedere quidem ipſis, non autem caput tegere, Cæremoniale Epiſcoporum *lib.* 2. *c.* 33. permittit.

Chriſto Domino, qui ſub Euchariſtia continetur, Angelorum chorus circumadſtare Sanctiſſimi Eccleſiæ Patres teſtantur, præſertim S. Joannes Chryſoſtomus *lib.* 6. *de Sacerdotio, & in Homil.* 65. *ad Populum Antiochenum*. S. Ambroſius *cap.* 1. *de Evangl. S. Lucæ* in illis verbis *Apparuit ei Angelus*, & S. Gregorius *lib.* 4. *Dialogor. cap.* 58. Quare ut Nos etiam amantiſſimo Salvatori, cum publice exponitur, omnia pietatis, cultuſque argumenta, quæ poſſumus, oſtendamus, ſub pœnis voluntate noſtra ſtatuendis indicimus, ut præter frequentiam populi, & ſupplicationem, quam pro adoranda Euchariſtia Sodalitia piis veſtimentis ſuperinduta de more inſtituunt, aliqui ſemper adſint, ut infra dicetur, qui eidem Sacræ Euchariſtiæ flexis genibus cultum exhibeant. Id munus Sacrorum Rituum Scriptores ſolis Sacerdotibus tribuunt, ut videre eſt apud Gavantum in verbo *Euchariſtia num.* 54. Lantuſca eodem verbo *num.* 1. Clericatus *de Sacramento Euchariſtiæ deciſ.* 70. *caſu* 2. *n.* 11. Merbeſius in *Summa Chriſtiana* 3. *part. ſect.* 10. *qu.* 2. § 3. Thierſius *lib* 5. *cap.* 3. *n.* 3. Bratchius *in Promptuario Synodal. cap* 29. *n.* 7. quibus etiam congruit Franciſcus Bonhomus Vercellenſis Epiſcopus, juſſu Gregorii XIII. Viſitator conſtitutus in Eccleſiaſticis Reformationibus pag. 209. impreſſis Coloniæ anno 1585. Angelus quoque Rocca, Apoſtolici Sacrarii Præfectus, cum iter a Clemente VIII. Ferrariam ſuſceptum, moremque Romanorum Pontificum deſcriberet, quibus Sacra Euchariſtia præferri ſolet, cum ex Urbis diſtrictu progrediuntur, illam, affirmat, ſub Veſperam, in aliqua Eccleſia deponi conſueviſſe: *Sacrarii autem Præfecti* (inquit *tom.* 1. *pag.* 52.) *Eccleſiaſticos Viros, in cuſtodiam Sanctiſſimi Sacramenti nocturnas vigilias alternatim acturos, cereis, ac lampadibus perpetuo ardentibus illic relictis, deſtinabant.*

Solemnis precatio, quæ quadraginta horarum ſpatium complectitur, Patri Joſepho Mediolanenſi ex Ordine Capuccinorum primo adſcribitur, qui anno 1556. ipſam inſtituit, ut quadraginta horas, quibus Salvator Dominus poſt mortem in ſepulchro delituit, memoria proſequererur. Ita Thierſius *lib.* 4. *cap.* 17. Pontifex Pius IV. in ſua vigeſima ſecunda Conſtitutione, quæ anno 1560. in lucem edita fuit *tom.* 2. *Bullar. Rom.* Sodalitiam Romæ inſtitutum, & ab *Oratione Mortis* nuncupatum approbavit, cui Sorores, Fratreſque cooptati, aliique cæteri precationes ad quadraginta horas protrahebant, ut jejunium quadraginta dierum, quod Salvator in ſolitudine complevit, imitarentur, Sanctiſque Apoſtolis, & prioribus Eccleſiæ Patribus, aſſiduis precibus occupati, ſe penitus conformarent. De Euchariſtia ſane nulla fit mentio, Sodales tamen ante ultimam Dominicam cujusvis menſis, vel alio die, Supplicationem inſtituere ſolitos Pontifex commemorat, in qua decenti pompa eamdem Euchariſtiam deferebant. Anno autem milleſimo, quingenteſimo, nonageſimo ſecundo, cum graviſſimis cauſis urgeretur Eccleſia, implicatis nempe Gallorum rebus, paratiſque jam Turcarum bellicis expeditionibus, Clemens VIII. decimam ſeptimam Conſtitutionem promulgavit, ut in *tom.* 3. *Bullar. Roman.* in qua plurimas Indulgentias illis impertivit, qui Romæ convenirent ad Eccleſias Patriarchales, Collegiatas, Titulares Cardinalium, & ad Eccleſias Regularium, ac Sodalitatum, in quibus quadraginta horarum ſpatium piis precationibus impenderent, atque inter ſe tempora ita partirentur, ut continua precatio videretur. Licet de exponenda publice Euchariſtia nullum Pontifex verbum faciat, conjici tamen facile poteſt, tunc primum morem inductum fuiſſe, vel paulo ante, ut Sacra Euchariſtia exponeretur, cum quadraginta horarum precatio indicebatur; Bacius enim *lib.* 1. *cap.* 8. de Vita Sancti Philippi Nerii ita fieri ſolitum per ſingulas primas Dominicas menſium, & per ſingulos annos, in majori Hebdomada, teſtatur, Romæ, in Templo Sodalium Sanctiſſimæ Trinitatis, qui Peregrinis, & Convaleſcentibus excipiendis, curandiſque conſtituti ſunt, & Sanctum Philippum Nerium ad frequentem populum eo tempore pios ſermones habuiſſe. Cum vero ſcribit res præclare, ſanctèque geſtas a Venerabili Viro Juvenali Ancina, Salutii Epiſcopo, & Sancti Philippi Comite, commemorat, in Oppido Dogliani in Liguriæ finibus, non longe a Taurino, quadraginta horarum precationem edixiſſe, ad quam nocturno, diurnoque tempore ingens populi multitudo confluebat, quæ ſuppliciter ad colendam Sacram Euchariſtiam, ordinateque procedebat.

Romæ quadraginta horarum precatio, & Sacra Euchariſtia continuo conjunguntur: in hac autem Civitate Divinum Sacramentum ſingulis diebus exponitur. In quibuſdam etiam Eccleſiis ad quadraginta horas producitur, ut ex tabella, quæ in lucem prodibit, liquido confirmabitur. Hanc porro conſuetudinem ſine ulla mutatione ſequemur. Illas tamen muneris noſtri partes ducimus, ut debitus Sacræ Euchariſtiæ cultus exſolvatur. Quamobrem præcipimus, ut coram illa, dum in Altari populo adoranda proponitur, unus, vel duo Sacerdotes, vel duo ſaltem in Sacris Ordinibus conſtituti, Superpelliceo induti, flexiſque genibus interſint ante ſcamnum, panno rubei, vel alterius coloris, qui conveniens habeatur, ad infimum Altaris gradum poſitum. Id autem decernimus, ut fiat in qualibet Eccleſia, etiam

Re-

Regularium, ubi Euchariſtia publice exponitur, juxta tabellam, vel etiam ob facultatem peculiarem, ſeu conſuetum horarum ſpatium ſervetur, ſive horæ quadraginta ſtatuantur. Qui non paruerit, arbitrio noſtro punietur. Quocumque igitur modo Euchariſtiæ Sacramentum in noſtra Metropolitana exponatur, curent ſedulo Canonici, ut tabella ad Sacrarium figatur, notetur horarum tempus, eorumque nomina, qui, ut ſupra dictum eſt, die, noctuque ante Sacram Euchariſtiam ſua precatione fungi debeant. Idem omnino a Canonicis, qui Collegiatis inſerviunt, cum in iiſdem Sacra Euchariſtia publice exponetur. Videant Canonici, ut reliquis exemplo præſint, eorumque nomina in Tabellam referantur, neque totum onus in eos Sacerdotes rejiciant, qui ad ſolvendas in Choro Divinas Laudes deſtinantur. Id omnino ſervatur Romæ, in Vaticana præſertim Baſilica, ubi per plures annos inter Canonicos adnumerati fuimus. Eamdem conſuetudinem tenent Summi Pontificis Domeſtici, & Familiares, cum in Sacello Paulino, per horas quadraginta, Divinum Euchariſtiæ Sacramentum exponitur. Idem præſtandum erit a Regularibus in ſuis Eccleſiis, ut Romæ ſimiliter facere conſueverunt; Parochi vero, cum Sacra Euchariſtia in ſuis Eccleſiis exponenda erit, Sacerdotes, alioſque Sacris Ordinibus initiatos, qui Parochiæ adſciti ſunt, de hac re admonebunt, quorum nomina in Tabella ad Sacrarium affigenda, certaque hora cuivis deſignabitur, ut eo modo, qui ſuperius declaratus eſt, ad precationem præſto ſint. Quod ſi tanta illorum copia, quæ ſufficiat in ipſa Parochia non verſetur, tum Parochus ad alios confugiet, qui huic muneri ſatisfaciant.

In Eccleſiis quoque Sodalitatum, Presbyteros, Clericoſque, ad Sacros Ordines jam aſſumptos, accerſant, qui precationem eodem modo ſingulis horis alternatim ſuſcipiant. Quod ſi Sodales ipſi in ſuis, vel etiam in alienis Eccleſiis id facere velint, ſcamnum ab Eccleſiaſticis ſejunctum illis tribuatur, ubi Deum precentur, quemadmodum Romana inſtitutione ſuper hac re præſcribitur. Cum aliqua perturbatio in Sacra Euchariſtia juxta Tabellam exponenda dimanet, eo quod in diverſis Eccleſiis diverſum tempus ad rem perficiendam eligatur, hinc decernimus, ut Eccleſiæ, quæ Tabellæ legem ſequuntur, Sacram Euchariſtiam publice exponant tribus ante meridiem horis, & ante vigeſimam tertiam horam diei, benedictione accepta, populus dimittatur; ita ut poſt Campanæ ſonitum, quo Veſpere ad ſalutandam Beatam Virginem populus excitari ſolet, Templi fores obſerentur. Magna illorum pars, quæ hic expoſuimus, in Synodo Cardinalis Boncompagni continentur, eaque probantur actis Mediolanenſis Eccleſiæ *tom. 1. pag. 249. edit. Lugdunenſ.* quæ a S. Carolo Borromæo coacta fuerunt: *Dum illud* (de Sacra Euchariſtia ſermo eſt) *in Altari propoſitum eſt, interdiu Clerici duo ſuperpelliceo induti, capite aperto, ad Altare ſemper aſſiſtant.*

Quæ hucuſque dicta ſunt, ad ſolemnem, ac publicam Divini Sacramenti expoſitionem referuntur: ſi vero privata ex cauſa id fiat, quo tempore Tabernaculum ita recluditur, ut velata Pyxis in oſtiolo appareat, vel Sacra Hoſtia intra Oſtenſorii Cryſtallum incluſa, veloque obtecta, in Altari collocatur: tunc Sacra Congregatio Epiſcoporum, ac Regularium, negotiis agendis præpoſita, hæc decrevit die 9. Decembris anno 1602.: *Si quandocumque privata ex cauſa Sacroſancta Euchariſtia exponenda videbitur, e Tabernaculo nunquam extrahatur, ſed in Pyxide velata, in aperto ejuſdem Tabernaculi oſtiolo, cum aſſiſtentia alicujus Sacerdotis, Stolla, & Superpelliceo induti, & cum ſex ſaltem luminibus cereis, collocetur; quod idem in Eccleſiis Sæcularium ſervari mandamus: Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium die 9. Decembris* 1602. Ita ſane ex præclara Synodo Farſenſi per Cardinalem Barberinum *lib. 9. cap. 17.* celebrata deprehenditur.

Si vero privata de cauſa Sacroſancta Hoſtia, incluſa ſolita ſphæra, & velo cooperta ſub umbella ponatur, tunc præcipimus, ut ſaltem cerei bis ſex accendantur, & Sacerdos aliquis, Stolla, & Superpelliceo indutus, ibi, flexis genibus, precibus detineatur. Quocumque tamen modo exponatur Euchariſtia, qui id poſtulaverint, nanciſcantur etiam diligenter Presbyteros, qui ſingulis horis alternatim Chriſto Domino cultum exhibeant; niſi id cognitum, certumque prius habeant, Præfecti Eccleſiarum facultatem non tribuant, ut Sacra Myſteria exponantur.

Mos obtinuit in hac Bononienſi Civitate, ut pluries eodem die benedictio Sacra Pyxide frequenti populo concedatur. Nullum de hoc ritu monumentum deprehendimus. Indicat ſolummodo Rituale Romanum *tit. de Communione Infirmorum*, quod Parochus poſt traditam Ægroto Communionem, ſi in Pyxide Particula aliqua ſuperſit: *Accipiens vas cum Sacramento facit cum eo ſignum Crucis ſuper Infirmum, nihil dicens.* Poſtquam in Templum redierit: *cum Sacramento in Pyxide velo cooperta faciat ſignum Crucis ſuper populum, nihil dicens, poſtremo illud in ſuo loco reponat.* Ne Romæ quidem, quæ Sacrorum Rituum magiſtra merito appellatur, id fieri conſuevit, niſi forte maximæ dignitatis Vir, quemadmodum Rex, aut Regina, pietatis cauſa, eam benedictionem expeterent. Quamquam Nos pluſquam viginti annis Sacræ Rituum Congregationi adfuimus, tamen a præcipuo ejuſdem Miniſtro conſilium ſuper hac re poſcere non prætermiſimus, qui hanc conſuetudinem omnino interdicendam libere reſpondit, cum novi Ritus, inconſulta Sede Apoſtolica, permitti nequeant, licet pietatis aliqua cauſa adducatur. Verum ne eadem pietas imminuenda ſit, etiam ob eam rationem, quod idem crebro repetatur, decernimus, ut benedictio ſolum in illis Eccleſiis populo impertiatur, quæ veterem hujus rei conſuetudinem tenent, caveantque ut ſemel tantum in eumdem diem id perficiant; delinquentes noſtro arbitrio plectemus. Curent quoque omnia decenter fieri, ut duo ſaltem Clerici, Superpelliceo induti, cereos, vel intortitia manu præferant, ardeantque reliqui cerei, qui ſuper Altari in candelabris ſtatuuntur.

Cum in Diœceſi Sacra Euchariſtia publice, vel privatim exponitur, omnia, quæ ſuperius ſancita ſunt, obſervanda præcipimus; Vicariis autem Foraneis mandamus, ut nobis ſignificent, quot numero expoſitiones in ſuis Vicariatibus inſtitutæ ſint, & qua ratione peragantur, ut quid ſtatuendum ſit intelligamus. Quoniam vero ad Nos pervenit, in quibuſdam locis per quadraginta horas Divinum Sacramentum exponi, atque Eccleſiæ fores per integram noctem patere, eoque Viros ſimul, ac Mulieres confluere, omnino præcipimus, ut, poſt horam diei vigeſimam tertiam cum dimidio, Templum claudatur. Si per noctem Sacra Euchariſtia ſuper Altari poſita ſit, ardeant duodecim faces, & Sacerdos, vel ſaltem aliquis in Sacris Ordinibus conſtitutus, ut ſupra declaravimus, precibus intentus aſſiſtat.

Hoc Edictum tunc ſuam vim obtinebit, cum nova Tabella Eccleſiarum, in quibus Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum publice exponi debet, promulgabitur; idque temporis ſpatium ob eam cauſam conceditur, ut omnia, quæ propoſita ſunt, paratis rebus antea neceſſariis, executioni demandentur.

TRA-

TRACTATUS QUINTUS DE SACRIFICIO MISSÆ.

NE tractatione hac noſtra, noſtroque ſermone diſtinguamus, quæ Chriſtus Dominus inſtitutione ſua conjungere eſt dignatus; cum adhuc conſideravimus Euchariſtiam, ut ſub ratione Sacramenti eſt revera conſideranda: operæ pretium erit eamdem pari cum diligentia conſiderare ſub ratione etiam Sacrificii, quod in præſenti hoc Tractatu facere pro viribus noſtris conabimur, nonnulla ad majorem claritatem præmittentes de Sacrificiis in communi, ut facilius poſtmodum ad Sacrificium omnium præſtantiſſimum, quodque unicum eſt, & præ omnibus in Lege Nova colendum, qua fieri poterit brevitate, atque claritate ſimul explicandum deveniamus. Sit ergo

CAPUT I.

De Eſſentia Sacrificii Miſſæ.

DUBIUM I.

Quid ſit Sacrificium in Communi?

SAcrificii nomen ſumitur aliquando metaphorice, & improprie pro omni opere bono, quod in Dei honorem refertur; qua ratione dicitur Pſalm. 4. *Sacrificate Sacrificium juſtitiæ;* & Pſalm. 50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus.* Et hac ratione dicitur ab Auguſtino *lib. 10. de Civit. Dei cap. 6. Sacrificium verum eſt omne opus bonum, quod agitur, ut Sancta Societate inhæreamus Deo; relatum ſcilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati eſſe poſſimus.* Nec obſtat, Auguſtinum omne opus bonum appellaſſe *verum Sacrificium;* nam ſicut Chriſtus, dum dixit: *Ego ſum vitis vera*, addidit *veram* per ſimilitudinem, non proprietatem, ut habet idem Auguſt. *tract. 80. in Joan.* ita dum ipſe dicit, *omne opus bonum eſſe verum Sacrificium*, ſolum intendit illud habere ſimilitudinem cum Sacrificio, ut explicant P. Cacheranus *lib. 3. c. 1. de Euchariſtia*, & P. Marchinus *de Ordine tract. 3. part. 1. cap. 2.* Deinde ſumitur proprie, & rigoroſe pro oblatione rei ſenſibilis facta Deo in proteſtationem, & recognitionem ſupremi Dominii, & noſtræ ſubjectionis; omnis enim, & quæcumque Natio, omni, & quocumque tempore, per alicujus rei ſenſibilis oblationem, illius, quod interius coluit, Numinis ſupremum Dominium exterius conſuevit recognoſcere, quam oblationem quælibet Natio ſuo idiomate Sacrificium nuncupavit, ut obſervat Coninch *qu. 83. art. 10. dub. 1.* & hac ratione.

2 Reſp. Sacrificium bene definitur: *Oblatio rei ſenſibilis, facta Deo, in proteſtationem, & recognitionem ſupremi Dominii, & noſtræ ſubjectionis, cum aliquali ejuſdem rei deſtructione, & immutatione, auctoritate publica inſtituta, & a legitimo Miniſtro facta.* Dicitur *Oblatio* loco generis; in hoc enim convenit Sacrificium cum multis aliis oblationibus, quæ fiebant, & nunc etiam Deo fiunt, quæ tamen non ſunt Sacrificium; hujuſmodi ſunt primitiæ, decimæ, oblationes Cerei, Calicis, Altaris, & hujuſmodi. Dicitur *rei ſenſibilis*, quia Sacrificium eſt in genere ſigni ſenſibilis inſtitutum ad ſenſibiliter, & externe profitendam propriam ſubjectionem, & Divinam excellentiam, ac illius ſupremum Dominium; unde ſoli Deo poteſt offerri Sacrificium, cum ille ſolus ſit ſupremus Dominus vitæ, & mortis. Nec obſtat, quod etiam Sanctis Sacrificia offerri dicantur, quia, ut habet Trident. *ſeſſ. 22. c. 3. Quamvis in honorem, & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Miſſas Eccleſia celebrare conſueverit, non tamen illius Sacrificium offerri docet, ſed Deo ſoli, qui illos coronavit. Unde nec Sacerdos dicere ſolet: Offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule, ſed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipſi pro nobis intercedere dignentur in Cœlis, quorum memoriam facimus in terris.*

3 Dicitur: *cum aliquali ejuſdem rei deſtructione, & immutatione*, non ſolum ut Sacrificium diſtinguatur a ſimplici oblatione, per quam res oblata non deſtruitur, nec immutatur, ſed etiam, quia Sacrificium, ut dixi, eſt cultus, quo Deum recognoſcimus tanquam ſupremum Dominum vitæ, & mortis, ſeu tanquam dignum, ut pro ipſo vita noſtra deſtruatur, quod exprimitur per deſtructionem, & immutationem rei ſacrificatæ. Quare in Sacrificiis omnibus antiquis, tum ſacris, tum profanis, intercedebat ſemper aliqua rei oblatæ deſtructio; nam animalia occidebantur, unde idem erat mactare, & ſacrificare, liquida effundebantur, reliqua omnia, partim ſaltem, aut comburebantur, aut comedebantur.

4 Nec dicas, in Sacrificio ex pane, & vino, quod obtulit Melchiſedech, nulla legitur facta deſtructio: contra enim dico, in Scriptura non legi factam, nec legi non factam, dum tamen aliunde probatur, talem deſtructionem requiri ad verum Sacrificium, credendum eſt in Scriptura non fuiſſe expreſſam talem deſtructionem, non quia facta non fuerit, ſed quia adeo nota ſupponitur, ut non fuerit neceſſarium illam exprimere. Inde graves Doctores docent, Melchiſedech aliquam ſaltem panis partem comediſſe, vel igne aduſſiſſe, partemque vini effudiſſe, atque reliquum poſtea Abrahamo, & ſociis diſtribuiſſe, ut habetur ex Joſepho *lib. 1. Antiquit. c. 10.* Euſebio *lib. 1. Hiſtor. Eccleſiaſt. c. 1.* Clemente *lib. 4 Stromatum in fine*, & Melchiore Cano *lib. 12. de locis Theologicis cap. 13.*

6 Ad rationem Sacrificii ulterius requiritur, quod ſit *publica auctoritate inſtitutum, & a legitimo Miniſtro factum.* Ratio eſt, quia Sacrificium eſt in genere ſigni ad placitum inſtitutum, & ordinatum ad ſignificandam excellentiam Divinæ Majeſtatis, & noſtram ſubjectionem, quam ſignificationem non habet ex ſe talis actio; quod enim occiſio Ovis ſignificet internum affectum, quo quis Deum recognoſcit, ut Dominum vitæ propriæ, non habet ex ſe, nec ex natura ſua, cum poſſit ad alios fines referri, ſed ex inſtitutione; imponere autem rebus ſignificationem ad placitum, non ſpectat ad privatam, ſed ad publicam auctoritatem. Deinde quia Sacrificia pertinent ad unum, eumdemque ritum Religionis in toto Populo, ut uno, eodemque exteriori cultu Deus ab omnibus colatur, & ſic debent eſſe auctoritate publica inſtituta.

6 Requiritur etiam, quod ſit a *legitimo Miniſtro factum*, quia ſoli Sacerdoti convenit munus ſacrificandi. Siquidem Sacerdos, & Sacrificium ſunt correlativa, & unum ſine altero intelligi nequit, in quo differt Sacrificium ab aliis oblationibus, quæ poſſunt fieri a Viris privatis, etiam Fœminis; non ſic Sacrificium, quod ſicut a tota Republica offertur Deo ad propriam ſubjectionem proteſtandam, ita peragi debet a Miniſtro publico, qualis eſt ſolus Sacerdos, *qui ex hominibus aſſumptus conſtituitur, ut nomine totius populi offerat Deo Dona, & Sacrificia*, ut teſtatur Divus Paulus *ad Hebræos* 5. Nec obſtat Agnum Paſchalem in Veteri Lege fuiſſe immolatum a quolibet Patre familias, quia cum fuerit inſtitutum ante Legem Moſaicam, ſervabatur ordo Legis Naturæ, ubi Patres familias erant Sacerdotes; quod ſi alii legantur in Scriptura ſacrificaſſe, qui non erant Sacerdotes, dicendum eſt, hoc feciſſe ex ſpeciali inſtinctu Dei.

DUBIUM II.

Quotuplex ſit Sacrificium?

7 REſpond. Sacrificium proprie dictum poſſe quadrupliciter dividi, juxta quatuor cauſarum genera: primo enim ratione materiæ dividitur Sacrificium in *Victimam*, ſeu *Hoſtiam*, *Immolationem*, & *Libamen*, nam ea quæ offerebantur, vel erant aliquod animal, ut columba, turtur, ovis &c. & tunc dicebatur *Victima*, ſeu *Hoſtia*, vel erant res inanimatæ ſolidæ, & tunc dicebantur *immolari*, ſeu *offerri per immolationem;* hujuſmodi erant panis, ſimila, thus, manipulus ſpicarum virentium, & triticum, quæ omnia levabat Sacerdos, & immutabat diverſimode, ſcindendo panem in fruſta, cremando ſimilam, vel in ſartagine, aut clibano, urendo ſal, & triticum, & thus adolendo. Si vero erant res inanimatæ liquidæ, ut vinum, ſanguis, oleum, & aqua, quæ effundebantur ſuper Altare, illud Sacrificium dicebatur *Libamen.*

8 Secundo, ratione formæ dividitur Sacrificium in *Holocauſtum*, *Hoſtiam pro peccato*, & *Hoſtiam pacificam.* Quando

do Sacrificium erat *Holocauſtum*, ſeu *Holocauſtomata*, victima tota comburebatur ſine reſervatione; holocauſtum enim græce, idem eſt, ac latine combuſtum. Quando erat *Hoſtia pro peccato*, una pars comburebatur, & alia conſervabatur in alimentum Sacerdotis; ſi autem erat *Hoſtia pacifica*, dividebatur in tres partes, una conſumebatur, altera erat pro Sacerdote, & altera pro offerentibus: & iſtæ partes reſervatæ debebant eadem die conſumi, ſi Sacrificium erat in gratiarum actionem; ſi vero erat pro beneficio accipiendo, poterant reſervari in diem ſequentem, & non ulterius.

9 Tertio, ratione inſtitutionis, & temporis, aliud erat Sacrificium *Legis Naturæ*, aliud *Legis Moſaicæ*, ſeu *Veteris*, aliud *Legis Novæ*: prima fuerunt inſtituta ab Hominibus ex ſpeciali inſtinctu Dei: ſecunda in Lege ſcripta fuerunt inſtituta a Deo, vel ex ipſius ſpeciali mandato; & in Lege Nova fuit a Chriſto Diviniſſimum Euchariſtiæ Sacrificium inſtitutum, & omnia illa antiqua ceſſarunt, quia erant umbra, & figuræ novi Sacrificii, ut ex Apoſtolo *ad Hebr. 7.* & ex Trident. *ſeſſ. 22. cap. 1.* docent omnes Theologi.

10 Quarto, ratione finis dividitur Sacrificium in *Latreuticum*, *Euchariſticum*, *Impetratorium*, & *Propitiatorium*: primum erat ſolum ad Deum colendum, ſecundum ad gratias agendum, tertium ad impetrandum beneficium aliquod, quartum ad impetrandam, & obtinendam remiſſionem pœnarum, peccatis, debitarum, ut explicat P. Cachetanus *lib. 3. cap. 1. §. 4.*

DUBIUM III.

An Miſſa ſit vere, & proprie Sacrificium?

11 Miſſæ nomen alii dicunt latinum eſſe, derivatum a verbo *mittere*, ſeu *dimittere*, & ſignificare *miſſionem*, vel quia in Miſſa preces, & oblationes noſtræ ad Patrem tranſmittuntur, vel quia in Miſſa Deus gratiam ſuam immittit copioſe iis, qui devote ſacrificant, vel quia in Miſſa hoſtia illa pacifica, Chriſtus Dominus, Patri offertur, & mittitur, vel quia in Miſſa Fideles auditores dimittuntur, dicente Sacerdote, aut Diacono: *Ite, Miſſa eſt*, quaſi diceret: ite quo voltis, jam enim tempus dimiſſionis eſt; vel ite, quia jam hoſtia ad Patrem miſſa eſt: & jam olim duæ fiebant miſſiones, ſeu dimiſſiones; prima, qua finitis orationibus, & Evangelio, dimittebantur Catechumeni; ſecunda, quia in fine totus Populus dimittitur, & fortaſſe ex hac duplici miſſione originem traxit conſuetudo dicendi, *inter Miſſarum ſolemnia*. Ita tenent S. Iſidorus, Rupertus, S. Bonaventura, Bellarminus, Suarez, Vaſquez, & alii apud Marchinum *tract. 3 de Sacrific. Miſſæ cap. 4.* quos etiam citat, & ſequitur Leander *tract. 8. de Sacrif. Miſſæ diſp. 1. & quæſt. 1.*

12 Alii volunt eſſe nomen Hebraicum, deductum a *Miſſath*, ſeu *Mizah*, quod ſignificat oblationem ſpontaneam; nam Deuter. 16. ubi nos latine legimus, *ſpontaneam oblationem*, Hebræi legunt, *Miſſath. Nidbath*: & ita, pluribus citatis, tenet, & fuſe probat Marchinus *loco cit.* Sed undecumque derivetur, nomine Miſſæ intelligimus ſacram illam actionem, qua conficitur Chriſti Corpus ſub ſpeciebus panis, & vini; & quærimus: *an in illa actione contineatur verum, & proprium Sacrificium?*

13 Reſp. In Miſſa offertur Deo verum, & proprie dictum Sacrificium: eſt de Fide definita in Trident. *ſeſſ. 22. cap. 1.* ubi hæc veritas pluribus rationibus comprobatur, & *can. 1.* contra Sectarios definitur: *Si quis dixerit, in Miſſa non offerri Deo verum, & proprium Sacrificium, aut quod offerri, non ſit aliud, quam nobis Chriſtum ad manducandum dari; anathema ſit*. Probatur ex illo Malach. 2. ubi poſt reprobatum Sacerdotium Leviticum dicitur: *Ab ortu Solis, uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*: quæ verba non poſſunt intelligi de Sacrificiis antiquis, quæ non fiebant in omni loco, ſed de Sacrificio Miſſæ, quod ubique celebratur.

14 Probatur deinde ex allata definitione Sacrificii, quæ tota convenit Sacrificio Miſſæ, in qua datur vera oblatio rei ſenſibilis cum ſufficienti immutatione, & deſtructione; nam per oblationem, & conſecrationem utriuſque ſpeciei mactatur, & occiditur Chriſtus ut Homo, non quidem cruente, ſed incruente, & myſtice, quatenus per conſecrationem utriuſque ſpeciei, ex vi verborum, quibus illa fit, Corpus ſeparatur a Sanguine, & Sanguis a Corpore, in qua myſtica mactatione, & occiſione ſalvatur ſufficiens immutatio neceſſaria ad Sacrificium, & per eam ſufficienter denotatur ſupremum Dei dominium, & auctorem eſſe vitæ, & mortis. Fit a legitimo Miniſtro, qui eſt Sacerdos, habens poteſtatem a Chriſto ſibi communicatam illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*; offertur etiam Deo Patri in recognitionem ſupremi Dominii, & ſic adſunt omnia requiſita ad veram rationem Sacrificii.

15 Conf. quia de facto Chriſtus in ultima Cœna proprium Corpus, & Sanguinem ſub ſpeciebus panis, & vini in Sacrificium obtulit Deo Patri, ut habetur ex Trident. *ſeſſ. 22. c. 1. & 2. can. 1. & 2.* & docent omnes Catholici; at Sacerdos hodie in Miſſa idem facit, quod fecit Chriſtus in ultima Cœna, nam facit, quod ſibi fuit injunctum; fuit autem injunctum, ut faceret quod ipſe fecit, dicendo: *Hoc facite in meam commemorationem*; ergo Sacerdos in Miſſa verum offert Deo Patri Sacrificium; & hac ratione Divus Ambroſius *lib. 1. Præparat. ad Miſſam* ait: *Ego, licet peccator, accedo ad Altare tuum, & offero Sacrificium, quod tu inſtituiſti, & offerri præcepiſti*.

16 Dices: Euchariſtia eſt verum Sacramentum, ut patet ex tractatu præcedenti: eſt etiam Teſtamentum, juxta verba ipſius Chriſti: *Hic Calix novum Teſtamentum eſt in meo Sanguine*; ergo non poteſt eſſe verum Sacrificium; nam Sacramentum eſt ſignum gratiæ, quam Deus nobis confert, Sacrificium eſt ſignum reverentiæ, quam nos exhibemus Deo, Teſtamento Deus aliquid largitur nobis, Sacrificio nos aliquid offerimus Deo; ergo Euchariſtia non poteſt eſſe Sacrificium. Sed contra dico, rationes Sacramenti, Sacrificii, & Teſtamenti eſſe quidem diſparatas, ſed non contrarias, & ſibi repugnantes, & ſic poſſe in eadem Euchariſtia reperiri, quæ eſt verum Sacrificium, quatenus in ipſa Deo offerimus Corpus, & Sanguinem Chriſti in proteſtationem noſtræ ſubjectionis: eſt Teſtamentum, quatenus continet id, quod præcipue Chriſtus in novo Teſtamento Eccleſiæ ſuæ legavit, & quia eſt quaſi authenticum inſtrumentum voluntatis Chriſti, nos hæredes inſtituentis: eſt denique Sacramentum quatenus eſt ſignum gratiæ.

DUBIUM IV.

In quanam actione conſiſtat eſſentia Sacrificii Miſſæ?

17 Sex potiſſimum actiones ſunt in Miſſa, de quibus dubitari poteſt, an in una, vel pluribus illarum conſiſtat eſſentia Sacrificii, & ſunt: Primo, oblatio panis, & vini, quæ fit in offertorio. Secundo, conſecratio Corporis, & Sanguinis Domini. Tertio, ejuſdem Corporis, & Sanguinis oblatio, , quæ fit poſt conſecrationem illis verbis: *Offerimus præclaræ Majeſtati tuæ &c.* Quarto, fractio ipſius hoſtiæ, & unius particulæ cum Calice commixtio. Quinto, ſumptio Sacramenti facta a Sacerdote. Sexto denique, ſumptio facta ab univerſo Populo communicante. Varias Auctorum Sententias diſcrepantium in aſſignanda actione, in qua eſſentia Sacrificii conſiſtit, dabit Madern. *q. 8. art. 3.*

18 Reſp. eſſentia Sacrificii conſiſtit in ſola conſecratione: ita cum Suarez *diſp. 75. art. 5.* Coninch *qu. 83. dub. 5. num. 96.* tenet Madernus *loco cit.* & alii Recentiores magis communiter: idemque ſentire videtur D. Thomas *qu. 83. art. 4. in Corp.* ubi docet: *Per conſecrationem peractum eſſe hoc Sacrificium, deinde Sacerdotem petere hujus Sacrificii effectum, ſeu fructum*.

19 Ratio eſt, quia in eo ſalvatur tota eſſentia Sacrificii Miſſæ, in quo Chriſtus ad Divinæ recognitionem excellentiæ aliqualiter deſtruitur, & mactatur; ſed hoc totum habetur in ſola conſecratione; ergo in ſola conſecratione ſalvatur, & conſiſtit tota eſſentia Sacrificii. Major patet ex ſupradictis: minor probatur; nam conſecratio poteſt dupliciter conſiderari, primo, quatenus per eam fit præſens præciſe Corpus, & Sanguis ſub ſpeciebus panis, & vini, & in hoc non conſiſtit formaliter eſſentia Sacrificii, ſed Sacramenti: ſecundo, quatenus vi verborum Corpus ponitur ſeparatum a Sanguine, & Sanguis ſeparatus a Corpore, & in hac ratione conſiſtit eſſentia Sacrificii, cum talis ſeparatio ſit myſtica, & ſpiritualis mactatio, & occiſio Victimæ Chriſti: hoc enim Sacrificium incruentum eſt memoriale, & repræſentativum Sacrificii cruenti Crucis, in quo Sanguis fuit realiter a Corpore ſeparatus; ergo ſi per conſecrationem myſtice, & ſpiritualiter mactatur Chriſtus, per formalem ſeparationem Sanguinis a Corpore factam vi verborum, repræſentantem realem ſeparationem factam in Cruce, in ea debet conſiſtere eſſentia Sacrificii.

20 Dices: non poteſt intelligi Sacrificium ſine oblatione; ſed conſecratio non eſt oblatio; ergo in conſecratione non conſiſtit eſſentia Sacrificii. Sed contra dico, conſecrationem non eſſe oblationem verbalem, voce expreſſam, eſſe tamen oblationem realem opere exercitam; qui enim in Dei cultum, & recognitionem excellentiæ ipſius aliquid deſtruit, utique in re illud, Deo offert, quamvis non exprimat verbis.

21 Prob. 2. excludendo alios dicendi modos: nam eſſentia Sacrificii in ea ſolum actione conſiſtere debet, quam Sacerdos facit nomine Chriſti, quamque Chriſtus fecit inſtituendo hoc Sacrificium, ut colligitur ex Trident. *ſeſſ. 22. cap. 1.* ſed ex aſſignatis actionibus, ſola conſecratio fit a Sacerdote in perſona Chriſti; ergo in ſola conſecratione conſiſtit eſſentia Sacrificii. Et quidem oblatio panis, & vini, quæ continetur in illis verbis: *Suſcipe Sancte Pater &c.* & *Offerimus tibi &c.* necnon oblatio vocalis Corporis, & Sanguinis Chriſti, quæ fit poſt conſecrationem, non fiunt in perſona Chriſti, ſed nomine Eccleſiæ, ut patet ex illis verbis Canonis: *Unde & memores, Domine, nos ſervi tui &c. Offerimus præclaræ Majeſtati tuæ, & ſupplices te rogamus*. Nec legimus, verbalem oblationem fuiſſe factam a Chriſto, ſive in nocte Cœnæ, inſtituendo Sacrificium incruentum, ſive in

in Cruce, perficiendo cruentum; ergo non poſſunt pertinere ad eſſentiam Sacrificii, maximeque quia, ſecundum S. Gregorium *lib. 7. epiſt. 63.* olim Apoſtoli ſacrificantes adhibuerunt tantum verba eſſentialia, & Orationem Dominicam. Similiter fractio hoſtiæ, & partis ejuſdem cum Calice commixtio, non legitur facta a Chriſto, nec ſemper fuit in Sacrificio Miſſæ adhibita, ut videre eſt in antiqua Liturgia Baſilii, in qua nulla fit talis fractionis mentio; & ſi de facto ante fractionem hoſtia conſecrata ex Sacerdotis manibus in Calicem laberetur, non amplius frangenda eſt, ſed ſimul cum Sanguine ſumenda, & tamen perfectum eſt ſine fractione Sacrificium. Nec obſtat, quod Chriſtus legatur intinctum panem porrexiſſe Judæ; nam panis ille non erat conſecratus, nec erat intinctus vino, ſed juſculo. Excluditur etiam diſtributio facta populo, quæ non pertinet ad rationem Sacrificii, quod ſæpe celebratur abſque eo, quod aliquis de populo communicet.

22 Reſtat difficultas de ſumptione facta a Sacerdote, quam plures, & graves Doctores volunt eſſe partem eſſentialem, adeo ut eſſentia Sacrificii conſiſtat in conſecratione ſimul, & ſumptione Sacerdotis. Ratio eſt, quia ad rationem Sacrificii non ſufficit præparatio victimæ; ſed neceſſaria eſt etiam illius conſumptio; non enim generatio Agni Paſchalis, aut incarnatio Domini, eſt ſufficiens ad Sacrificium, cum ſit mera affectio, ſeu præparatio victimæ; ſed conſecratio eſt tantum præparatio rei offerendæ; ergo in illa non conſiſtit tota eſſentia Sacrificii, ſed ulterius requiritur conſumptio facta a Sacerdote. Deinde holocauſtum eſſentialiter conſiſtit in deſtructione, ſeu conſumptione victimæ, facta in Dei honorem, per quam differt eſſentialiter ab aliis Sacrificiis; ſed Sacrificium Miſſæ eſt holocauſtum perfectiſſimum; ergo ad illius ſubſtantiam victimæ conſumptio eſt neceſſaria; at hæc fit ſolum mediante ſumptione; ergo ſumptio debet eſſe pars eſſentialis. Ita Marchinus *de Ordine tract. 3. part. 2. cap. 2.* Gonet, Bellarminus, Henriquez, Amicus, & alii relati a Maderno *loco cit. art. 3.* & Marchino *cap. 2. in fine.*

23 Reſp. tamen, ſumptionem eſſe partem integralem, non vero eſſentialem. Ratio eſt, quia ſola conſecratio fit a Miniſtro in perſona Chriſti, non vero ſumptio, cum ante illam præmittat illa verba: *Domine non ſum dignus, ut intres &c.* quæ viderentur incongrue præmitti, ſi ſumeret in perſona Chriſti. Deinde certum eſt de fide, Chriſtum in ultima Cœna obtuliſſe Sacrificium, ex Trid. *ſeſſ. 22. c. 1.* at non eſt de fide, Chriſtum Sacramentales ſpecies ſumpſiſſe, licet hoc ſit probabilius, ut docet Divus Thom. *qu. 81. art. 1.* hoc tamen nullus Evangeliſta teſtatur, non eſt autem veriſimile Evangeliſtas omiſiſſe partem eſſentialem Sacrificii; & ſic cum omiſerint ſumptionem, dicendum eſt illam non eſſe partem eſſentialem, ſed ſolam integralem, quatenus conducit ad majorem, & perfectiorem deſtructionem rei oblatæ, quia per ſumptionem, & conſumptionem ſpecierum in ſtomacho, Chriſtus, qui eſt res principalius oblata, deſinit eſſe ſub Sacramento, & ſpecies etiam panis, & vini conſumuntur. Ex quo obiter patet, quomodo differat Communio Sacerdotalis a Communione Laica, quia nimirum iſta ordinatur ad ſumendum Sacramentum præciſe, illa & ad ſumendum Sacramentum, & ad integrandum, magiſque perficiendum Sacrificium.

24 Nec obſtant rationes in contrarium adductæ. Non prima, quia licet conſecratio, præciſe conſiderata ut productiva Corporis Chriſti, non ſit ſacrificatio, cum non ſit deſtructio, & occiſio victimæ, ut taliter vero productiva Corporis Chriſti ſub ſpeciebus ſeparatis a Sanguine vi verborum, tunc non eſt mera productio, ſed myſtica, & ſpiritualis mactatio, & occiſio Chriſti. Nec repugnat, eamdem actionem eſſe ſimul productivam, & deſtructivam, quando ex modo producendi ita terminum attingit, ut, quantum eſt de ſe, habeat ſeparare Corpus a Sanguine. Incarnatio Chriſti, aut generatio Agni Paſchalis, non eſt ſacrificatio, quia nec Chriſtus ſupponitur exiſtens ante incarnationem, nec Agnus Paſchalis ante generationem, nec iſtæ actiones includunt occiſionem, ſed dumtaxat productionem, & ſic non pertinent ad rationem Sacrificii, ſicut pertinet conſecratio, per quam ponitur Corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis ſeparatum a Sanguine. Secunda ratio ſolum probat, ſumptionem eſſe partem integralem, ut ſupra dictum eſt.

DUBIUM V.

An ad eſſentiam Sacrificii Miſſæ requiratur conſecratio utriuſque ſpeciei?

25 NEgant Marchinus *tract. 3. part. 2. c. 1. n. 15.* Bonac. *quæſt. ult. punct. 2. n. 7.* & alii plures, quos refert Azor *lib. 10. c. 19. q. 2.* Ratio eſt, quia Sacrificium Chriſti cruentum ſufficienter repræſentari poteſt per conſecrationem alterius tantum ſpeciei.

26 Reſp. tamen affirmative, quia Chriſtus Sacrificium Euchariſtiæ ita inſtituit, & eo ritu fieri præcepit, quo poſſet perfecte repræſentare paſſionem, & mortem ipſius, ut habetur ex illis verbis Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, & 1. Corinth. 2. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis*, & ex Trid. *ſeſſ. 22. cap. 1.* ſed tale non foret ſine conſecratione utriuſque ſpeciei; ergo ex vi inſtitutionis, & præcepti Chriſti Sacrificium Euchariſtiæ debet eſſe ſub utraque ſpecie. Minor prob. ut repræſentetur integre, & explicite mors, & paſſio Chriſti, debet repræſentari effuſio Sanguinis, ejuſque ſeparatio a Corpore, ſeu Sanguis effuſus, & ſeparatus; ſed hoc non habetur, niſi per conſecrationem utriuſque ſpeciei, ita ut in altera vi verborum ponatur ſolum Corpus ſine Sanguine, in altera Sanguis ſine Corpore. Ita Madernus *qu. 8. art. 4.* Cacheranus *lib. 3. c. 2. §. 4.* Vaſquez, Suarez, Coninch, Lugus, Hurtado, & alii, quos citat, & ſequitur Leander *tract. 8. diſp. 1. q. 17.* Diana *part. 10. tract. 16. reſol. 63.*

27 Dices: ſufficienter repræſentatur Sanguis effuſus, & a Corpore ſeparatus, dum vel ponitur Sanguis ſine Corpore, vel Corpus ſine Sanguine, quod ſufficienter habetur in altera tantum ſpecie; ſed contra ex eo præciſe, quod ponatur Corpus ſine Sanguine, non ſufficienter repræſentatur effuſio, & ſeparatio Sanguinis; potuiſſet enim Corpus fieri exangue per intrinſecum defectum Sanguinis ſine ulla effuſione, item ex eo præciſe, quod ponatur Sanguis ſine Corpore (ſubintellige ſemper formaliter, & ex vi verborum) non ſufficienter evincitur, talem Sanguinem fuiſſe effuſum tempore paſſionis, & mortis, cum non ſemper ad quamcumque ſanguinis effuſionem ſequatur mors. In altera igitur ſpecierum repræſentatur tantummodo mors, & paſſio Chriſti confuſa, implicite, & ſuppoſito aliquali diſcurſu; at vero in utraque ſimul, dum in una oſtenditur, vi verborum, ſolum Corpus exangue, in alia, vi ſimiliter verborum, ſolus Sanguis, utique clare, & explicite, & abſque ullo diſcurſu, repræſentatur mors, & paſſio Chriſti, cum effuſione, & ſeparatione Sanguinis.

28 Nec dicas: non variari ſubſtantiam Sacrificii, ex eo quod ſignificatio ſit explicita, vel implicita, dummodo per utramque idem ſignificetur; contra enim eſt, quia ſicut in Baptiſmo inſtituto cum ſignificatione, ſeu invocatione explicita Trinitatis, non ſufficit ſignificatio, & invocatio implicita ejuſdem: ita in Sacrificio inſtituto cum repræſentatione explicita paſſionis, & mortis, interveniente effuſione Sanguinis, qualis eſt repræſentatio utriuſque ſpeciei, quam utramque Chriſtus conſecravit, non ſufficit repræſentatio implicita ejuſdem, qualis habetur in altera ſpecierum.

29 Dices 2. in multis caſibus licitum eſt conſecrare panem ſine vino; ſi quis enim, conſecrato pane, non poteſt habere vinum, vel certe non poteſt habere niſi cum magna difficultate, ſcandalo, & offenſione populi adſtantis, licite poterit perficere Sacrificium ſine vino. Item ſi facta conſecratione Corporis, ex ſubita irruptione hoſtium, aut hæreticorum, gravis immineat irreverentia Sacramento, aut periculum vitæ, poterit conſumi Corpus ſine conſecratione Calicis; ergo poteſt ſalvari Sacrificium in unica ſpecie, ſicut de facto in die Paraſceve Sacrificium fit in ſola ſpecie panis. Sed contra dico, per ſe loquendo, numquam eſſe licitum conſecrare panem ſine vino, bene tamen per accidens poterit quis, conſecrato pane, excuſari a conſecratione vini, ob periculum vitæ, gravis infamiæ, ſcandali, aut periculi, ut in allatis caſibus, ſed tunc Sacrificium non erit perfectum, ſed ſolum inceptum, & inchoatum. In die Paraſceve non offertur novum Sacrificium, ſed conſummatur hoſtia in externo Sacrificio conſecrata.

30 Hinc ſequitur, non poſſe Pontificem diſpenſare, ut Sacrificium fiat in una tantum ſpecie, aut quod poſſit una ſpecies ſine alia conſecrari, quia non poteſt Pontifex diſpenſare, variare, aut mutare, quæ pertinent ad ſubſtantiam Sacramentorum, ut habetur in Trid. *ſeſſ. 21. cap. 2.* eſt autem de ſubſtantia, & eſſentia Sacrificii a Chriſto Domino inſtituti, ut fiat in conſecratione utriuſque ſpeciei. Nec audiendus eſt Volater. *lib. 7. Geografiæ c. 4.* dicens, Innocentium VIII. cum Norvegis diſpenſaſſe, ut in una tantum ſpecie Sacrificium fieret ob deficientiam vini; hoc enim falſum eſt, cum hujus diſpenſationis nulla extent apud alios Scriptores, vel apud Norvegios, veſtigia; falſumque eſt apud ipſos non reperiri vinum, aut aliunde aſportatum non conſervari. Et ita docent Madernus *art. 4.* Cacheranus *loco cit.* Marchinus *part. 3. c. 2.* Vaſquez, Suarez, Coninch, & alii, quos citat, & ſequitur Bonae. *diſp. 4. qu. 2. punct. 3. n. 13.* quidquid in contrarium ſentiant nonnulli, quos defendit Diana *part. 8. tract. 1. reſ. 24.*

31 Sequitur etiam, per conſecrationem utriuſque ſpeciei unicum tantum fieri Sacrificium, non duplex, quia unica eſt victima, & unica mactatio, quæ fit per conſecrationem utriuſque ſpeciei ſimul, per quam Chriſtus myſtice, & incruente occiditur, & mactatur, ut ſupra dictum eſt, & tenet Madernus *num. 12.*

32 Hic dubitari poteſt: *an, facta jam oblatione grandioris hoſtiæ, ſi offeratur Sacerdoti particulæ conſecrandæ pro Communione Laicorum, poſſit illas conſecrare?* Negant Bonacina *diſput. 4. quæſt. ultim. punct. 2.* quia debent eſſe in Altari ante primum Offertorium, cum pertineant ad idem Sacrificium cum hoſtia grandiori. Sed melius affirmat Gavantus *Comment. in Rubric. Miſſalis tom. 1. part. 3. tract. 10. numer. 19.* quem ſequitur Diana *part. 1. tractat. 14. reſolut. 71.* dummodo apponantur, & offerantur ante præfationem, quia id nulla lege,

Digitized by Google

ſive humana, ſive divina, eſt prohibitum. Addit Marchinus *tract.* 3. *part.* 2. *c.* 4. *in fine*, quem ſequitur Leander *diſp.* 1. *qu.* 23. poſſe illas conſecrare appoſitas etiam poſt præfationem, facta tamen earumdem oblatione mente concepta, quia non eſt major ratio, cur ante præfationem id fieri poſſit, & non poſt illam, cum in neutro caſu id lege humana, aut divina prohibeatur, quod etiam ſentire videtur Diana *part.* 6. *tract.* 6. *reſol.* 7. cum Megalio, & Poſſevino.

CAPUT II.

A quibus, & pro quibus poſſit offerri Sacrificium Miſſæ.

DUBIUM I.

Quinam in Sacrificio Miſſæ poſſint dici Offerentes?

CHriſtus Dominus eſt principalis Offerens in omni Miſſæ Sacrificio: eſt enim Chriſtus *Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*, ex Pſalm. 109. ex quo bene infert Paulus Hebr. 7. ſempiternum eſſe Sacerdotium in Chriſto, & nullum ei Sacerdotem ſuccedere, quod intelligi non poteſt, niſi quia ſolus Chriſtus eſt principalis Offerens, & hac ratione ipſe ſolus eſt Summus Sacerdos, cui nullus alius, tanquam principalis Offerens, & Summus Sacerdos, ſuccedit. Deinde colligitur ex Trid. *ſeſſ.* 22. *c.* 2. ubi habetur: *Una enim, eademque eſt hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in Cruce obtulit*; & docent omnes Theologi, & Sancti Patres, aſſerentes, quod Sacerdos ſacrificans perſonam Chriſti immediate ſuſtineat, ita ut conſecrans eodem modo loquatur, ac ſi re vera Chriſtus eſſet, dum ait: *Hoc eſt Corpus meum*. Quod autem fit nomine alterius, fit principaliter ab eo, cujus nomine fit, ut patet in Matrimonio per Procuratorem contracto, & in negotiis, quæ geruntur per Legatos Principum; ſicut etiam qui dat eleemoſynam per famulum, dicitur principalis donans, & habet meritum, etiamſi famulus ſit iniquus. Et ita tenent Doctores omnes.

2 Difficultas ſolum eſt in explicanda ratione, qua Chriſtus dicatur principalis Offerens, an ſolum dicatur talis, quia Sacrificium inſtituit, offerri præcepit, & applicavit ſua merita, ut haberet efficaciam, qua ratione ſolum remote concurreret cum Sacerdote immediate, & proxime offerente, ut cum Vaſquio, Gabrielle, & Corduba tenet Amicus *diſp.* 33. *ſect.* 4. an vero talis dicatur, quia ipſe immediate, & proxime actu elicito offert ſingula Sacrificia, dum actu fiunt, ut cum D. Thoma *q.* 82. *art.* 7. *ad* 3. tenent Suarez, Bellarminus, Coninch, Lugus, Marchinus, & alii, quos citat, & ſequitur Cacheranus *lib.* 3. *c.* 4. §. 1.

3 Reſp. probabilius eſſe, Chriſtum eſſe principalem Offerentem, non ſolum remote, ſed etiam actualiter, & proxime, ſui Corporis oblationem faciendo ſimul cum Sacerdote. Ratio eſt, quia Chriſtus, ſecundum Apoſtolum *Rom.* 8. *& ad Hebr.* 8. etiam nunc Patrem interpellat pro nobis, & ſic valde credibile eſt offerre Patri actu elicito omnia, & ſingula Sacrificia, dum actu fiunt; hoc enim ipſius in Patrem reverentiæ, & ſummo in Eccleſiam amori maxime congruit. Hac ratione melius explicatur, qualiter Chriſtus ſit Sacerdos in æternum, quam ſi ſolum mediate, & remote concurreret, quia non ſolum ſemel, ſed ſemper offerret, quoties Sacrificium celebratur.

4 Reſp. 2. omnis, & ſolus Sacerdos legitime ordinatus, quamvis pravus, ab Eccleſia præciſus, excommunicatus, degradatus, Schiſmaticus, Hæreticus, aut aliter extra Eccleſiam conſtitutus, poteſt valide Miſſæ Sacrificium offerre. Ratio eſt, quia omnes, & ſoli Sacerdotes habent poteſtatem conſecrandi, & offerendi Corpus, & Sanguinem Chriſti, in quo conſiſtit eſſentia Sacrificii, ut colligitur ex variis definitionibus Conciliorum; nam ex Concil. Nicæno, & Arelatenſe I. negatur poteſtas offerendi Miſſæ Sacrificium Diacono, & per conſequens aliis inferioribus: ex Trid. *ſeſſ.* 22. *c.* 1. Chriſtus per illa verba: *hoc facite in meam commemorationem*, præcepit Apoſtolis, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut Miſſæ Sacrificium offerrent; eo enim præcepto Chriſtus Apoſtolos inſtituit Sacerdotes, eiſque dedit poteſtatem faciendi, quod ipſe fecerat, nempe offerendi Sacrificium incruentum, idemque habetur *ſeſſ.* 23. *c.* 1. *& cap.* 4. Ex eo, quod Sacerdotibus imprimatur Character, infertur, hanc poteſtatem iis auferri non poſſe: ratio eſt, quia omnis Sacerdos, quantumvis extra Eccleſiam conſtitutus, habet poteſtatem conſecrandi fundatam in Charactere ſibi indelebiliter impreſſo; ergo poteſt Miſſæ Sacrificium offerre. Confirmatur, nam Sacrificium, & Sacerdotium ſunt correlativa, ita ut nemo ſit Sacerdos, niſi in ordine ad Sacrificium, & nullum ſit Sacrificium, quod non poſtulet Sacerdotem, a quo offeratur tanquam a Miniſtro ad id muneris ſpecialiter deputato; ergo omnes, & ſoli Sacerdotes poſſunt Sacrificium offerre. Ita Doctores omnes, & cenſetur de fide.

5 Dices: Sacerdos ſacrificat ut Miniſter Eccleſiæ; ſed eo ipſo, quod eſt ab Eccleſia per cenſuras præciſus, non eſt amplius Miniſter Eccleſiæ; ergo non amplius valide ſacrificat, & offert. Sed contra dico, Sacerdotem eſſe Miniſtrum Eccleſiæ, quatenus ordinatur, ut nomine Eccleſiæ poſſit offerre Sacrificia per poteſtatem ſibi a Chriſto indelebiliter conceſſam; quare ab Eccleſia præciſus non poteſt offerre Sacrificium nomine Eccleſiæ, nec Orationes, quæ in Miſſa dicuntur nomine Eccleſiæ; at quia retinet Characterem, & poteſtatem a Chriſto acceptam, ſemper poteſt valide conſecrare, ut Miniſter Chriſti. Poterit quidem facere Eccleſia, quod Sacerdos illicite ſacrificet, at non quod ſacrificet invalide, imo nec quod ſacrificet infructuoſe, loquendo de fructu proveniente ex opere operato, non de proveniente ex opere operantis: opus enim operantis eſt infructuoſum, eo ipſo, quod operans operatur illicite; opus vero operatum fructuoſum eſt ex meritis Chriſti, quibus derogare nequit pravitas, & demeritum operantis.

6 Reſp. 3. mediate omnes Fideles poſſunt dici aliquo modo offerre Sacrificium per manus Sacerdotis, ut colligitur ex verbis Canonis: *& omnium Circumſtantium, quorum tibi fides cognita eſt, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*; & colligitur ex Trident. *ſeſſ.* 22. *c.* 1. ubi dicitur: *Chriſtum dilectæ Sponſæ ſuæ Eccleſiæ, viſibile, ſicut Hominum natura exigit, Sacrificium reliquiſſe*; ut nempe illud offerat per Sacerdotes, qui ſunt Miniſtri publici ad hoc munus ſpecialiter deputati; & de facto Sacerdos in Miſſa omnium Fidelium nomine loquitur, dicens: *Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ*; & paulo inferius: *Unde & memores Domine*; Item in primo offertorio: *Offerimus tibi, Domine, Calicem ſalutaris*. Et ſic tota Eccleſia Sacrificium offert mediante Sacerdote, ſpecialius autem illi dicuntur offerre, qui aliquo modo concurrunt, ſaltem moraliter, ad actionem ipſam ſacrificandi, vel quia Sacerdoti celebranti ad Altare deſerviunt, vel quia data eleemoſyna, aut imperio, vel etiam exhortatione, Miſſam celebrandam procurant, vel quia Miſſam audiunt, maxime ſi actum aliquem cultus exterioris exercent in Deum, ſimul cum Sacerdote ſacrificante; qui vero nihil omnino præſtant, remotiſſime ſolum, & denominative dici poſſunt offerentes, quatenus ſunt membra Eccleſiæ, & Sacrificium offertur a publico Eccleſiæ Miniſtro nomine totius Eccleſiæ. Ita communiter Doctores.

DUBIUM II.

Pro quibus Viventibus poſſit offerri Miſſæ Sacrificium?

7 REſp. ſecundum diverſos reſpectus Miſſæ Sacrificium utiliter offerri poſſe pro omnibus Viventibus. Ratio eſt, quia hoc Sacrificium, cum ſit repræſentativum, & applicativum Sacrificii cruenti, omnibus iis prodeſſe poteſt, pro quibus Chriſtus mortuus eſt; ſed mortuus eſt pro omnibus hominibus in hac terra: *Thim.* 2. *Qui dedit ſe redemptionem ſemetipſum pro omnibus*; ergo pro omnibus Sacrificium hoc poteſt offerri. Et de facto in oblatione Calicis quotidie petimus: *Ut pro totius Mundi ſalute cum odore ſuavitatis aſcendat*; & in Canone offerimus pro Eccleſia, quam precamur æternum Patrem, ut dignetur *pacificare, cuſtodire, adunare, & regere toto orbe terrarum*: adeſt etiam in Miſſali Rom. peculiaris Miſſa *ad tollendum Schiſma*, quod eſt offerre pro Schiſmaticis, ad hoc ut uniantur Eccleſiæ, & ſic pro omnibus prorſus viventibus in hac vita mortali exiſtentibus, & pro illorum quolibet in particulari poteſt utiliter applicari Miſſæ Sacrificium. Ita cum Sylvio, Goneto, Herincx, Maderno, Suarez, Lugo, Amico, & aliis, tradit Cacheranus *lib.* 3. *c.* 4. §. 4. *n.* 69. *& ſeqq.*

8 Hinc poteſt utiliter offerri pro Parvulis baptizatis, quibus prodeſt non quoad fructum ſatisfactorium, cum nullum reatum pœnæ habeant, ſed quoad fructum impetrationis, ut nimirum perſeverent, & creſcant in fide, & gratia, ut præſerventur a periculis, & alia bona ſive ſpiritualia, ſive temporalia illis obveniant. 2. Pro Adultis baptizatis juſtis, quibus prodeſt quoad fructum ſatisfactionis, & impetrationis. 3. Pro Adultis baptizatis injuſtis, ſeu peccatoribus, non tamen excommunicatis, de quibus poſtea dicam, & illis prodeſt quoad fructum impetrationis tum pœnitentiæ, tum aliorum beneficiorum, quamvis illis non proſit quoad ſatisfactionem pœnæ peccatis debitæ, ut habet D. Thom. *quæſt.* 79. *artic.* 7. *ad* 2. & patet ex Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 2. ubi univerſaliter dicitur rite offerri *pro Fidelium Vivorum peccatis*; denique offerri poſſe pro tota Eccleſia militante, habetur ex eodem Trident. *loco citat. cap.* 1. teſtante, huic, tanquam ſuæ dilectæ Sponſæ, fuiſſe a Chriſto relictum; & in ipſo Miſſæ Canone poſt ly *Te igitur clementiſſime Pater*, dicitur, *in primis, quæ tibi offerimus pro Eccleſia tua Sancta Catholica*; & infra: *pro omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ, & Apoſtolicæ Fidei cultoribus*. Addit Marchinus, graviter peccaturum Sacerdotem, qui aliquem a generali oblatione, & applicatione Sacrificii excluderet, quia re vera faceret caret contra ordinationem Eccleſiæ, & quodammodo contra finem hujus Sacrificii.

9 Sequitur 4. offerri etiam poſſe pro Infidelibus non baptizatis, Turcis, Paganis, Gentilibus, & aliis non excommunicatis, & multo magis pro Catechumenis, per modum tamen impetrationis, & deprecationis. Nam de facto in Officio Hebdomadæ Sanctæ orat Eccleſia pro Judæis,

dæis, Paganis, Catechumenis &c. ergo etiam poteſt pro illis offerri Sacrificium, cum hoc de ſe ſit opus bonum, & meritorium, & nullibi prohibitum. Imo hoc ſæpius factum fuiſſe ex Sanctis Patribus probat Suarez *diſp. 78. ſect. 2. concl. 3.* Certe Tertullianus *lib. ad Scapulam in cap. 2.* de Imperatoribus Gentilibus habet: *Sacrificamus & pro Imperatoribus*: & illud Pauli 1. ad Timoth. 2. *Obſecro fieri obſecrationes pro omnibus hominibus, pro Regibus, & qui in ſublimitate ſunt*, quales tunc erant Gentiles; de obſecrationibus, quæ fiunt in Miſſa, & oblatione impetratoria, plures Græci, & Latini Patres interpretantur. Ratio eſt, quia Miſſæ Sacrificium licet Infidelibus non proſit ad meritum, neque quoad ſatisfactionem, quia ſunt in peccato, prodeſt tamen quoad impetrationem, quatenus illis impetrari poſſunt, mediante Sacrificio, plura bona temporalia, & ſpiritualia, neceſſaria ut convertantur ad Fidem.

10 Nec obſtat illud Auguſtini *lib. 1. de Anima, & ejus origine c. 9.* dicentis: *Quis offerat Corpus Chriſti, niſi pro eis, qui ſunt membra Chriſti?* Sed Infideles non ſunt membra Chriſti; ergo pro eis non licet Corpus Chriſti offerre. Nec Euchariſtia debet prodeſſe ut Sacrificium, quibus non prodeſt ut Sacramentum; ſed Infidelibus non prodeſt ut Sacramentum; ergo neque ut Sacrificium.

Reſp. Auguſtinum ibi loqui de iis, qui moriuntur abſque Baptiſmo, quibus non poteſt prodeſſe Sacrificium, ut patet ex contextu. Reſponderi etiam poteſt, infideles, qui non ſunt membra Chriſti, eſſe incapaces fructus Sacrificii per modum ſatisfactionis, at non per modum impetrationis. Similiter Euchariſtia, ut Sacrificium, non debet prodeſſe per modum ſatisfactionis, quibus non prodeſt ut Sacramentum, ſecus per modum impetrationis. Ita Suarez, Lugus, Coninch, Bonac. quos ſequitur Averſa *q. 11. ſect. 10.*

11 Quod dictum eſt de ſimpliciter non baptizatis, a fortiori procedit de Catechumenis, pro quibus Eccleſia non ſolum orat, ſed Sacrificium offert, ut conſtat ex libro inſcripto *Ordo Romanus*, ubi in Miſſa, dum Catechumeni præparantur ad Baptiſmum, infra actionem ſic habetur: *Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quæſumus Domine, ut placatus accipias, quam tibi offerimus pro famulis, & famulabus tuis, quos ad æternam vitam, & beatum gratiæ donum eligere, atque vocare dignatus es*: & certe de fructu impetrationis non poteſt eſſe dubium, ſuppoſitis iis, quæ diximus de aliis Infidelibus.

12 *An vero poſſit pro illis offerri Sacrificium non ſolum quoad fructum impetrationis, ſed etiam quoad fructum ſatisfactionis*, negant ſatis communiter, quia Eccleſia per ſuos Miniſtros non poteſt applicare fructum ſatisfactionis Miſſæ, niſi illis, qui per Baptiſmum ſunt facti membra Eccleſiæ viſibilis, cujuſmodi nondum ſunt Catechumeni. Affirmant alii, quia licet illi non ſint viſibiliter baptizati, ſunt tamen inviſibiliter membra Chriſti per Fidem: imo etiam per Fidem, quam animo conceperunt, & externe profeſſi ſunt, initiative ſpectant ad Eccleſiam Chriſti viſibilem; ſunt etiam baptizati in voto, in cujus Baptiſmi voto ſicuti ſalvantur, ex ſuppoſitione quod nequeant in articulo mortis Baptiſmum ſuſcipere, ita poteſt pro ipſis poſt mortem offerri Sacrificium, etiam per modum ſatisfactionis, æque ac pro aliis realiter baptizatis; ſupplet enim Baptiſmus in voto Baptiſmum realem: & quamvis Concilium Bracharenſe 1. cap. 35. prohibeat offerre Sacrificium, & orare pro Catechumenis ſine Baptiſmo defunctis, talis tamen prohibitio non fit ad oſtendendam incapacitatem ipſorum, reſpectu fructus Sacrificii, ſed ut magis ipſi curent Baptiſmum ſuſcipere, nec diu maneant expoſiti periculo moriendi ſine Baptiſmo. Nec etiam obſtat ſi dicas, Eccleſiam excludere Catechumenos ab auditione Sacri; ergo multo magis a participatione fructus Sacrificii: non enim excluduntur, quia nequeat pro ipſis Sacrificium offerri, ſed quia nequeunt ipſi cum Sacerdote Sacrificium offerre. Hanc Sententiam tenent Bellarminus, Suarez, Henriquez, Coninch, Filliucius, Bonacina, Layman, Sylvius, Lugus, & alii, quos ſequitur Franc. a Jeſu Maria *tract. 5. cap. 2. n. 19. & ſeqq.* & de fructu ſatisfactionis expreſſe Tamburinus *lib. 2. de Sacrific. Miſſæ cap. 2. §. 3.*

D U B I U M III.

An poſſit Sacrificium offerri pro Excommunicatis?

13 SAcerdos, ut bene advertit Cacheranus §. 4. n. 68. in Miſſæ celebratione triplicem perſonam gerit; nimirum Chriſti, Eccleſiæ, & propriam. Gerit perſonam Chriſti, quatenus Chriſti nomine, & tanquam Miniſter ab ipſo immediate deputatus, offert, & applicat effectum, & fructum Sacrificii, provenientem ex Chriſti dignitate, inſtitutione, & meritis. Gerit perſonam Eccleſiæ, quatenus eſt Miniſter, & Legatus ab ipſa deputatus, ut nomine totius Eccleſiæ oret, & applicet fructum Sacrificii, provenientem ex dignitate, & meritis Eccleſiæ, & in his duobus agit Sacerdos perſonam publicam; gerit deinde perſonam propriam, quatenus ut perſona privata, & particularis orat, & applicat fructum Sacrificii, provenientem ex conditione, & devotione propria, quem dicimus ex opere operantis. Porro excommunicati, alii ſunt vitandi, alii vero tolerati, & non vitandi.

14 Reſp. 1. Sacerdos, ut perſona publica, nomine Chriſti, ſeu Eccleſiæ, non poteſt licite offerre Sacrificium pro excommunicatis, ſive vitandis, ſive non vitandis. Prima pars eſt communis apud omnes, quia inter alios effectus majoris excommunicationis eſt privatio communium orationum, & ſuffragiorum Eccleſiæ, ut explicant Doctores agentes de excommunicatione; talis autem privatio omnino includit prohibitionem reſpectu Miniſtrorum offerendi pro ipſis ſuffragia, inter quæ potiſſimum eſt Miſſæ Sacrificium.

15 Major difficultas eſt de excommunicatis toleratis, ſeu non vitandis, pro quibus offerri poſſe Sacrificium nonnulli affirmant, quia Concilium Conſtant. in extr. *ad vitanda ſcandala*, univerſaliter permittit in quibuſcumque Divinis, vel extra, cum excommunicatis toleratis communicari poſſe: & de facto excommunicati non vitandi admittuntur cum aliis Fidelibus ad audiendam Miſſam, in quo caſu Sacerdos publice orat pro ipſis in *Memento*, dum ait: *& omnium Circumſtantium, pro quibus tibi offerimus hoc Sacrificium.* Item cum tolerato poſſumus recitare Officium, vel etiam cantare in Choro, & dicere: *Miſereatur tui: Dominus vobiſcum*; & ſi Sacerdos eum communicat, poteſt dicere: *Corpus Domini noſtri cuſtodiat animam tuam.* Item poſſumus admittere Diaconum toleratum ad cantandum Evangelium, & pro illo orat Sacerdos, quando dicit: *Dominus ſit in corde tuo*; cum igitur poſſit Sacerdos, etiam ut perſona publica, orare, & communicare in Divinis cum excommunicato non vitando ex permiſſione Concilii Conſtantienſis, poterit etiam pro illo offerre Sacrificium. Ita Tambur. *de Sacrific. Miſſæ cap. 2. lib* 2. §. 4. Navarrus, Henriquez, Ugolinus, Coninch, & alii, quos affert Lugus *diſp. 19. ſect. 10. nu. 187.* ubi ait, hanc Sententiam ſemper viſam ſibi eſſe ſatis probabilem.

16 His tamen non obſtantibus cenſeo, non eſſe licitum Sacerdoti pro illis publice orare, & Sacrificium offerre. Ratio eſt, quia eſſentia excommunicationis de ſe petit, ut excommunicatus ſit privatus communibus Eccleſiæ ſuffragiis: ſi autem licitum eſſet publice pro illis orare, & Sacrificium offerre, eſſent excommunicati, ut ſupponitur, & non eſſent excommunicati, quia non eſſent privati communibus Eccleſiæ ſuffragiis, quam privationem de ſe importat excommunicatio. Nec obſtant rationes in contrarium adductæ: non prima deducta ex permiſſione Concilii Conſtant., quia talis permiſſio ſolum eſt ad evitanda ſcandala, & ad ſuccurrendum conſcientiis timoratis, non ad favendum excommunicatis, quibus nullo modo favere intendit, ac proinde remanent privati Eccleſiæ ſuffragiis, & Sacrificio: non ſecunda, quia ſi admittuntur ad auditionem Miſſæ, recitationem Officii, & Communionem, hoc cedit in bonum aliorum, ne cogantur Fideles Sacrum omittere, exire de Templo, aut angi ſcrupulis conſcientiæ: non autem hoc permiſſum eſt ad favendum excommunicatis, qui tenentur ſe abſtinere; cum autem poſſint excludi a participatione Sacrificii abſque ullo ſcandalo, & incommodo, cenſentur excluſi, ſeu non cenſetur permiſſum Fidelibus pro illis Sacrificium applicare: ſiquidem Concilium non concedit internam ſuffragiorum communionem, ſed externam, in audienda Miſſa, & recitando Officio Divino. Hanc Sententiam tenent Valentia, Suarez, Vaſquez, Marchinus, quos citat, & ſequitur Madernus *q. 8. art. 5. n. 13.* Bonac. *de Cenſuris diſp. 2. q. 2. punct. 1. p. 1.* &, pluribus citatis, Franc. a Jeſu M. *tract. 5. c. 2. n. 16.*

17 Reſp. 2. Sacerdos ut perſona publica, & operans nomine Chriſti, poteſt valide offerre Sacrificium pro excommunicatis vitandis, & non toleratis, ipſiſque applicare fructum provenientem ex meritis, & inſtitutione Chriſti, non tamen poteſt eis valide applicare fructum provenientem ex parte Eccleſiæ. Ratio primæ partis eſt, quia poteſtas Sacerdotalis ad ſacrificandum nomine Chriſti, non eſt poteſtas juriſdictionis dependens ab Eccleſia, ſed eſt poteſtas Ordinis ſita in Charactere indelebili, cujus uſum poteſt quidem Eccleſia reddere illicitum, at non invalidum, ut conſtat in poteſtate conſecrandi, quam poteſt valide Sacerdos exercere contra prohibitionem Eccleſiæ; quare ſi Sacerdos de facto applicet Miſſam excommunicato, peccabit illicite operando, ſed proderit excommunicato ex meritis Chriſti, & ex opere operato, non ſolum per modum impetrationis, ſed etiam per modum ſatisfactionis, ſi excommunicatus ſit in gratia.

18 Si autem Sacerdos Sacrificium offerat ut Miniſter Eccleſiæ, & nomine Eccleſiæ, non ſolum offert illicite, ſed etiam invalide, hoc eſt ex parte intentionis Eccleſiæ, & ex vi illius ſpecialis efficaciæ, quam habet Sacrificium, ut oblatum nomine Eccleſiæ nihil proſit excommunicato; nam talis valor pendet ab intentione Eccleſiæ, quæ, reſpectu talis valoris, habet rationem principalis offerentis. Eccleſia autem ſeparando a ſe excommunicatum, non intendit ei prodeſſe, cum eum privat communibus ſuffragiis, cujuſmodi eſt Sacrificium Miſſæ, & prohibet ei applicari. Simpliciter tamen loquendo dicendum eſt, offerentem pro excommunicato, etiam oblatione publica offerre valide, quia valor Sacrificii ſimpliciter attenditur penes fructum provenientem ex meritis Chriſti. Ita tenet Bonacina *de Cenſuris diſput. & quæſt. 2. §. 3. num. 5. punct. 1.* Suarez *de Cenſuris diſput. 9. ſection. 4.* Lugus, Arriaga,

Sylvius, & alii, quos citat, & ſequitur Cacheranus *loco ſupra citato n. 78.*

19 Reſp. 3. Sacerdos in Miſſa tanquam perſona privata, & particularis poteſt orare pro quolibet excommunicato. Ratio eſt, quia Eccleſia privat excommunicatos ſolum communibus, hoc eſt publicis ſuffragiis, quæ fiunt nomine Chriſti, ſeu Eccleſiæ, non vero internis, & privatis, quæ fiunt a privata perſona. Unde poterit Sacerdos ſuo nomine, & quatenus eſt perſona privata, ſecretas, & privatas preces in *Memento* Miſſæ pro excommunicato effundere, & ipſi proderit tale Sacrificium ex opere operantis: cavere tamen debet, ne exprimat nomen excommunicati in Canone, & publice: unde ſi Imperator, aut Epiſcopus eſſet excommunicatus, non eſſet nominatim exprimendus in Canone, quia quæ exprimuntur, videntur fieri nomine Eccleſiæ. Ita communiter Doctores, quos citat, & ſequitur Bonacina *loc. cit. n. 6.* Tambur. *lib. 2. c. 2. n. 3.* ubi dicit, Sacerdotem, dum dicit orationes publicas, v. g. orationem pro Infirmo, poſſe animo ſuo privato intelligere Infirmum excommunicatum, etiam non toleratum.

20 Hic dubitari poteſt: *an privetur publicis Eccleſiæ ſuffragiis excommunicatus vitandus, qui jam reſipiſcit, ſed nondum eſt abſolutus, nec per eum ſtat ut abſolvatur?* Negant plures, quia non eſt credibile, piam Matrem Eccleſiam velle punire, & privare ſuis ſuffragiis illum, qui jam eſt amicus Dei per contritionem, quamvis nondum ab excommunicatione abſolutus. Ita Navarrus, Sayrus, Avila, & Valentia apud Bonacinam. Affirmant probabilius alii, quia excommunicatio non tollitur per contritionem, ſed per abſolutionem, & ſic excommunicatus, quamvis contritus, ſi non eſt abſolutus, ſemper eſt excommunicatus, & per conſequens privatur ſuffragiis Eccleſiaſticis. Ita Sotus, Vaſquez, Suarez, Bonacina, & alii.

D U B I U M IV.

Pro quibus Defunctis poſſit offerri Miſſæ Sacrificium?

21 DUbitatur primo: *an poſſit offerri Miſſæ Sacrificium pro exiſtentibus in Inferno damnatis, quatenus ipſis, licet non ad liberationem, ad pœnarum tamen mitigationem prodeſſe poſſit?* Rationem dubitandi ſumunt aliqui ex Auguſtino, qui in *Ench. cap. 110. tom. 3.* dixiſſe referunt, Sacrificium Miſſæ prodeſſe, *aut ut plena ſit remiſſio, aut ut tolerabilior ſit ipſa damnatio*, ſed qui Auguſtinum legerit, ſtatim evacuat hujuſmodi rationem dubitandi; facile enim percipit Auguſtinum tantum docere, aliquos eſſe, qui propter leviora, aliquos, qui propter ingentia crimina Purgatorii ſupplicia ſuſtinent: illos docet ex ſuffragiis plenam obtinere remiſſionem, iſtos aliqualem pœnæ allevationem; proinde

22 Reſp. nullatenus poſſe offerri Sacrificium Miſſæ pro damnatis, ut habetur ex cap. *Pro obeuntibus*, & duobus ſequentibus, cap. *Cum gravia*: cap. *Quibus*: cap. *Non æſtimamus* 13. qu. 2. Ratio eſt, quia, ut bene docet D. Bernardus *ſerm. 8. in Pſalm. Qui habitat*, illi jam non ſunt in ſtatu miſericordiæ, ſed rigoroſæ vindictæ, nec amplius ſunt membra Chriſti, ut ipſis valeant Chriſti merita per Sacrificium applicari. Adde, quod nullatenus remittitur pœna, cui non remittitur culpa; cum autem damnatis deſperata ſit remiſſio culpæ, nec ipſis applicari poteſt Sacrificium per modum propitiationis, ita deſperata eſt qualiſcumque remiſſio pœnæ, aut ſpes alicujus boni pœnam allevantis, adeoque ipſis applicari non poteſt Sacrificium per modum ſatisfactionis. Quod dictum eſt de damnatis, valet proportionaliter de Parvulis decedentibus ſine Baptiſmo, qui perpetuo ſunt excluſi a Regno, ſuntque addicti loco determinato. Ita Doctores communiter cum D. Thoma *qu. 4. diſt. 45. qu. 2. art. 1.*

23 Dubitatur 2. *an offerri poſſit pro exiſtentibus in Cœlo Beatis?*

Reſp. negative, quia non poteſt pro eis offerri Sacrificium, quatenus eſt propitiatorium, aut ſatisfactorium, quia ſunt immunes ab omni debito, & malo, ſive culpæ, ſive pœnæ; neque ut impetratorium, quia ſequeretur, ipſos carere, & indigere aliquo bono, ad quod obtinendum noſtra indigerent impetratione, quod repugnat ſtatui beatitudinis omnium bonorum aggregatione perfecto. Unde ſicut communiter dicitur, injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre: ita poteſt univerſalius dici, injuriam facit Beato, qui orat pro Beato. Poteſt tamen offerri Miſſa in gratiarum actionem pro beneficiis in Sanctos collatis, & ad impetrandum illis majorem gloriam, & venerationem in terris; hoc tamen proprie non eſt orare, & offerre Sacrificium pro Sanctis, ſed pro nobis ipſis, quibus utilis eſt gloria illa Sanctorum, ut explicant Suarez *diſp. 78. ſect. 3.* & Valentia *tom. 4. diſp. 6. qu. 11. punct. ult.*

24 Dubitatur 3. *an, & quomodo offerri poſſit pro Defunctis exiſtentibus in Purgatorio?*

Reſp. offerri poſſe tum per modum ſatisfactionis, tum per modum impetrationis, ut conſtat ex Trid. *ſeſſ. 22. c. 2. & can. 3. & ſeſſ. 25. cap. 1.* ubi docet, inter omnia ſuffragia, quibus juvare poſſumus Animas Purgatorii, *potiſſimum prodeſſe illis Sacrificium Miſſæ*; & ſatis conſtat ex uſu, & traditione Eccleſiæ, ut docent Scholaſtici omnes. Sacerdos etiam in ſua Ordinatione accipit poteſtatem offerendi Sacrificium pro Vivis, & Defunctis; prodeſt igitur illis per modum ſatisfactionis, quia applicantur merita Chriſti habentia dignitatem infinitam ad ſatisfaciendum, & per modum impetrationis, quia ex applicatione meritorum Chriſti præciſe non ſemper remittitur totus reatus pœnæ; cum autem remiſſio pœnæ ſit aliquod bonum, & Sacrificium Miſſæ poſſit offerri ad quodlibet bonum impetrandum, poterit offerri ad impetrandum remiſſionem pœnæ adhuc perſolvendæ.

Nonnulla hac de re mirifica eruditione, & ſolidis admodum fundamentis exponuntur in tractatu de Sacrificio Miſſæ lib. 2. cap. 18. ubi de quinta Canonis oratione ſermo inſtituitur, quo loco breviter etiam, ſed ſatis, ſuperque abunde, ad optimam Eccleſiaſtici cujuslibet inſtitutionem, ea omnia attinguntur, quæ in ſuperioribus paragraphis pertractata leguntur circa preces, ac ſuffragia, quæ quandoque in Sacrificio Miſſæ a Sacerdotibus ignoranter pro Damnatis, vel pro Beatis, qui eadem percipere nullo modo valent, fruſtra offeruntur. Ut autem ea, qua par eſt, diligentia in jam propoſito inſtituto procedam, caput totum tranſcribere haud inutile, quemadmodum totum illud diligenter percurrere haud laborioſum nimis ſtudioſo cuicumque arbitrabor.

Quinta Canonis Oratio incipit: *Memento etiam Domine*, ubi oratur pro Defunctis. Cum hæc Oratio habeat vocem *etiam*, nonnulli exiſtimarunt, olim aliud peculiare *Memento* præceſſiſſe; quidam vero redundare eam particulam putant. Sed Le Brun *tom. 1. pag. 525.* obſervat, nihil opus eſſe aliud *Memento* præcedens ſupponere, aut particulam *etiam* veluti ſuperfluam habere. Cum enim ante Conſecrationem dictum fuerit *Memento* pro Vivis, nemo non videt, quam proprie interjiciatur vox illa *etiam*, quæ indicat Orationem, quæ hactenus facta fuit pro Vivis, deinceps pro Defunctis continuari.

Vulgatiſſimum eſt Judæ Machabæi exemplum, qui orat pro Judæis juſtis, qui in bello ceciderant, ſed avaritia moti ex Jamniæ Templo res Idolis conſecratas diripuerant, & ſub veſtibus ſuis abſconderant: *atque ita ad preces converſi rogaverant, ut id quod factum erat delictum, oblivioni traderetur*: ut eſt 2. Machab. cap. 12. Neque vero eorum peccatum lethale habitum fuit, & exiſtimari potuit, eos ante mortem ejuſdem peccati pœnituiſſe. Eccleſiæ non ſatis eſt pro Defunctis raro, & certis quibuſdam occaſionibus orare; nulla prorſus eſt Liturgia, quæ non habeat orationem pro Defunctis, idque ex Apoſtolica traditione: *Extat oratio pro Defunctis in Liturgiis omnibus Eccleſiæ tum Orientalis, tum Occidentalis. Hoc ab Apoſtolis traditum univerſa per totum Orbem obſervat, & obſervavit Eccleſia, ut pro Defunctis inter ſacrificandum oret*, ait Pouget *Inſtit. Catholicar. tom. 2. pag. 866.*

Apertiſſima ſunt teſtimonia veterum Patrum. Tertullianus *de Corona Militis cap. 3. Oblationes pro Defunctis annua die facimus.* Auguſtinus *ſermone 172. alias 32. de* verbis Apoſtoli ita ſcribit: *Hoc enim a Patribus traditum univerſa obſervat Eccleſia, ut pro eis, qui in Corporis, & Sanguinis Chriſti communione defuncti ſunt, cum ad ipſum Sacrificium loco ſuo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur.* Et conſentit Chryſoſtomus *homil. 69. ad Populum Antiochenum: Non temere ab Apoſtolis hæc ſancita fuere, ut in tremendis Myſteriis Defunctorum agatur commemoratio: ſciunt enim illis multum contingere lucrum, & utilitatem multam.* His fundamentis quinta Canonis Oratio innititur, utque in ea Sacerdos præſentes animo eos habere debet Defunctos, pro quibus præcipue intendit orare: *In hoc loco Sacerdos, quorum voluerit Defunctorum, debet agere memoriam ſpecialem*; verba ſunt Innocentii III. *cit. lib. 5. c. 7.* ac porro pergens orat pro Animabus omnibus, quæ detinentur in Purgatorio, ut verba illa indicant, *Ipſis Domine*, id eſt, pro quibus præcipue oravit; & *omnibus in Chriſto quieſcentibus*, iis ſcilicet omnibus, qui in Purgatorio igne expiantur; pro omnibus autem poſtulat *locum refrigerii*, quod reſpicit ignem illum, quo cremantur; *locum lucis*, quod ſpectat ad eas tenebras, in quibus verſantur; *locum pacis*, quod ad illam pertinet mentis anxietatem, qua conflictantur: quo triplici pœnarum genere miſeræ illæ Animæ a Divina expiantur Juſtitia. Ideo autem dicimus pro omnibus, qui ſunt Purgatorio, orationem fieri; quia ipſis ſolis Miſſæ Sacrificium tanquam ſatisfactorium Deo offertur, juxta Tridentinam Synodum *ſeſſ. 25. Decret. de Purgat.* ubi docet: *Animas in Purgatorio detentas Fidelium ſuffragiis, potiſſimum vero acceptabili Altaris Sacrificio, juvari*; & juxta idem Concil. *ſeſſ. 22. c. 2. Quare hoc Sacrificium non ſolum pro Fidelium Vivorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus, ſed & pro Defunctis in Chriſto nondum ad plenum purgatis, rite juxta Apoſtolorum traditionem offertur*; nunquam tamen pro animabus damnatorum, quorum immutabili Dei lege æterna eſt condemnatio: *Paleas autem igne comburet inextinguibili*, Matth. cap. 3. *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum*, iidem Matth. cap. 25.

Hæc

„ Hæc Oratio in vetuſtis monumentis *Oratio ſuper Diptycha* appellatur, ob eam quam ſupra rationem attulimus, *cap. 13. n. 26.* Mortuorum quondam nomina alta voce recitabantur, ſicuti nomina Vivorum, ut diximus *in Memento* pro Vivis, quamobrem Turonenſe Concilium, Sęculo VIII. habitum, hanc rubricam habet: *Si fuerint nomina Defunctorum, recitentur; deinde, poſtquam recitata fuerint, dicat Sacerdos: ipſis, & omnibus.* Epiſcopi etiam, qui Eccleſiam rexerant, aliique aliarum Diœceſium, qui in Catholica Fide, & Communione obierant, nominabantur; nam ſi vel in hæreſi, vel in ſchiſmate mortui eſſent, e ſacris Diptychis expungebantur. Martene *de antiquis Eccleſiæ Ritibus lib. 1. c. 4. art. 8. n. 24.* documenta profert, quibus oſtendit, Defunctorum, atque etiam Epiſcoporum nomina propalam eſſe recitata ad XII. uſque Sæculum, atque ejuſmodi conſuetudinem a Card. Antonio de Crequy Epiſcopo Ambianenſi fuiſſe revocatam, qui Teſtamento ſuo ann. 1574. juſſit, in Conventuali illius Eccleſiæ Miſſa, cum Sacerdos pervenerit ad *Memento* Defunctorum, Diaconum alta ipſum voce monere: *Memento Domine animarum ſervorum tuorum Joannis, & Antonii de Crequy*; & in Pariſienſi Eccleſia etiamnum ejus diſciplinæ quædam reliqua eſſe veſtigia; antiquiorem enim Clericorum Chori ad Sacerdotis dexteram accedere, qui Miſſam Conventualem celebrat, ac illi diceret *Memento animæ Cardinalis de Gondy*, qui fuit ejus Eccleſiæ Epiſcopus.

„ Gilbertus Grimaud in Liturgia Sacra *part. 3. c. 10. qu. 6. & ſeq.* de obligatione agit, qua tenemur Deum orare pro Defunctis; quæ obligatio ex charitate, interdum etiam oritur ex juſtitia. Supra diximus, Sacrificium pro damnatis in Infernum offerri non poſſe: cum autem poſſit contingere, ut vel pro damnatis, vel pro iis, qui in Cœlo beata vita perfruuntur, Sacrificium offeratur, monet, illius fructum Sacrificii in Eccleſiæ theſauro remanere, quem Deus diſpertit, & applicat iis Animabus, quæ poſſint ejuſmodi fructum conſequi, quibuſque Deus levamen aliquod vult afferre. Perpulchra eſt Divi Auguſtini Sententia in Enchiridio cap. 109. de Miſſis, Suffragiis, & Orationibus pro iis Animabus, quibus ea prodeſſe poſſe credimus; cum tamen non proſint, *neque negandum eſt, Defunctorum Animas pietate ſuorum Viventium relevari, cum pro illis Sacrificium Mediatoris offertur, vel Eleemoſynæ in Eccleſia fiunt, ſed eis hæc proſunt, qui cum viverent, ut hæc ſibi poſtea poſſent prodeſſe meruerunt.*

25 Dices: exiſtentes in Purgatorio non ſunt amplius membra Eccleſiæ militantis, utpote qui non amplius ſunt in via; ergo non poteſt illis prodeſſe Sacrificium, quod pro Viatoribus inſtitutum eſt, ſicuti propter eamdem rationem non poſſunt illis prodeſſe Sacramenta. Sed contra dico, exiſtentes in Purgatorio non eſſe in ultimo termino, ideo eſſe ſecundum quid in via, & ſecundum quid membra Eccleſiæ militantis, nimirum quoad remiſſionem pœnæ, licet non quoad conſecutionem gratiæ, unde non poteſt Sacrificium pro illis offerri ad augendam gratiam, bene tamen ad remittendam pœnam: nec Euchariſticum Sacrificium inſtitutum eſt pro ſolis Viatoribus ſimpliciter, ſed etiam pro Viatoribus ſecundum quid, nimirum pro Viatoribus vivis, & pro Viatoribus defunctis. De Sacramentis diverſa eſt ratio, quia non proſunt niſi ſumenti, ab exiſtentibus autem in Purgatorio ſumi non poſſunt.

26 Dubitatur 4. *an hoc Sacrificium proſit Animabus Purgatorii ex infallibili lege, & promiſſione Chriſti?* Negant Sotus, Cano, & alii, volentes illis prodeſſe ſolum ex liberalitate, & gratuita voluntate Dei, & ideo non infallibiliter. Ratio eſt, quia Indulgentiæ tantum hoc modo proſunt Defunctis; ergo etiam Sacrificium. Sed probabilius eſt illis prodeſſe ex infallibili lege, & promiſſione Chriſti, quia habemus ſufficientiſſimum fundamentum ad aſſerendum, Chriſtum Dominum inſtituiſſe hoc Sacrificium ita pro Defunctis, atque pro Vivis, ut colligitur ex ordinatione Sacerdotis, in qua dicitur: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium pro Vivis, & pro Defunctis*; ergo eodem modo prodeſt infallibiliter utriuſque. Patet etiam ex diverſitate, quæ intercedit inter applicationem Sacrificii, & applicationem Indulgentiarum pro Animabus Purgatorii; nam Indulgentiæ applicantur per modum ſuffragii a Pontifice, ſub cujus juriſdictione illæ non amplius ſunt: at Miſſa offertur a Sacerdote in perſona Chriſti, cui omnes Animæ ſunt ſubjectæ, idemque Chriſtus, qui offert pro Vivis, offert etiam pro Defunctis, & pro utriſque ſemper Chriſtus exauditur pro ſua reverentia, ut tradit Madernus *qu. 8. art. 6. nu.* 27. Suarez, Navarrus, Facundez, & alii, quos citat, & ſequitur Marchinus *tract. 3. part. 2. c. 9. n. 11.*

27 Dubitatur 5. *an poſſit Sacrificium offerri pro Catechumenis defunctis non baptizatis?*

Reſp. non poſſe pro illis offerri, ſi ex negligentia ſua non receperunt Baptiſmum, quia tunc præſumuntur deceſſiſſe in peccato mortali, ut obſervat Dicaſtillus *diſp. 2. dub. 4. n.* 113. Si autem caſu aliquo abſque culpa deceſſerunt ſine Baptiſmo, probabile eſt poſſe pro illis Miſſas offerri, ut patet ex dictis ſupra *dub. 2.*

C A P U T III.

De effectibus, & valore Sacrificii Miſſæ.

D U B I U M I.

Quos effectus habeat Sacrificium ex opere operato?

NOn loquitur in præſenti de effectibus, quos habere poteſt Sacrificium ex opere operantis; ſicut enim per quodlibet opus bonum Homo in gratia conſtitutus poteſt mereri gratiam, auxilia actualia, & ſatisfacere pro ſe, ſive pro aliis quoad pœnam temporalem, multaque alia impetrare: ita hoc idem habere poteſt per Miſſæ Sacrificium, quod eſt opus religionis, & actus præſtantiſſimus orationis: ſed loquimur de effectibus provenientibus a Sacrificio Miſſæ ex opere operato, ideſt virtute ipſius Sacrificii ſundata in Divina promiſſione, & inſtitutione: ſicut enim Chriſtus Sacramentis merita ſua ita adjunxit, ut recte diſpoſitis ſuos effectus conferrent independenter a dignitate, & devotione Miniſtri; ita valet hoc idem de Sacrificio Miſſæ, ut colligitur ex Trid. *ſeſſ. 22. c. 1.* dicente: *Nulla indignitate, aut malitia offerentium hanc oblationem inquinari poſſe: & per illam Sacrificii cruenti nobis virtutem applicari in remiſſionem peccatorum*, quod eſt habere ſuum effectum ex opere operato. Porro effectus, de quibus poteſt eſſe dubium, ſunt remiſſio peccati, productio primæ gratiæ, vel illius augmenti, & boni ſpiritualis, ſeu temporalis impetratio.

2 Reſp. Sacrificium Miſſæ non conferre immediate primam gratiam habitualem juſtificantem a peccato, vel illius augmentum, poſſe tamen utrumque facere mediate, & impetratorie, quatenus per hoc Sacrificium impetrari poſſunt auxilia actualia, quibus homo excitatus elicit actum contritionis, & acquirit remiſſionem peccatorum, & gratiam. Colligitur ex Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 2. ubi aſſignans modum, quo peccata per hoc Sacrificium remittuntur, ait: *Nos miſericordiam conſequi in auxilio opportuno: hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam* (nempe excitantem) *& donum Pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit*, ubi patet, hoc non aliter fieri, quam mediante auxilio gratiæ prævenientis, quo quis ad contritionem excitatur: quod etiam expreſſe docet *D. Thom. in 4. diſt. 12. q. 2. art. 2. ad 4.* dicens: *peccata mortalia in eis delet, non ſicut cauſa proxima, ſed in quantum gratiam contritionis impetrat.* Ita etiam tenent communiter DD. Nugnus, Sylvius, Suarez, Vaſquez, Lugus, Amicus, Arriaga, quos citat, & ſequitur, Madernus *q. 8. art. 6.* Cacheranus *lib. 3. cap. 3.* §. 3. Franciſcus a Jeſu Maria *cap. 3. punct. 1.* ubi alios quamplures refert.

3 Ratio eſt, quia nullibi certo conſtat ex Scriptura, Patribus, aut Conciliis, Sacrificium Miſſæ eſse inſtitutum ad peccata mortalia immediate remittenda, & gratiam juſtificantem conferendam: quin hoc aſſignari ſolet diſcrimen inter Sacramentum, & Sacrificium, quod illud ad hominem immediate ſanctificandum, hoc ad Deum colendum inſtitutum ſit, nec ullus Catholicorum eſt, qui putet, ſe a peccato mortali liberari, & gratiam ſanctificantem conſequi, etiam ſi ſit attritus, per hoc quod Sacrificium pro ſe offerri curet, ſecus Sacerdos poſset cum ſola attritione ſacrificare, nec, deficiente copia Confeſſarii, teneretur contritionem elicere, ut ſe in gratia conſtituat, quod nullus concedit. Poſset etiam Sacerdos Miſſam offerre pro omnibus peccatoribus attritis, eoſque omnes juſtificare. Deinde Sacrificium incruentum non debet habere majorem efficaciam, quam habeat Sacrificium cruentum Crucis; ſed hoc non cauſavit immediate gratiam in hominibus, pro quibus fuit oblatum; ergo nec Sacrificium incruentum, per quod nobis applicatur virtus Sacrificii cruenti.

4 Dices: ex Trident. *citata ſeſſ. 22. cap. 2.* habetur, hoc Sacrificium eſse propitiatorium, *& per illud Deum placatum, ingentia crimina, & peccata dimittere*: quæ verba non poſsunt intelligi de ſola remiſſione mediata per impetrationem auxiliorum diſponentium ad contritionem, per quam peccata remittuntur, quia ſecus Sacrificium non eſset propitiatorium, ſed dumtaxat impetratorium, impetrando nimirum auxilia, quibus contritio, & pœnitentia de peccatis concipiatur: ſi ergo Sacrificium Miſsæ ſimul eſt propitiatorium, & impetratorium, debet immediate peccata dimittere, & gratiam ſanctificantem infundere recte diſpoſito per attitionem. Sed contra dico, Sacrificium hoc dici propitiatorium, quatenus confert auxilia conducentia ad converſionem, & pœnitentiam peccatorum, placat Deum, & mediate confert gratiam; & eſse impetratorium, quatenus impetrat nobis bona ſpiritualia, & temporalia, quod ſufficit, ut verificentur verba Concilii.

5 Ex eo, quod hoc Sacrificium per ſe immediate non conferat gratiam ſanctificantem, ſequitur etiam per ſe immediate non conferre remiſſionem venialium, quæ de lege ordinaria non remittuntur ſine infuſione, vel augmento gratiæ. Prodeſt igitur tantum Sacrificium Miſsæ ad remiſſionem tum lethalium, tum venialium, ad collationem

tum primæ, tum ſecundæ gratiæ, mediate impetrando a Deo auxilia, quibus homo per proprios actus tum ad primam, tum ad ſecundam gratiam ſe diſponat; & dicitur propitiatorium pro peccatis, immediate quoad remiſſionem pœnæ, mediate quoad remiſſionem culpæ: quoad utrumque tamen ex opere operato, & ex meritis Chriſti. Verum tamen eſt, quod auxilia per hoc Sacrificium collata non ſemper ſunt afficacia, cum peccatores non ſemper converſantur, ſed ſufficientia tantum, ut habet Bellarm. *lib.* 2. *de Miſſa cap.* 4. & Madernus *loco cit. n.* 12.

6 Reſp. 2. Sacrificium Miſſæ ex ſua inſtitutione, & ex opere operato remittit pœnas temporales peccatis debitas tam pro Vivis, quam pro Defunctis, quæ remanent, remiſſa culpa; ſic enim colligitur ex Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 2. *can.* 3. ubi dicitur: *Sacrificium hoc pro Vivis, & Defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus offerri debere.* Patet etiam ex ſeſſ. 25. in Decreto de Purgatorio, ubi dicitur: *Animas in Purgatorio detentas, Fidelium ſuffragiis, potiſſimum vero acceptabili Altaris Sacrificio, juvari*; & in ſua ordinatione accipit Sacerdos poteſtatem *offerendi Sacrificium pro Vivis, & pro Defunctis.* Non poteſt autem aliter hæc oblatio prodeſſe Animabus detentis in Purgatorio, quam remittendo illis pœnam aliquam temporalem: & hic effectus eſt maxime proprius hujus Sacrificii, nec ab aliquo Sacramento per ſe immediate præſtatur, & ita ſentiunt Doctores communiter cum D. Thom. *q.* 79. *art.* 5. *& in* 4. *diſt.* 12. *qu.* 2. *art.* 2. *qu.* 3. adeo ut Marchinus *part.* 2. *c.* 10. *prob.* 6. dicat eam a nemine negari.

7 Reſp. 3. Miſſæ Sacrificium valet etiam ad conſecutionem bonorum ſpiritualium, & temporalium, ut patet ex Conc. cit. ubi dicitur offerri *pro ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus*, & quidem non ſolum ſpiritualibus, pro acquiſitione virtutum, victoria tentationum, & ad perſeverandum in gratia, ſed etiam temporalibus, pro corporis ſanitate, aeris ſerenitate, pro pace, pro fructibus terræ, aliiſque bonis temporalibus, quatenus aliquo modo utilia ſunt ad ſalutem, ut patet ex traditione, & uſu Eccleſiæ, ac Fidelium Miſſas petentium, pro bonis etiam temporalibus conſequendis: & ita tradunt & ſupponunt ſine controverſia Doctores communiter.

8 Hinc ſequitur Sacrificium Miſſæ non ſolum eſſe Latreuticum, ſive Holocauſtum, quatenus totum offeratur in cultum, & honorem Dei; nec ſolum Euchariſticum, quatenus in gratiarum actionem offertur pro beneficiis a Deo nobis collatis, ut contendunt Hæretici, contra quos Concil. Trident. *ſeſſ.* 22. *can.* 3. decernit: *Si quis dixerit Miſſæ Sacrificium tantum eſſe laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium: vel ſoli prodeſſe ſumenti, neque pro Vivis, & Defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus offerri debere; anathema ſit*; ſed ſimul eſſe propitiatorium pro peccatis, ſatisfactorium pro pœnis debitis, dimiſſa culpa, & impetratorium bonorum tum ſpiritualium, tum temporalium, adeoque in ſe uno continere perfectionem Sacrificiorum Antiquæ Legis, quarum aliqua erant propitiatoria, & Deo offerebantur pro peccatis expiandis, alia impetratoria ad impetranda beneficia, ut conſtat ex oratione ſecreta, quam in Dominica ſeptima poſt Pentecoſtes ponit Eccleſia dicens: *Deus, qui legalium differentiam victimarum unius Sacrificii perfectione ſanxiſti*: & Leo Papa Serm. 7. de Paſſione: *ut novo expleretur Sacrificio variarum differentia victimarum*: & Auguſt. lib. 17. de Civit. Dei cap. 20. *Sacrificium ſucceſſit omnibus illis Sacrificiis Veteris Teſtamenti, quæ immolabantur in umbra futuri.*

„ *Hæc omnia adhuc clarius, & firmioribus etiam fun-*
„ *damentis legere poteris in ſequentibus, quæ ex tractatu*
„ *de Miſſæ Sacrificio lib.* 2. *cap.* 13. *hoc loco tibi fideliter*
„ *exhibenda curavi.* Innocentius III. *lib.* 3. *Myſterior. Miſſæ*
„ *cap* 6. explicat rationem, quamobrem Miſſæ Sacrificium
„ in prima Canonis Oratione *Sacrificium laudis* appella-
„ tur. Quia vero non ſolum vocatur *Sacrificium laudis*,
„ ſed quidpiam amplius additur: *pro quibus tibi offerimus,*
„ *vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis, pro ſe, ſuiſ-*
„ *que omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro*
„ *ſpe ſalutis, & incolumitatis ſuæ, tibique reddunt vota*
„ *ſua æterno Deo vivo, & vero*, obſervabimus his verbis
„ declarari Miſſæ Sacrificium eſſe ex opere operato non mu-
„ do Latreuticum, & Euchariſticum, ſeu Sacrificium lau-
„ dis, & gratiarum actionis, ſed etiam Propitiatorium,
„ quo peccata expiantur, & Impetratorium, quo ſpiritua-
„ lia, & temporalia bona a Deo obtinentur: *Si quis di-*
„ *xerit, Miſſæ Sacrificium tantum eſſe laudis, & gratia-*
„ *rum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in*
„ *Cruce peracti, non autem Propitiatorium, vel ſoli pro-*
„ *deſſe ſumenti; neque pro Vivis, & Defunctis, pro pec-*
„ *catis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus of-*
„ *ferri debere; anathema ſit*: verba ſunt ſacri Concilii
„ Trid. *ſeſſ.* 22. de Sacrificio Miſſæ *can* 3.

„ Sacrificium Miſſæ Latreuticum eſt, & Euchariſticum,
„ id eſt Sacrificium laudis, & gratiarum actionis pro ac-
„ ceptis beneficiis: perfectiori enim, & excellentiori quo-
„ dam modo proprietates omnes continet Sacrificiorum
„ Veteris Legis, quorum quædam in Dei tantum hono-

rem, & laudem offerebantur, ut Holocauſta, quædam in gratiarum actionem, ut Hoſtiæ Pacificæ, quemadmodum docet S. Thom. 1. 2. *q.* 102. *art.* 3. Quod ne hæretici quidem negant, ut Lutherus, & Calvinus, ut obſervat Bellarm. *tom.* 3. *Controv. lib.* 6. *de Miſſa cap.* 1.

Eſt etiam Miſſæ Sacrificium Propitiatorium, quo nimirum peccata expiantur, quod probat locus Apoſtoli ad Hebræos 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis.* S. Cyprianus in Sermone de Cœna Domini Miſſæ Sacrificium vocat medicamentum ſimul, & holocauſtum ad ſanandas infirmitates, & purgandas iniquitates. Et S. Auguſt. *qu.* 57. in Leviticum ait, in hoc fieri Sacrificio *veram remiſſionem peccatorum*. Et Theologi docent, peccatorum remiſſionem, quod attinet ad culpam, ex hoc proficiſci Sacrificio, non tamen eodem modo, quod provenit ex Baptiſmo, & Pœnitentia, in quibus peccatorum remiſſio fit per habitualis, ſeu ſanctificantis gratiæ infuſionem, ſed alio quodam modo; nimirum Deus, intuitu Sacrificii Miſſæ propitiatorii, ſeu expiatorii peccatorum, pœnitentiæ donum largitur, ſeu peculiaris alicujus gratiæ adjutorium, quo peccator ad contritionem excitatur, & adjuvatur, vel ad abſolutionem in Sacramento Pœnitentiæ digne, & utiliter conſequendam. Diximus, quantum ad culpam attinet; nam quoad remiſſionem pœnæ, quæ ſequitur peccata jam quoad culpam abolita, vera Theologorum ſententia eſt, pœnam immediate per Miſſæ Sacrificium remitti; Deus enim propter Sacrificii oblationem pœnam ei remittit, pro quo offertur, ea tamen menſura, quam Divina ejus miſericordia definiverit.

Luculentiſſima eſt S. Thomæ doctrina *in* 4. *Sentent. diſt.* 12. *qu.* 2. *art.* 2. *Ad quartum dicendum, quod Euchariſtia non ſolum eſt Sacramentum, ſed etiam eſt Sacrificium. In quantum autem eſt Sacramentum, habet effectum in omni Vivente, in quo requirit vitam præexiſtere. Sed in quantum eſt Sacrificium, habet effectum etiam pro aliis, pro quibus offertur, in quibus non præexigit vitam ſpiritualem in actu, ſed in potentia tantum: & ideo ſi eos diſpoſitos inveniat, eis gratiam obtinet virtute illius veri Sacrificii, a quo omnis gratia in nos influxit, & per conſequens peccata mortalia in eis delet, non ſicut cauſa proxima, ſed in quantum gratiam contritionis eis impetrat.* Et paulo poſt in eodem *art.* 2. *Dicendum, quod non totaliter ſemper aufertur pœna per hoc Sacrificium illis, qui ſunt in Purgatorio; nec auferebatur in Veteri Lege per antiqua Sacrificia.* Hanc doctrinam illuſtrat abunde Bellarminus *tom.* 3. *Controv. lib.* 6. *de Miſſa c.* 4. ubi ſic ait: *Non operatur Sacrificium efficienter, & immediate, nec eſt proprie inſtrumentum Dei ad juſtificandum &c. Non igitur Sacrificium immediate juſtificat, ut Baptiſmus, & Abſolutio faciunt, ſed donum pœnitentiæ impetrat, per quod homo peccator ad Sacramentum accedere velit, & per illud juſtificetur.* Huc etiam addit, quod cum non poſſit Miſſæ Sacrificium majori præditum eſſe virtute, quam habuit Sacrificium Crucis, nec illud Sacrificium *efficienter, & immediate*, ut loquuntur Theologi, ſed *impetratorie, & meritorie* juſtificaverit, hoc eſt, a Deo impetraverit, ut peccatores per media convenientia æternam ſalutem conſequantur: idem plane de Miſſæ Sacrificio dicendum eſt. Quamobrem Tridentina Synodus *ſeſſ.* 22. de Sacramento Euchariſtiæ *cap.* 2. vim, & efficaciam Sacrificii ita explicat: *Hujus oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.* Et paulo poſt de ope, qua per hoc Sacrificium juvantur Defuncti: *Quare non ſolum pro Fidelium vivorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus, ſed & pro Defunctis in Chriſto nondum ad plenum purgatis rite, juxta Apoſtolorum traditionem, offertur.*

Denique Miſſæ Sacrificium eſt etiam Impetratorium, nobiſque a Deo obtinet ſpiritualia, & temporalia bona, ut ex omnium Fidelium perpetuo probatur conſenſu. Patrum auctoritates congeſtas reperies apud noſtros Controverſiarum Scriptores. Illud nobis ſatis erit, quod ſcribit D. Auguſtinus *lib.* 2. *de Civitate Dei cap.* 8. de nobili quodam viro nomine Exuperio, qui ut infeſtam domum liberaret ſuam ab immundis Spiritibus: *rogavit* (inquit Auguſtinus) *noſtros, me abſente, Presbyteros, ut aliquis eorum illo pergeret, cujus orationibus cederent; perrexit unus, obtulit ibi Sacrificium Corporis Chriſti, orans quantum potuit, ut ceſſaret illa vexatio; Deoque protinus miſerante ceſſavit.* Quod ſi in Veteri Teſtamento offerebantur hoſtiæ votivæ, ut aliquod beneficium impetraretur, ut conſtat ex *lib. Reg. cap. ult.* ubi David *obtulit pacifica*, ut peſtem averteret; & ex 2. *lib. Machab. c.* 3. ubi Onias obtulit *hoſtiam ſalutarem* pro Heliodori vita, & ex 1. *lib. Eſdræ cap.* 6. ubi hoſtiam Hebræi pro Darii, Liberorumque ejus vita ſacrificabant; quis affirmare audeat, hanc deeſſe Sacrificio noſtro virtutem, cum præſertim Euchariſtia, quæ valet, ut diximus, ad peccatum remittendum, multo magis ad eas tollendas calamitates valeat, quæ ex peccato trahant origi- „ nem?

nem? *Si oblatio Euchariſtiæ pro peccatis dimittendis valet, certe etiam pro aliis neceſſitatibus, quæ ex peccato ſunt, valere debet. Et ſi Deus hoc Sacrificio placatus in gratiam cum inimicis ſuis redit, quanto facilius ob idem Sacrificium adducetur, ut amicis, & reconciliatis bona temporalia tribuat, ſi id eis utile fuerit?* Verba ſunt Bellarmini *loc. cit. cap. 3.* Matthæus Galenus Veſtcappellius Tractatum de Sancto Miſſæ Sacrificio conſcripſit; vixit hic Auctor dum haberetur Concilium Tridentinum, ut colligitur ex Epiſtola, quam Operi ſuo præpoſuit, ad Alexandrum Piccolomineum Epiſcopum Montis Alcini; ac quæſtionem proponit *cap. 19.* an Miſſæ omnes, quas celebrant Sacerdotes, ſeu boni, ſeu mali, ejuſdem ſint efficaciæ; nec ſane in eorum ſententia videtur conquieſcere, qui docent, ſuam Sacrificio conſtare efficaciam, etiamſi illud malus celebret Sacerdos, qui dum male ſibi conſcius Miſſam celebrat, ſibi ſolum damnum facit. Significat autem valde ſe optaſſe, ut ea quæſtio in ſacro excuteretur Concilio: *Non poſſum, quin Camarinam iſtam ſtudio meo ſaltem moveam, ſi forte Tridentini Patres, atque alii docti moti fœdo, ac tetro odore, exhaurire dignentur.*

D U B I U M II.

An Sacrificium Miſſæ infallibiliter conſequatur ſuos effectus.

9 Reſp. Sacrificium Miſſæ, ut eſt ſatisfactorium, habere effectum infallibilem, non ſic tamen ut impetratorium. Ratio primæ partis eſt, quia merita Chriſti præterita eodem modo applicantur in hoc Sacrificio, ac ſi eſſent præſentia; ſed ſi eſſent præſentia haberent infallibilem efficaciam ad obtinendam remiſſionem pœnæ juxta legem a Deo taxatam, dummodo ſubjectum non haberet obicem culpæ; ergo de facto talem efficaciam habent, & delent pœnam peccatis debitam, ſi ex parte ſubjecti non ponatur impedimentum: maxime quia merita illa de facto applicantur a Chriſto principali offerente, qui ſemper pro ſua reverentia exauditur, ut notavimus cap. præcedenti circa finem. Confirm. merita Chriſti, dum in Sacramentis applicantur ad ſatisfaciendum pro culpa, & conferendam gratiam, ſemper ex opere operato talem effectum infallibiliter ſortiuntur, ſi non ponatur impedimentum ex parte ſubjecti: ita dum in Sacrificio applicantur ad ſatisfaciendum pro pœna, eamque remittendam, debent talem effectum infallibiliter ſortiri. Hinc virtute Sacrificii confertur juſtis, ſive Vivis, ſive Defunctis, pro quibus offertur, remiſſio alicujus pœnæ infallibiliter ex opere operato. Ita Doctores communiter cum Cacherano *§. 4. n. 76.*

10 Ultra hunc effectum, quem infallibiliter habet Sacrificium ex opere operato, poteſt etiam pœnam remittere per modum impetrationis ex dictis ſupra *cap. præced. dub. ultim.* hunc tamen effectum per modum impetrationis non habet infallibiliter, ut docet Suarez *diſp. 79. ſeſſ. 6.*

11 Ratio ſecundæ partis eſt, quia aliquando id, quod Sacerdos intendit impetrare, offerendo Sacrificium, eſt contra voluntatem ipſius Chriſti principalis offerentis; multa enim homines petunt in propriæ quandoque ſalutis perniciem redundantia; ideo ſi Sacrificium eſſet infallibiliter impetratorium juxta mentem Sacerdotis offerentis, aliquando talis impetratio redundaret in malum, quod derogaret dignitati Sacrificii, & meritorum Chriſti. Deinde experientia ipſa conſtat, non ſemper obtineri virtute Sacrificii bona temporalia, ſed ſolum quando Divinæ Providentiæ placitum eſt; ſed nec etiam infallibiliter obtinentur ſemper bona ſpiritualia, nam auxilia efficacia, conducentia ad pœnitentiam, & ſalutem, non ſemper peccatores conſequuntur, cum non ſemper convertantur, ut notant Suarez *diſp. 79. ſect. 3.* Vaſquez *diſp. 229. cap. 2.* Bonacina *diſp. 4. qu. ult. punct. 3.*

12 Idem valet de auxiliis, quibus homo excitatur ad actus bonos, per quos dimittantur peccata venialia, aut creſcat in gratia habituali, aut obtineat donum perſeverantiæ, vel aliud bonum conſequatur, cum hæc dependeant ab ordine Divinæ Providentiæ, & ſecundum illum concedantur. Nec dicas, merita Chriſti non minus ſunt efficacia ad impetrandum, quam ad ſatisfaciendum; ergo ex meritis Chriſti in Sacrificio applicatis, non minus infallibiliter ſequitur effectus impetrationis, quam effectus ſatisfactionis. Sed contra reſp. antecedens eſſe verum, ſi cetera ſint paria; at in præſenti paria non ſunt, quia dum applicantur ad ſatisfaciendum, ſemper applicantur juxta intentionem Chriſti inſtituentis Sacrificium, ut eſſet ſatisfactorium, ut patet ex auctoritatibus Trident. *ſupra poſitis*: non ſic tamen dum applicantur ad impetrandum, cum ex Scriptura, Patribus, aut Conciliis non conſtet, Chriſtum voluiſſe effectum impetrationis eſſe infallibilem, ſicut conſtat voluiſſe eſſe infallibilem effectum ſatisfactionis.

„ *Hic non omittenda celebris illa diſtinctio fructuum, qui a Sacrificio percipiuntur, quæ cum ſit admodum clara, omnia quæ hucuſque dicta ſunt, ſatis apte confirmat. Sic enim legitur in Tractatu de Sacrific. Miſſæ, loco ſuperius allato:* Omnis tollitur difficultas, ſi fructum Sacrificii *ex opere operato* a fructu *ex opere operantis*, ut antea diximus, diſtinguamus. Tres habet Miſſa fructus, alter internus eſt, de quo nihil umquam minuitur, quique ſi applicetur, ſemper operatur, dummodo nullum obſtet impedimentum; quem Miſſæ fructum ſupra diximus *ex opere operato*: nam Jeſus Chriſtus potiſſimum eſt Sacerdos, & Sacrificium. Alter eſt, qui ex univerſa oritur Eccleſia, quæ nullo non tempore Deo Sacrificium offert ſingulorum omnium miniſterio Sacerdotum, quotquot ſub Cœlo ſunt; cumque Eccleſia Sponſa ſit Jeſu Chriſti, tota ſemper pulcra, & amica, ſine ulla ruga, aut macula, ſemper ex ſanctitate ſua, ſuiſque meritis plurimum in eas actiones confert, quas exercet eorum miniſterio, quibus utitur; ex quo fit, ut fructus hujuſmodi, qui dicitur *ex opere operantis*, augeri poſſit, & minui, pro majori, vel minori eorum ſanctitate, vitæque innocentia, a quibus conflatur Corpus Eccleſiæ; quod tamen nihil ad eſſentiam pertinet Sacrificii, ſed ad circumſtantias, quæ Sacrificio ſunt adjunctæ. Tertius denique, qui ex ipſo proficiſcitur Sacerdote, qui celebrat, eſt itidem *ex opere operantis*. Poteſt ille quidem zelo, & devotione ſua, precum ſuarum a Deo effectum impetrare, ſed ſi propter nefariam ſui vitam male ſibi conſcius ſit, nihil boni ab eo ſperandum, quin etiam graviori crimine ſe adſtringit miſer, nihil tamen de fructu *ex opere operato* detrahitur; quemadmodum eadem ſemper eſt gemma, ejuſdemque pretii, quiſquis eam in digito gerat, poteſt tamen artificis induſtria annulo affabre incluſa fieri pretioſior. „

D U B I U M III.

Utrum melior diſpoſitio offerentis, vel illius pro quo offertur, conducat ad majorem effectum Sacrificii.

13 Ex parte Sacerdotis celebrantis neceſſario requiritur ſtatus gratiæ, & jejunium naturale a media nocte præcedente, juxta ea, quæ diximus *tractatu præcedenti c. 9. & 10.* ex parte vero illius, pro quo offertur, ut recipiat fructum Sacrificii, non modo impetratorium auxiliorum, & beneficiorum Dei, ſed etiam ſatisfactorium pœnæ, requiritur, ut ſit baptizatus, ut ſit in via, & nullo ſit cenſuræ vinculo irretitus, & ut ſit in gratia; nam Sacrificium hoc, licet proſit exiſtenti in peccato mortali quantum ad impetrationem auxiliorum ſpiritualium, & bonorum temporalium, non tamen prodeſt quantum ad remiſſionem pœnæ, ut cum D. Thoma, Cajetano, Soto, & aliis docet P. Marchinus *part. 2. cap. 9.*

14 *Utrum vero hic effectus ſatisfactionis impeditus propter obicem peccati reviviſcat, & conferatur poſtea, quando aufertur peccati obex, res eſt incerta.* Negant Suarez, Vaſquez, Bonacina, Lugus, Facundez, & alii relati a Leandro *tract. 8. diſp. 4. q. 14.* Affirmant Navarrus, Henriquez, & Marchinus *loco cit.*: quia hoc Sacrificium operatur ad inſtar Sacramentorum, quæ ſuſcepta cum obice, eo amoto, reviviſcunt, & producunt ſuum effectum. Sed, ut dixi, res eſt incerta, cum incertum ſit, an omnia Sacramenta, & præcipue Sacramentum Euchariſtiæ reviviſcat, ut diximus ſuo loco.

15 Alia conditio eſt actualis, aut virtualis devotio erga tale Sacrificium, quam eſſe neceſſariam oſtendunt Marchinus, & Leander ex verbis Canonis: *Et omnium Circumſtantium, quorum tibi fides cognita eſt, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus*, ubi devotio tanquam neceſſaria ad fructum Miſſæ conſequendum præſupponitur; & inde dubitatur: *an pro majori, aut minori diſpoſitione, & devotione ſit major, ſeu minor fructus Sacrificii?*

16 Reſp. meliorem diſpoſitionem offerentis conducere ad majorem effectum *ex opere operantis*, majorem diſpoſitionem illius, pro quo offertur conducere ad majorem effectum *ex opere operato*. Ratio primæ partis eſt, quia Miniſter per proprios actus bonos poteſt alteri impetrare auxilia actualia, vel aliquod aliud Divinum beneficium, ratione cujus magis ipſi evadat fructuoſum Sacrificium applicatum: & quamvis probitas, vel improbitas offerentis impertinenter ſe habeat quoad effectum *ex opere operato*, reſpectu cujus ſe habet præciſe ut applicans, eademque merita applicare poteſt tam Miniſter improbus, quam probus, tamen quoad effectum *ex opere operantis* probitas Miniſtri maxime conducit, quia talis effectus eſt a Miniſtro, non ut a cauſa præciſe applicante, ſed ut a cauſa vere operante, & merente; major autem probitas, & diſpoſitio operantis, ad majorem dignitatem, majuſque meritum operis conducit.

17 Ratio ſecundæ partis eſt, quia omnes cauſæ tam phyſicæ, quam morales, & ſupernaturales producunt effectum majorem, aut minorem, juxta majorem, vel minorem diſpoſitionem ſubjecti, ut patet in Sacramentis, & docet Trident. *ſeſſ. 6. c. 7. de Juſtificat.* ſed Sacrificium eſt cauſa moralis, & ſupernaturalis, habens virtutem ex opere operato ad inſtar Sacramentorum; ergo majorem, aut minorem producit effectum, juxta menſuram, & diſpoſitionem Subjecti; quod etiam docet D. Thomas *3. part. qu. 79. art. 5. ad 3.* ubi ait: *Sacrificium Miſſæ ex ſe valere pro omni pœna: tamen ſit ſatisfactorium illius, pro quibus offer-*

offertur, vel etiam offerentibus, ſecundum ſuæ devotionis quantitatem; & ita tenent Cajetanus, Sotus, Paulus Comitolus, quos ſequitur Marchinus *cap. 9. n.* 11. Vaſquez, Lugus, & alii, quos affert Leander *qu. 16.*

18 Dices, determinationem fructuum Sacrificii totam pendere ex intentione offerentis, & applicantis, adeoque non variari ſecundum majorem, aut minorem diſpoſitionem Subjecti, ſed ſecundum intentionem applicantis, nec ex parte recipientis aliud requiritur, quam ſtatus gratiæ. Sed contra dico, ex determinatione, & applicatione Sacerdotis pendere, ut Sacrificium huic, vel illi applicetur, huic, vel illi proſit, non tamen ut proſit ſecundum tot gradus remiſſionis pœnæ, & non plures, vel pauciores; nam hoc pendet ex Divina voluntate, & Subjecti diſpoſitione, cum, ut dixi, cauſa Subjecto magis diſpoſito applicata, majorem producat effectum; diſpoſitio autem requiſita ex parte Subjecti remota, eſt gratia habitualis, & proxima eſt devotio actualis, aut virtualis erga hoc Sacrificium.

DUBIUM IV.

An Sacrificium Miſſæ ſit valoris infiniti?

19 VAlor Sacrificii diſtinguitur ab effectu ejuſdem Sacrificii; nam valor nihil eſt aliud, quam dignitas quædam, & moralis æſtimabilitas apta movere Deum, vel ut bona concedat, vel ut mala non inferat, ſed illa a nobis avertat: effectus autem eſt id, quod intuitu talis dignitatis conceditur. Valor eſt cauſa moralis, ſeu virtus cauſativa, quæ ordine cauſalitati, & naturæ præcedit, ac diſtinguitur ab effectu, quem cauſat. Poteſt autem illa virtus, ſeu valor dici infinitus dupliciter, intenſive, & extenſive: erit infinitus intenſive, ſi habeat virtutem producendi effectum infinitum, ſeu majorem, & majorem in infinitum, adeo ut non ſit determinatus ad producendum certos ſolum gradus remiſſionis pœnæ, ita ut non poſſit plures, & tot beneficia conferre, & non plura. Erit infinitus extenſive, ſi illum effectum non ſolum in una perſona, ſed in pluribus, & pluribus in infinitum poſſit producere, nec ſit reſtrictus ad certum numerum perſonarum, ſed æque poſſit prodeſſe pluribus, & pluribus in infinitum, abſque ipſorum detrimento, ſeu diminutione; & quidem ſi æque proſit ſingulis tum ad remittendam pœnam, tum ad impetranda beneficia, dicetur extenſive infinitus, tum per modum ſatisfactionis, tum per modum impetrationis; ſicuti ſi poſſit ſemper tam majorem, & majorem penam remittere, quam plura ſemper, & plura beneficia impetrare, dicetur tam per modum ſatisfactionis, quam per modum impetrationis intenſive infinitus.

20 Triplex ſolet aſſignari fructus, ſeu valor Sacrificii, unus generalis, qui applicatur toti Eccleſiæ, ſummo Pontifici, Imperatori, Epiſcopo, & cæteris fidelibus, & hunc fructum aliqui concedunt eſſe infinitum, & applicatum pro multis æque prodeſſe ſingulis: ſecundus eſt perſonalis, ſeu ſpecialiſſimus proprius Celebrantis, qui utrum poſſit alteri applicari dicetur inferius: tertius eſt medius, ſeu ſpecialis, quem Sacerdos applicare poteſt cui voluerit, & nemini prodeſt, niſi ſpecialiter pro aliquo applicetur, cum fructus generalis, & perſonalis obveniat Eccleſiæ, & Sacerdoti, etiam independenter ab applicatione. Valor medius eſt præcipuus, & maxime proprius Sacrificii, proveniens ex inſtitutione, & meritis Chriſti, unde proprie dicitur ex opere operato. De iſto valore ſpeciali, ſeu medio maxime dubitatur, *an ſit infinitus intenſive, & extenſive, adeo ut pluribus applicatus æque proſit ſingulis, ac ſi uni tantum applicaretur.*

21 Prima Sententia docet, valorem Sacrificii Miſſæ ex voluntate, & inſtitutione Chriſti eſſe finitum, & limitatum, nec applicatum pluribus tantum prodeſſe ſingulis, ac ſi uni tantum applicaretur. Ratio eſt, quia valor Sacrificii non tam penſari debet ex re oblata, quam ex ipſa oblatione; ſed oblatio, utpote actio Sacerdotis, & Miniſtri non poteſt eſſe infiniti valoris; ergo neque Sacrificium. Deinde ſi admittatur Sacrificium eſſe infiniti valoris, adeo ut oblatum pro multis, æque proſit cuilibet, ac ſi pro illo ſolo eſſet oblatum, plura ſequuntur abſurda: primo enim male ageret Sacerdos uni tantum fructum Sacrificii applicans, cum abſque alicujus detrimento poſſit omnibus applicare. 2. Superflue multiplicarentur Sacrificia pro eadem neceſſitate cum unico haberi poſſit quidquid habetur per plura, quod eſt contra praxim Eccleſiæ, quæ pro uno eodemque Defuncto ſolet ſæpius ſacrificare. 3. Moriturus fruſtra plura Sacra facienda relinqueret, cum eumdem effectum uno Sacro, ac pluribus obtinere poſſit. 4. Communis ſenſus Fidelium eſt, quando data eleemoſyna petunt aliquod Sacrum, ut pro ipſis ſolis applicetur, quia ſupponunt tanquam certum, non tantum prodeſſe ſi pluribus applicaretur. 5. Poſſet Sacerdos, acceptis pluribus ſtipendiis, ſatisfacere omnibus obligationibus unica Miſſa, quod eſt contra communem ſenſum Fidelium, & determinationem Urbani VIII. Hanc Sententiam ſequuntur D. Bonaventura, Scotus, Valentia, Suarez, Bonacina, Coninch, Sylvius, Amicus, Lugus, & Arriaga, quos affert Madernus *qu.* 8. *art.* 7. Præpoſitus, Henriquez, Mercerus, Azorius, & alii, quos affert Diana *part.* 3. *tract.* 14. *reſol.* 81.

22 Secunda Sententia abſolute docet, valorem Sacrificii eſſe infinitum tum intenſive, tum extenſive, & applicatum pluribus æque prodeſſe ſingulis. Ita cum D. Thom. *q.* 79. *art.* 5. *in c. & art.* 7. *ad* 2. Cajetanus, Nugnus, Sotus, Joannes a S. Thoma, Gonetus, Vaſquez, Canus, Sylveſter, Angelus, & ex noſtris Gavantus *in Rubr. Miſſal. part.* 2. *lib.* 8. *n.* 8. Marchinus *part.* 2. *c.* 12. *&* 13. Madernus *q.* 8. *art.* 7. quos affert, & ſequitur Cacheranus *cap.* 3. *§.* 1. *&* 2. Franciſcus a Jeſu Maria in curſu morali Salmat. *cap.* 3. *punct.* 3. *dub. unico.* Leander *tract.* 8. *diſp.* 3. *q.* 10. *&* 11. ubi plures affert pro eadem Sententia, cum quibus

23 Reſp. primo, Sacrificium Miſſæ habere valorem, ſeu virtutem infinitam intenſive quoad ſufficientiam, & in actu primo, licet non quoad efficaciam, & in actu ſecundo, quia poteſt conferre ſemper majorem, & majorem fructum, & effectum infinitum ſyncategorematice, quamvis de facto in ſingulis effectum finitum habeat ſecundum quantitatem diſpoſitionis, & devotionis humanæ. Ita expreſſe D. Thomas 3. *p. q.* 79. *art.* 5. ubi ſic ait. *Quamvis hæc oblatio ex ſui quantitate ſufficiat ad ſatisfaciendum pro omni pœna, tamen ſit ſatisfactoria illis, pro quibus offertur, aut etiam offerentibus ſecundum quantitatem ſuæ devotionis, & non pro tota pœna.* Idem repetit in reſpon. ad 3. dicens: *Quod tollitur pars pœnæ, & non tota pœna, non contingit ex defectu virtutis Chriſti, ſed ex defectu devotionis humanæ*: ubi, ut vides, S. Thomas tribuit Sacrificio virtutem, & ſufficientiam illimitatam ad ſatisfaciendum pro quacumque pœna, quam totam tolleret, niſi limitaretur ab humana devotione, quæ eſt limitata.

24 Ratio eſt, quia valor, & virtus Sacrificii ex duplici capite deſumi ſolet, nimirum ex re oblata, & principali offerente; adeo ut Sacrificium illud ſit infinitæ virtutis, & dignitatis, in quo tam res oblata, quam principalis offerens ſunt infinitæ dignitatis; ſed in hoc Sacrificio res oblata eſt Corpus, & Sanguis Chriſti hypoſtatice unitus Verbo Divino, & principalis offerens eſt Chriſtus, qui eſt infinitæ dignitatis; ergo Sacrificium eſt infinitæ virtutis. Conf. quia Sacrificium Miſſæ eſt idem cum Sacrificio Crucis, & diverſum in ſola ratione offerendi ex Trid. *ſeſſ.* 22. *c.* 2. ſed Sacrificium Crucis fuit infiniti valoris; ergo etiam Sacrificium Miſſæ eſt infiniti valoris, adeo ut ſecundum ſe poſſit ſemper majorem & majorem effectum producere in infinitum, tam per modum ſatisfactionis, majorem ſemper, & majorem pœnam remittendo, quam per modum impetrationis, majora ſemper, & majora bona impetrando.

25 Dices, in Sacrificio Miſſæ perſonam immediate, & proxime offerentem non eſſe perſonam infinitam Chriſti, qui non eſt amplius in ſtatu merendi, & ſatisfaciendi, ſed perſonam finitam Sacerdotis, a cujus finita ſanctitate, & applicatione limitatur virtus Sacrificii. Sed contra dico, perſonam immediate offerentem non eſſe ſolum Sacerdotem, ſed etiam Chriſtum, a quo Sacrificium contrahit infinitam dignitatem, & virtutem, non quod Chriſtus nunc mereatur, & ſatisfaciat, ſed quia per illud Sacrificium applicat merita ſua infinita, quæ elicuit, dum erat in via, & in ſtatu merendi. Nec poteſt virtus Sacrificii limitari a Sacerdote, a cujus applicatione pendet ſolum quoad ſubſtantiam, ut applicetur illi, vel illi, Petro potius, quam Paulo, non vero ut illi proſit ſecundum tot gradus, & non plures, ut dictum eſt dubio præcedenti. Deinde ſi a Sacerdote malo, & impuro non contrahit Sacrificium impuritatem ex Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 2. ita a Sacerdote finito non contrahit finitatem.

26 Dices 2. Sacrificium Miſſæ ſecundum ſe potuiſſe quidem inſtitui cum virtute illimitata producendi ſemper majorem, & majorem fructum, de facto tamen Chriſtum in ipſius inſtitutione taxaſſe illi limitatum terminum, ultra quem progredi non poteſt, quatenus non vult in tali Sacrificio merita ſua, niſi cum limitatione applicare. Sed contra gratis aſſeritur facta inſtitutio cum tali limitatione, & conformius eſt tum dignitati Sacrificii, tum ſummo amori Chriſti Domini in Eccleſiam, omnem limitationem excludere, ſicut illam excludimus a Sacramentis, quæ ſecundum ſe poſſunt & majorem gratiam producere, & pœnitentia plura & plura peccata delere.

27 Quod ſi de facto Sacrificium finitum ſemper ſortitur effectum, non eſt defectu virtutis in Sacrificio, ſed defectu diſpoſitionis in ſubjecto, ſecus probari poſſet, Deum non habere virtutem infinitam ad producendam gratiam, quia juxta finitam capacitatem, & diſpoſitionem ſubjecti, finitam ſemper gratiam producit. Ex eo igitur quod Sacrificium Miſsæ finitum ſemper effectum conferat, probatur quidem eſse finitum, & limitatum quoad efficaciam, & in actu ſecundo, at non excluditur ipſius infinitas quoad ſufficientiam, virtutem, & valorem in actu primo; quod idem valet de Sacrificio Crucis, & de Sacramentis, quæ in actu ſecundo finitum ſemper habent effectum ob finitam, & limitatam diſpoſitionem ſubjecti recipientis.

28 Reſp. 2. Sacrificium Miſsæ habet valorem extenſive infinitum, & æque multis, ac paucis prodeſse poteſt ſecundum quantitatem ſuæ devotionis. Ita habetur ex D. Hieron. relato in cap. *Mediocriter* de conſecrat. diſt. 5. per hæc verba. *Cum pro cunctis animabus Pſalmus, vel Miſſa dicitur, ni-*

hil

bil minus, quam ſi pro quolibet ipſorum diceretur, accipitur. Ratio eſt, quia Sacrificium Miſſæ eſt infiniti valoris, qui non minuitur per hoc, quod participetur a pluribus, ſed æque poſſunt de ipſo juxta propriæ diſpoſitionis menſuram participare plures, ac pauci. Conſ. Sacramenta æque proſunt pluribus ac uni, vel paucioribus applicata; ergo idem ſentiendum de Sacrificio Miſsæ, cum non minus in iſto, quam in illis contineatur valor infinitus meritorum Chriſti: nec minus in iſto, quam in iis menſura effectus ſit diſpoſitio ſubjecti. Antecedens videtur certum; ex eo enim quod plures ordinentur una eademque forma, ex eo quod plures ſimul una eademque forma abſolvantur, vel baptizentur, ut præcipue contingere poteſt tempore naufragii, non minorem gratiam Sacramentalem ſinguli ſortiuntur, quam ſortirentur, ſi ſeorſim baptizarentur, abſolverentur, aut ordinarentur.

29 Prob. 2. Sacrificium Crucis fuit infiniti valoris non modo intenſive, ſed etiam extenſive, tantumque profuit pluribus applicatum, ac ſi pro unoquoque ſeorſim fuiſſet applicatum; ſed Sacrificium Miſſæ eſt idem cum Sacrificio Crucis, & diverſum in ſola ratione offerendi ex Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 2. ergo eſt etiam infiniti valoris extenſive, poteſtque ſimul pluribus, ac paucioribus applicari abſque alicujus detrimento. Conf. valor generalis Miſſæ eſt infinitus extenſive, nec tot prodeſt, quin poſſit prodeſſe pluribus, ut etiam concedit Bonacina *diſp. 4. q. ult. punct. 4. n.* 5. ubi plures refert; ſecus, quo plures eſſent in auditione Miſſæ, minus de tali fructu participarent, quia divideretur in plures; ergo etiam fructus ſpecialis, & medius debet eſse infinitus extenſive, cum non ſit major ratio de uno, quam de alio.

30 Dices cum Suarez, & aliis, Circumſtantes in Miſsa induere perſonam offerentium cum Sacerdote, ac proinde multiplicari tot partiales oblationes, quot ſunt Circumſtantes, & ſic etiam multiplicari fructum generalem, non ſic fructum ſpecialem, qui offertur a ſolo Sacerdote unica oblatione. Sed contra: Circumſtantes non tantum ſunt offerentes, ſed etiam ſunt illi, pro quibus offertur, ut patet ex Canone: *Et omnium Circumſtantium: pro quibus tibi offerimus*: fructus autem, qui pro Circumſtantibus offertur a Sacerdote, vel eſt infinitus extenſive, & ſic habemus intentum, vel eſt finitus, & taxatus, & recurrit argumentum, quod quo plures eſsent circumſtantes in Miſsa, minus de illo participarent, quia divideretur in plures.

31 Non obſtant ea, quæ pro prima Sententia in contrarium adducuntur. Ad rationem dico, ſolum probari Sacrificium eſse valoris finiti ex opere operantis, & ex parte Sacerdotis, non ex opere operato, & ex parte Chriſti principalis offerentis; non enim Deus hoc Sacrificium intuendo in ſolo ſiſtit Sacerdote, ſed Chriſtum principaliter offerentem maxime reſpicit, & in fructu elargiendo ad Chriſti oblationem, & merita principaliter attendit, non ad Sacerdotem, qui, licet ſit malus, non inficit Sacrificium, ita licet ſit finitus, non taxat illius valorem, ut dicebamus ſupra.

32 Ad primum abſurdum dico, non male agere Sacerdotem pro uno tantum celebrantem, quia ex juſtitia debet, & tenetur offerre per eo ſolum, a quo ſtipendium accepit, aliove titulo juſtitiæ ſe obligavit. Ex charitate poteſt etiam offerre pro aliis, non tamen male agit, nec contra charitatem, ſi non offerat, quia debito charitatis ſufficienter ſatisfacit per oblationem generalem, a qua ſi aliquod Eccleſiæ membrum excluderet, faceret contra debitum non ſolum charitatis, ſed etiam obedientiæ, quatenus faceret contra voluntatem Eccleſiæ, quæ intendit Sacerdotem offerre pro omnibus ipſius membris, pro omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ & Apoſtolicæ Fidei cultoribus, pro ſummo Pontifice, pro Antiſtite, pro Circumſtantibus, & pro Fidelibus omnibus vivis, atque defunctis. Deinde, cum oppoſita Sententia ſit probabilis, non male facit Sacerdos, ſi, ſe illi conformando, uni tantum Sacrificium applicat.

„ *Breviter, at præclara admodum eruditione hac de re agitur in Synodo Diœceſ. lib. 3. c. 86. in qua hæc eadem fortioribus adhuc fundamentis confirmantur, & ſpecialis etiam applicatio, maxime contra Vvalafridi Strabonis opinionem hiſce verbis defenditur*: Specialem hanc Sacrificii applicationem illi, qui eleemoſynam largitus fuerat, viſus eſt improbare Vvalafridus Strabo, qui Sæculo IX. floruit, exiſtimans, illud non plus prodeſse uni, pro quo ſpeciatim offeratur, quam univerſo cœtui Fidelium: libro enim *de reb. Eccleſiaſtic. cap.* 22. ait: *Sed & in hoc error non modicus videtur, quod quidam ſe non poſſe aliter plenam commemorationem eorum facere, pro quibus offerunt, niſi ſingulas oblationes pro ſingulis offerant, vel pro Vivis, & Defunctis non ſimul æſtimant immolandum, cum vere ſciamus, unum pro omnibus mortuum, & unum panem eſſe, & ſanguinem, quem univerſalis Eccleſia offert. Quod ſi cui placet, pro ſingulis ſingulatim offerre, pro ſolius devotionis amplitudine, & orationum augendarum declaratione id faciat, non autem pro ſtulta opinatione, qua putet unum Dei Sacramentum non eſſe generale medicamentum*. At non animadvertit Vvalafridus, quod etſi Sacrificium ex parte rei oblatæ, & principalis offerentis, ſcilicet Chriſti, ſit infinitæ virtutis non tamen, ita ejus inſtitutore Chriſto volente, infinitos producit effectus: ſecus ſi finem excipias colendi Deum, & ſupremum latriæ actum, qui ſane ex qualibet, quantumvis crebro repetita Divinæ Victimæ immolatione, ſemper Deo exhibetur, quoad cætera, quæ ex Sacrificio reportare intendimus, ſuperflua eſset ejuſdem iteratio: ſemel autem poſito, quod effectus Sacrificii finitus ſit, perſpicuum jam eſt, illud plus ei prodeſse, cui applicatur, quam aliis; uti enim ratiocinatur Suarez *tom. 3. in 3. part. diſp. 78. ſect. 1. & diſp. 79. ſect.* 12. aut conſideratur tanquam propitiatorium ſeu ſatisfactorium, & certe pro illo ſpeciatim ſatisfacit, in cujus debiti ſolutionem Deo exhibetur, aut conſideratur tanquam impetratorium, & profecto ad beneficia illi uberius elargienda Deum movet, pro quo nominatim Sacerdos, Divinam Hoſtiam immolans, Deum exorat. Rem totam explicat D. Thomas *in 4. diſtinct. 45. art. 4. quæſtiunc. 1. & quæſtiunc. 2.*

33 Ad 2. Non ſuperflue multiplicari Sacrificia pro eadem neceſſitate, quia licet Sacrificium ſit valoris infiniti quoad ſufficientiam, & in actu primo, non ſic tamen quoad efficaciam, & in actu ſecundo, cum fructus quoad efficaciam, & in actu ſecundo pendeat a devotione, & diſpoſitionibus illius, pro quo offertur: cum autem poſſint, multiplicatis Sacrificiis, multiplicari, & creſcere diſpoſitiones; ita etiam multiplicatur, & creſcit fructus Sacrificiorum. Ad 3. non male agit moriturus plura Sacra facienda relinquens, quia in actu ſecundo quodlibet habet effectum finitum ſecundum quantitatem diſpoſitionis, & devotionis humanæ, & ſic non totam, ſed partem pœnæ tollit. Ad 4. Communis ſenſus Fidelium petentium Miſsas eſt, quod pro ipſis ſolum applicetur ex juſtitia, eo modo, quo Sacerdos illis applicare tenetur; nec diſtinguunt, an Sacrum ſit valoris finiti, aut infiniti, ſed relinquunt Theologis diſcutiendum; unde poterit ex charitate etiam aliis applicari, ſaltem ſub conditione.

34 Ad 5. dico, ſtipendium, quod pro Miſsa Sacerdoti datur, non eſse pretium Miſsæ, vel fructus ejus, alioquin committeretur aperta ſimonia, quia tale ſtipendium daretur, ut pretium rei Sacræ, & invendibilis, ſed ſolum datur pro ſuſtentatione Miniſtri, cujus ſuſtentationis pretium, tum Epiſcoporum Decretis, tum Eccleſiæ conſuetudine vim legis habente, taxatum eſt, nec talem poteſt Sacerdos taxationem præterire ſine peccato, & obligatione reſtituendi, niſi illud quod excedit taxatum ſtipendium detur titulo liberalis eleemoſynæ, & inde licet poſſit Sacerdos Sacrificium pluribus applicare, non tamen ſequitur, quod poſſit plura ſtipendia accipere, maxime poſt decreta anno 1625. auctoritate Urbani VIII. edita a Sacra Congregatione, quæ omnia late proſequitur Cacheranus *cap.* 3. §. 2. *a num.* 31. *& ſeqq.*

„ *Cum duo potiſſimum in hoc parag. animadvertenda proponantur; alterum ſcilicet, ſtipendia, quæ pro Miſſarum celebratione Sacerdotibus offeruntur, non eſſe ut pretium rei ſacræ, ſed ut Miniſtri ipſius ſuſtentatio, alterum ſtipendia ipſa, tum Epiſcoporum Decretis, tum antiqua Eccleſiæ cujuslibet conſuetudine ſuam ubique habere præciſam taxam, quam Sacerdos ipſe, nonniſi titulo liberalis Eleemoſynæ, nullo pacto præterire poteſt; ita tamen ut etiamſi valeat pro pluribus Sacrificium applicare, non tamen plura liceat ei ſtipendia pro uno Sacrificio percipere: neceſse forte videbitur ad utramque hanc propoſitionem ea multa apponere, quæ tum in Synodo Diœceſ. cap. 8. lib. 5. §. 6. & 10. tum in Notif. XV. lib. 3. mirificis eruditionibus, & fundamentis exponuntur. Verum enimvero cum hæc eadem repetenda occurrant in dub. 2. cap. 5. hujus Voluminis, ubi multæ incongruentiæ circa Miſsarum ſtipendia, Sacerdotumque avaritiam afferuntur, hic nonnulla ſolummodo prælibabimus; & quoad multa alia, quæ hac in re exponi poſsent, libenti ſane animo ad illum locum benevolum Lectorem tranſmittemus, ut hæc omnia fuſius, atque clarius percurrere poſſit. Leguntur autem hæc*: Quod viſus eſt improbare Vvalafridus, alio nomine ſunt aperte inſectati Vvicleſiſtæ, hodieque inſectantur Lutherani, & Calviniſtæ, dictitantes, pecuniam Sacerdoti celebraturo in Miſsæ pretium dari, eamque propterea, veluti aperte Simoniacam damnantes. At in primis, ad eorum fallaciam refellendam, ſatis abunde foret illud adducere, quod ad rem ajebat Gerſon *in opuſc. de ſolicitudine Eccleſiaſticorum tom.* 2. *par.* 3. *partic.* 19. inquiens: *Sufficere in primis debet ad conſenſum hujus veritatis uſus totius communis Eccleſiæ, qui ſic habet, & recipit; cui ſi quis detrahit, imprudenter ſe decipit*. Et partic. 6. *Nihil æquius, ſecundum omnem legem eſse, deducit, Apoſtolus 1. ad Corint. 9. quam qui Altari ſervit, de Altari & vivat*. Præſtat nihilominus audire Div. Thomam, qui hanc ipſam Hæreticorum calumniam jampridem anteverterat, & diluerat 2. 2. *quæſt.* 110. *art.* 2. *ad* 2. inquiens: *Sacerdos non accipit pecuniam, quaſi pretium Conſecrationis Eucharíſtiæ; hoc enim eſset Simoniacum, ſed quaſi ſtipendium ſuæ ſuſtentationis; & in 4. diſt. 25. quæſt. 3. ad. 2. quæſtiunc. 1. ad 4. facere pactionem de Miſſa celebranda eſt Simonia.... Si tamen non habet alios ſump-*

tus

tus, & non tenetur ex officio Miſſam cantare, poteſt accipere denarios, ſicuti coadjuti Sacerdotes faciunt, non quaſi pretium Miſſæ, ſed quaſi ſuſtentamentum vitæ.

„ *Hac autem de re fuſior adhuc inſtituitur ſermo in c. ſequenti Synodi ejuſdem hiſce verbis, quibus taxa communis Sacerdotibus Sacrificantibus exigenda ſtatuitur.*

„ Sapienti ſane conſilio Sacra Congregatio Concilii Epiſcoporum arbitrio commiſit præfinire quantitatem Eleemoſynæ, pro ſingulis Miſſis, Sacerdotibus erogandæ, quia non poteſt hac in re, certa, & univeſalis regula ubique cuſtodienda ſtatui, cum alicubi majorem, alibi minorem eam eſſe deceat, habito reſpectu ad locorum, & temporum circumſtantias, & præcipue ad annonę penuriam, vel copiam. Unum tamen advertendum exiſtimamus; ſnimirum neceſſe non eſſe, ut Eleemoſyna tanta ſit, quæ integram ſuſtentationem ea die, qua celebrat, ſuppeditet; etenim, ſicuti optime perpendit Suarez: *tom. 3. in 3. par. diſp. 83. artic. 6. ſect. 2. concl. 3.* actio ſacrificandi non requirit integrum diem, neque majorem ejus partem, unde non eſt, cur Sacerdos propter hoc ſolum miniſterium integre alatur ab eo, pro quo Sacrificium offert. Accedit, neminem Sæcularem ad Sacros Ordines promoveri, qui ſufficiens Beneficium, aut Patrimonium non habeat; nec ullum ad religionem admitti, qui ex Monaſterii reditibus, aut conſuetis Eleemoſynis alii nequeat: ex quo fit ut nullus cogatur victum ſibi comparere ex ſolo Miſſarum ſtipendio, quemadmodum argumentatur Gibalinus *de Simonia qu. 18. conſect. 7. n. 4.* Diana *in edit. coordin. tom. 2. tract. 1. reſol. 22. n. 17.* & Juenin *de Sacram. diſſert. 5.* ubi ait; *Sed monitum velim lectorem, rationi conſonam non eſſe conſuetudinem, quæ illud ſtipendium definit ex ſumma, quæ ſatis ſit Sacerdotis in unam diem ſuſtentationi. Ratio eſt, quia ſtipendia non conferuntur ad integram Presbyteri ſuſtentationem, ſed ad illius adminiculum: nec mirum; quippe quod Sæculares Sacerdotes fruamur aut titulis patrimonialibus, aut Beneficiis, quæ teneant eorum locum; vetant nempe Canones, ne Sæculares ordinentur, quin ſuffulti ad vitam titulo; Mendicantes vero a populo fideli ſupponuntur recipere Eleemoſynas, quibus veſcantur, nec enim ad Monaſterium admitti debent plures, quam conſuetæ Eleemoſynæ ſuſtentare valeant.*

„ Porro ſi ultra eleemoſynam ab Epiſcopo taxatam, plus Sacerdos celebraturus exigat, non ſolum delinquit contra legem Eccleſiæ, verum etiam juſtitiam commutativam lædit; etenim, uti argumentatur Suarez *cit. loco concl.* 1. quamvis Miſſæ ſtipendium non habeat rationem pretii, nihilominus expoſcit juſtitia, ut aliqua proportio ſervetur inter illud, & opus, ad quod ſubeundum ſubminiſtratur, eamque proportionem definire, inſpecta natura rei, de qua agitur, ad ſolum ſpectat Epiſcopum. Ob eamdem rationem, judicio Epiſcopi, Miſſarum eleemoſynam taxantis, ſtare debent etiam Regulares, quibus, ſuorum privilegiorum obtentu, neutiquam licet ſtipem exigere illa majorem, quam Epiſcopus præſcripſit: quemadmodum enim ipſi, veluti membra Communitatis obſtringuntur in contractibus ſervare æqualitatem ſtatutam a legibus loci, ubi degunt, ita & in hoc quaſi contractu, non poſſunt proportionem prætergredi, quam loci Ordinarius determinavit. Quocirca Sacra Congregatio Concilii in una Romana 15. Januarii 1639. (*lib. 16. decretor. pag.* 138.) dixit: *Eleemoſynam pro qualibet Miſſa, per Regulares celebranda in eorum Eccleſiis, eſſe taxandam arbitrio Ordinarii, juxta morem regionis.* Nec Regulares tamen, nec Sæculares prohibentur uberiorem ſtipem a ſponte dantibus accipere, dummodo abſit dolus, & quodcumque pactum, etiam implicitum, quod docuerunt Suarez *cit. concl.* 1. Cardinalis de Lugo *reſponſ. moral. lib. 5. dub.* 18. ac cenſuit Sacra Congregatio Concilii 16. Januarii 1649. (*lib. 18. decretor. pag. 575. a tergo*) quę interrogata: *An poſſit Epiſcopus prohibere ſub pœna cenſurarum laicis, ne pinguius ſtipendium taxæ ſolvant Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus, Miſſam celebrantibus, & quod iidem Sacerdotes illud acceptare non poſſint, etiam a ſponte dantibus*, reſpondit: *Prohiberi non poſſe.* Si tamen qui manualem Eleemoſynam, conſueta pinguiorem accepit, alteri Sacerdoti Miſſam celebrandam committat, non poteſt illius partem ſibi retinere, ſed totam, quam accepit, erogare debet Sacerdoti celebranti, quod ab Urbano VIII. ſtatutum, & oppoſita opinio ab Alexandro VII. die 24. Septembris 1665. proſcripta fuit; inter propoſitiones enim, ab eodem Pontifice damnatas una, quæ eſt nona, ſic ſonat: *Poſt decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere; collato illi minore ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.* Neque, ſolo jure ſpectato, prohiberentur Sacerdotes, minori accepta Eleemoſyna, ad Miſſam celebrandam, ſe obligare: ſiquidem quilibet poteſt cedere juri ſuo, & etiam ſine ullo ſtipendio celebrandi onus in ſe ſuſcipere; quia tamen aliquando iſta conſuetæ Eleemoſynæ remiſſio deprehenſa eſt noxia aliis Sacerdotibus, qui ob fraudulentam aliorum liberalitatem, debita ſibi ſtipe privabantur, idcirco Sacra Congregatio Concilii prædictam remiſſionem quandoque fieri vetuit, quemadmodum contigit in una Sancti Severini, in qua Epiſcopo, ad hunc modum interroganti: *Sacerdotes quotidie ſe offerunt celebrare ad rationem tenuis Eleemoſynæ dimidii julii pro qualibet Miſſa; unde ſupplicat declarari, an ipſe ſtatuere poſſit Eleemoſynam manualem unius integri julii pro qualibet Miſſa, imponendo pœnam celebrantibus pro minori quantitate*; die 16. Julii 1689. eadem reſpondit: *affirmative, quoad Eleemoſynam manualem.*"

35 Dices, Sacrificium Miſsæ poteſt etiam utiliter offerri pro iis, in quibus nulla adeſt diſpoſitio limitativa, & taxativa fructus Sacrificii, puta pro Parvulis, pro Amentibus, Dormientibus, & pro Animabus Purgatorii, & ſic deberet in iſtis producere effectum infinitum, & una Miſſa Purgatorium vacuari. Sed contra dico, nulla exiſtente diſpoſitione, taxari fructum Sacrificii ex beneplacito Dei, ſupplentis defectum diſpoſitionis, & determinativi creati, ut in ſimili dicebamus de Sacramentis, puta Baptiſmo, aut Euchariſtia Parvulo miniſtratis, & iſte fructus ſolet eſſe modicus, ſicut modica, & minima eſt gratia, quam producunt Sacramenta in non habente diſpoſitionem. Sacrificium oblatum pro exiſtentibus in Purgatorio determinatur ceteris paribus ad majorem, vel minorem fructum ipſis conferendum, prout dum viverent, majorem, aut minorem habuerunt devotionem; devotio enim, quam de facto habere poſſunt in Purgatorio, non habet rationem propriæ diſpoſitionis ad effectum Sacrificii, ſicut nec habet rationem meriti.

Iis omnibus poſitis, jam nimis clare ſentire videtur Giribaldus noſter cum illis, qui cum admittant valorem Sacrificii infinitum, inde inferunt, quaſi pro neceſſaria conſequentia, quod applicatum pluribus, æque proſit & ſingulis. At quamvis hanc ſequatur cum præfatis Auctoribus Sententiam, non ita tamen eam tenet, ac de ea ſentit, ut ſatis probabilis contraria etiam ſententia haberi non poſſit, ut ipſemet ait poſtmodum c. 5. tr. 5. dub. 4. §. 22. hujuſce Voluminis. At cuinam potiſſimum ex his opinionibus inhærendum ſit, clariſſime, ac evidentiſſime, plurimis & Conciliorum, & Patrum innixus auctoritatibus, probat Benedictus XIV. in ſua Notif. 16. tom. 2. hoc modo. Non ignoramus in ea opinione plurimos verſari, Sacrificia, quæ pro illis offeruntur, qui ejuſmodi ſubſidio non indigent, cum inter Beatos recepti jam fuerint, vel inter cruciatus æternos emandati, ad illas Animas juvandas a Deo converti, quæ nullum a mortalibus levamen conſequuntur. Ita docet S. Thomas *4. diſt. 45. q. 2. art. 3. quæſtiunc. 3. ad 2. Credibile eſt, quod per Divinam Miſericordiam, ſi aliquid de ſpecialibus ſuffragiis ſuperſit his, pro quibus fiunt, aliis diſpenſetur, pro quibus non ſi eis indigeant.* Pro re confirmanda Sancti Joannis Damaſceni *Serm. de Dormientib.* auctoritate utitur: *Deus, tanquam juſtus, commetietur impotenti poſſibilitatem, tanquam ſapiens, defectum commutatione negotiabitur; quæ negotiatio attenditur, ſi id, quod deeſt uni, alter ſuppleat.* Id quod Paludanus aſſerit *4. diſt. 45. quæſtiunc. 2. art. 1. concl. 4.*

Hugo Etherianus hoc etiam ſuperadit *in ſuo libro de regreſſu Animarum ab Inferis c. 16. Verum nulla macerari ambiguitate convenit egenorum, atque pauperum cauſa, ut ſalutem non conſequantur; eo ſcilicet, quia non relinquunt ſuperſtitem, qui Sacerdotem ad ſacrificandum invitet, qui eleemoſynas diſpergere, aut qui orationibus vacare debeat. Putaſne injuſtus eſt Deus, ut habenti interceſſorem indulgeat, non habenti vero immiſericors exiſtat? Abſit hoc. Juſtus eſt utique Deus, non habentes beneficios habentibus connumerans; nam beneficia, quæ pro ſuis mortuis quique faciunt, miſericors Deus pro omnibus, qui meruerunt in vita, ut juvari poſſint, acceptat: ideoque magis attendendum eſt vobis, ut Sacrificium offeratur, ut orationum fiat inſtantia, ut eleemoſynarum ſuccreſcat largitio; quia, quod putatis ſingulare, benignus Judex ut commune accipit.*

Antiquus Theologus Præpoſitivus tradidit, Sacrificia non minus prodeſſe Defuncto, pro quo inſtituta ſunt, quam ceteris omnibus, imo magis iſtis, ſi majori Charitate præditi fuerint. Tædæ alicujus exemplum adducit, quæ in media aula accenditur, & noctis tenebras non minus Regi, quam reliquis familiaribus diſcutit; quod ſi oculorum acie magis ipſi vigeant, tunc ſane majorem, quam Rex ipſe, a tæda claritatem, ac beneficium aſſequuntur. Ita pariter, ſi Epiſcopus, & Convivæ ſimul ad menſam accumbentes, libri lectione eodem tempore percipiant; illi ſane, qui majorem audiendi ſenſum a natura acceperunt, præ ceteris, quæ leguntur clarius intelligunt.

„ Omiſſis tamen iis, quæ ex S. Thoma delibata magno ſemper honore proſequi debemus, in aliorum Sententias inconſulto jurandum non eſt. Conſtantienſe Concilium *ſeſſ. 8.* hanc opinionem proſcripſit: *Speciales orationes applicatæ uni perſonæ per Prælatos, vel Religioſos, non plus proſunt eidem, quam generale, ceteris paribus.* S. Paulus Apoſtolus, *in pluribus locis ſuarum Epiſtolarum*, poſtquam Fidelium precibus univerſos generatim commendavit, pecculiares aliquos, ac ſæpſam commendat.

„ Sancta quoque Mater Eccleſia, cum peculiares, veluti pro Patre, & pro Matre, Orationes in Miſſis Defunctorum conſtituerit, ac generales deinde pro cunctis Fidelibus adnectat, aliquod ſane diſcrimen inter peculiares, & generales preces intercedere ſignificat, eaſque pro ſingulari Anima indictas, ipſi magis prodeſſe, quam quæ pro univerſis ſubſtituuntur, licet illa omnium numero comprehendatur. Ita Porreta ſuis Commentariis *ad art. 12. q. 71. de Supplem. S. Thomæ* affirmat: *Cum igitur nihil fruſtra in Eccleſia fiat, imo, Eccleſiam aliquid vanum facere, credere impium ſit, fatendum eſt ex facto prædictæ Eccleſiæ, quod Defuncto ſpecialis Oratio ad eum directa magis prodeſt, quam aliis.*

„ Subdit autem Sotus *in 4. Sent. diſt. 13. qu. 2. art. 5. pag. 354 edit. Lovanien. Si tamen conſideretur, quatenus ex intentione Sacerdotis* (de Miſſæ Sacrificio res eſt) *pro illis offertur, certe crediderim, minus obvenire ſingulis, quam ſi pro uno offerretur. Et ratio eſt, quia ex generali intentione Eccleſiæ non applicatur pro illis Sacrificium, ſed ſolum ex libera intentione Sacerdotis: illi vero intentioni, quia eſt de eſſentia Sacrificii, etiam ex opere operato, reſpondet certus, & taxatus gradus ſatisfactionis; & ideo quanto magis inter plures illud diſtribuit, tanto minus ſingulis obvenit.* Et paulo poſt: *effectus oblationis, & precum, quem libere ipſe, ut Miniſter Eccleſiæ, poteſt ſingularibus perſonis applicare, eſt certus; atque adeo ſi dividatur inter plures minus unuſquiſque recipit.*

„ Quare, cum Hugo Etherianus contendit, Sacrificia, quæ pro Defunctis opulentis ex ipſorum bonis, ac voluntate fiunt, animabus quoque diſtribui, quæ in ſumma egeſtate e vita deceſſerunt, id ſingulari, & extraordinaria Dei providentia contingere putandum eſt, non vero, ſi communem ordinem ſequatur, quem Deus ipſe conſtituit. *Dicendum vero eſt*, ait P. Theophylus Raynaudus *tom. 15. pag. 436. hæc veluti extra ordinem facta a Deo de potentia quaſi abſoluta, non officere iis, quæ juxta communem ordinem a Deo præſcriptum fieri diximus. Nec aliud fortaſſe voluit Hugo Etherianus.*

„ Inſuper Sententia Præpoſitivi Theologi, quam ſuperius expoſuimus, omni caret fundamento, ſi ſublato tædæ, ac lectionis, quæ in menſa fieri ſolet, exemplo, tanquam minus apto, aliud ſubrogetur, liberalis nempe viri, qui pecunia ſua ab ære alieno aliquem diſſolvat. Hic enim levamen percipit, non autem reliqui debitores, pro quibus nulla pecunia erogatur; quemadmodum docet Sanctus Thomas 4. *Sententiarum*, idemque *in Supplem. q. 71. art. 12.* repetit his verbis. *Ad primum, in quantum Suffragia ſunt quædam ſatisfactio per intentionem facientis tranſlata in alterum, non ſunt ſimilia lumini, ſed magis ſolutioni alicujus debiti; non autem eſt neceſſe, ut ſi debitum pro uno ſolvitur, ex hoc & debitum aliorum ſolvatur.* Idem Sanctus Doctor, cum aliorum opiniones mitius interpretari conſueverit, præpoſitivi ſententiam hoc modo declarat: *Animas eximia charitate præditas, alterius felicitate ita gaudere, velut ſibi ipſis contingeret.* Hinc voluptatem quamdam in illas obiter derivari, cum pro ceteris in Purgatorio detentis Sacrificia deferuntur; non tamen ex eo conſequitur, commune omnibus levamen afferri, & ſine ullo diſcrimine recreari ob Sacrificium illas Animas, pro quibus agitur, & reliquas etiam, pro quibus minime indicitur, quemadmodum *articulo* 12., aliiſque inſequentibus continetur. Sotus pariter *loco ſuperius allato*, & Venerabilis Cardinalis Bellarminus *lib. 1. de Indulg. cap. 1. q. ult.* in eamdem rem unanimes conſentiunt.

„ Cum hæc ita ſint, aditus nobis apertiſſime patet ad Fideles excitandos, ut pro uno ſaltem Sacrificio pecuniam conferant, quo illorum Animæ ſubleventur, qui ob ſummam rerum omnium inopiam a Parochis ſine ullo ſtipendio ſepulchro mandantur.

CAPUT IV.

De applicatione Sacrificii.

DUBIUM I.

An, & quænam Applicatio requiratur ad conſequendum fructum Sacrificii?

Certum eſt, neceſſariam eſſe intentionem, & applicationem Sacerdotis, ut Sacrificium Miſſæ ex opere operato proſit iis, pro quibus offertur, quia Sacerdos ex vi ſuæ ordinationis conſtitutus eſt a Chriſto Miniſter, & Diſpenſator Myſteriorum, & donorum Dei *ex Apoſt. 1. Corinth. 4.* accepitque poteſtatem in ſua ordinatione offerendi Sacrificium pro Vivis, & Defunctis, & ſic Sacrificium offerre debet pro illis, quibus prodeſſe intendit; ſi autem Sacrificium Sacerdos non applicat, effectus Sacrificii nemini applicatur, ut docent Suarez, Coninchus, Layman, Lugus, Henriquez, Palaus, & alii communiter cum Franciſco a Jeſu Maria in curſu morali *tr. 4. c. 4. punct. 3.*

2 Difficultas eſse poteſt circa qualitatem intentionis, & applicationis: *an nimirum ſufficiat applicatio ſolum habitualis, vel neceſſario requiratur actualis, ſeu virtualis, prout requiritur in confeſſione Sacramentorum.* Vaſquez *diſp. 38. de Sacram. cap. 6. n. 74.* negat ſufficere intentionem habitualem, quia applicare Sacrificium alicui, idem eſt, ac pro illo Sacrificium offerre; ad offerendum autem Sacrificium non ſufficit intentio ſolum habitualis; ergo nec etiam ſufficit ad illud applicandum.

3 Reſp. tamen non eſſe neceſſariam intentionem, ſeu applicationem actualem, ſeu virtualem, ſed ſufficere habitualem; quare qui hodie applicat alicui Sacrificium craſtina die celebrandum, vel etiam Sacrificia celebranda, toto anni tempore, valida erit applicatio, ſi non fuerit retractata; ſic enim videtur ſentire communis praxis Sacerdotum etiam timoratorum, qui putant ſe valide applicaſſe fructum Sacrificii, ſi præcedenti die applicarunt, nec ſunt ſolliciti de illa voluntate renovanda, etiam ſi non amplius recordentur, dummodo talem voluntatem non retractarint, & ratio ex dictis *tr. 1. cap. 5. dub. 7.* eſſe poteſt, quia voluntas applicans Sacrificium non operatur, nec conficit ipſum Sacrificium, ſed ſolum illius fructum applicat alicui; unde non eſt neceſſe talem voluntatem exiſtere, quando fit Sacrificium, ſed ſufficit fuiſſe, nec eſſe retractatam, quia jam tunc Deus illam acceptavit; quod conſ. ex eo quod poſsunt Homines diſponere de rebus, quæ ſunt futuræ in ſua poteſtate, etiam antequam ſint, donando, & applicando nunc pro tunc; at Sacerdos ex Chriſti commiſſione eſt quaſi dominus, & diſpenſator fructus Sacrificii; ergo poterit illum donare, de eoque diſponere, antequam exiſtat, eritque valida talis diſpoſitio, ſi non fuerit retractata: & ita tenent Suarez, Lugus, Bonacina, Maſtrius, Herincx, Madernus, & alii, quos citat, & ſequitur Cacheranus *tr. 9. cap. 4. n. 30.*

4 Hinc facile ſolvitur oppoſita ratio Vaſquii; nam applicare Sacrificium, aliquando ſignificat conficere Sacrificium, & in hoc ſenſu ad applicandum Sacrificium neceſſaria eſt intentio actualis, ſeu virtualis, ut dictum eſt *tr. 1. cap. 5. dub. 7.* aliquando ſignificat applicare fructum, & in hoc ſenſu dicimus poſse fieri hanc applicationem etiam antecedenter, & ad eam ſufficere intentionem habitualem non retractatam, ſicut ſufficit ad alias donationes, diſpoſitiones, & applicationes humanas.

5 Hanc intentionem, & applicationem habere debet Sacerdos, vel ante Miſsam, vel in Miſsa ante Conſecrationem, & aptum tempus eſset in primo *Memento*. Nam tranſacta Conſecratione non eſt amplius in poteſtate Sacerdotis applicare fructum Sacrificii, quia non eſt amplius Sacrificium, maxime in Sententia aſſerente, totam eſsentiam Sacrificii conſiſtere in Conſecratione: nam in Sententia aſserente eſsentiam Sacrificii conſiſtere in Conſecratione, & conſumptione ſimul, probabile eſt, poſse fructum Sacrificii applicari toto tempore ante prædictam conſumptionem, quia in hac Sententia cum nondum ſit completum Sacrificium, offertur actio facienda, non vero jam facta, nec ſuſpenditur in futurum effectus Sacrificii, ut notat Tamburinus *lib. 2. de Sacrif. Miſſæ cap. 2. §. 10.*

„ *De tempore, quo fieri debet applicatio, vide quid ſtatuatur a Benedicto XIV. in ſuo Tractatu de Sacrif. Miſſæ lib. 3. capit. 16. §. 8. & de qualitate applicationis, de qua in antecedenti §. hiſce verbis:* Reliquum eſt, ut quædam dicamus, quæ ad Sacrificii applicationem pertinent. Quæſtio eſt inter Theologos, an applicatio Sacrificii poni poſſit in Dei voluntate, qui ejus fructum applicet, ut ſibi libuerit: in qua quæſtione, ut plerumque fit, alii in alias abeunt ſententias. Sed tutiſſima regula eſt, ut Sacerdos, antequam ad Altare accedat, eas perſonas determinet, pro quibus intendit orare, ut illis Miſsæ Sacrificium applicetur. Cum de intentione ſcripſimus, quam Sacerdotem habere oportet Miſsam celebraturum, faciendi id, quod Eccleſia facere intendit, optimam docuimus eſse intentionem actualem, virtualem tamen ſufficere; minime vero habitualem: at intentionem applicandi Sacrificium vulgatior ſententia ſtatuit ſufficere habitualem; applicatio enim eſt quaſi quædam donatio, ſeu tranſlatio fructus, qui e Miſsa percipiendus eſt, quæ donatio, ſeu fructus tranſlatio valida eſt, etiamſi multo tempore ante facta ſit, & multis actibus interrupta, dummodo revocata non fuerit.

„ Denique quæritur, in qua Miſsæ parte applicatio facienda ſit. Quidam putant fieri eam poſse etiam poſt Conſecrationem, ſed ante Sumptionem. Cujus quæſtionis enodatio pendet ex celebri illius queſtionis deciſione; in quanam Miſsæ actione ſita ſit Sacrificii vis, & eſsentia. Sane Suarez, qui Sacrificii eſsentiam ponit in Conſecratione, monet Sacerdotem, ut Miſsam applicet ante Conſecrationem. Contra Salmaticenſes, qui non in Conſecratione tantum, ſed etiam in Sumptione ſtatuunt Sacrificii eſsentiam, docent, poſse Sacerdotem etiam poſt Conſecrationem Miſsam applicare, quam nondum applicaverit, ut videre eſt *tom. 11. tract. 23. de Euchar. diſp. 13. §. 3. num. 35.* Verum Sacerdos, ſe ut omnibus expediat difficultatibus, in præparatione ad Miſsam, ante-

quam

„ quam ſacris ſe veſtibus induat, ne omittat Sacrificii
„ fructum applicare, ut bene advertit Clericatus *de Sa-*
„ *crif. Miſſæ dec.* 36. *num.* 17. Utiliſſimus eſt Cardinalis Bo-
„ næ tractatus aſceticus de Sacrificio Miſſæ, in cujus *c.* 1.
„ §. 5. quædam docet, quæ ad applicationem Miſſæ per-
„ tinent, præſertim illa: *Optimum quoque aliquibus viſum*
„ *eſt, quod Sacerdos, qui pro pluribus offerre intendit,*
„ *eos ſpecialiter, & nominatim exprimat, non generaliter,*
„ *& in confuſo, quia ſingulis minus prodeſſet; ſuum enim*
„ *effectum producit ſecundum modum, quo applicatur; per-*
„ *fectior autem applicatio eſt, cum omnes ſingillatim no-*
„ *minantur.* Docet etiam ad arcendos ſcrupulos, primo de-
„ bere Sacerdotem fructum ei applicare, pro quo tenetur
„ celebrare, vel Beneficii, vel Eleemoſynæ, vel promiſ-
„ ſionis, vel alicujus præcipuæ obligationis ratione; dein-
„ de ſine illius prejudicio fructum Sacrificii ceteris appli-
„ care in Charitate ſibi conjunctis, ſeu quovis nomine ſibi
„ commendatis, ſuam ipſius intentionem Chriſti ſummi
„ Sacerdotis intentioni ſubjiciens &c.

6 Quod ſi aliquando contingat unum Sacerdotem conſecrare Hoſtiam, & alium conſecrare Calicem, ad hunc poſteriorem pertinet applicare Sacrificium, quia ille, perficiendo Sacrificium, proprie dicitur ſacrificare, & offerre; nec tenetur ſequi, aut ſe conformare intentioni præcedentis Sacerdotis, quamvis hoc ſit valde conveniens, ut docent Palaus *punct.* 6. *n.* 16. & Tamb. *loco ſup. cit. n.* 5. qui ob eamdem rationem etiam docet, Sacerdotem, qui ante Conſecrationem Corporis non applicavit, poſſe applicare ante Conſecrationem Calicis, & mutare etiam præcedentem intentionem, quam habuit, quia in Conſecratione Calicis perficitur Sacrificium, & ſic liberum eſt Sacerdoti ante talem Conſecrationem ponere, ſeu mutare intentionem, & applicationem.

DUBIUM II.

An ſit valida Applicatio facta contra voluntatem Prælati, vel contra juſtitiam?

7 Prima Sententia docet, voluntatem ſubditi ita pendere a voluntate Prælati, ut iſtius applicatio prævaleat, quando ſubditus contra obedientiam, & voluntatem Prælati alteri applicat fructum Sacrificii. Ratio eſt, quia Prælatus ita poteſt irritas reddere intentiones ſubditorum in applicatione Miſſarum, ſicut poteſt annullare, & irritare omnia vota, & juramenta præter ſubſtantialia; ergo ſi Prælatus uni applicet Sacrificium, & alteri applicet ſubditus, iſtius applicatio irrita erit, ſalva manente applicatione Prælati: & ita tenent Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſcopi alleg.* 24. *num.* 28. Ledeſma, Bordonus, Gavantus, Marchinus, & alii, quos citat, & ſequitur Leander *diſp.* 4. *quæſt.* 18. & probabile putat Diana *part. prima de celebrat. Miſſar. reſol.* 72.

8 Reſp. peccare Sacerdotem ſubditum applicantem Sacrificium contra obedientiam, & voluntatem Prælati, valere tamen applicationem ab ipſo factam, & fructum Sacrificii provenire illi, cui Sacerdos ſubditus applicavit, non cui applicavit Prælatus. Ratio eſt, quia poteſtas applicandi Sacrificium eadem eſt cum poteſtate conficiendi, & offerendi Sacrificium, cum utraque ſit poteſtas Ordinis, quam accipit Sacerdos in ſua ordinatione, ut patet ex forma Ordinis; *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium pro vivis, & defunctis;* ſed ea, quæ ſpectant ad poteſtatem Ordinis unice pendent a voluntate Sacerdotis ſacrificantis; nec poſſunt pro voluntate Superioris irritari, quia in ipſis operatur Sacerdos formaliſſime in perſona Chriſti, & per auctoritatem obtentam a Chriſto; quare, ſicut valide, quamvis illicite quis conſecrat, atque ſacrificat, etiamſi hoc faciat contra voluntatem Prælati, ita valide, quamvis illicite, Sacrificium applicat, etiamſi contra voluntatem Prælati, cum utrumque præſtat eadem auctoritate.

9 Nec obſtat ſi dicas, oblationem Sacrificii non poſſe pendere a voluntate Prælati quoad ſubſtantiam, bene tamen quoad applicationem, quæ eſt actus Ordinis tantum ſecundarius, qui non pertinet ad Sacrificii, & Sacramenti ſubſtantiam; contra enim eſt, quia utrumque præſtat Sacerdos eadem poteſtate a Chriſto accepta, & ſic eadem eſt ratio de applicatione, & oblatione. Et ita tenet Suarez, Vaſquez, Lugus, Arriaga, Averſa, Henncx, Maſtrius, & Gavantus apud Cacheranum *c.* 4. §. 2. *n.* 35. quam etiam ipſe ſequitur, quamvis contrariam Sententiam exiſtimet probabilem, eamdemque ſequitur Madernus *q.* 8. *art.* 8. Coninch, Layman, Facundez, Diana, Villalobos, & alii apud Leandrum *loco cit.*

10 Nec urget fundamentum allatum pro prima Sententia, quia Sacerdos non ſubditur Superiori in applicatione Sacrificii, ſicut ſubditur in voto, & juramento; nam in iſtis operatur Sacerdos nomine proprio, cum ſubordinatione ad Superiorem, a quo proinde vota, & juramenta ſubditi poſſunt irritari; in applicatione Sacrificii operatur nomine Chriſti, & tamquam Miniſter Chriſti, qui cum ſit Superior ad omnem Prælatum Eccleſiaſticum, nequeunt facta ipſius nomine, & auctoritate, a Prælato irritari: ſicut ea, quæ quis operatur ex commiſſione Generalis nequeunt irritari a Provinciali, & quamvis Chriſtus ſubordinaverit ſuos Miniſtros Prælatis Eccleſiaſticis quoad uſum licitum poteſtatis a Chriſto acceptæ, non tamen quoad uſum validum, ut patet in miniſtratione, & ſuſceptione omnium Sacramentorum, excepto illo pœnitentiæ, in quo requiritur juriſdictio, quam poteſt Eccleſia negare habenti a Chriſto poteſtatem Ordinis.

11 Quod dictum eſt de ſubdito applicante contra obedientiam Superioris, valet a fortiori de Sacerdote applicante contra Juſtitiam, aut Religionem; adeo ut Sacrificium proſit ei, pro quo Sacerdos offert, non ei pro quo, ex juſtitia, ratione ſtipendii accepti, aut ex Religione, ratione voti, tenebatur applicare. Ratio eſt, quia intentio, & voluntas, quam de facto habet Sacerdos applicando alicui Sacrificium prævalet voluntati, quam ex contractu, promiſſione, aut Religione tenebatur habere: & ita tenent præcitati Doctores cum Cacherano *n.* 38.

12 Nec dicas cum Gabriele, & Scoto, Sacerdotem non poſſe variare intentionem debitam titulo juſtitiæ; nam tenetur operari ut Miniſter Chriſti juxta voluntatem Chriſti, ſed voluntas Chriſti eſt, ut ſatisfaciat debito juſtitiæ, vel Religionis; ergo illam mutare, & variare non poteſt. Contra enim reſpondetur, non poſſe licite mutare intentionem debitam titulo juſtitiæ, poſſe tamen illam mutare valide, quia ſicut poteſt quis operari contra voluntatem Chriſti præcipientis, ut nemo peccet, ita poteſt operari contra juſtitiam, & applicare Sacrificium contra voluntatem Chriſti requirentis applicationem debitam titulo juſtitiæ: peccabit quidem ſic operando Sacerdos, ſed valida erit applicatio.

DUBIUM III.

Utrum poſſit Sacerdos anticipata applicatione offerre pro eo, qui primo Stipem eſt oblaturus.

13 Dupliciter intelligi poteſt applicatio anticipata: primo ita, ut ſuſpendatur in futurum applicatio, & fructus Sacrificii, applicandus poſtea a Sacerdote, quando dabitur eleemoſyna, aut alia occaſio. Secundo ita, ut applicatio non ſuſpendatur, ſed fiat de præſenti pro illo, quem Deus videt, & cognoſcit primo moriturum, ſeu daturum eleemoſynam. In primo ſenſu omnes conveniunt illicitam, & invalidam eſſe applicationem, quia non eſt in poteſtate Sacerdotis ſuſpendere effectum Sacrificii, & in futurum reſervare, ſicut non poteſt ſuſpendere effectum Sacramenti; utrumque enim habere debet ſuum effectum ex opere operato quando ponitur, & perficitur, quia tunc ſolum Miniſter agit perſonam Chriſti, ut bene tradunt Vaſquez, Coninchus, Angles, Poſſevinus, Suarez, Corduba, & alii cum Bonacina *diſp.* 4. *quæſt. ult. punct.* 7. §. 5. *num.* 3.

14 In ſecundo ſenſu licitam, & validam eſſe anticipationem Sacrificii pro illo, quem Deus cognoſcit primo daturum eleemoſynam, docuerunt olim non pauci: Henriquez, Vega, Rodriquez, Petrus Navarra, Arragonius, Vaſquez, Franzinellus, & alii apud Marchinum *tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 31. *num.* 6. quibus conſentit Bonacina *loco cit.* ubi aſſerit ita ſenſiſſe congregationem Pœnitentiariæ Mediolanenſis ipſo præſente, & conſulente. Ratio eſt, quia Sacerdos, qui hac ratione anticipate celebrat Miſſas, non ſuſpendit effectum Sacrificii, ſed ex tunc illum applicat pro eo, qui dabit eleemoſynam, quæ perſona certa eſt, ac determinata in mente Dei, optime cognoſcentis quinam ſit primo moriturus, ſeu daturus eleemoſynam. Deinde quia Miſſam ſic anticipate celebrare nihil eſt aliud, quam anticipato tempore debitum ſolvere, quod non eſt illicitum. Addunt tamen præfati Auctores cum Bonacina, hanc conſuetudinem in praxi non eſſe approbandam, & tolerandam, eo quod ſapiat avaritiam, quam conſequentiam non admittunt Marchinus, & Leander: nam ſi hoc eſt licitum, & juſtum coram Deo, & hæc ſententia eſt probabilis, cur non poterit in praxi ſequi?

15 Reſpond. talem applicationem anticipatam fore aliquando validam, aliquando invalidam, ſemper tamen illicitam. Ita expreſſe Cacheranus *cap.* 4. §. 2. *num.* 40. eſtque quoad ultimam partem communis, eamque ſequuntur Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 24. *num.* 12. Homobonus *de exam. Eccleſ. tract.* 4. *cap.* 14. *q.* 130. Marchinus *cap.* 31. *num.* 9. & apud ipſum Corduba, Suarez, Coninch, Molfeſius, & Facundez, & ſequuntur etiam Palaus *punct.* 6. *num.* 16. & aliis citatis, Leander *diſp.* 4. *q.* 19. Ratio eſt, quia Sacrificium non poteſt valide applicari, niſi pro neceſſitate actuali, & exiſtente, tunc quando offertur Sacrificium, tum quia non poteſt ſuſpendi effectus Sacrificii, tum quia ſecus poſſet applicari Sacrificium pro remiſſione pœnæ debitæ peccato nondum contracto, ut incipiat alicui valere cum in peccatum fuerit lapſus, quod eſt dare licentiam impune peccandi, & committendi peccatum, pro quo jam ſatisfecit. Contingere igitur poteſt, quod ille qui ſtipendium eſt primo oblaturus, Sacrificium poſtulet pro neceſſitate, quæ jam tunc vigeret, quando Sacrificium eſt celebratum, vel pro neceſſitate, quæ tunc non-

nondum vigeret; at in primo caſu valida eſſet applicatio, non in ſecundo; ergo poterit anticipata applicatio eſſe aliquando valida, & aliquando invalida. Poteſt etiam valida eſſe applicatio anticipata pro fructu impetrationis, ad impetranda nimirum auxilia opportuno tempore danda; ſic enim omnes oramus: *Ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis noſtræ*. Et: *Ne projicias me in tempore ſenectutis, cum defecerit virtus mea, ne, derelinquas me*; ut cum Lugo notat Tamburinus *lib.* 2. *c.* 2. §. 8. *n.* 10.

16 Semper tamen erit illicita talis anticipata intentio, & applicatio, non ſolum propter periculum, cui ſe exponit Sacerdos reddendi talem applicationem invalidam, ſed quia talis applicatio eſt contra uſum Eccleſiæ, & mentem offerentium eleemoſynas, qui non modico fructu privarentur, ad quem petitione Sacrificii, & elargitione eleemoſynę ſpecialiter diſponuntur, quamque diſpoſitionem non habent tempore celebrati Sacrificii, & forte erant in ſtatu peccati cum incapacitate recipiendi fructum Sacrificii. Quapropter Clemens VIII. ex Decreto Sacræ Congregationis 15. Novembr. an. 1605. conſuetudinem illorum, qui anticipata intentione Miſſas celebrant pro iis, qui poſtmodum ſtipem erunt elargituri: *tanquam periculoſam, Fidelium ſcandalo, & offenſionibus obnoxiam, atque a vetuſto Eccleſiæ more nimium abhorrentem exploſit, & improbavit*, omnibuſque Epiſcopis in ſuis Diœceſibus, & Prælatis Regularibus in ſuis Ordinibus exterminandam præcepit, ut patet ex Decreto, quod per extenſum refert Marchinus *tr.* 3. *p.* 2. *c.* 31. *n.* 10.

17 Nec obſtant fundamenta oppoſita, ex eo enim, quod nota ſit Deo perſona, quæ primo eleemoſynam eſt elargitura, nec proinde ſuſpendatur in futurum effectus Sacrificii, ſequitur, quod poſſit anticipata applicatio eſſe aliquando valida, ut etiam concedit Palaus *punct.* 6. *n.* 18. ſi nimirum tunc exiſtat neceſſitas, propter quam petitur Sacrificium; non tamen ſequitur, talem applicationem ſemper eſſe validam, & licitam, nec dici poteſt anticipata ſolutio, ſi debitum nondum exiſtat; ſecus poſſet quis hodie ſatisfacere pro peccato, quod cras eſt commiſſurus.

„ *Olarius inter tot difficultates, ac Sententias, procedit Benedictus XIV. in ſua Notificat. quam videre poteris poſitam n.* 4. *lib.* 5. *in qua potiſſimum ſtatuit, Sacerdotes non poſſe anticipata applicatione offerre pro eo, qui primus ſtipem eſt oblaturus. Sic enim ait*: Quaſdam corruptelas inductas eſſe percepimus in celebrandis, & applicandis Miſſarum Sacrificiis, quæ in Eccleſiis indicuntur. Plures enim, qui Sacrum facere abſque ſtipendio nolunt, ſi illud deſit aliquando, rem Divinam conficiunt pro illo, qui primus deinde ſtipendium erit collaturus, licet ipſe Sacerdotis conſilium, ac voluntatem ejuſmodi penitus ignoret; Accedit etiam, quod aliqui Confeſsarii ſibi Miſsarum ſtipendia congerant ab iis, quibus Penitentiæ Sacramentum adminiſtrant. Quapropter, niſi corruptelis ejuſmodi ſtatim occurramus, muneri noſtro deeſse plurimum videremur; ac primum, cum Pontificatum gereret Clemens VIII. illud in Sacra Congregatione Concilii propoſitum, & examinatum fuit: *Superioribus diebus ſignificatum fuit Sanctiſſimo Domino Noſtro, paucis ab hinc annis in Hiſpania novam conſuetudinem recentiorum aliquot Theologorum opinione nixam, ſenſim receptam, in dies magis invaluiſſe, ut Sacerdotes Miſſam celebrantes, ejus valorem applicent his, qui poſtea Miſſæ celebrationem poſtulaturi, ac prætea eleemoſynam præbituri ſint, tametſi antequam Miſſæ Sacrificium perageretur, neque a Sacerdote illud rogaſſent, neque ei hac de cauſa eleemoſynam præſtitiſſent*. Sacra autem Congregatio, poſt accuratam rei diſquiſitionem, his verbis reſpondit: *Quam rem cum Sanctitas Sua ad Sacram Congregationem Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum pro materiæ gravitate examinandam rejeciſſet, in Sacra Congregatione primum de ea actum fuit diligentiſſime, ac deinde relatum ad Sanctitatem Suam, quæ ex ejuſdem Congregationis ſententia hujuſmodi conſuetudinem tanquam pluribus nominibus periculoſam, Fidelium ſcandalis, & offenſionibus obnoxiam, atque a vetuſto Eccleſiæ more nimis abhorrentem exploſit, ac improbavit*. Clemens VIII., uti modo dictum eſt, rem totam Sacræ Congregationi examinandam commiſit, Paulus autem V., peracto diligenti examine, Sacræ Congregationis ſententiam auctoritate ſua comprobavit, eamque, datis ad univerſos Epiſcopos litteris, promulgavit.

18 Non eſt tamen prohibitum Capellanis, qui certas Miſsas debent ſingulis hebdomadibus celebrare, aliquando prævenire, celebrando hebdomada præcedente, ſi hoc non fuit in fundatione Capellaniæ expreſſe prohibitum, quia fructus Sacrificii non ſuſpenditur poſtmodum applicandus, ſed ſtatim applicatur juxta intentionem præſentem, certam, & determinatam; nec ullum fit præjudicium Defunctis, pro quorum ſalute applicatur, quin potius citius liberantur a pęnis, & valet in hoc caſu, quod eſset quædam anticipata ſolutio debiti jam tunc exiſtentis. Ita, pluribus citatis, Marchinus *n.* 11. Barboſa *de poteſt. Epiſc. allegat.* 24. *n.* 34. Aloyſius Riccius *in praxi deciſ.* 400. *in prima editione, & reſol.* 338. *in ſecunda editione*, Bonacina, Facundez, Palaus, & alii communiter cum Leandro *q.* 21.

DUBIUM IV.

De Conſuetudine procurantium ſibi celebrari Exequias, & Miſſas Defunctorum, dum adhuc vivunt.

19 Licitam non modo, ſed etiam laudabilem eſſe conſuetudinem illorum, qui adhuc viventes curant ſibi, erecto tumulo, Exequias celebrari, & Miſſas Defunctorum dici, tenent quamplures, ducti exemplo Sanctorum Virorum, qui id fecerunt, & ne poſt mortem Hæredum negligentia, ut ſæpe contingit, defraudentur hujuſmodi ſuffragiis: & quia hoc inſtitutum maxime conducit ad Mundi contemptum, ad excitandum cœleſtium rerum deſiderium, & ad leniendum mortis timorem. Et ita conſuetudinem approbant Navarrus *tom.* 1. *lib.* 3. *conſil. de celebrat. Miſſarum conſil.* 6. Homobonus *in Exam. Eccleſiaſt. part.* 1. *tract.* 3. *cap.* 14. *qu.* 127. Marchinus *part.* 2. *tract.* 3. *c.* 34. *n.* 7. Leander *q.* 23. Bartholom. a S. Fauſto *de Sacram. Euchariſt. lib.* 2. *q.* 148. Zerola, Barboſa, Pinellus, & alii, qui advertunt, quod in hoc caſu non debent dici Orationes, quæ demonſtrant aliquem eſſe jam mortuum, v. g. *Inclina Domine*, ubi dicitur: *quem de hoc ſæculo migrare juſſiſti*, ne mendacium committatur in oratione; ſed hanc limitationem non exiſtimant neceſſariam Fauſtus, & Facundez, quia etiam in Miſſis *de Requiem*, quando dicuntur pro iis, qui multo ante tempore deceſſerunt, dicimus in oratione Offertorii: *Ne abſorbeat eas Tartarus, ne cadant in obſcurum*, & tamen jam ſunt, vel fuerunt in Purgatorio, quod dicimus ſine mendacio, quia illæ repræſentantur, ac ſi tunc morerentur, quando dicitur Miſſa; ſimiliter in caſu præſenti, ne committatur mendacium, ſufficit, ſi Sacerdos oret pro vivo, & illum repræſentet Chriſto Domino, ac ſi eſſet jam mortuus.

20 Damnant conſuetudinem iſtam Layman *tract.* 5. *c.* 2. *n.* 15. Diana *part.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 2. *& part.* 9. *tract.* 2. *reſol.* 18. Palaus *tom.* 4. *tract.* 22. *punct.* 6. *n.* 19. Tamburin. *lib.* 2. *c.* 2. *de Sacrific. Miſſæ* §. 7. & alii, quibus adhæreo. Ratio eſt, quia ex una parte conſuetudo iſta nullam affert ſpecialem utilitatem, & ex alia parte eſt contra ritum, & ordinationem Eccleſiæ; ergo non eſt admittenda, ſed tollenda, ſi forte alicubi introducta eſt. Probatur antecedens, quia in Sacrificio conſiderari poteſt fructus infallibilis proveniens ex opere operato, quatenus eſt operatio facta in Perſona Chriſti, & iſte fructus eſt æqualis, & ejuſdem rationis in omnibus Sacrificiis, ſive Vivorum, ſive Mortuorum, nec ſuſpenditur in futurum, quaſi maneat in acceptatione Divina applicandus poſt mortem, dum quis erit in Purgatorio, ſed applicatur ſtatim illi, pro quo offertur Sacrificium, ſi obicem non habeat peccati, nec liberat Animam a pœnis Purgatorii, ſi poſtea moriatur cum aliquo debito purgandi: quare qui vivens curat ſibi dici Miſſas Defunctorum, nullam habet ſpecialem utilitatem ex illis, quam non ſit habiturus per alia Sacrificia; ſi enim curat tales Miſſas dici, ut fructus reſervetur applicandus in Purgatorio, inutiliter agit, cum, ut dictum eſt *dubio præcedenti*, non ſuſpendatur effectus Sacrificii.

21 Deinde conſiderari poſſunt ſuffragia, orationes, & preces Eccleſiæ, quæ cum Sacrificio junguntur, & iſtæ cum ſolum ordinentur ad Animas purgantes, eſſet contra ritum, & ordinationem Eccleſiæ, illas applicare Viventibus, eſſetque invertere rubricas Miſſalis, ſecundum quas Officium funebre nonniſi pro Mortuis decantari ſolet; ergo talis conſuetudo non eſt admittenda, ſed tollenda tanquam contraria ritibus, & ordinationibus Eccleſiæ. Quod ſi Officium funebre factum legitur pro Viris pietate inſignibus, qui illud adhuc viventes ſibi fieri curaverunt, excuſandi ſunt, quia Miſſalis rubricæ non erant eo tempore ita clare diſpoſitæ, nec diffuſæ per Provincias, nec ita fortiter obligabant, ſicut poſt ordinationem Pii V. ut docet Tamburinus *loco cit.*

22 Hæredum negligentia facile vitari poteſt, ſi in vita cures tibi applicandas Miſſas de Sanctis, vel pro remiſſione peccatorum, vel alias ab Eccleſia pro Vivis inſtitutas, abſque eo quod cures dicendas Miſſas *De Requiem*, quæ ſecundum ritum, & inſtitutionem Eccleſiæ ſolum pro mortuis dicuntur. Ad leniendum autem mortis timorem, poteris curare celebrandum Officium funebre in memoriam alicujus, vel omnium Defunctorum, & alias Miſſas pro Defunctis.

Hic dubitari poteſt: *an utilius ſit ſibi curare Miſſas celebrandas in via, vel poſt mortem?*

23 Reſp. Utiliores fore Miſſas celebratas ante mortem, quam poſt mortem. Ratio eſt, quia Miſſæ celebratæ poſt mortem ſolum ſunt ſatisfactoriæ Animæ exiſtenti in Purgatorio, at ſi in vita illas celebrare cures, ultra ſatisfactionem, habes etiam meritum. Adde cum D. Gregorio *lib.* 4. *Dialog. c.* 58. quod *tutior eſt via ut bonum, quod quiſque poſt mortem ſuam ſperat agi per alios, agat ipſe dum vivit per ſe; beatius quippe eſt liberum exire, quam poſt vincula libertatem quærere*. Maxime quia negligentia hæredum, Miſſæ, quæ in teſtamento poſt mortem relinquuntur, ſæpe aut non dicuntur, aut ita tarde, ut exſoluta pœna Anima jam libera ſit a Purgatorio; & ita tenent Marchinus dicto *cap.* 34. *num.* 3. Leander *quæſt.* 22. & Diana *part.* 9. *tract.* 2. *reſol.* 27. §. *& tandem*, ubi notat, non proinde eſſe reproban-

bandas Miſſas dicendas poſt mortem, cum quiſque uſque ad extremum vitæ novas contrahat obligationes ad pœnas Purgatorii, quas bonum eſt per Sacrificia poſt mortem tollere.

24 Si autem quæras: *an ſint utiliores Miſſæ celebratæ pro Defunctis ſucceſſive pluribus diebus, an ſimul dictæ eadem die?*

Reſp. plus valere, ac utiliores eſſe Defunctis Miſſas ſimul dictas eadem die a quinquaginta Sacerdotibus, quam ſi dicantur ſucceſſive quinquaginta diebus. Ratio eſt, quia quo citius Deo ſatisfactio exhibetur, eo citius tollitur pœna peccatis debita, & per conſequens citius liberatur Anima a pœnis Purgatorii, pro qua Sacrificia offeruntur. Et ita tenent Marchinus *loco cit. n.* 10. Homobonus *de exam. Eccleſ. tr.* 4. *cap.* 19. *q.* 128. *ad finem*, Diana *loco ſupra citato*, & alii apud ipſos.

DUBIUM V.

De Sacerdote non applicante fructum Sacrificii, vel aliquem ab illo excludente.

25 SI Sacerdos nulli applicet fructum Sacrificii, ſive per incuriam, ſive etiam data opera, vel illum applicet perſonæ incapaci, dicunt nonnulli cum Suarez *diſp.* 79. *ſect.* 9. §. 3. & Vaſquio *diſp.* 231. *cap.* 3. *n.* 10. nemini prodeſſe, ſed reponi, ſeu remanere in Theſauro Eccleſiæ, quia Sacrificium, cum ſit eſſentialiter oblatio, nulli prodeſt, niſi pro illo offeratur.

26 Reſp. cum Lugo, Cacherano, & Maderno *q.* 8. *art.* 8. prodeſſe ipſi Celebranti; Sacerdos enim videtur ſemper habere voluntatem implicitam applicandi ſibi Sacrificii fructum, quoties non intendit alteri applicare, vel propter ipſius incapacitatem non poteſt. Aliqui dicunt, dividendum fructum Sacrificii inter Sacerdotem offerentem, & alios Fideles, propter applicationem generalem, quam habet in Offertorio, dicendo: *Offero tibi pro innumerabilibus peccatis, & offenſionibus meis, ſed & pro omnibus Fidelibus Chriſtianis vivis, atque defunctis, ut mihi, & illis proficiat ad ſalutem.* Verum per hæc verba applicatur potius fructus generalis, quam ſpecialis, qui proinde totus videtur cedere Sacerdoti celebranti propter implicitam, & interpretativam voluntatem ſibi applicandi fructum, quem non applicat aliis. Ita Cacheran. *c.* 4. *n.* 44. nec diſſentit Madern. *l. c.*

27 *Utrum vero poſſit Sacerdos aliquem excludere a generali fructu Sacrificii.* Dico, talem excluſionem a Sacerdote factam fore illicitam, ſed validam: eſſet illicita, quia contra communem conſuetudinem Eccleſiæ, & voluntatem implicitam illius volentis, ut Miſſa offeratur pro omnibus Vivis, & Defunctis, illiſque proſit pro ſua portione, ſi ſunt capaces: item eſſet contra charitatem, & ſaperet averſionem animi in eum, quem excluderet, ideo eſſet contra debitum obedientiæ, & charitatis, & ſic graviter peccaret Sacerdos aliquem excludendo. Valida tamen eſſet excluſio, quia applicatio fructus Sacrificii vere pendet ab intentione Miniſtri, & ſicut, licet quis teneatur ex obedientia, vel juſtitia alicui applicare fructum ſpecialem, ſi tamen excludat, excludit valide; ita valide excludit a fructu generali; quamvis illicite.

28 Quamvis Sacerdos neminem debeat a generali participatione Sacrificii excludere, ut tamen fructuoſe ſacrificet, debet fructum ſpecialem ex opere operato provenientem, alicui, vel aliquibus applicare ſub generali, vel ſpeciali intentione, ſaltem implicita, & virtuali, quia licet probabile ſit, fructum alicui ſpecialiter non applicatum cedere in utilitatem ipſius Sacerdotis, hoc tamen non eſt certum; & ideo debet ſemper alicui ſpecialiter applicare; quinimmo ſatius eſſet, ſi pluribus applicaret, quia contingere poteſt, quod Sacrificium, uni tantum ſpecialiter applicatum, ſuum non conſequatur effectum, propter incapacitatem illius, cui fuit applicatum.

CAPUT V.

De obligatione Celebrandi.

DUBIUM I.

An Sacerdos vi ſuæ Ordinationis teneatur aliquando celebrare?

NON peccare mortaliter Sacerdotem, qui ſine legitimo impedimento numquam celebrat in anno, modo communicet in Paſchate, nec adſit ſcandalum, vel contemptus, docent quamplures. Ratio eſt, quia nullibi extat præceptum ſive humanum, ſive divinum, obligans Sacerdotem ad celebrandum aliquando vi ſuæ Ordinationis præciſe; non enim hoc præceptum habetur in Scriptura, aut Decretis Conciliorum, nec ſequitur ex natura rei, & muneris Sacerdotalis, quia licet in ſua ordinatione accipiat Sacerdos poteſtatem ſacrificandi, non tamen ſequitur, quod teneatur aliquando celebrare; ſicut non tenetur aliquando confeſſiones audire, etiamſi habeat poteſtatem tum Ordinis, tum Juriſdictionis illas audiendi. Verba illa Chriſti: *Hoc facite in meam commemorationem*, continent præceptum directum toti Eccleſiæ, ut in ea non deficiat Sacrificium, non obligans ſingulos Sacerdotes ad celebrandum, niſi forte in caſu, quo deficeret Sacrificium, quia nullus alius eſſet in Eccleſia Sacerdos, ut explicat Palaus *diſp. unica punct.* 12. Hanc Sententiam ſequuntur D. Bonaventura, Alenſis, Gabriel, Ricardus, Ledeſma, Victoria, Cajetanus, quos refert Suarez *diſp.* 80. *ſect.* 1. aſſerens, hoc eſſe probabile; Diana *part.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 19. Lugus *diſp.* 20. *ſect.* 1. *n.* 2. & 13. Palaus, & alii apud ipſos.

2 Secunda Sententia magis pia, ſecurior, & in praxi conſulenda, tenet, quemlibet Sacerdotem ratione muneris Sacerdotalis præciſe teneri ſub gravi culpa aliquoties in vita, imo etiam aliquoties in anno Sacrificium offerre, ceſſante legitimo impedimento, & niſi vita fuerit admodum brevis. Ita cum D. Thoma *q.* 82. *art.* 10. tenent magis communiter Doctores, Sylveſter, Navarrus, Tabiena, Sotus, Henriquez, Azorius, Suarez, Vaſquez, Coninch, Facundez, Reginaldus, & alii, quos citat, & ſequitur Marchinus *tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 36. *n.* 5. Bonacina *q. ult. punct.* 7. Filliucius *cap.* 4. *q.* 1. *n.* 93. & 94. Ant. a Spiritu S. *diſp.* 3. *ſect.* 1. Barboſa *ad Caput Dolentes, de celebrat. Miſſarum n.* 11. & cum aliis Gratia *tract.* 3. *diffic.* 2. *dub.* 1. & pluribus citatis, Leander *diſp.* 5. *q.* 1. Ratio deſumitur ex præcepto poſitivo Divino contento in illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, in quibus contineri præceptum relatum etiam ad ſingulos Sacerdotes declaravit Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 1. dicens, Chriſtum illis verbis: *Hoc facite &c. Sacerdotibus præcepiſſe, ut offerrent, uti ſemper Eccleſia Catholica intellexit, & docuit;* idemque docet *can.* 2. & *ſeſſ.* 23. *cap.* 14. *de Reform. præcipit Epiſcopis, ut curent Sacerdotes, ſaltem diebus Dominicis, & Feſtis ſolemnibus; ſi autem Curam habuerint Animarum, tam frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſas celebrent.*

3 Confirmari poteſt ex cap. *Dolentes, de celebrat.* ubi inter alia peccata Sacerdotum, ob quæ imponitur pœna Suſpenſionis, etiam numeratur, quod vix quater in anno celebrabant tum ex munere ipſo Sacerdotali, quia Sacerdos, accipiendo poteſtatem, ſi numquam celebraret, vanam redderet gratiam, quam in Ordinatione recepit, quod videtur eſſe contra rationem, & munus ipſum Sacerdotale. Adde, quod plures ex Auctoribus contrariæ Sententiæ libere concedunt, hodie vix poſſe excuſari a gravi culpa Sacerdotem non celebrantem per totum annum, quia ſcandalum grave generat, eſtque indicium pravæ conſcientiæ, & corruptiſſimæ vitæ; hiſque de cauſis Pius V. in ultima impreſſione Romana Operum Sancti Thomæ, deleri, & corrigi juſſit opinionem Cajetani aſſerentis, Sacerdotem numquam celebrantem peccare ſolum venialiter.

4 Quoties autem, & in quibus diebus anni Sacerdotes legitime non impediti ratione præciſe ſui muneris Sacerdotalis celebrare teneantur, incertum eſt, nec omnes conveniunt Doctores. Navar. in Manuali *cap.* 25. *n.* 88. aſſerit, illos teneri ad celebrandum ter, vel quater in principalibus feſtis anni, in quibus Laici religioſiores communicare ſolent. S. Thomas, S. Antonin. Sylveſter, & alii dicunt teneri in præcipuis feſtivitatibus anni, & maxime in illis diebus, in quibus fideles communicare conſueverunt. Paludanus, & Major ajunt, illos teneri in Nativitate Domini, in Reſurrectione, & Pentecoſte, necnon in Aſſumptione Virginis, & in feſtivitate Omnium Sanctorum, quod etiam docet Facundez *de præcept. Eccleſ. par.* 1. *lib.* 3. *cap.* 15. Nugnus docet, Sacerdotem non eſſe in conſcientia ſecurum, ſi non celebret decem, aut duodecim vicibus in anno.

5 Magis placent, qui dicunt ſufficere ad excuſandam culpam gravem, ter, vel quater in anno celebrare quibuſcumque diebus id fiat, ſervata ſolum aliqua proportionata diſtantia inter illos; ſi enim bis, ter, vel quater in principio anni celebret, non videtur excuſari, ſi poſtea octo, vel decem menſes non celebret abſque rationabili cauſa, quia videtur immemor ſuæ ſalutis, dum fructus hujus Sacrificii tanto tempore omittit, nec ſcandalum vitat. Ita Sotus, Vaſquez, Azorius, Henriquez Tolet, Gavantus, & alii, quos citat, & ſequitur Leander *tr.* 8. *diſp.* 5. *q.* 2. Lugus *diſp.* 20. *ſect.* 1. *n.* 13. & Palaus *punct.* 12. *n.* 3.

6 Hoc certum eſt apud omnes, neminem, per ſe loquendo, teneri celebrare quotidie, quamvis id poſſit, & ſit conveniens, & conducens ad Dei cultum, & honorem, Eccleſiæ fructum, & propriam cujuſque utilitatem, quia nullibi extat præceptum obligans ad quotidianam celebrationem, & multi etiam timorati, ac pii, aliquando intermittunt ob majorem reverentiam. Nec etiam tenetur celebrare ſingulis diebus Dominicis, & Feſtis, niſi id ſpecialiter in aliqua Diœceſi præcipiatur, ſicuti præcipi aſſerit Bonacina in Diœceſi Mediolanenſi, ut proinde dicat peccare graviter, qui in tali Diœceſi ſine rationabili cauſa non celebrat diebus Dominicis, & principalioribus Feſtis.

„ *Diffuſa fortaſſe nimis, nimiſque extenſa alicui videbuntur, quæ ad certiorem hujuſce §. intelligentiam, atque confirmationem colligere ſtudui ex prælaudato Tract. de Sacrif. Miſſæ cit. & 2. lib. 3: At cum illud potiſſimum mihi, vel ab initio hujus Editionis, propoſitum fuerit, nihil prorſus omittere de iis, a quibus plenior, atque perfectior* „ ba-

„ *haberi poſſit Sacerdotum quorumcumque inſtitutio; ita haud inutile ſum arbitratus, fideliter hic ea omnia exportare, quæ hac de re ibidem, longo certe, ſed diſerto, & erudito ſermone leguntur: illud unum præ omnibus ſtatuens, me pro illis potius, qui veram utilitatem, quam pro ceteris, qui brevitatis commodum amant, ſtudium, operamque omnem ſemper impenſurum. Hæc autem habentur*: In ultima Cœna Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ut alibi diximus, Corpus, & Sanguinem ſuum conſecravit, Patrique æterno ſuo obtulit, dediſque Apoſtolis Corpus ſuum ad manducandum, & Sanguinem ad bibendum, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*; quibus verbis diſertiſſime præceptum Apoſtolis injungitur, & Sacerdotibus, ut Miſſam celebrent, & ejus Corpus, & Sanguinem æterno Patri offerant in Sacrificium, juxta expreſſum S. Tridentinæ Synodi definitionem *ſeſſ. 22. de Sacrif. Miſſ. can. 2. Si quis dixerit illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſſe, ut ipſi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus, & Sanguinem ſuum; anathema ſit*. Quod probatur etiam ex loco illo Apoſtoli ad Hebræos *cap. 5. Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis*.

„ Plures conſiderat præcepti hujus congruentias D. Thomas *in 4. Sentent. diſt. 13. q. 1. art. 2. in ſolutione q. 3. in corpore*; quarum ea eſt præcipua, ut Fidelium animis nullo non tempore hæreat memoria Paſſionis Jeſu Chriſti: quam congruentiam præclare explicat Honorius piiſſimus Auctor *in Gemma Animæ* in hunc modum. *Ut memoria Paſſionis ad imitationem inculcetur, ut ſcilicet Chriſtiani, qui interſunt incruento illi Sacrificio, & Sacerdotes, qui illud peragunt, acerbiſſimam Chriſti mortem recordari, ardentiſſimo ejus amore tentantur, & ejus mortificationem in ſuo corpore pro virium ſuarum modulo circumferunt, atque ita nimiæ charitati, qua dilexit nos, quodammodo reſpondeant*.

„ De præcepto, quod Jeſus Chriſtus univerſo Sacerdotali Ordini injunxit Miſſam celebrandi, ſane dubitari non poteſt, ſalva Fide Catholica. Aliquando dubitatum eſt, an hoc præceptum obliget ſingulos Sacerdotes, & præſertim eos, qui non habent curam Animarum, nec alium quemvis titulum Miſſam celebrandi, præter Sacerdotium. Tractat rem hanc D. Thomas duobus in locis, *in lib. 4. Sentent. diſt. 13. q. 1. art. 2.*, & *in 3. par. q. 82. art. 10.*, & de eodem argumento ſcripſit S. Antoninus *in 3. par. tit. 13. cap. 6. §. 12.* qui eadem repetit, quæ ſcripſit Angelicus ejus Magiſter.

„ Divus Thomas *in locis citatis* refert quorumdam opinionem, qui affirmabant, Sacerdotem poſſe a Miſſa celebranda abſtinere, quin peccet, niſi curam habeat Animarum, propter quam cogatur celebrare, ut Populus Miſſæ interſit, & Sacramentum Euchariſtiæ accipiat: quam opinionem rejicit S. Doctor, conſiderans, non Chriſtifidelium tantum, quibus opus eſt Sacramentum miniſtrari, ſed Dei ipſius etiam habendam eſſe rationem, cui Sacrificium eſt offerendum. *Hoc* (nimirum quod modo dictum eſt a nonnullis affirmari) *non eſt verum; quia unuſquiſque tenetur uti gratia ſibi data, cum fuerit opportunum, ſecundum illud* 2. ad Corint. 6. *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Opportunitas autem Sacrificium offerendi non ſolum attenditur per comparationem ad Fideles Chriſti, quibus oportet Sacramenta miniſtrari, ſed principaliter per comparationem ad Deum, cui conſecratione hujus Sacramenti Sacrificium offertur; unde Sacerdos, etiamſi non habeat curam Animarum, non licet omnino a celebratione ceſſare*. Sibi objicit poſtea S. Doctor, non minus ad Sacerdotem pertinere Euchariſtiam conficere, quam baptizare, & alia Sacramenta adminiſtrare; itaque ſicut is, qui Animarum curam non habeat, non tenetur baptizare, nec alia miniſtrare Sacramenta, ita nec obligari ad Miſſam celebrandam; quam objectionem ad hunc modum ſolvit: *Alia Sacramenta perficiuntur in uſu Fidelium, & ideo in aliis miniſtrare non tenetur, niſi ille, qui ſuper Fideles ſuſcipit Curam. Sed hoc Sacramentum perficitur in Conſecratione Euchariſtiæ, in qua Sacrificium Deo offertur, ad quod Sacerdos obligatur Deo ex Ordine jam ſuſcepto*; quæ D. Thomæ doctrina accurrate explicatur in Collatione 9. Lucionenſi *t. 5.* & in Dictionario Pontas verbo *Miſſa caſ. 21.*

„ Quod attinet ad dies, quibus Sacerdos, qui neque curam Animarum, nec, præter Sacerdotium, quemquam alium titulum habet celebrandi Miſſam, tenetur celebrare, quidam Canoniſtæ exiſtimarunt obligari ad celebrandum quotidie, & ſi per negligentiam facere omittat, peccare mortaliter. Verum nimis dura hæc opinio viſa eſt, ut ait S. Antoninus *loc. cit. §. 12. Opinio tamen quorumdam Canoniſtarum dicentium, quod mortaliter peccat, qui ex negligentia dimittit quotidie celebrare, non videtur vera, ſed nimis dura*. D. Thomas *loc. cit.* obligari eum dicit ad celebrandum in præcipuis illis ſolemnitatibus, in quibus Fideles Sacramentum Euchariſtiæ ſolent percipere: *Sed ſaltem videtur, quod celebrare teneatur in præcipuis Feſtis, & maxime in illis diebus, in quibus Fideles communicare conſueverunt: & hinc eſt, quod* 2. Machab. cap. 4. *contra quoſdam Sacerdotes dicitur, quod jam non circa Altaris Officia dediti erant, contempto Templo, & Sacrificiis neglectis*.

Hanc D. Thomæ ſententiam Sotus, licet fidiſſimus ejus diſcipulus, *in 4. Sentent. diſt. 13. q. 2. art. 10.* nimis laxam exiſtimat, quæ cum Sacerdotis obligationem eo redigat, ut iis diebus Miſſam debeat celebrare, in quibus ceteri Fideles tenentur Euchariſtiam accipere, Sacerdos nonniſi in Reſurrectionis Paſchate Miſſam tenebitur celebrare; ideoque putat ita accipienda Divi Thomæ verba, ut S. Doctor loquutus eſſe cenſeatur, non de noviſſimo præcepto ſuſcipiendi Euchariſtiam in Paſchate, ſed de inſtituto veteri, quo Fideles ter in anno communicabant, ſcilicet in Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, in Paſchate Reſurrectionis, & Pentecoſte: *Hac ratione videtur præceptum nimium extenuaſſe, cum nihil Sacerdotibus præ Sæcularibus injunxerit. Arbitror ergo, quod non alluſit ad ſolum novum communicandi præceptum, ſed ad priſcorum morem, quando Populus in Feſto Nativitatis, & Paſchatis, & Pentecoſtes communicabat*.

De veteri præcepto, quo olim omnes ter in anno communicare tenebantur, in Nativitate Chriſti, in Paſchate, & Pentecoſte; deque noviſſimo præcepto, quo Fideles tantum obligantur ad communicandum die Paſchatis, jam verba fecimus in Notificatione 4. Tom. 3. Verum D. Thomas non ait, Sacerdotem teneri Miſſam celebrare ſaltem in iis Feſtis diebus, quibus ceteri Fideles tenentur communicare, ſed *in quibus Fideles communicare conſueverunt*. Quamobrem nihil ea opus eſt interpretatione, qua D. Thomam Sotus explicuit, ſed dicendum S. Doctoris conſentire doctrinam cum S. Tridentina Synodo, quæ Sacerdotibus Animarum curam non habentibus præſcribit, ut in diebus Dominicis, & ſolemnibus Feſtis Miſſam celebrent. Eadem S. Synodus *ſeſſ. 23. c. 13. de Reform.* loquens de Subdiaconis, & Diaconis, eorumque Ordinatione, ait: *Sciantque maxime decere, ſi ſaltem diebus Dominicis, & Feſtis ſolemnibus, cum Altari miniſtraverint, ſacram Communionem perceperint*. Et *c. 14.* loquens de Sacerdotibus: *Curet Epiſcopus, ut ii ſaltem diebus Dominicis, & Feſtis ſolemnibus, ſi autem curam habuerint Animarum, tam frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſas celebrent*. Et S. Carolus Borromæus ejus S. Synodi ſpiritu plenus in ſuo Concilio I. Provinciali, *tit. de frequenti Divini Sacrificii oblatione*, ait: *Cum Pontifices, ut inquit Apoſtolus, ex hominibus aſſumpti, pro hominibus conſtituantur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerant dona, & Sacrificia pro peccatis, Epiſcopus Dominicis, & reliquis Feſtis diebus, niſi jure impediatur, Miſſam celebret; Tridentini enim Concilii auctoritatem ſequuti præcipimus Sacerdotibus reliquis, cujuſcumque gradus, & dignitatis, & conditionis illi ſint, ut iiſdem diebus Miſſam celebrare non omittant*. Huic Mediolanenſi Concilio jungi poteſt Rhemenſe anno 1583. habitum, *tom. 11. Collect. Labbeanæ pag. 893. Sacerdotes non tantum diebus ſolemnibus, ſed etiam Dominicis, ſæpiuſque, ſi fieri poteſt, ſacrificent*; & Tolotanum an. 1594. habitum, *eod. tom. Concil. pag. 387. Sacerdotes itaque omnes, quocumque honore inſignes, aut in quacumque dignitate conſtituti tandem ſint, Dominicis, Feſtiſque diebus, niſi juſto aliquo præpedimento avocati fuerint, Miſſæ Sacrificium celebrent*.

Et quamquam Innocentius III. in cap. *Dolentes, de celebr. Miſſar.* improbet eorum negligentiam, qui vix quater in anno celebrabant, *ſunt & alii, qui Miſſarum ſolemnia celebrant vix quater in anno*; inde tamen nullus inferat, ſatis eſſe, ſi Sacerdos ſepties, aut octies in anno Miſſam celebret; quemadmodum ex eo, quod Innoc. XI. eam propoſitionem damnaverit: *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis obligare præceptum Charitatis erga Deum*, perperam hinc inferat aliquis ſatis eſſe intra quinquennium ſemel actum amoris in Deum exercere ad implendum Charitatis præceptum, ut Edicto 5. Tom. 4 late docuimus: imo quemadmodum qui diebus Feſtis ex præcepto actum amoris erga Deum eliciat, contingere poteſt, ut ex vi alicujus circumſtantiæ teneatur etiam alio die eumdem actum amoris concipere; puta ſi ad odium Dei tentaretur: ita pariter Sacerdos, etſi diebus Dominicis, Feſtiſque ſolemnibus Miſſam celebret, fieri poteſt ut urgeatur præcepto celebrandi Miſſam, etiam aliis diebus ex aliqua quæ ſuperveniat circumſtantia; puta ſi a Superiore ſuo celebrare jubeatur, aut Miſſa opus ſit ad particulam conſecrandam, ut laboranti infirmo Viaticum deferri poſſit, cujuſmodi caſus expendunt Morales Auctores, eorumque uberem copiam congeſſit Paſſerinus *in 3. part. D. Thomæ q. 82. art. 10. comment. 67.*

Difficilius profecto eſt aliam ſolvere quæſtionem: an Sacerdos, qui legitime non impediatur, Miſſam iis diebus, quos diximus, celebrare omittens mortaliter peccet. D. Thomas *loc. cit.* ubi hanc materiam tractat, non definivit, Sacerdotem graviter peccare. Verum contendit Sotus in loco paulo ante memorato. D. Thomam exiſtimaſſe gravi peccato alligari Sacerdotem, qui Miſſam diebus Dominicis, & ſolemnibus celebrare prætermittat: *At vero S. Thomas aperte videtur contrarium cenſere, ſcilicet eſſe peccatum mortale; nam ſolum propter peccatum veniale, de quo nemo dubitare poterat, numquam tam ſerio moviſſet quæſtionem, definiſſetque adeo, quod*

„ *Se-*

Digitized by Google

Sacerdos tenetur ſaltem in præcipuis Feſtis celebrare, atque illis maxime, quibus Populus communicare conſuevit, ubi cenſura peccati mortalis inſinuatur. Idem ante eum ſcripſerat Silveſter in ſumma, verbo *Miſſa n. 7*. Qui ſcripſere poſt Synodum Tridentinam, vocem illam *decere*, ubi S. Synodus de Subdiaconis & Diaconis, & verbum illud *curet*, ubi de Presbyteris loquitur, expendentes concludunt, vocem *decere* vim conſilii, *curet* vim habere præcepti. Ita Merbeſius *in ſumma Chriſtiana 3. p. de Euchariſtia q. 21. concl. 2. Juveninus de Sacramentis diſp. 5. de Euchariſt. Sacrif. q. 7. c. 1. art. 1*. Sed hoc ſi verum ſit, non inde quidquam aliud conſequitur, quam Sacerdotem peccare, ſi ſine cauſa Miſſam ſupradictis diebus omittat celebrare, non tamen graviter peccare. Et ſane Juveninus, qui putat verbum illud *curet* in Tridentino Concilio vim habere præcepti, non audet affirmare præceptum eſſe ejuſmodi naturæ, ut ei qui non pareat lethaliter peccet: imo declarat ſe id minime definire velle: *Cum tamen nec Concilii Tridentini Patres, nec Sanctus Carolus in Concilio Mediolanenſi definierint, Sacerdotem cui non incumbit Animarum cura, peccare lethaliter, ſi ſingulis Dominicis, ac reliquis feſtis diebus non celebraverit, neque etiam nos audemus definire*.

„ Concludendum igitur, quin quæſtioni huic quidquam præjudicatum velimus, concludendum, inquam, non poſſe ſuſtineri ſententiam eorum, qui ſtatuunt, venialiter tantum peccare Sacerdotem, qui non habens curam Animarum, nec aliter adſtrictus ad Miſſam celebrandam, numquam per annum celebret. Quapropter S. Pius V. ab operibus Cardinalis Cajetani propoſitionem illam juſſit expungi, nonniſi venialiter peccare Sacerdotem non habentem curam animarum, qui numquam per annum Miſſæ Sacrificium offerat; ut ipſi etiam monuimus Edicto 14. Tom. 3. & de Canonizat. Sanctor. *lib. 3. cap. 27. n. 6*. Dicendum etiam, non poſſe eum Sacramento Confeſſionis abſolvi, qui conſtituiſſet animo numquam per annum Miſſam celebrare, etiamſi id conſtituiſſet, propterea quod ſæpe in peccatum conſuevisset incidere: voluntarium enim peccatum eſt, & tenetur illud vitare, ut Sacrificium Miſſæ digne poſſit celebrare, ut docet Azorius *p. 1. lib. 10. c. 24. q. 1*. ubi hæc ſcribit: *Nec abſolverem eum, qui ſtatueret numquam per totum anni curſum Miſſæ Sacrificium facere; nec excuſarem eum, qui numquam per annum ſacrificat, quia frequenter peccare ſolet: peccatum enim eſt voluntarium, & proinde id cavere, & vitare debet, ut digne Miſſæ Sacrificium facere, & offerre queat: nec etiam eum, qui commode ab excommunicatione abſolvi, aut ab irregularitate, qua tenetur ſive impeditur, liberari poteſt, & id non curat, ſive nullam in eo diligentiam ponit*. Dicendum, corruptæ vitæ eſſe indicium, & parere ſcandalum, ſi quis abſtineat per totum annum a Miſſa celebranda; ac Sacerdotem, qui numquam per annum ſacrificet, gravi ſe peccato obſtringere, ut ſtatuit Card. de Lugo *de Sacram. Euchariſt. diſp. 20. ſect. 1. Hodie vix poſſe excuſari a gravi Sacerdotem non celebrantem per totum annum, quia ſcandalum grave generat, & indicium eſt corruptiſſimæ vitæ*. Denique dicendum, circumſtantias quaſdam poſſe occurrere, in quibus ſub mortali teneatur Sacerdos celebrare per annum, etiamſi Dominicis, & Feſtis diebus celebret; puta ſi celebranda Miſſa opus eſſet, ut infirmo Viaticum deferretur. Grancolas in Veteri Eccleſiæ Sacramentario *p. 1. pag. 709*. quæſtionem proponit: utrum Sacerdos, qui non gerit curam animarum, diu poſſit a Miſſa celebranda abſtineri: & D. Thomæ innixus doctrinæ eadem ſentit, quæ a nobis ſuperius dicta ſunt. Illum autem articulum ne attingit quidem, num Miſſam celebrare omittens iis diebus, quos nominavimus, graviter, an venialiter peccet.

„ Suarez *ſect. 2. l. c.* quæſtionem theologice tractat: an convenientius ſit, & cum ſpiritu Eccleſiæ magis congruat, celebrare quotidie Miſſam, an non; & ſtatuit ad Eccleſiæ ſpiritum proprius accedere & convenientius eſſe ſingulis diebus Sacrificium facere, idque Sacerdotibus inculcandum; tum quia ſacrificandi munus non privatum, ſed publicum eſt, nec Sacerdoti tantum prodeſt, ſed univerſali Eccleſiæ; tum quia Sacerdos, cum Miſſæ celebrandæ potiſſimum conſecratus ſit, proprium, & peculiare jus habet Sacrificii offerendi, eique præcipuum præſto eſt Dei auxilium, ut digne poſſit celebrare: declarat tamen, ſe non negare, quin bene faciat, ſi aliquando Sacerdos non celebret, vel propter reverentiam, vel propter timorem, ne id ſibi ſit utile; atque opus illi aliquando eſſe, ab aliquo Sacerdote conſilium petere. Perſicus de Sacerdot. Officio *lib. 1. dub. 4.* conſiderat, celebrare Miſſam bonum eſſe *ex genere ſuo*, abſtinere autem a Miſſa celebranda bonum eſſe *per accidens*; quod autem bonum eſt *per ſe*, longe melius eſſe, quam bonum *per accidens*. Celebre eſt, quod excitandis Sacerdotibus ad quotidianam, aut frequentem Miſſæ celebrationem ſcripſit D. Bonaventura de Præparatione ad Miſſam *cap. 5. Sacerdos qui non celebrat, quantum in ipſo eſt, privat Trinitatem laude, & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, juſtos ſubſidio & gratia, in Purgatorio exiſtentes refrigerio, Eccleſiam Chriſti ſpeciali beneficio, & ſe ipſum medicina & remedio contra quotidiana peccata & infirmitates*. Et S. Antoninus ſummæ 3. *part. tit. 3. c. 6. §. 15.* ad frequentiorem Miſſæ celebrationem inculcandam conſiderat Sacrificii dignitatem & excellentiam; ſuavem quam ex eo Sacerdos utilitatem capit, commoda ſpiritualia, quæ inde ad Fideles proficiſcuntur, qui Miſſæ adſtant, onus quod incumbit Sacerdotibus ſuſcepto miniſterio fideliter ſatisfaciendi, cum Sacerdotali Ordine ſunt initiati; nimirum, ut inter Deum mediatores ſint, & homines, & orent pro vivis, atque defunctis; ac denique periculum, cui ſit ille obnoxius, qui raro celebrat Miſſam, ne in aliquem labatur defectum, quo vel omnino indignus ſatisfaciendo ſuo muneri, vel inabilis fiat. Quas quidem rationes omnes fuſe reperias explicatas in Dictionario Pontas verbo *Miſſa caſ. 50*.

Sunt tamen qui contra putant, melius conſultum ſi pauciores Miſſæ celebrarentur, ac dictum Tertulliani oggerunt: *Semper abundantia contumelioſa in ſe eſt*, & illud Amalarii Diaconi Metenſis *lib. 3. de Eccleſiaſt. Offic. Quicquid rara fit, pretioſius fit, cum fit*: afferunt etiam conſiderationem devoti Auctoris *De Imitatione Chriſti*: is adverſus cordis duritiem hominum exclamat, qui de tanto, tamque ineffabili dono nihil, aut parum cogitent, & quotidiana conſuetudine in negligentiam, & indifferentiam decidant. Producunt etiam Odonis ſecundi Abbatis Cluniacenſis ſententiam, qui in ſuis Collationibus ait, in Eccleſiæ primordiis haud ita ſæpe, ſed majori cum devotione Miſſam celebrari conſueviſſe: *quod Myſterium primordiis Eccleſiæ non tam frequenter, ut nunc, celebrabatur: tamen quanto rarius, tanto religioſius agebatur; at nunc valde quidem, valde frequenter, ſed quod nimis dolendum eſt, negligentius frequentatur*. Denique ad experientiam provocant, quæ demonſtrat, eos Sacerdotes, qui rarius celebrant, ſenſibili compunctione cordis, & multis cum lacrymis Sacrificium offerre; nec illud prætermittunt, quod pii, prudenteſque animarum Rectores conſilium dant Sacerdotibus, ut aliquoties Miſſam omittant, nec quotidie celebrent.

Qua oratione plura capita continentur. Primo, illud pretioſius eſſe ajunt, quod rarius. Sed hoc nihil ad hanc rem, de qua agimus; Sacrificii enim pretium ex iis ſpiritualibus bonis, quæ ſupra memoravimus, æſtimandum eſt, quæ bona eo ſunt majora, quo frequentius fit Sacrificium. Secundo ajunt, e conſuetudine homines in negligentiam & indifferentiam labi; atque id quoque ad rem hanc nihil pertinet; cum enim dicimus, melius eſſe quotidie, vel quam frequentiſſime celebrare, illud certe volumus, eum qui celebret, bene eſſe diſpoſitum. Tertium ad Veteris Eccleſiæ conſuetudinem pertinet, de qua paulo poſt diſſeremus. Quartum eſt de majori compunctione, ſenſibili devotione, & lacrymis eorum, qui celebrant rarius, ubi quædam latet ambiguitas; neque enim quod ſenſibili cordis compunctione & lacrymarum dono careamus, aut quod defectu aliquo laboremus, quotidiana propterea intermittenda eſt Miſſæ celebratio, ſatis enim eſt, quo Sacerdos Miſſam digne celebret, ſi indignus non ſit, omnemque moralem, & quæ in hominem cadere poteſt, diligentiam adhibeat. Ita S. Antoninus *loco citato*: *Si quis autem illam diſpoſitionem* (celebrandi Miſſam) *in ſe judicare voluerit in ſenſibili cordis compunctione, profuſione lacrymarum, fervore mentis, & ſimilibus ſentimentis, ita quod tunc credat ſe diſpoſitum, quando tale quid ſenſit, & quando non percipit, indiſpoſitum, valde incaute ambulat, & ſæpiſſime decipitur. Multi enim qui nil talium habent, ſunt in magno ſtatu gratiæ, & qui habent, ſunt omnino extra gratiam gratum facientem; ſæpe enim contingit, hominem ab hujuſmodi fervoris affectibus impediri ſine omni ſua culpa, imo cum magno merito*. Et Suarez *loco citato*: *Dummodo indignus non ſit & moralem, ac humanam diligentiam adhibeat, quamvis ſit imperfectus, non debet ab hoc ſacro munere ceſſare*. Joannes Gerſon, celebris Doctor, & rerum uſu peritus Theologus *tractat. præparat. ad Miſſam, conſiderat*. 2. ſatis eſſe docet ad Miſſam digne celebrandam, ſi Sacerdos poſt diſcuſſam diligenti examine ſuam ipſius conſcientiam, moraliter certius fit, ſe eſſe in ſtatu gratiæ; & *conſideration*. 3. ait, non omnem fervoris, aut attentionis defectum obſtare, quominus Miſſa digne celebretur; id enim ſæpenumero ex inferioris partis rebellione fieri, quæ non pendet ab arbitrio noſtro. *Conſideratione vero* 21. docet ſatius eſſe Miſſam celebrare, quam propter fervoris defectum ab ea celebranda abſtinere: *Sed frigidus ſum, dicis, aut tepidus. Sæpe ſuſcepit initium celebrationis hominem parum devotum, & frigidum, quem in fine caleſcentem dimittit, & fervidum*.

Conſentiunt cum his Taulerus, & Ludovicus Bleſenſis magni regendarum in via perfectionis animarum magiſtri, quos ſequitur Petavius *Theologic. Dogmat. lib. 4. cap. 1*. Antonius Molina Carthuſianus Monachus in libro *de Inſtructione Sacerdot. tract. 7. cap. 8.* magna ſane pietate, & devotis ſenſibus oſtendit, Sacerdotibus, qui ſatis diſpoſiti ſunt ad celebrandum, non prætermittendum eſſe Sacrificium ex cauſa humilitatis, & reveren-

„ tiæ,

tiæ, tum eos etiam eſſe reprehendendos, qui propter occupationes, & temporales curas celebrare omittunt. Poſtremum caput, quod objiciebant, conſilia continet, quę ab Animarum Rectoribus dantur Sacerdotibus, ne quotidie celebrent, ſed aliquoties ab offerendo Sacrificio abſtineant. Verum hæc eſt generalis regulæ limitatio; regula autem a limitatione non poteſt everti. S. Philippum Nerium tradit Baccius in ejus Vita *lib.* 2. *c.* 1. omnibus Sacerdotibus, quorum confeſſiones audiebat, conſilium dare conſueviſſe, ut quotidie celebrarent, etiamſi tunc temporis haud ita frequenter Sacerdotes Sacrificium facere ſolerent: quidam vero ne quotidie celebrarent vetaſſe, idque, ut eos mortificatione ſubigeret, eiſque majoris meriti occaſionem præberet. In libro cui titulus: *S. Franciſci Saleſii Spiritus, typis editus Lutetiæ anno* 1727. *part.* 2. *cap.* 20. proditum eſt, quo pacto Sanctus ille Epiſcopus Sacerdoti cuidam ætate florenti, probis tamen, & incorruptis moribus, perſuaſerit, ut quotidie Miſſam celebraret, quam in Dominicis tantum, & Feſtis diebus celebrare ſolitus erat, tum propter juvenilem ætatem, tum propter defectum mortificationis, tum etiam quod metueret, ne tanto abuteretur Myſterio, diceretque ſe non eam vitam vivere, quam poſtularet quotidiana Miſſæ celebratio: Cui S. Franciſcus oſtendit, nullius eſſe roboris rationes, quas afferret; ſancto enim, frequentique uſu futurum fuiſſe, ut ejus juvenilis ætas confirmaretur, tentationum impetus refringerentur, ejus infirmitas ſtabiliretur, & aſperæ viæ complanarentur. Quod ſi humilitatis cauſa in animum induceret a celebranda Miſſa abſtinere, de Eccleſia, ejuſque neceſſitatibus, & de leniendis Defunctorum Purgatoriis pœnis cogitaret, tum ne Deum augmento gloriæ ſuæ, Angelos gaudio, reliquoſque Sanctos peculiari voluptate cęleſti fraudaret; quibus conſiliis Sacerdos ille conquievit, reſponditque: *Fiat, fiat*: ac triginta annorum ſpatio, quo ex eo tempore vixit, nunquam ſine legitima cauſa Miſſam celebrare omiſit.

„ Vetus modo eſt examinanda diſciplina, unde adverſus id, quod hactenus ſtatuimus, argumenta erui poſſe videntur. Petrus Bleſenſis *epiſt.* 86. ad Alexandrum Monachum Carthuſianum, qui a ſuo Ordine abire cogitabat, quod in eo Miſſa non quotidie celebraretur, ait: *Petrus, & Paulus Apoſtoli, atque ceteri, quorum laus eſt in Evangelio, non leguntur ſingulis diebus ſalutis Hoſtiam immolaſſe. Frequentia contemptum parit, & ex ipſa raritate creſcit reverentia Sacramenti.* Veriſimile eſt etiam, eos qui Apoſtolis proxime ſucceſſerunt, idem feciſſe, & cęteros, qui ſequentibus Sæculis vixere, Sacerdotes probos ad eumdem modum ſe geſſiſſe; tum quia Sacerdotes nonniſi permittente Epiſcopo Miſſam celebrare poterant; tum quod plerumque nonniſi eodem Epiſcopo celebrante ipſi celebrabant; tum denique quia, cum celebraret Epiſcopus, ipſi ab ejus manibus Euchariſtiam percipiebant, ac plerumque Miſſam non celebrabant, juxta vetera monumenta, quæ in lucem extulit Martene *de antiquis Eccleſiæ Ritibus lib.* 1. *cap.* 3. *art.* 8. Huc accedit, quod habetur in libro Pontificali in via Pontificis Deuſdedit: *Conſtituit ſecundam Miſſam in Clero*; unde infert Petrus Urbevetanus, ante non niſi unam celebrari conſueviſſe Miſſam: *quia tunc ad inſtar Græcorum non cantabatur in Eccleſia, niſi forſitan una Miſſa, quod magis ædificabat ſecundum antiquos.* Conſentit Vicecomes *lib.* 3. *de antiquis Miſſæ Ritibus c.* 29. ubi, poſtquam produxit ea verba ex libro Pontificali, ait: *Ex Auctoris ergo ſententia Deuſdedit Papa duplicis Miſſæ auctor fuit.* Proditum eſt in Vitis Patrum, fuiſſe aliquem, qui Sacerdotio initiatus, prima celebrata Miſſa, nullam deinde voluit amplius celebrare; quemdam etiam Sacerdotem creatum nunquam feciſſe Sacrificium, juxta id quod habetur apud D. Thomam *in* 4. *Sentent. diſt.* 13. *quæſt.* 1. *art.* 2. *quæſt.* 1. Ex S. Epiphanii epiſtola ad Joannem Hieroſolymitanum nonnemo conjicit, S. Hieronymum Presbyterum Sacrificium nunquam obtuliſſe. Ac ne id peculiare cujuſpiam inſtitutum videatur eſſe, Guigues quintus Carthuſianorum Generalis *cap.* 14. *num.* 5. *ſuorum Statutorum* ait: *Raro hic Miſſa canitur; quoniam præcipue ſtudium, & propoſitum noſtrum eſt ſilentio, & ſolitudini Cellæ vacare.*

„ Sanctus Anſelmus Epiſcopus Bellovacenſis ad eam aſſumptus fuit Eccleſiam ex Ordine Carthuſianorum, & in ejus Vita legitur, creatum Epiſcopum non remiſiſſe, ſed auxiſſe auſteritatem, & fere quotidie Miſſam celebrare conſueviſſe, quod antea, cum Carthuſianus eſſet, non faciebat; nam in eo Ordine tum non niſi die Dominico Miſſa celebrabatur, ut notat etiam Fleury *Hiſt. Eccleſiaſt. tom.* 15. *lib.* 63. *ad ann. Chriſt.* 1168. *num.* 14. *pag.* 398. Quod ſi quis vocem *cantare*, quæ in veteribus eſt Carthuſianorum Statutis, ita interpretari velit, ut non Miſſam privatam, ſed ſolemnem ſignificet, is falli ſe ſciat; nam Mabillonius Præfatione ad Sæculum II. Ordinis S. Benedicti *Obſervat.* 1. *numer.* 36. aperte demonſtrat, juxta eorum temporum idiotiſmum, *Miſſam cantare* idem eſſe, ac *recitare*. Satis celebris eſt Sancti Franciſci Aſſiſiatis Epiſtola, ſeu Teſtamentum, in quo per modum conſilii Fratribus ſuis injungit, ut non niſi unica Miſſa quotidie in Conventibus celebretur, licet in iis plures eſſent Sacerdotes, quibus ſatis eſſe debet, ſi Miſſæ interſint; hanc enim eſſe Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem: *Moneo præterea, & exhortor in Domino, ut in locis, in quibus morantur Fratres, una tantum Miſſa celebretur in die, ſecundum formam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. Si vero in loco plures fuerint Sacerdotes, ſit per amorem charitatis alter contentus audita celebratione Sacerdotis alterius*; ad quam Epiſtolam notat Fleury *tom.* 16. *Hiſt. Eccleſiaſt. lib.* 79. *ad ann. Chriſti* 1226. *num.* 26. id S. Franciſcum juſſiſſe in majorem Miſſæ venerationem, quod etiam conſideravit Alexander de Ales in Epiſtola ad Jacobum Scotiæ Regem apud Eſpencæum *de Miſſa privata, & publica*. Denique etiam nunc in Eccleſiis Græcorum nonniſi unica per diem Miſſa celebratur, ut videre eſt apud Thierſ. *tom.* 1. *de Superſtitione c.* 7. *pag.* 96. quod etiam confirmat Georginyis *in libello de Ritibus Græcorum*, ubi hæc ſcribit: *In magno numero Sacerdotum nonniſi unus in eadem Eccleſia Sacra Miſſarum obit; reliqui ſe pro Miniſtris gerunt.* Non abſimilis eſt Maronitarum diſciplina, ut teſtatur Dandinus Societatis Jeſu Presbyter in ſuo ad Libanum Montem itinere. Cumque multa de Græcis Ritibus ad Abiſſinos permanaverint, noſtrates Europæi, qui in eas Regiones pervenerunt, unam tantum per diem compererunt apud illam nationem celebrari Miſſam, ut videre eſt apud Cardinalem de Lugo *de Sacram. Euchariſt. diſp.* 20. *ſeſſ.* 1. *num.* 12. Sigiſmundus *Liber de rebus Moſcovit.* hæc ſcribit: *In ſingulis autem Templis unicum eſt Altare, & in dies ſingulos unicum quoque Sacrificium faciendum putant.*

Atque hæc omnia ſunt, quæ ex Eccleſiaſtica Hiſtoria licuit depromere ad hanc quæſtionem pertinentia. Sed ſua cuique, vel facto, vel auctoritati, præſto eſt appoſita reſponſio. Vicecomes *tractatu de Miſſæ Ritibus lib.* 1. *cap.* 11. *& ſeq.* eruditiſſime oſtendit, Apoſtolos, eoſque qui Apoſtolis proxime ſucceſſerunt, toto terrarum Orbe Miſſam celebraſſe. Vvalfridus ex binis Actorum Apoſtolicorum locis, quorum alter: *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis*; alter: *Quotidie quoque perdurantes unanimiter in Templo; & frangentes circa domos panem, ſumebant cibum cum exultatione*, infert, Apoſtolos quotidie Miſſam celebraſſe. In Actis S. Andreæ, quæ ſincera eſſe exiſtimant Baronius, & Natalis Alexander, ſaltem nihil non verum continere fatetur Tillemontius, Beatus ille Apoſtolus ad Proconſulem, a quo ad inania ſimulacra adoranda compellebatur: *Ego*, inquit, *Omnipotenti Deo, qui unus, & verus eſt, immolo quotidie non taurorum carnem, nec hircorum ſanguinem, ſed immaculatum Agnum in Altari, cujus carnem poſteaquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus, qui ſacrificatus eſt, integer perſeverat, & vivus.* Conſonant cum his monumenta primorum Eccleſiæ Sæculorum, quibus oſtenditur quotidiana Miſſæ celebratio. Sanctus Cyprianus *Epiſt.* 54. ad Cornelium ita ſcribit: *Epiſcopatus noſtri honor grandis, & gloria eſt pacem dediſſe Martyribus, ut Sacerdotes, qui Sacrificia Dei quotidie celebramus, Hoſtias Deo, & Victimas præparemus.* Et Amphilochius Baſilium Magnum teſtatur in ejus Vita quotidie Miſſam celebraſſe; idem ait Baronius de Sancto Ambroſio. Et Innocent. I. *Epiſt.* 1. ad Exuperium Epiſcopum Tholoſanum probat, pudicitiam a Sacerdotibus cuſtodiendam, quod nullus dies illuceſcat, quo non offerant Sacrificium. Ac iiſdem illis temporibus, cum Presbyteri, vel nonniſi permittente Epiſcopo Miſſam celebrabant, vel cum eo celebrabant, vel denique non celebrabant, ſed ab ejus manibus Euchariſtiam accipiebant, narrat S. Gregorius *lib.* 4. *Dialogorum cap.* 56. S. Caſſium Narnienſem Epiſcopum quotidie magna cum devotione Miſſam celebraſſe: *Vir vitæ venerabilis Caſſius Narnienſis Epiſcopus quotidie offerre conſueverat Deo Sacrificium, ſeque in lacrymis inter ipſa Sacrificiorum arcana mactabat.* De S. Goar Anachoreta, & S. Geremaro Abbate proditum eſt, Miſſam quotidie eos celebraſſe. Et Beda in Hiſtoria Abbatum ſui Monaſterii, loquens de itinere, quo Ceolfridus Abbas profectus eſt Romam, ſcribit: *Ex die, quo de Monaſterio ſuo profectus abiit, uſque ad diem quo defunctus eſt, quotidie Miſſa cantata ſalutaris Hoſtiæ Deo munus offerebat.*

Quod affertur ex libro Pontificali de Pontifice Deuſdedit, omnino evertitur ex eo, quod compertum habeamus, S. Leonem Magnum providiſſe, ut multiplicarentur Miſſæ, & Populi neceſſitati ſatisfieret, ut videre eſt in Can. *Neceſſe, de Conſecr. diſt.* 1. idque bene advertit Vignolius in Notis ad Librum Pontificalem in Vita illius Pontificis. Exempla vero eorum, qui Sacerdotio initiati, vel nunquam, vel ſemel tantum tota vita Miſſam celebrarunt, nihil habent momenti: ea enim e ſingulari quodam Dei inſtinctu traxere originem, nec propte-

propterea poſſunt generalem ſtatuere regulam, ut advertit Durandus *diſt.* 13. *q.* 2. *a.* 2. quo cum conſentit Victoria *q.* 94. *de Eucbariſtia*. De Beato Hieronymo nihil aliud ex Epiſtola S. Epiphanii ad Joannem Hieroſolymitanum evincitur, quam noluiſſe Sanctum Doctorem in Monaſterio Bethlemitico Miſſam celebrare, ne in ipſius Joannis offenſionem incurreret, a quo non erat Sacerdotio initiatus, quique Monaſterium illud ſuæ juriſdictioni ſubditum eſſe contendebat. Sanctum vero Hieronymum nunquam Miſſam celebraſſe, vel tribus illis annis cum fuit Romæ, vel cum Roma ſe Conſtantinopolim contulit, ut a S. Gregorio Nazianzeno ſacras perdiſceret litteras, vel cum varias Regiones peragravit, ut Hebraicæ, Chaldaicæ, & Syriacæ linguæ peritiam ſibi compararet, vel denique cum in Eremo quatuor eſt annos commoratus pœnitentiam agens, non videtur affirmari poſſe, ut oſtendit Tournely *t.* 2. *de Sacram. Eucbariſt. edit. Pariſien. anni* 1729. *pag.* 383. Quod ſi quæ reperiantur proborum hominum exempla, qui raro Sacrificium fecerint, opponenda illis ſunt innumera prope ceterorum exempla, qui Sanctitate clari, nunquam, niſi in morbum implicitı, Miſſam celebrare omiſerunt, ut videre eſt in noſtro de Canonizatione Sanctorum *lib.* 3. *cap.* 27. *num.* 3.

„ E veteri Carthuſianorum conſuetudine nihil conſequitur, utpote quæ eorum ſolitudini, aliiſque ſingularibus circumſtantiis erat innixa, quæ tamen etiam juxta eorum Ordinis principia non erat ejuſmodi, ut non potuiſſet remitti; quod luculenter apparet ex allata Petri Bleſenſis epiſtola, qui poſtquam Alexandrum Monachum reprehendit, Inſtitutum, & Ordinem deſerere cogitantem, quod in eo non liceret quotidie celebrare: *Hoc*, inquit, *in Ordine Carthuſienſi cauſaris, & arguis, quod ſingulis diebus Miſſas non faciant, atque hujus Religionis, ſeu potius ſuperſtitionis obtentu, tuum machinaris egreſſum. Tuæ litteræ faciunt te inſanum*; eumque hortatur, ne abeat; illi enim eſſe indultum, ut quotidie Miſſam celebrare poſſet: *Tamen, ne in domo tua fieres ſcandali generalis occaſio, ut obſtrueretur os loquentium iniqua, tibi fraterna charitas ſingulis diebus offerre Hoſtiam ſpeciali devotione indulſit*. De qua diſpenſatione ita ſcribit Lupus *tom.* 4. *primæ edit. pag.* 321. *Carthuſianus Ordo ſemper ignoravit Monaſtici rigoris diſpenſationes. Quare hæc Fratri Alexandro facta gratia demonſtrat, quotidianam celebrationem fuiſſe etiam tunc admodum favorabilem*. Quod ad Sancti Franciſci Epiſtolam attinet, Vvadingus exiſtimat, ibi de Miſſa publica, ſeu Conventuali, non de privata, ſermonem haberi. Quidam putant, S. Franciſcum non de omnibus anni diebus loqui, ſed de Feria quinta in Cœna Domini. Nonnulli etiam Epiſtolam tanquam ſpuriam rejiciunt. Vicecomes *de antiquis Miſſæ Ritibus lib.* 3. *cap.* 29. putat, in multis Diœceſibus ante S. Franciſci ætatem plures quotidie Miſſas celebrari conſueviſſe; ſed ætate S. Franciſci in Templis Regularium morem fuiſſe unam tantummodo Miſſam celebrandi; idcirco S. Franciſcum Fratribus ſuis inculcaſſe, ut unica tantum Miſſa ſingulis diebus celebraretur. Alii hic eam Epiſtolam interpretantur, ut cum Seraphicus Pater Sacerdotio nunquam voluerit propter humilitatem ſuam initiari, opportunum exiſtimaverit non quidem jubere, ſed cohortari Fratres ſuos, ut unica tantum Miſſa ſingulis diebus eſſent contenti, cui ceteri Sacerdotes adeſſent, idque tantum humilitatis gratia; ſingularem vero ejus opinionem cum communi univerſalis Eccleſiæ conſenſu non poſſe conferri, quæ adeo ad quotidianam, & quam frequentiſſimam Miſſæ celebrationem propenſa eſt. Vide Sylvium *in* 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 5. & Card. Bonam *Rerum Liturgicar. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 6.

„ Et quia in ea Epiſtola habentur illa: *Una tantum Miſſa celebretur in die, ſecundum formam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ*; ex quibus verbis poſſet quiſpiam conjicere, non niſi unicam Romæ Miſſam celebrari conſueviſſe, cui ceteri Sacerdotes adeſſent; obſervat Lupus *t.* 4. *edit. primæ pag.* 318. in Pontificio Sacello unicam tantum, in aliis vero Romæ Baſilicis magnam Miſſarum copiam celebrari conſueviſſe; tum quia ad Pontificium Sacellum Populus non conveniebat, tum etiam quia ſæpenumero in eo Sacello aderant Epiſcoporum Græcorum aliqui, cum quibus in eo ſaltem loco æquum eſſe exiſtimabatur, ut Unitas appareret. Sed concinnior eſſe videtur Cardinalis Bonæ *loco cit.* reſponſio, qui primo ſtatuit, nunquam Romæ fuiſſe conſuetudinem, ut una tantum Miſſa ſingulis diebus celebraretur, ideoque incredibile eſſe, Sanctum Franciſcum aut neſciviſſe Romanæ diſciplinæ, aut mentiri voluiſſe; itaque ait, illum Fratres ſuos cohortatum eſſe, ut unicam in Conventibus Miſſam ſingulis diebus, eamque *ſecundum formam Romanæ Eccleſiæ celebrarent*, id eſt juxta Romanum Ritum, ut forma Romanæ Eccleſiæ, non ad ſingularem Miſſam, ſed ad Romanum Ritum referatur. Denique de Eccleſiæ Græcæ Ritu patet, illum ex eo ortum, quod Sacerdotes uxores habeant, a quibus cum multo ante tempore debeant ſecubare, quam Miſſam celebrent, idcirco non poſſunt quotidie ſacrificare; & ſane qui Sacerdotes Græci uxorem non habent, ut Monachi, quibus non licet uxores ducere, quotidie Miſſam celebrant, ut advertit Lupus *loc. cit. pag.* 319. Bocquillot *tract. hiſtorico de Sacra Liturgia lib.* 2. *cap.* 7. *pag.* 396. *& ſeq.* affert vetera aliquot monumenta, quibus antiquam Monachorum diſciplinam probat non celebrandi quotidie Miſſam. Fatetur non defuiſſe, qui quotidie celebrarent ea devotione: fuiſſe tamen, & nunc etiam eſſe, qui quotidie eleemoſynæ gratia Miſſam celebrent. Verum id nihil repugnat iis, quæ diximus: ſemper enim veriſſimum eſt, magis conſentaneam eſſe Jeſu Chriſti, & Eccleſiæ ſenſui quotidianam Miſſæ celebrationem, modo cum iis, quibus æquum eſt, diſpoſitionibus celebretur; quod bene advertit etiam Grancolas in veteri Sacramentario Eccleſiæ *part.* 1. *pag.* 671.

DUBIUM II.

De obligatione Parochi celebrandi, & offerendi Sacrificium.

7 Certum eſt apud omnes, Parochum teneri per ſe, vel per alium Sacrificium facere omnibus, & ſingulis diebus Dominicis, & Feſtis, quibus Populus ex præcepto tenetur Miſſam audire, quia officium Parochi eſt, miniſtrare Parochianis quæ illis ſunt neceſſaria ad ſalutem; hoc enim titulo accipit ſtipendium, & cum hoc onere accepit munus Parochiale; illis autem diebus hoc miniſterium eſt Populo neceſſarium. Quod ſi Populus ſit ita numeroſus ut omnes non poſſint eidem Sacro intereſſe, curare debet, ut aliæ Miſſæ celebrentur, data eleemoſyna, ſi ita ferant reditus beneficii, quod arbitrio Ordinarii decidendum docet Palaus *punct.* 13. *n.* 4.

8 Extra id tempus, ablata conſuetudine, vel ſtatuto, non eſſe obligandos Parochos ad ſacrificandum docent Marchinus *part.* 2. *tract.* 3. *cap.* 30. & Facundez *de præcept. Eccleſ. par.* 2. *l.* 3. *c.* 15. *a.* 8. quia hæc duo videntur correlativa, ut quibus diebus Populus non tenetur Miſſam audire, nec teneatur Parochus ſacrum facere; ſed extra dies Dominicos, & feſtos non tenetur Miſſam audire; ergo nec Parochus ſacrum facere. Verum quia ex communi Doctorum Sententia a nobis tradita ſupra tract. præcedenti *cap.* 6. *dub.* 6. tenetur Parochus pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrare populo, non ſolum tempore præcepti, ſed etiam quoties pro augmento devotionis, & Charitatis rationabiliter petunt, maxime ſi non ſint alii v. g. Religioſi, a quibus petere poſſint, quia Parochus tenetur ovibus præſtare non ſolum neceſſaria, ſed etiam utilia ad ſalutem, quia hoc pertinet ad munus Paſtoris, & quia hoc titulo aluntur a ſubditis; ita videtur Parochus teneri ſacrum facere; non ſolum quo tempore tenetur Populus ex præcepto audire, ſed quoties rationabiliter poſtulat. Ideo Sotus *in* 4. *diſt.* 13. *q.* 2. *art.* 2. & Azor. *lib.* 10. *cap.* 24. quibus conſentit Palaus ſupra *n.* 5. exiſtimant obligandum eſſe Parochum, ſi numeroſus ſit Populus, & fructus non exigui, bis vel ter in hebdomada celebrare, maxime ſi in oppido non ſint aliæ Eccleſiæ Collegiatæ, vel Conventuales, ad quas pro Sacrificio audiendo concurrere poſſit: & Bonacina *punct.* 7. *num.* 4. refert, in Concilio primo Provin. Mediolan. *part.* 2. *tit. de frequenti divini Sacrificii oblatione* præceptum eſſe Curatis, ut præter dies Dominicos, & reliquos dies feſtos ter in hebdomada, aut etiam ſæpius, prout loci conſuetudo, vel neceſſitas crebriorem divini Sacrificii uſum poſtulabit, Miſſam celebrent; Leander *diſp.* 5. *q.* 5. docet, Parochum per ſe, vel per alium teneri celebrare, quoties neceſſarium fuerit Populo, & quoties danda eſt benedictio nuptialis, quæ datur cum Miſſa, & quoties ſepeliendus eſt mortuus cum Miſſa, & hoc ſub mortali citat Barboſam *de poteſt. Epiſcopi allegat.* 24. *n.* 22. *& poteſt. Parochi cap.* 11. *n.* 5. Dianam *part.* 2 *tract.* 14. *reſol.* 26. & alios.

Vide quæ ad hujus Sententiæ confirmationem adducuntur in Tract. de Sacrif. Miſſæ lib. 3. *c.* 3. *hiſce verbis*: Qui arbitrantur, Fideles in ſua quemque Parochia diebus Dominicis, aliiſque feſtis diebus adeſſe debere Miſſæ, facile poſſunt evincere Parochum, illis diebus ad Miſſæ celebrationem obligari, aut legitime impeditum per alium Sacerdotem curare debere, ut Miſſa celebretur. Idem perquam facile itidem iis erit, qui putant, Parochum teneri diebus feſtis e præcepto celebrare pro populo. Nos ab hac ſecunda quæſtione, quam inferius tractabimus, nunc abſtinere volumus. Et quod attinet ad primam, ita monet S. Tridentina Synodus *ſeſſ.* 22. in Decreto *de Obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſæ*: *Moneant* (Ordinarii) *etiam eumdem Populum, ut frequenter ad ſuas Parochias, ſaltem diebus Dominicis, & majoribus Feſtis accedant*. Et cap. 4. *ſeſſ.* 24. de Reformat. *Moneatque Epiſcopus Populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, ubi commode id fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei*. Verbum vero divinum declarari Populo vult ab ipſo Parocho *inter Miſſarum celebrationem*, ut videre eſt *cap.* 8. *ſeſſ.* 22. & *cap.* 7. *ſeſſ.* 24. de Reformatione.

„ Admo-

„ Admonitio facienda Populo, ut in Dominicis, Feſtiſque majoribus ad ſuam quiſque Parochiam accedat, & ubi commode poteſt, ſciat ſe teneri ad audiendum verbum Dei, a Parocho inter Miſſarum celebrationem exponendum, certe evincit, Parochum obligari ad Miſſam celebrandam in Dominicis, aliiſque Feſtis diebus. Id tamen nunc prætermittentes dicimus, in quibuſdam Diœceſibus Parochos Synodalibus Decretis obligari ad tres Miſſas in ſingulis hebdomadis celebrandas, ut videre eſt in 1. Provinciali Concilio Mediolanenſi S. Caroli Borromæi: *Curatis vero, ut præterea ter in hebdomada, aut eo etiam ſæpius, quo vel loci conſuetudo, vel neceſſitas crebriorem divini Sacrificii uſum poſtulabit.* Generatim Parochi, etiamſi ponere velimus, eos non teneri ad offerendum, & ſacrificandum pro Populo diebus feſtis ex præcepto, tamen his diebus tenentur Miſſam celebrare, vel ſi legitime ſint impediti, munus hoc alteri Sacerdoti committere, ut docet Sylvius in *3. p. D. Thomæ q. 83. art. 1. quæſt. 17. Tenentur quidem omnibus Feſtis, & Dominicis, ac pro locorum conſuetudine etiam quibuſdam aliis diebus Miſſam in Eccleſia Parochiali facere. Sed aliud eſt teneri ad eam dicendam, ut Parochiani poſſint illam audire, aliud vero ad offerendum particulariter pro ipſis. Si vel infirmitate, vel alia quapiam juſta cauſa impediatur a celebrando, certum eſt, quod tenetur providere, ut per alium celebretur, ita ut Parochiani poſſint Miſſam audire.* Id enim oritur ex Parochianorum obligatione audiendi Miſſam diebus Feſtis ex præcepto, & ex jure quod habent illius audiendæ in templo Parochiali, & ea ea etiam convenientia, quam commendat Tridentina Synodus, ut in eo ipſo diebus feſtis audiant, quemadmodum recte arguit Sotus in *4. ſentent. diſt. 13. quæſt. 2. art. 2. Parochi, qui Curam habent animarum, ſacrum facere tenentur, quoties Populus audire obligatur. Nam iniqua eſſet conditio ejus, qui audire cogeretur, ubi nemo dicere perſtringitur. Quod & in aliorum Sacramentorum adminiſtratione eamdem retinet veritatem; tenentur enim Parochi Sacramenta adminiſtrare, quæ populus tenetur ſuſcipere. Quare ſaltem diebus feſtis eadem obligatione perſtringuntur, niſi legitime fuerit impediti.*

„ Plures quoque alii caſus poſſunt contingere, quibus Parochi obligentur etiam aliis diebus, qui Feſti non ſint, Miſſam celebrare; puta ſi cui opus eſſet Infirmo Viaticum miniſtrare, nec Sacramenti eſſet copia. Quod attinet ad Canonicos, aliosque Sacerdotes Cathedralibus, ſeu Collegiatis Eccleſiis addictos, eorumque obligationem cantandi Miſſam, item ad eos, qui Beneficium, ſeu Capelloniam habent cum onere Miſſæ quotidie celebrandæ, apertiſſimæ ſunt Canonum ſanctiones. Honorius III. in cap. *Cum Creatura, de celebrat. Miſſar.* juſſit in omnibus Cathedralibus, & Collegiatis quotidie cantari Miſſam Conventualem; *Mandamus, quatenus in vos nullum torporem negligentiæ obrepere permittatis, quominus & pro anniverſariis Defunctorum, & pro Feſto, vel Feria, ſecundum temporum congruentiam, Miſſarum ſolemnia conventualiter celebretis.* Videatur Clericatus *dec. 38. de Sacrific. Miſſæ n. 11. & ſeqq.* ubi loquitur de obligatione, quam habent juxta Rubricas Canonici Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum cantandi Miſſam Conventualem, & aliquando etiam duas, quemadmodum præſcribit Rubrica Miſſalis *p. 1. tit. 3. n. 1.* Quapropter in Synodo Provinciali Mediolanenſi ſub S. Carolo Borromæo, quam Sedes Apoſtolica approbavit, ita ſtatuitur: *Quibus diebus ex Miſſalis Romani Rubricarum præſcripto in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis duas Miſſas Conventuales celebrare oportet, ex ambæ cantentur. Quod ſi Capitulum præſtare emiſerit, negleveritve, non ſolum illius diei, in quo huic muneri defuerit, verum etiam alterius diei diſtributionibus mulctetur.* Videndus etiam Meratus in egregio ejus Opere ad Gavantum *par. 2. t. 1. pag. 783.* ubi abunde oſtendit, ſtricte obligari Canonicos Cathedralium & Collegiatarum Eccleſiarum ad cantandas duas Miſſas Conventuales, quando præſcribitur a Rubrica. Clemens V. in ſua Clement. 1. de celebrat. Miſſar. ſtatuit, ut quotidie in Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis Eccleſiis horæ Canonicæ recitentur: *Necnon ut, in Cathedralibus, Regularibus & Collegiatis Eccleſiis devote pſallatur.* Et quamquam Miſſa ſub horarum Canonicarum nomine non continetur per textum in *cap. Presbyter de celebrat. Miſſ. Septenarius numerus a nobis impletur, ſi Matutini, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Veſperæ, & Completorii tempore noſtræ ſervitutis officia perſolvamus:* tamen ſub Divini Officii nomine continetur, ut probat textus in *can. De his, diſt. 12. Cetera officia publica, idest Veſperas, Matutinum, ſive Miſſam alter quam in principali Eccleſia celebrare non liceat;* atque inde illud manat, quod cum in Cathedralibus & Collegiatis Eccleſiis obligatio ſit Divini Officii quotidie celebrandi, non modo Cathedrales, ſed etiam Collegiatæ ad Miſſam Conventualem quotidie celebrandam obligentur. *Canonici Cathedralium & Collegiatarum accipiant fructus ſuorum Canonicatuum ſub onere inſerviendi Eccleſiæ in celebratione Divinorum officiorum, quæ celebratio non importat ſolum Horas Canonicas, ſed etiam Miſſam Conventualem, tanquam præcipuam partem:* verba ſunt Merati *par. 2. tom. 1.* ad Gavantum *pag. 796. num. 30.* Diximus de obligatione celebrandi; nam de onere offerendi, inferius ſermonem habebimus.

Alexander III. rogatus, ut inſtitutionem Beneficii approbaret, in qua inſtitutor onus impoſuerat Sacerdoti quotidie inſerviendi Eccleſiæ, niſi impediret infirmitas, & celebrandi Miſſam ſingulis diebus, ita reſpondit; *Quam quidem inſtitutionem ratam confirmamus, ut prædictus Sacerdos, niſi infirmitate corporis fuerit impeditus, aſſidue debeat obſequium ſuum impendere Eccleſiæ memoratæ, & quanto frequentius poteſt, ſalva honeſtate ſua, & debita devotione, Miſſarum ſolemnia celebrare, nec ſibi liceat hoc illi ſubtrahere ſive cauſa voluptatis, ſive ſe ad aliam Eccleſiam transferendo.*

9 Major difficultas eſt: *an teneatur aliquando Parochus pro ſuis Ovibus Sacrificium applicare?* Palaus *punct. 13. n. 7.* citans pro ſe Navar., Reginaldum, Vaſquium, Suarium, Naldum, Poſſevinum, & Coninch. nullam agnoſcit in Parocho ſpecialem obligationem applicandi fructum Sacrificii pro Populo, quia officium Parochi eſt, paſcere Oves verbo, & exemplo, & Sacramentorum adminiſtratione, Sacrificii diſpenſatione, quod fieri poteſt ſine ſpeciali applicatione, cum ſola generali applicatione, qua omnibus Fidelibus, & præcipue Sacrificio intereſſentibus applicatur, & conſequenter, præſcindendo a ſtatuto Synodali, conſuetudine, aut alia particulari obligatione, poſſe ſingulis diebus ſtipendium accipere pro Miſſa dicendis.

10 Magis communis, magiſque, probabilis eſt contraria Sententia, docens, teneri Parochum jure Divino aliquoties in anno arbitrio prudentum Sacrificium applicare pro Populo per ea, quæ habet Trident. ſeſſ. 23. de reform. c. 1. ibi: *Cum præcepto Divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, Oves ſuas agnoſcere, pro his Sacrificium offerre, &c.* Hoc etiam ſuadet lex charitatis, & æquitatis ratio, dictans, quod Paſtores Animarum debeant pro ſuis ſubditis orare, & aliquando Sacrificium offerre, maxime quia ex Apoſt. ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis.* Nec ſatisfacit Palaus dicens, poſſe Apoſtolum, & Trident. intelligi de ſola applicatione generali; qua omnibus fidelibus, & præcipue Sacrificio intereſſentibus applicatur, quia hoc modo non haberet Parochus majorem obligationem applicandi pro ſuis ovibus, quam habeat applicandi pro tota Eccleſia, & pro omnibus circumſtantibus, quibus applicat fructum illum generalem; adeſſe autem majorem obligationem indicat Trident. dicens, adeſſe præceptum divinum, ut Oves ſuas Parochus agnoſcat, & *Sacrificium pro iis offerat*, & ſic dicendum eſt teneri ſaltem aliquando pro iis Sacrificium offerre.

11 Quoties autem, & quibus diebus teneatur Parochus applicare pro Populo, incertum eſt; nec eſt definitum, ſed relinquitur prudentis arbitrio, quod quidem alii magis extendunt, alii minus. Nimirum extendit Sotus *in 4. diſt. 13. q. 2 art. 1. & de juſt. lib. 9. quæſt. 3. art. 1.* ubi docet, teneri Parochum ad quotidie ſacrificandum pro Populo, quam ſententiam impugnant alii communiter Doctores Suarez, Vaſquez, Ludovicus a Cruce, Bonacina, Barboſa, Marchinus, & alii, quia, ut ſupra dixi, non tenetur Parochus quotidie celebrare; ergo nec Sacrificium pro Ovibus quotidie offerre, tum quia neque Summus Pontifex pro tota Eccleſia, neque Epiſcopus pro ſuo Epiſcopatu, neque Generalis Ordinis pro ſuis Religioſis quotidie ſacrificare tenentur; ergo nec Parochus pro ſuis Ovibus.

12 Nec etiam obligandus eſt Parochus ex vi muneris Parochialis præciſe applicare pro Populo omnibus diebus feſtivis Dominicis, & aliis, quibus juxta ſupradictas tenetur celebrare. Ratio eſt, quia obligatio applicandi diverſa eſt ab obligatione celebrandi, nec una bene infertur ex alia; ſicut enim non bene infertur: Parochus tenetur celebrare pro communicandis infirmis, aut pro benedictione nuptiali; ergo tenetur pro illis applicare Sacrificium; ita ex eo quod teneatur Parochus diebus Dominicis, & Feſtivis Miſſam celebrare, non bene infertur, quod debeat etiam applicare, cum nullo jure id præcipiatur. Ita Navar. *cap. 25. n. 92.* Reginaldus *lib. 23. nu. 238.* Coninch *quæſt. 83. art. 1. dub. 11. concl. 3.* Suarez, Vaſquez, Naldus, Poſſevinus, quos citat, & ſequitur Bonacina *punct. 7. n. 4.* Henriquez, Corduba, Hugolinus, Riccius, Layman, Filliucius, quos refert, & ſequitur Barboſa *de poteſt. Epiſc. allegat. 24. num. 23.*

13 Melius igitur dicendum eſt, ſufficienter impleri præceptum Divinum declaratum a Trident. *ſeſſ. 23. de reformat. cap. 1.* præſcindendo a Synodali conſtitut. aliiſque particularibus obligationibus, ſi Parochus Sacrificium applicet pro Populo ſolemnioribus feſtis; hoc enim conforme eſt arbitrio prudentum, & ſufficere videtur pro tali obligatione adimplenda. Ita tenent, pluribus citatis, Marchinus *cap. 30. n. 2.* Gavantus *in rubricas Miſſalis part. 3. tit. 12. num. 27.* Leander *diſp. 5. quæſt. 5.* Gaszia *dub. 6. num. 7.* aliique quamplures apud ipſos; additque Marchinus *num. 3.*

non poſſe Parochum illis diebus eleemoſynam accipere pro Miſſis dicendis, & utrique obligationi ſatisfacere ob Decretum Sacræ Congregat. ex mente Urbani VIII. de celebrat. Miſſarum, nec poſſe oppoſitum practicari: idemque definitum a Sacra Congregatione Rituum die 1. Septemb. anni 1629. docet Barboſa *de Offic. & poteſt. Parochi cap. 11. num.* 13. Hoc idem dicendum eſt in Sententia Soti, & aliorum admittentium, Parochum aut quotidie, aut Feſtivis, & Dominicis diebus teneri applicare pro populo, quod non poſſit illis diebus eleemoſynam accipere, nam ratione beneficii jam eſt obligatus Sacrificium ſpecialiter applicare pro populo.

Extat Decretum Sacræ Congregat. Concilii ſuper applicatione Sacrificii facienda a Parochis in Lucana tenoris ſequentis. *Cum præcepto Divino iis, quibus Animarum Cura commiſſa eſt, mandatum ſit pro Ovibus ſuis Sacrificium offerre, ſæpe alias Sacra Congregat. Concilii cenſuit, Parochos teneri pro Parochianis Sacrificium applicare, atque ea cum diſtinctione, ut ſi redditus pingues ſint, ſingulis diebus, ſi vero tenues, ſaltem diebus feſtivis. Idem nunc cenſet quoad Parochos iſtius Civitatis, & Diœceſis, &c.*

Romæ 10. Maji 1681.

F. Card. Columna.

In una Nonantulan, *Nullius* die 10. Auguſti 1698. fuit factum Decretum tenoris ſequentis. *Cum præcepto Divino iis, quibus cura Animarum commiſſa eſt, mandatum ſit, pro Ovibus ſuis Sacrificium offerre, ſæpe alias Sacra Congregat. Concilii cenſuit, Parochos teneri pro Parochianis Sacrificium applicare, & præcipue in dubio applicationis Sacrificii propoſito, & reſpective reſoluto ſub die 10. Maji 1692. his præciſis verbis concepto. An Parochus Miſſam celebrare teneatur, & Sacrificium applicare pro Parochianis in diebus Dominicis, & feſtis, ſive habeant congruam, ſive non; Sacra, &c. juxta alias declarationes cenſuit, teneri, nec poſſe eiſdem diebus aliam eleemoſynam accipere: ac proinde idem nunc reſpondendum cenſuerunt Eminentiſs. Patres quoad Parochos Nonantulanæ Diœceſis, addentes inſuper, quod E. V. pro ſuo Paſtorali zelo detrectantes Parochos compellere non gravetur.*

I. Card. Sacripantes Præfectus.

Loco ✠ Sigilli

Idem cenſuit Sacra Congreg. in una Piſtorienſi, & Pratenſi, ſive Parochi congruam habeant, ſive non, die 14. Februarii 1699. Quod Decretum fuit auctoritate Summi Pontificis Innocentii XII. confirmatum die 24. Aprilis 1699. Quare non eſt amplius de hac re dubitandum.

„ *Hoc fuſius videre poteris pertractatum a Benedicto XIV. in ſua Notific. 10. lib. 1. in qua, plurimis, & Conciliorum, & Pontificum congeſtis auctoritatibus, probat, atque ſuo peculiari Decreto in Bononienſi hac Diœceſi, cui tunc Archiepiſcopus Cardinalis præerat, decernit, quoſcumque Curam Animarum habentes, hac maxime, & indiſpenſabili obſtringi obligatione, ſingulis diebus Feſtis, atque Dominicis offerendi pro Populo. Quippe hæc ſunt ejus verba*: Sed jam ad illud veniamus, quod ſecundo loco propoſuimus, nempe Miſſæ Sacrificium Dominicis, ac Feſtis diebus pro Populo offerendum. Sic enim præcipit Tridentinum Concil. *ſeſſ. 23. cap. 1. cum præcepto Divino mandatum ſit omnibus, quibus Animarum Cura commiſſa eſt, Oves ſuas agnoſcere, & pro his Sacrificium offerre*. Non ignoramus quidem diſputationes, quæ excitantur; utrum ex Concilii verbis Parochus Sacrum tantummodo facere, an ejus quoque fructum (qui medius appellatur) pro Populo ita offerre debeat, ut nec ipſum pro alio offerre adeoque nec ſtipendium ſumere poſſit. Attamen nos minime latet Concilii verba a S. Cong. ita declarata fuiſse, ut medium Sacrificii fructum pro Populo applicare Parochus omnino teneatur, uti Fagnani teſtimonio plane conſtat cap. *Fraternitatem num. 93. 94. de Sepulturis*. Novimus etiam illud Sacræ Congregationis Decretum anno 1681. juſſu Cardinalis de Carpineo, ſimul cum aliis, pro Eccleſiaſticorum commoditate, fuiſſe impreſſum, in quo hæc ſtatuuntur: *Cum præcepto Divino iis, quibus Animarum Cura commiſſa eſt, mandatum ſit, pro Ovibus ſuis Sacrificium offerre, ſæpe alias Sacra Congregatio Concilii cenſuit, Parochos teneri pro Parochianis Sacrificium applicare, atque ea cum diſtinctione, ut ſi redditus pingues ſint, ſingulis diebus, ſi vero tenues, ſaltem diebus Feſtivis. Tom. 3. Theologiæ Moral. Gennet. impreſſ. Venet. pag. 317. Ita in Supplem. Theolog. Moral. Pater Sporer pagin.* 321. Illud quoque cognitum nobis eſt eamdem rem fuiſse propoſitam, atque iterum examinatam; cum Sacrum quotidie pro Populo celebrare, atque offerre, Parochis, licet copioſos proventus obtinentibus, grave nimis videretur, ideoque die octava Februarii anni 1716. hoc pacto fuiſſe reſponſum: *Sacra Congregatio Concilii, propoſitis infraſcriptis dubiis; primo: an Parochi non habentes congruam teneantur applicare Miſſam pro Populo, ſaltem diebus Feſtis; ita ſint cogendi in caſu &c. Secundo: an Parochi habentes pingues redditus teneantur quotidie Miſſam applicare pro Populo in caſu &c. Reſpondit ad primum affirmative, cenſuitque danda eſſe Decreta alias hac de re edita. Ad ſecundum negative, & hujuſmodi dubia amplius non proponi mandavit.*

Hoc Decretum in actis Sacræ Congregationis continetur, editumque fuit poſt Diœceſanam Synodum *pag.* 258. quam Epiſcopus Portalegren. in Luſitania convocavit. Si quis autem percipere velit reliqua ſuperiorum temporum Decreta, quibus hoc poſtremum ita conformatur, ut univerſi, qui Curam Animarum gerunt, ad offerendum pro Populo Sacrificium obſtringantur, Monacellum conſulat, qui in Romana Curia diu verſatus, & ad plures annos Auditor Cardinalis Petrucci, plurima Sacræ Congregationis Decreta congeſſit *Formul. pract. part. 1. impreſſ. ſecundæ* 1713. *pag.* 32. *num.* 4. *& ſeqq. tom.* 2. *pag.* 219. *num.* 18. *& ſeqq. tom.* 4. *pag.* 101. *num.* 121. Qui prioris etiam temporis Decreta expeteret, ſcilicet promulgata annis 1692. die 10. Maji, & 1699. die 24. Aprilis, percurrat Litteras Apoſtolicas Innocentii XII. *apud Anaclet. lib. 5. Decretal. tit. 3. num. 212. & ſeqq. in Clericato de Diſcord. Forenſ. diſcord. 29. de Beneficiis ſub num. 43. Ita in Supplem. Theol. P. Sporer pag.* 221., quibus ipſa peculiari modo a Pontifice confirmantur. Poſtremo, ſi qui poſt annum 1716. Sacræ Congregationis Sententiam exploratam habere velint, Nos ipſi teſtari poſſumus, qui cum a Secretis eſſemus, rogatu Cardinalis Tanari Decani, & Oſtienſis Epiſcopi propoſuimus (licet de hac re verba fieri vetitum antea fuiſſet) utrum Caſtri Romani, Porciliani, ac Decimi Rectores Oſtienſi Epiſcopo ſubjecti, diebus Feſtis Sacrificium offerre pro Populo deberent, cum exiguos ſolum proventus a Dominis Caſtrorum acciperent, & nihil ab egenis illis hominibus, inhoſpita fere loca colentibus, referrent, uti deſcripſimus in eo libello, qui imprimi, & Sacræ Congregationi ſolet exhiberi: *id autem, quod ſpeciali nota dignum eſſe videtur in præſenti, eſt, quod Parochi nihil a Populo recipiunt, cum id, quod habent, conſequantur a Dominis Caſtrorum*. Reſponſum ita fuit die 29. Januarii 1724. *teneri, & ad mentem*; ſcilicet poſſe ab iis Parochis ad egeſtatem ſublevandam ſtipendium accipi, licet diebus Feſtis præbeatur, & Sacrificium, quod pro Populo celebrandum fuerat, offerri pro illo, qui ſtipendium tradiderit, ea tamen conditione, ut alio hebdomadæ die pro Populo illud offerentes ſuo muneri ſatisfaciant.

Qua de re exploratum ſatis arbitramur id, de quo ſermonem inſtituimus, ſi Pontificum, & S. Congregationis Decreta ſedulo perpendantur. Nos quoque affirmare poſſumus, quod pluſquam centenis Epiſtolis, quas duodecim fere annorum ſpatio ad Epiſcopos per univerſum terrarum Orbem vel dedimus, vel pro munere, quo tum fungebamur, noſtro nomine obſignavimus (cum illi juxta præclaram Conſtitutionem Sixti V. ſuarum Eccleſiarum ſtatum, Sacræ Congregationi exponerent) niſi Feſtis diebus Sacrificium pro Populo a Parochis applicari teſtarentur, eos monebamus, ut ab omnibus, qui Animarum curæ præfecti eſſent, id impleri omnino curarent. Certum pariter eſt, in publicis examinationibus, quæ Romæ inſtituuntur, vel ad Ordines ſuſcipiendos, vel ad Confeſſiones audiendas, vel ad Parochiales Eccleſias obtinendas, nullo modo approbari illos, qui Parochum exiguo cenſu inſtructum, ab offerendo Sacrificio pro Populo liberum, & immunem exiſtimant. Neque illæ excuſationis cauſæ admittuntur, quas ſuperius attulimus, nempe Sacræ Congregationis Decretis legem minime induci, & ſine culpa violari, cum promulgari non conſueverint; nam cum lex aliqua jam palam innotuit, neceſſe non eſt, ut eodem pacto reliquæ Sanctiones publice divulgentur, quibus eadem lex magis declaretur: cum vero illam legem indicant, qui non modo auctoritate præditi ſunt, ſed etiam ſoli poſſunt Tridentinum Concilium explicare, ideo utrumque Forum jure complectitur. Item ſupervacaneum eſt ad eam rationem confugere, hujuſmodi Decreta ad illos ſolum pertinere, pro quibus conſtituta ſunt; nam licet id non ſemel contingat, ea tamen, de quibus ſermo eſt, ad univerſos referuntur, licet Viri alicujus ſingularis gratia emanaverint, quia ad explicandum, magiſque intelligendum Concilium, confecta fuerunt. Hinc ſi aliquis eamdem rem quærat, his verbis reſponſum tribuitur: *Dentur Decreta*; ut in hac cauſa, quam agimus, ſæpe evenit, ſicut antea commemoravimus. Id tamen in uſu non eſt, cum de illis Decretis agitur, quæ pro aliqua peculiari cauſa facta ſunt, in qua nihil cum cæteris commune reperitur. Neque ſane ad hæc cognoſcenda requiritur, ut a Secretis Sacræ Congregationis eligi quis debeat, cum ſatis ſuperque in Fagnano *cap. Quoniam, num. 6. de Conſtitutionibus* contineantur. Clericatus autem fuſius, & erudite de ipſius Sacræ Congregationis Decretis ſcripſit *Diſcord. Forenſ. de Beneficiis diſcord.*

„ 29.,

29., & præſertim etiam de illis, quibus offerre pro Populo Sacrificium Feſtis diebus Parochi jubentur.

„ Quæ cum ita ſint, poterant a nobis ſine ulla dubitatione Parochi obſtringi, ut Sacrum diebus, quos deſignavimus, pro Populo offerrent, & Chriſtianæ Legis præcepta, Myſteriaque explicarent; ſed cum falſam opinionem ipſi non deponerent, licet a Sedis Apoſtolicæ Sententia prorſus alienam eſſe non ſemel oſtenderimus, neceſſarium duximus, ne ullus in poſterum dubitandi locus ſupereſſet, cum ad Sacram Congregationem de Populo ad Chriſtianam Doctrinam inſtruendo ſcriberemus, aliquid etiam de ceteris rebus, de quibus nunc agimus, velut hiſtoriam exponentes, ſolum attingere, ne ipſius auctoritatis, & ſententiæ, eorumque omnium, quæ generatim, vel peculiariter ſtatuta ſunt, tam cito immemores videremur. Itaque die 9. Auguſti hujus anni in hunc modum reſpondit: *Cavendum præterea eſt, ut omnes Parochi diligenter muneri ſuo ſatisfaciant, & ſingulis diebus Feſtis Populo ſibi commiſſo ſacra eloquia, ſalutiſque monita exponant, facili ſermone denunciando vitia, quæ declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat. Ac denique admonendi ſunt iidem Parochi, teneri eos omnibus diebus Feſtis Miſſæ Sacrificium applicare pro Populo, etiamſi minus integra congrua ex Parochialibus proventibus recipiant, quemadmodum pluribus hujus Sacræ Congregation. Decretis declaratum fuiſſe probe compertum eſt Eminentiæ Veſtræ.*

„ Obſervandum eſt prioris temporis Decreta a Sacra Congregatione in medium proferri, ex quo facile comprobatur ad univerſos ipſa ſpectare, licet aliquorum ſolum gratia prodierint, eo quod Concilii Tridentini intelligentiam, & explicationem præſeferant. Igitur non ſolum noſtra, ſed ipſius Congregationis, & Summi Pontificis auctoritate (quo probante ipſæ litteræ ad nos ſcriptæ fuerunt) ſub pœnis a Concilio Tridentino in delinquentes propoſitis, mandamus omnibus, qui ad curam Animarum in Civitate, ſeu Diœceſi conſtituti ſunt, ut Feſtis diebus ad Populum verba facere, & viam ſalutis declarare nunquam prætermittant, iiſdemque diebus Sacrificium pro ipſo offerant, niſi pœnas voluntate noſtra imponendas ſubire velint. Quamvis autem ipſorum probitas nullum ſuſpicionis locum nobis relinquat, quin hæc noſtra ſanctio penitus executioni mandetur: tamen, ut ſtudium noſtrum, eorumque obtemperantia palam innoteſcant, volumus, juxta Decreta Sacræ Congregationis, quæ in Urbe a viſitatione dicitur, ut quilibet Parochus Sæcularis, aut Regularis, in Civitate, ac Diœceſi, ab anno 1733. eos dies in peculiari libro deſignet, quibus pro Populo Sacrificium obtulerit. Qui non paruerint pro voluntate noſtra punientur. Bralchius in Synodali Promptuario *cap. 107. a n. 28. uſque ad num. 34.* non modo Decreta Sacræ Congregationis de offerendo pro Populo Sacrificio, quemadmodum ſupra explicavimus, luculenter exponit, ſed etiam commemorat, Parochos, tum Sæculares, tum Regulares, ea lege teneri, ut in peculiari libro idem Sacrificium deſcribatur. Poſtremo jubemus, ut ſolito noſtro more hæc noſtra Sanctio promulgetur, & in ſingulis Sacrariis, tum in Urbe, tum in Diœceſi, fixa conſervetur.

„ *Quod ſi plura hac de re adhuc cupis, legere ne ſinas, quæ tibi æque fideliter exhibeo, deſumpta ex cap. 8. lib. 3. Tract. de Sacrif. Miſſæ, ubi ſic legitur*: S. Tridentina Synodus *ſeſſ. 23. c. 1.* loquens de iis, qui curam habent Animarum: *Cum præcepto*, inquit, *Divino mandatum ſit omnibus, quibus Animarum cura commiſſa eſt, Oves ſuas agnoſcere, pro his Sacrificium offerre.* Qui de Morali ſcribunt Theologia quæſtionem illam excitarunt, an verbis illis: *pro his Sacrificium offerre*, teneantur, qui curam habent Animarum, Miſſam tantummodo celebrare, an etiam onus habeant applicandi Sacrificium Populo ſibi commiſſo: in qua quæſtione Sacræ Congregationis ſemper ea fuit Sententia, eum, qui curam Animarum habet, teneri Miſſam applicare Populo omnibus diebus Dominicis, & Feſtis diebus ex præcepto, ſive Parochus Sæcularis ſit, ſive Regularis, ſive amovibilis, ſive non (nam & qui amovibilis eſt, Animarum curam habet) ſive congruam habeat, ſive non habeat; illudque dumtaxat S. Congregatio concedit Parocho, ſi pauper ſit, ut etiam die Feſto applicare poſſit Miſſam ei, qui ſibi eleemoſynam dederit, dummodo celebret in Parochia, ne Populus Miſſa careat, & alio die per hebdomadam Miſſam celebret, & Populo applicet loco ejus, quam applicare debuerat Feſto illo die, cum eleemoſynam accepit, ut docuimus Edicto 10. *tom. 1.*, quo vetera, & recentia S. Congregat. Decreta, Summis Pontificibus confirmata, congeſſimus.

„ *Præterea ex Appendice VII. ad id caput ejuſdem libri ad Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, cunctoſque locorum Ordinarios per Italiam conſtitutos, miſſa, hæc deſumuntur*: Cum ſemper oblatas nobis occaſiones Apoſtolica ſcripta dirigendi ad Fraternitates Veſtras libenter amplectimur, ut ſinceræ noſtræ erga vos dilectionis argumenta frequenter eluceant: tum vero majori animi alacritate idipſum præſtamus, cum ad excitandum Fraternitatum Veſtrarum zelum pro conſervatione rectæ diſciplinæ in Clero regimini veſtro commiſſo, præſentibus rerum, aut temporum conditionibus commovemur. Nec enim impoſitum imbecillitati Noſtræ omnium Eccleſiarum ſollicitudinis onus aliter ſuſtinere Nos poſſe confidimus, quam ſi Divini Cultus augumentum, atque exactam Eccleſiaſticarum Sanctionum in ſingulis Diœceſibus cuſtodiam, religioſæ vigilantium Paſtorum curæ identidem inculcando, commendemus.

Hujus porro Epiſtolæ ad Vos ſcribendæ occaſionem Nobis, atque argumentum in primis præbet onus illud, quod omnibus Animarum curam gerentibus incumbit, applicandi Miſſam Parochialem pro Populo ipſorum curæ commiſſo; tum etiam applicatio Miſſæ Conventualis, quæ pro Benefactoribus in genere facienda eſt ab iis, qui Miſſas canunt in Eccleſiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis; tum denique debitum pſallendi, quo tenentur Canonici prædictarum Eccleſiarum Choro aſſiſtentes. Cujus quidem argumenti minime nova, ſed a Scriptoribus frequenter habita tractatio eſt; cumque ea res in hujus Almæ Urbis noſtræ Congregationibus, & potiſſimum in Congregatione Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, cujus Secretarii munere olim in Minoribus conſtituti multos annos perfuncti ſumus, multoties diſcuſſa, ac definita fuerit; quamvis earumdem Congregationum Decreta plerumque circa eam uniformia, & ſibi conſona prodierint, eorumque Decretorum nonnulla, etiam Pontificiam Prædeceſſorum Noſtrorum approbationem, & confirmationem meruerint; minime tamen mirandum eſſet, eorum notitiam ad ſingulos quoſque veſtrum non adhuc perveniſſe. Quapropter non modo opportunum, verum etiam neceſſarium duximus, Encyclicam hanc Epiſtolam ad vos ſcribere, per quam, ſublata demum diverſarum, in quas Scriptores abierunt, opinionum varietate, conſtans hujus Apoſtolicæ Sedis Sententia prædictis de rebus cuilibet innoteſcat, & Fraternitatibus Veſtris quædam veluti norma, ac regula ſuppetat, juxta quam Synodales, aliaſque veſtras circa præmiſſa Conſtitutiones, Ordinationes, ſeu Edicta, quorum publicationem vobis injungimus, dirigere valeatis. Eorum vero executionem, dum, juxta ea, quæ in præſentibus tenenda, atque ſervanda præſcribimus, omni, qua decet, ſollicitudine, ac vigilantia urgere ſtudebitis, minime dubitandum vobis erit, ne Statutorum veſtrorum implemento obicem, aut moram afferre valeant recurſus ad hujus noſtræ Curiæ Tribunalia forſitan habendi, utpote quos omnino rejiciendos eſſe præcipimus, ac jubemus. Quamobrem has ipſas Litteras noſtras in ſingulorum Tribunalium Regeſtis aſſervari volumus, atque ad earum præſcriptum tam ipſorum Tribunalium reſolutiones, quam de veſtris Decretis, quæ iiſdem præſentibus inhærentes edituri eſtis, judicia exigi & conferri mandamus.

Et quidem, quod nuper enunciavimus, ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium a Paſtoribus Animarum applicari debere pro Populo ipſorum curæ commiſſo, id veluti ex Divino præcepto deſcendens, a Sacra Tridentina Synodo diſerte exprimitur *ſeſſ. 23. cap. 1. de Reformat.* per hæc notabilia verba; *Cum Præcepto Divino mandatum ſit omnibus, quibus Animarum cura commiſſa eſt, Oves ſuas agnoſcere, pro his Sacrificium offerre.* Et quamvis minime defuerint, qui per inanes, & frivolas interpretationes hujuſmodi obligationem a Sancta Synodo memoratam de medio tollere, vel ſaltem extenuare contenderint; quum tamen relata Concilii verba ſatis clara, & perſpicua ſint; quumque prædicta Congregatio ejuſdem Concilii interpretationi privative præpoſita conſtanter edixerit, eos, quibus Animarum cura demandata eſt, non modo Sacrificium Miſſæ celebrare, ſed illius etiam fructum medium pro Populo ſibi commiſſo applicare debere, nec illud pro aliis applicare, aut pro hujuſmodi applicatione eleemoſynam percipere poſſe; quodque magis intereſt, quum hæc intelligentia a Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus approbata fuerit, & confirmata; nihil jam amplius ulli veſtrum deſiderandum ſupereſt, ut eam amplecti, eidemque obſequi, necnon illius promptam executionem in veſtris reſpective Diœceſibus omni ſtudio procurare debeatis.

Neque Nos tamen, qui, ut ſuperius innuimus, in Minoribus adhuc degentes, munus Secretarii prædictæ Congregationis Concilii Tridentini Interpretis plures annos obivimus, aliosque non paucos, partim in Anconitanæ Cathedralis, partim in Metropolitanæ Bononienſis, Patriæ noſtræ dilectiſſimæ, quam adhuc retinemus, gubernatione aſſidue tranſegimus; non inquam Nos latent multiplicis generis effugia, per quæ nonnulli prædictæ obligationis implementum declinare ſatagunt, quibuſque proinde opportune a Nobis eſt occurrendum.

Cum enim Sacrum Tridentinum Concilium, ne Animarum cura negligatur, non uno in loco Epiſcopis mandet, ut quotieſcumque opus fuerit idoneos Vicarios cum certorum fructuum aſſignatione ad eamdem curam exercendam eligant, ac deputent, uti videre eſt

„ in *ſeſſ. 6. cap. 1. ſeſſ. 7. cap. 5. & 7. ſeſſ. 21. cap. 6. ſeſſ. 25. c. 16.*, non raro autem eveniat, ut, aliqua Eccleſia Parochiali vacante, Vicarius pariter ad implenda hujuſmodi Eccleſiæ onera, uſque ad novi Rectoris electionem, ab Epiſcopo deputari debeat, eodem Concilio Tridentino id jubente *ſeſſ. 24. c. 18. de Reform.*: nonnulli ex hujuſmodi Vicariis nituntur ſe ipſos a prædicta obligatione ſubtrahere, vel ex eo, quod habituali cura penes alium, ſeu alios reſidente, ipſi actualem dumtaxat exerceant, vel quod ipſi ſint ad nutum amovibiles, vel ad breve tempus hujuſmodi curæ ſint addicti: ut nihil hic loquamur de Parochis Regularibus, qui a prædicta applicatione Miſſæ pro Populo nonnunquam alienos ſe oſtendunt. Itaque mens noſtra, & ſententia eſt, ſicuti etiam pluries a prælaudatis Congregationibus judicatum fuit, ac definitum, quod omnes, & ſinguli, qui actu Animarum curam exercent, & non ſolum Parochi, aut Vicarii Regulares, uno verbo, omnes, & ſinguli, de quibus ſupra dictum eſt, atque alii quicumque etiam ſpecifica, & individua mentione digni, æque teneantur Miſſam Parochialem applicare pro Populo; ut præfertur, ipſorum curæ commiſſo.

„ Nonnulli vero, ad evitandum hujuſmodi obligationis implementum, allegare ſolent, congruos ſibi Parochiæ ſuæ redditus non ſuppetere; alii denique ad inveteratam conſuetudinem confugiunt, ſuſtinentes id neque ſibi, neque deceſſoribus ſuis per longum tempus, quod immemorabile affirmant, unquam injunctum fuiſſe. Nos autem ad præcedentes prædictæ Congregationis Concilii reſolutiones noſtram approbationem, & confirmationem extendimus; & quatenus opus ſit, auctoritate Apoſtolica iterum tenore præſentium decernimus, & declaramus, quod licet Parochi, ſeu alii, ut ſupra, Animarum curam habentes, congruis præfinitis redditibus deſtituantur; & quamvis antiqua, ſeu etiam immemorabili conſuetudine in ipſorum Diœceſibus, ſeu Parochiis obtinuerit, ut Miſſa pro Populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino in poſterum ab ipſis debeat applicari.

„ Dum tamen dicimus, omnes Animarum curam habentes Miſſæ Sacrificium pro Populo ſibi commiſſo applicare debere, non ideo ſtatuere volumus, eoſdem aut quotidie, aut quotieſcumque celebraverint, ad prædictam applicationem pro Populo teneri. Et quidem Sacroſancta Tridentina Synodus *ſeſſ. 23. cap. 14.* præcipit Epiſcopis curare, ut Sacerdotes, ſaltem diebus Dominicis, & Feſtis, ſolemnibus Miſſarum Sacra faciant: *ſi autem curam habuerint Animarum, tam frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſas celebrent*; in pluribus autem Synodalibus Epiſcoporum Conſtitutionibus novimus, provide conſtitutos, ac deſignatos eſſe dies, quibus Animarum Paſtores Miſſas celebrare debeant. At vero Nos id unum in præſenti ſuſcepimus decernendum, quando nimirum iidem pro Populo celebrare, & applicare teneantur; & quamvis compertum habeamus id, quod alias a Congregatione Concilii reſponſum fuit, Parochum nempe pinguibus redditibus dotatum, quotidie pro Populo celebrare, & applicare debere; eum vero, qui uberioribus hujuſmodi redditibus non gaudeat, Feſtivis tantum diebus id ipſum præſtare teneri: quum tamen pariter nobis perſpectæ ſint tum controverſiæ ſuper hoc ipſo exortæ, nimirum ad quam ſummam pertingere debeant Eccleſiæ Parochialis proventus, ut pingues, & uberes appellari poſſint, quoniam pingues minime habendi ſunt redditus, etiam copioſi, quibus tamen multiplicia, & gravia ſint onera adnexa; tum etiam multorum querelæ adverſus hujuſmodi Decretum, tanquam plus æquo rigidum, excitatæ Nobis innoteſcant: idcirco opportunum cenſemus Fraternitatibus Veſtris declarare, Nobis abunde ſatisfactum fore, Vobiſque proinde ſatis eſſe poſſe, dum ii, qui Animarum curam exercent, Sacrificium Miſſæ pro Populo celebrent, atque applicent in Dominicis, aliiſque per annum diebus Feſtis de præcepto; quum prædicti Dominici, aliique Feſti dies ii ſint, in quibus juxta præceptum Concilii Tridentini *ſeſſ. 5. cap. 2. & ſeſſ. 24. cap. 4.* quilibet Animarum curæ præpoſitus Populum ſibi commiſſum ſalutaribus verbis paſcere debet, docendo ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem; iidemque ſint dies, de quibus eadem Sancta Synodus ſtatuit, ut *moneat Epiſcopus Populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, ubi commode id fieri poteſt, ad audiendum Verbum Dei*, ex quibus Parochi ſubditos ſuos in Doctrina Chriſtiana erudire debent, juxta id quod a prædicto Concilio in *citato cap. 4.* Epiſcopis præcipitur, ut nempe *ſaltem Dominicis, & aliis Feſtivis diebus Pueros in ſingulis Parochiis Fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & Parentes, diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, doceri curent.*

„ Et quia in nonnullis Diœceſibus numerus dierum Feſtorum de præcepto, de Apoſtolica noſtra auctoritate, & conſenſu, eatenus eſt imminutus, ut nempe in aliquibus Feſtis Chriſtifideles & Miſſam audire, & ab operibus ſervilibus abſtinere debeant; in aliis vero Populo permiſſum ſit opera ſervilia exercere, firma remanente obligatione audiendi Miſſæ Sacrificium; Nos, ut obortæ jam dubitationes circa onus applicationis Miſſæ Parochialis in hujuſmodi diebus Feſtis penitus eliminentur, ſtatuimus, & declaramus, quod etiam iiſdem Feſtis diebus, quibus Populus Miſſæ intereſſe debet, & ſervilibus operibus vacare poteſt, omnes Animarum curam gerentes Miſſam pro Populo celebrare, & applicare teneantur.

„ Quia vero propria nonnunquam experientia ſatis agnovimus, aliquos eſſe Parochos adeo pauperes, ut ſeſe ex eleemoſynis, quas a Fidelibus pro Miſſarum celebratione accipiunt, vivere cogantur; eos vero, qui, Eccleſia Parochiali vacante, ad Animarum curam exercendam, ſub Vicarii, ſeu Oeconomi nomine deputantur, aliquibus in locis adeo illiberaliter tractari, ut exigui redditus ipſis conſtituti, & pauca incerta emolumenta eiſdem obvenientia, ægre ad eorum vitæ neceſſaria ſufficiant; quod iis quoque non raro evenire ſolet, qui in aliquibus Eccleſiis, habituali cura apud alios manente, actuali tantum exercitio ſunt addicti; proindeque cum iſtis ſevere nimis agi videretur, ſi diebus, Feſtis, quibus potiſſimum hujuſmodi occaſio ſe offert, eiſdemque vetitum eſſet eleemoſynam pro applicatione Miſſæ recipere: idcirco Nos tam iſtorum, quam illorum inopiam ſummopere miſerantes, eiſdemque quantum Nobis integrum eſt, conſulere volentes; quamvis, ut ſupra dictum eſt, omnes, & ſinguli prædicti teneantur diebus Feſtis Miſſam pro Populo celebrare, & applicare; attamen, quod pertinet ad prædictos Parochos egentes, unicuique veſtrum facultatem concedimus, cum iis, quos revera tales eſſe noveritis, opportune diſpenſandi, ad hoc, ut etiam diebus Feſtis hujuſmodi, eleemoſynam ab aliquo pio offerente recipere, & pro ipſo Sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere, & licite poſſint, & valeant; dummodo ad neceſſariam Populi commoditatem, in ipſa Eccleſia Parochiali Miſſam celebrent, ea tamen adjecta conditione, ut tot Miſſas infra hebdomadam pro Populo applicent, quot in diebus Feſtis, infra eamdem hebdomadam occurrentibus, juxta peculiarem intentionem alterius pii Benefactoris obtulerint.

„ Quod autem ſpectat ad Vicarios, ſive Oeconomos Eccleſiarum vacantium, quum a Sacro Tridentino Concilio *cit. ſeſſ. 24. c. 18.* cuilibet Epiſcopo tribuatur facultas eos deputandi, & conſtituendi, *cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis aſſignatione*; veſtrum erit, Venerabiles Fratres, cum iis agere, qui vacantis Eccleſiæ fructus exigunt, ut egenti Vicario, qui exigua hujuſmodi certorum fructuum aſſignatione, pauciſque incertis proventibus gaudeat, congruum aliquod augmentum præbeatur pro onere celebrandi, & applicandi Miſſam pro Populo diebus Feſtis. Quapropter pro iis locis, in quibus Eccleſiarum vacantium fructus ad commodum Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ exiguntur, opportuna Theſaurario Noſtro Generali mandata dirigimus, quæ iis denunciare non prætermittet peculiaribus dictorum locorum Collectoribus, cum quibus Epiſcopi Eccleſiaſticæ Noſtræ Ditionis, cæterorumque locorum, in quibus, ut præfertur, Eccleſiarum vacantium fructus ad Cameram prædictam pertinent, officii ſui partes in eum finem, de quo ſupra diximus, interponere debebunt.

„ Ac demum, quoad illos, qui tanquam Vicarii, ſive perpetui, ſive ad tempus conſtituti, Animarum curam adminiſtrant, quæ apud alios habitu reſidet, ratione alicujus Eccleſiæ Parochialis, ipſorum Eccleſiis, ſeu Monaſteriis, Collegiis, aut Locis Piis olim unitæ; quamvis a recol. mem. Prædeceſſore Noſtro S. Pio Papa V. præfinita fuerit certa pars fructuum hujuſmodi Vicariis aſſignanda, prout in ipſius Conſtitutione, quæ incipit: *Ad exequendum*, data Kalendis Novemb. ann. 1567. diſtincte ſtatuitur; nihilominus ubi præſcripta fructuum portio, vel nullo modo, vel non integre Vicariis prædictis aſſignata reperiatur, vel etiam ubi ea, quæ ad normam prædictæ Conſtitutionis eiſdem fuerit attributa, minime ſufficiens a vobis reputetur, propter temporum circumſtantias, & ſignanter pro implendo onere celebrandi, & applicandi Miſſam pro Populo diebus Feſtis de præcepto; utendum vobis erit poteſtate, quam fecit Epiſcopis Synodus Tridentina *ſeſſ. 7. c. 7.* dum illorum arbitrio permiſit, juxta temporum, atque injunctorum onerum rationem, congruam prædictis Vicariis fructuum portionem aſſignare; quam ob cauſam Nos etiam Fraternitatibus Veſtris, quatenus opus ſit, neceſſarias omnes, & opportunas facultates impertimur; quibuſcumque appellationibus, privilegiis, aut exemptionibus, ut in eodem Concilio ſancitur, adverſus ea, quæ ſalubriter a vobis conſtituta fuerint, minime ſuffragantibus.

D U B I U M III.

De Obligatione orta ex liberali promiſſione.

14 PEccare mortaliter qui Miſſam non celebrat, quam alteri liberaliter promiſit animo ſe obligandi, docent P. Navarra *de reſtitut. lib. 2. cap. 2. dub. 7. num. 329.* & Bonacina *de contract. diſp. 3. quæſt. 11. punct. 1. num. 8.*

Na-

Navar. *cap.* 25. *num.* 92. Mart. de Ledeſma, Corduba, & Thomas Hurtadus, tum ob violatam promiſſionem, tum ob damnum ſpirituale, quod affert illi, cui tale Sacrificium promiſit.

15 Probabilior mihi eſt Sententia aſſerens peccare dumtaxat venialiter. Ratio eſt, quia licet violare promiſſionem factam, & acceptatam in materia gravi, maxime ſi inde grave præjudicium eveniat promiſſario, ſit peccatum mortale; ſecus tamen dicendum eſt, ſi non ſit in materia gravi, nec grave inde ſequatur præjudicium: at qui omiſit celebrare ſacrum liberaliter promiſſum, non violat promiſſionem in materia gravi; ſiquidem gravitas promiſſionis in præſenti non eſt penſanda ex dignitate Sacrificii promiſſi, quod longe ſuperat quodcumque pretium temporale; nam hoc modo promittens unam ſalutationem angelicam peccaret mortaliter non adimplendo promiſſum, quod non admittitur, ſed penſanda eſt ex quantitate ſtipendii, quod pro una Miſſa erogari ſolet. Hoc autem ſtipendium, regulariter loquendo, cum ſit unius julii non conſtituit materiam gravem neceſſariam ad peccatum mortale, maxime quia in liberali promiſſione, ut quantitas dicatur ſufficiens ad conſtituendam lethalem culpam, neceſſe eſt quod ſit quadruplo major quantitate requiſita ad conſtituendum lethale furtum, ut docent communiter Doctores, & inde omiſſio ſacri promiſſi non eſt peccaminoſa lethaliter, ſed venialiter ſolum, utpote violatio promiſſionis in materia levi: & ita tenent Sanchez *lib.* 1. *de matr. diſp.* 5. *num.* 25. Rodriquez, Malderus, Diana, Facundez, Marchinus, quos citat & ſequitur Leander *diſp.* 4. *quæſt.* 16. ſequitur etiam Ant. a Spiritu Sancto *tr.* 10. *de contr. diſp.* 11. *ſect.* 3. & de Sacrif. Miſſæ *diſp.* 6. *ſect.* 2. *num.* 259. & alii ſatis communiter.

16 Adde, quod in Sententia probabili nec eſt peccatum mortale, nec ſubjacet reſtitutioni, non ſervare ſimplicem promiſſionem etiam acceptatam, & in materia gravi; & inde non erit peccatum mortale Miſſas etiam quamplures ex ſola liberalitate promiſſas non celebrare, quia hoc eſt ſolum contra fidelitatem, non contra juſtitiam; fidelitas autem non obligat ad mortale, quod verum exiſtimat Tambur. *lib.* 3. *cap.* 1. §. 9. *num.* 22. etiam ſi promiſſio fuiſſet juramento confirmata, nam juramentum promiſſorium de re levi tantum venialiter obligat.

17 Si vero quæras; *an peccet mortaliter Sacerdos, qui non liberaliter, ſed accepto ſtipendio unam Miſſam celebrandam promiſit, quam poſtea non celebrat?*

Reſp. negative, caſu, quo ſtipendium datum in materia furti gravem culpam non inducat. Ratio ex ſupradictis eſt, quia gravitas Sacrificii non penſatur in præſenti ex damno ſpirituali, ſed temporali; ſtipendium autem unius Miſſæ non eſt, per ſe loquendo, materia gravis peccati mortalis. Ita Facundez, Pellizzarius, Herincx, Palaus, & alii, quos citat, & ſequitur Franciſcus a Jeſu Maria *cap.* 5. *num.* 39.

D U B I U M IV.

De obligatione Capellani.

18 Capellanus Miſſas celebrare tenetur juxta intentionem Capellaniæ, Fundatoris voluntatem: quare ſi Capellania fuerit inſtituta ad celebrandum quotidie, tenetur, per ſe loquendo, quotidie, celebrare, & aliter faciendo peccat mortaliter, quia facit contra juſtitiam, fraudando mentem Teſtatoris, ut docent Sylveſter, Angel. Azor., Suarez, Henriquez, Reginaldus, & alii, quos citat, & ſequitur Bonacina *diſp.* 4. *quæſt. ult. punct.* 7. *n.* 6. Facundez *præcept.* 1. *lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 11. Leander *diſp.* 15. *qu.* 13. Dixi *per ſe loquendo*, quia poteſt excuſari, ſi habeat legitimum impedimentum, ob quod non poſſit pie & religioſe celebrare, vel ſi aliqua infirmitate detineatur, de qua poſtea dicam.

19 Capellanum obligatum celebrare quotidie, poſſe titulo majoris honeſtatis, & decentiæ, ſemel in hebdomada prætermittere, docent communiter Doctores, quos affert Marchinus *de Ordine tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 23. ſi a Fundatore fuerit principaliter electa perſona; ſecus ſi Altare, Locus, vel Eccleſia fuerit principaliter electa: ad quod dignoſcendum duas regulas ponit Marchinus *num.* 7. Prima eſt, ut conſiderentur verba Teſtatoris; ſi enim hæc primo dirigantur ad perſonam, & ſecundario ad locum, erit electa perſona: ut ſi Teſtator dicat: *eligatur Capellanus, qui quotidie celebret in tali loco*: vel *obligo hæredem meum ad providendum unum Sacerdotem, qui quotidie celebret pro anima mea*: ſeu *Capellanus electus teneatur quotidie celebrare*. Si autem verba Teſtatoris primo dirigantur ad locum, & ſecundario ad perſonam, cenſetur electus locus, ut ſi dicat, *volo ut quotidie Miſſa celebretur in tali Altari, Eccleſia, ſeu loco*. Altera regula eſt, ſi Teſtator primo intendat remiſſionem ſuorum peccatorum, impetrationem, & alia ſimilia pertinentia ad ipſum Miſſæ valorem, eſt electa perſona; ſi autem primo intendat venerationem talis Capellæ, ſeu frequentiam divini cultus, & commoditatem populi, eſt electus locus, cujus frequentiam, & venerationem intendit.

20 Itaque ſi fuerit principaliter electa perſona, poterit Capellanus ſemel in hebdomada ceſſare a celebratione, quia obligatio Miſſæ quotidianæ impoſita Sacerdoti intelligitur ſalva decentia, & honeſtate; non tamen poterit ceſſare, ſi primario fuerit electus locus; ſiquidem reſpectu loci nullum datur impedimentum, ratione cujus Sacerdos eximatur ab obligatione celebrandi, & inde tenetur quotidie celebrare abſque ulla vacantia per ſe, vel alium, quia adimplenda eſt mens Teſtatoris, qui talem celebrationem voluit. Ita Sylveſter, Tabiena, Navarr., Hugolin., Azor., Suarez, Franxinellus, Naldus, Perez, quos ſequitur Marchinus *loco cit.* Bonacina *diſp.* 4. *quæſt. ult. punct.* 7. §. 2. *num.* 17. Barboſa *de Offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 24. *tom.* 2. *num.* 28. & 31. Homobon. *de exam. Eccleſ. tract.* 4. *cap.* 13. *qu.* 124. Diana *part.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 28. Gavant. *part.* 3. *tit.* 12. *numer.* 17.

21 Tambur. *lib.* 3. *de Sacrific. Miſſæ*, *c.* 3. §. 1. quem ſequitur Ant. a Spiritu Sancto *tract.* 7. *diſp.* 6. *ſect.* 4. *n.* 271. probabiliter tenet Sacerdotem titulo Capellaniæ, aut Beneficii, obligatum toto anno quotidie celebrare, poſſe abſolute vacare ſemel in hebdomada, ſive primario ſit electa perſona, ſive locus, abſque ulla diſtinctione, quia celebrare toto anno ſine ulla intermiſſione eſt onus nimis grave, ſemper reſultans, ſive primario, ſive ſecundario, in Sacerdotem, quod Fundator non præſumitur voluiſſe imponere. Præſumendum etiam eſt, ſolum morali modo voluiſſe gravare, ſeu obligare Sacerdotem ad Miſſam quotidianam, & morali modo voluiſſe honorare locum, quem pro tali Miſſa elegit; niſi forte expreſſe ordinaverit, Capellanum electum debere celebrare quotidie per ſe, vel per alium abſque ulla vacantia, quia tunc adimplenda eſt voluntas Teſtatoris, & Capellanus voluntarie ſuſcipit tale gravamen, quod ſcit a Teſtatore impoſitum. Ita Marchinus *loco cit.* *n.* 8. Celebrandum eſt etiam ſine intermiſſione, quando onus Miſſæ quotidianæ impoſitum eſt Eccleſiæ, ſeu Monaſterio, quia de illo non militat ratio, quæ de Capellano ſolet afferri, cum tale onus impoſitum Eccleſiæ, ſeu Monaſterio per varios Sacerdotes ſit adimplendum, ut notat Tambur. item Zanardus, & Fraxinellus, Bonacina, & alii, quos refert Diana *part.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 28.

22 Major difficultas eſt: *an illis diebus, quibus conceditur Capellano ceſſare a celebratione, poſſit, ſi velit, pro alio celebrare, & ſtipendium accipere.* Affirmat Vivaldus apud Dianam *part.* 10. *tract.* 14. *reſol.* 37.

Reſpond. negative, quia Capellanus celebrans ex ſtipendio non vacaret a Capellania ob honeſtatem, & reverentiam Sacrificii, ſed ob avaritiam, accipiendo duas eleemoſynas, unam ex Capellania, & alteram Manualem, contra Decretum Sacræ Congregat. Ita communiter Doctores, Bonacina, Gavantus, Marchinus, Homobonus, Riccius, quos citat, & ſequitur Leander *diſp.* 5. *q.* 18. & Diana *cit. reſol.* 37. ubi Vivaldi ſententiam dicit eſſe contra communem ſenſum omnium Doctorum, & contra praxim.

23 *An ſaltem poſſit Capellanus ter, aut quater in anno celebrare pro ſe ipſo, aut ſibi valde conjuncto, pro ſuis, ſpiritualibus, aut temporalibus neceſſitatibus.*

Reſpond. affirmative ex rationabiliter præſumpta Teſtatoris voluntate, qui interrogatus, id minime Capellano denegaſſet. Sic Leander *q.* 16. Marchinus *loc. cit.* Naldus, & Homobonus, quos refert, & ſequitur Diana *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 86. ubi etiam notat, Capellanum obligatum quotidie celebrare, non teneri in Nativitate Domini tres Miſſas pro Capellania, ſeu Beneficio applicare, ſed tantum unam, & alias duas poſſe ſibi applicare, quia onus Capellanię ſolum importat, quod omnibus diebus celebret, quod verificatur unam Miſſam applicando: deinde quia nullus Sacerdos etiam Parochus tenetur ex præcepto tres Miſſas dicere in die Natalis Domini, ſed tantum de conſilio, & ſic non tenetur tres Miſſas applicare. Nec etiam tenetur pro Capellania applicare in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, ſed poteſt in tali die applicare pro omnibus Defunctis in Purgatorio exiſtentibus juxta pium Eccleſiæ inſtitutum, ut docet Fraxinellus *de Sacerdotum obligationibus ad Miſſam ſect.* 4. *concl.* 4. §. 22. *per totum*.

Vide quid hac de re ſtatuatur in lib. 3. *c.* 2. *Tract. de Sacrif. Miſſæ*: Diſtinguendum inter Sacerdotes, qui ob Beneficium, vel Capellaniam tenentur quotidie *per ſe ipſos*, & eos, qui non *per ſe ipſos* tenentur celebrare. Ac de his, qui non tenentur per ſe ipſos celebrare, communis opinio eſt, ſi ipſi non poſſint, eos debere curare, ut per alium Sacerdotem Miſſa celebretur: eos vero, qui tenentur per ſeipſos celebrare, putant ex legitima cauſa poſſe interdum Miſſam omittere. Nonnulli arbitrantur, Sacerdotem poſſe ſemel in hebdomada Sacrificium omittere; ſed ſunt id qui negent, quia cum accipiat quotidianam eleemoſynam, bis, & quinquagies per annum Sacrificium omitteret. Sunt qui putant, poſſe Sacerdotem non celebrare, ſed onus illi eſſe ſupplendi per alium; & ſunt qui eum liberant etiam ab hoc onere. Nos vero rebus judicatis innixi dicimus, eos Sacerdotes, qui habent onus celebrandi per ſe ipſos, poſſe interdum omittere celebrationem Miſſæ, ſi legitima intervenerit cauſa; neque tamen eo die, quo omittunt Sacrificium „

„ facere pro Inſtitutore, Miſſam pro alio celebrare poſſe,
„ multoque minus eleemoſynam accipere: quæſtionem au-
„ tem illam an omittens celebrare debeat ſupplere per
„ alium, ſub Judice relinquimus. Afferendis huc Docto-
„ rum auctoritatibus abſtinebimus; ſatis enim fuerit reſo-
„ lutionem Sacræ Congregationis Concilii adducere die 18.
„ Septembris 1683. ſuper aliquot dubiis ab Epiſcopo Col-
„ lenſi propoſitis, quibus diu, multumque diſcuſſis, prodiit
„ Decretum ut infra.

„ Propoſita dubia ſunt: *Modernus Epiſcopus Collen. Diœ-*
„ *ceſim viſitando comperiit, non ſine maximo conſcientia-*
„ *rum periculo plures irrepſiſſe abuſus in adimplendo men-*
„ *tem eorum, qui Miſſas celebrari mandarunt. Ad eos er-*
„ *go tollendos diſcutiendum, ac reſolvendum videtur.*

„ *Primo: an Sacerdotes obligati ratione Beneficii, Capella-*
„ *niæ, Legati, aut Stipendii celebrare quotidie Miſſam per*
„ *ſe ipſos, poſſint aliquando a celebratione vacare, & qua-*
„ *tenus affirmative.*

„ *Secundo: quando, & quoties a dicta celebratione va-*
„ *care poſſint.*

„ *Tertio: an diebus licitæ vacationis poſſint Miſſam pro*
„ *ſe ipſis, vel aliis, præterquam pro Fundatoribus celebra-*
„ *re, & quatenus affirmative.*

„ *Quarto: an pro aliis celebrando poſſint ſtipendium pro*
„ *hujuſmodi celebratione recipere.*

„ *Quinto: an illis diebus, quibus licite vacant a cele-*
„ *bratione, teneantur Miſſam ab aliis celebrari facere jux-*
„ *ta intentionem Fundatorum.*

„ *Sexto: an Sacerdotes, ut ſupra, obligati celebrare Miſ-*
„ *ſam quotidie, abſque tamen onere celebrandi per ſe ip-*
„ *ſos, poſſint aliquando a celebratione vacare.*

„ Ad ſuperiora dubia ita reſponſum eſt:

„ *Ad primum affirmative, concurrente aliqua legitima*
„ *cauſa.*

„ *Ad ſecundum, ut ad proximum.*

„ *Ad tertium negative.*

„ *Ad quartum, negative.*

„ *Ad quintum, diſtulit reſolutionem.*

„ *Ad ſextum, negative.*

„ *Quod idem, & iiſdem prorſus verbis, eademque Sa-*
„ *cræ Congregat. Concilii auctoritate confirmatum invenies*
„ *in Notiſ. 15. lib. 3.*

DUBIUM V.

An, & quas Miſſas poſſit omittere Capellanus Infirmus.

24 CApellanum infirmum debere per alium, dato ſtipendio, ſupplere Miſſas ſuæ Cappellaniæ docent Sylveſter, Tabiena, Azor. *morali inſtit. part. 1. lib. 10. cap. 24. q. 7.* Henriquez *lib. 9. de Miſſa cap.* 24. Communis tamen Sententia diſtinguit de infirmitate brevi, & longa, & ſi longa ſit, aſſerit debere ſupplere per alium, non vero ſi ſit brevis, niſi forte Teſtator expreſſe ſignificaverit ſuam mentem, quod nunquam deſit Miſſa in tali loco, ſeu Capella, quia tunc mens Fundatoris eſſet adimplenda. Colligitur ex cap. *Significatum, de Præbendis*, ubi Capellanus cauſa infirmitatis eximitur ab obligatione celebrandi, & ex rationabiliter præſumpta voluntate Fundatoris, qui in brevi impedimento non præſumitur ita rigide agere voluiſse cum ſuo Capellano, ut ſtatim ad reſtitutionem teneretur, niſi aliter ſe explicaverit, maxime quia famulo ægrotanti ad breve tempus non eſt ſalarium denegandum. Gloſſa *in L. arborib. §. de illa fide uſufruct.*; & ita tenent cum Marchino, Covaruvias, Petrus de Navara, Rodriquez, Riccius, Molfeſſius, Bonacina, Gavantus, Facundez, Barboſa, & communiter alii Doctores.

25 Diſſidium ſolum eſt in aſſignando in præſenti caſu, quænam dicenda ſit infirmitas longa, ſeu brevis, in qua poſſit Capellanus ceſſare a celebratione ſine obligatione alium ſuſtituendi. Molfeſſius, Riccius, Graffis, Fraxinellus, Homobonus, Barboſa, quos refert Diana *p. 2. tract. 14. reſol.* 28. dicunt, eſſe ſpatium octo, vel decem dierum. Diana ibidem cum Bonacina *diſp. 4. quæſt. ult. punct. 8. num.* 17. id extendunt ad quindecim dies. Gaſpar Hurtado, & Layman apud Dianam *punct. 4. tract. 4. reſol.* 238. ad unum menſem. Sequitur Franciſcus a Jeſu Maria *tract. 5. cap. 5. punct. 2. num.* 35. quibus favet Concilium Mediolanenſ. Provinciale VII. *tit. de Miſſis*, ubi dicitur: *Si Capellanus ſaltem per annum functus ſit munere celebrandi in aliquo loco, ſi etiam per menſem ægrotet, adhuc integram eleemoſynam judicio Epiſcopi accipere poteſt.* Petrus Navarrus, & Naldus, quos refert, & ſequitur Leander *qu. 19. diſp. 5. de Sacrif. Miſſæ*, id extendunt ad ſpatium duorum menſium, quod etiam approbat Lugus *diſp.* 21. *n.* 49. & cum eo Tamburinus *cap. 5. de Sacrif. Miſſæ lib. 3. §. 1.* ſequitur Antonius a Sp. S *tract. 7. diſp. 3. ſect. 1. n.* 54. & omnes probabiliter, quia in jure tale tempus breve judicatur.

26 *An non ſolum ratione infirmitatis, ſed etiam alterius legitimi impedimenti poſſit Capellanus ceſſare a celebratione?* Negat Bonacina *punct. 8. n. 17. verſ. ſecundo, hoc procedere tantum*, ubi admittit ſolum vacationem titulo infirmitatis, non titulo negotii gravis ſupervenientis, aut alterius legitimi impedimenti.

Reſp. excuſari etiam titulo carceris, itineris, negotii gravis, aut alterius legitimi impedimenti; ratione cujus non poſſit decenter, & religioſe Miſſam facere, quia talis cenſenda eſt mens Teſtatoris nolentis imponere Capellano tam ſtrictam obligationem, niſi contrarium expreſſe ordinaverit, nec non voluntas Sacerdotis onus quotidianæ Miſſæ ſuſcipientis. Sic tenet Marchinus *nu.* 3. ſupponunt Antonius a Spiritu Sancto, Leander, & alii. Conſentit Tamburinus *lib. 3. cap. 5. §. 1. num. 6.* quoad negotium grave, non quoad ſolat incommoditatem Sacerdotis, quia negotium grave reducitur ad neceſſitatem, incommoditas ad negligentiam, quam Capellanus auferre tenetur.

DUBIUM VI.

An Capellanus obligatus celebrare in certo loco, Eccleſia, vel Altari, ſatisfaciat alibi celebrando?

27 REſp. per ſe loquendo, non ſatisfacere, ſed peccare mortaliter alibi ſæpe celebrando ſine juſta cauſa, quia in re gravi defraudat voluntatem Fundatoris, qui ordinando Miſſas in tali Altari, vel Eccleſia, non cenſetur ſolum voluiſſe prodeſſe Animabus Defunctorum, in quo caſu non videretur peccare graviter in alio Altari, in eadem Eccleſia celebrando, ut cum Lugo, & aliis obſervat Leander *q.* 24. ſed etiam voluiſſe ſpecialem cultum, & devotionem alicujus Imaginis, ſeu Altari, vel etiam ſpectaſſe commoditatem Populi, ut poſſet in tali loco Miſſam audire, aut memoriam ſuæ Familiæ, ad quam illa Capella, ſeu Altare pertinet. Ita cum Navarro, Sylveſtro, Azorio, Riccio, Bonacina, Barboſa, Homobono, Gavanto, & aliis a ſe citatis, tenet Marchinus *c.* 24. ſequitur Diana *part. 2. de celebrat. Miſſar. reſol.* 29. Palaus *tract. 13. de Beneſic. diſp. 1. punct. 6. n. 26.* & alii communiter.

28 Dixi, *per ſe loquendo*, quia ſæpe excuſari poteſt Capellanus a mortali alibi celebrando; primo enim excuſatur, juſta, & legitima cauſa interveniente, ratione cujus non poſſit in loco deſignato celebrare, ut ſi Eccleſia eſſet diruta, aut violata, ſi adeſſet hoſtium incurſus, aut aquarum inundatio, vel ſimilis cauſa, & in hoc caſu nullum eſt peccatum alibi celebrando pro Fundatore; & quamvis Marchinus *cit. cap. 24. num. 9.* aſſerat Capellanum non teneri ſupplere, nec alibi celebrare, ſi cultus, & veneratio fuit a Fundatore principaliter intenta, quia cum obligatio ſit affixa loco, & tempori, non currit extra hunc locum, & extra hoc tempus; hoc tamen ſuſtineri poteſt, ſi ſola officiatura fuerat ordinata, non vero ſi fuit etiam ordinata applicatio Sacrificii, quia tunc debet adimpleri mens Fundatoris quoad partem non impeditam, cujuſmodi eſt applicatio Sacrificii pro Animabus Defunctorum, quod fieri poteſt alibi celebrando. Ita Azorius, Emanuel Sà, & Naldus, quos affert, & ſequitur Bonacina *quæſt ultim. punct. 7. §. 4. num.* 3. & in dubio talem eſſe præſumendam mentem Teſtatoris aſſerit cum Lugo, Barboſa, & aliis, Leander *quæſt.* 26.

29 Secundo excuſatur Capellanus alibi celebrando ex diſpenſatione Epiſcopi, quam, juſta interveniente cauſa, dare poteſt, ut ſi Capellanus cauſa ſtudiorum, & utilitatis propriæ Eccleſiæ deberet abeſſe. Ita Henriquez, Graffius, Barboſa, Bonacina, Homobonus, & Moneta, quos affert Marchinus *n.* 5.; nam Epiſcopus poteſt mutare legata in alios pios uſus, ubi non agitur de præjudicio alteri inferendo, & ſic poteſt permutare celebrationem Miſſæ faciendam in uno Altari, ut fiat in altero, maxime quia in hac permutatione variatur voluntas Fundatoris ſolum in aliquo accidentali, & compenſatur altiori bono; ſola autem voluntas, & conſenſus Patroni, ſeu Hæredis non ſufficit, ut Capellanus poſſit alibi celebrare, ſed neceſſario requiritur conſenſus Epiſcopi, quia Hæredes non poſſunt immutare mentem Teſtatoris. Ita Bonacina *punct. 7. §. 4. n.* 3. Barboſa *alleg. 24. n. 35. in fine.*

30 Poſſunt etiam Eccleſiarum Rectores ex juſta cauſa concedere Sacerdoti obligato celebrare in ipſorum Eccleſiis, ut alibi celebrent, quia non cenſentur Rectores acceptare illum cultum præſtandum per celebrationem dictarum Miſſarum, niſi ſalvo jure proprio de ordinando tali culto, quo jure privari velle non præſumuntur, niſi de hoc clare conſtet, & talem licentiam concedendo, non mutant Rectores voluntatem Teſtatorum, ſed utuntur jure proprio, diſponendo de tali cultu exhibendo in ſuis Eccleſiis, juxta mentem tacitam Teſtatoris. Ita ex Paſqualigo *deciſ.* 429. tenet Antonius a Spiritu Sancto *dicta diſp. 6. ſect. 5. num.* 283.

31 Tertio excuſari poteſt Capellanus a peccato lethali, ſi raro alibi celebret propter parvitatem materiæ; & ſi hoc faciat ex rationabili cauſa, poterit etiam excuſari a veniali, quia non cenſetur Fundator adeo rigoroſe voluiſse obligare ſuum Capellanum, ut docent Lugus *diſp. 21. ſect. 2. num.* 36. & Franciſcus a Jeſu Maria *tract. 5. c. 5. num.* 20.

32 *An vero non ſolum peccet Capellanus alibi celebrando ſine diſpenſatione, & juſta cauſa, ſed teneatur iterum in eadem Eccleſia, ſeu Altari celebrare, aut ſtipendium pro rata reſtituere Pauperibus, aut Hæredibus?*

Reſpond. negative, quia licet alibi celebrando peccet contra fidelitatem in re gravi, non tamen peccat contra juſtitiam, quia non privat Fundatorem fructu Sacrificii, qui eſt æqualis valoris in omni loco; niſi forte obligatio eſſet celebrandi in Altari privilegiato, quia tunc damnum ſpirituale inferret Teſtatori. Et ita tenent Poſſevinus, Fraxinellus, Barboſa *de poteſt. Epiſc. allegat.* 24. *n.* 36. Bonacina *punct.* 7. §. 4. *n.* 5. Antonius a Spiritu S. *diſp.* 3. *ſect.* 1. *n.* 60. & *diſp.* 6. *ſect.* 5. *n.* 285. & alii, quos refert Diana *part.* 9. *tract.* 2. *reſol.* 15.

33 Quod dictum eſt de obligatione celebrandi in aliquo certo loco, debet proportionaliter intelligi de obligatione celebrandi certis diebus, puta feria ſecunda, quarta, & ſexta, ſi tales dies a Fundatore ſunt aſſignati cum aliqua ſpeciali cauſa, & myſterio; v. gr. ut feria ſecunda diceretur Miſſa pro Animabus Purgatorii, feria ſexta in honorem Dominicæ paſſionis, & Sabbato in honorem Beatæ Virginis, vel in honorem alicujus Imaginis, aut ob commoditatem Populi concurrentis illo die ad talem Eccleſiam; tunc enim non ſatisfacit Capellanus ſuæ obligationi aliis diebus celebrando, quia non adimplet mentem Fundatoris: ſi autem illi dies fuerunt aſſignati ſine myſterio, ſed ſolum ut ter in hebdomada celebraretur pro ipſo, poterit aliis diebus in hebdomada celebrare, quia illa circumſtantia eſt mere accidentalis, nec ullum affert præjudicium. Ita Lugus *diſp.* 21. *n.* 43. Tamburinus *lib.* 3. *c.* 3. §. 3. quos ſequitur Antonius a Spiritu Sancto *num.* 279.

DUBIUM VII.

Quandonam Capellanus teneatur applicare Sacrificium Miſſæ pro Fundatore?

34 CErtum eſt, Capellanum teneri applicare Sacrificium pro Fundatore quoties de illius voluntate conſtat, ut ſi dicat: *lego in tali Eccleſia, ſeu Altari tot Miſſas in anno pro Anima mea, in remiſſionem meorum peccatorum, aut ſuffragium Defunctorum*, vel alia ſimili ratione expreſſerit finem talis inſtitutionis, & legati; quod etiam valet, ſi dicat: *volo ut celebrentur tot Miſſæ in Eccleſia meæ ſepulturæ*, ſeu *in qua ego ſepultus fuero*; nam ſic ſatis exprimit ſuam voluntatem, ut Miſſæ dicantur pro Anima ſua. At ſi clare non conſtet de mente Teſtatoris; quatenus non expreſſerit finem, ſed dumtaxat locum, & tempus celebrandi, ut ſi dicat: *volo ut Capellanus electus quotidie celebret in tali Eccleſia, ſeu Altari: aggravo hæredem meum; ut celebrare faciat tot Miſſas, ſeu etiam quotidie, aut omnibus Feſtis in Eccleſia majori, in tali Oratorio, in Altari talis Sancti*; tunc enim, cum ſolum expreſſerit cultum, ſeu venerationem Altaris, Eccleſiæ, aut alicujus Sancti, aut commoditatem populi, ut poſſet Sacrum audire diebus Feſtis, quæritur: *an tunc Capellanus teneatur ad ſimplicem officiaturam, vel etiam teneatur applicare Sacrificium?*

35 Prima Sententia docet, non ſatisfacere ſimplici officiatura celebrando in tali loco, ſeu tempore, ſed teneri etiam applicare Sacrificium pro Fundatore, niſi clare & aperte conſtet, contentum fuiſſe ſola officiatura, ſeu veneratione loci. Ratio eſt, quia quoties dubitatur de mente Teſtatoris præſumendum eſt, quod veroſimilius eſt, & quod ipſe interrogatus reſponderet. Teſtator autem hac de re interrogatus utique reſponderet, velle ſibi applicari Miſſæ Sacrificium, cum agatur de ſalute Animæ, de qua quiſque præſumitur curam habere. Deinde ex conſuetis, & communiter accidentibus ſumitur fortiſſima præſumptio, ut cum Euerardo, & Menochio notat Sanches *lib.* 4. *in decal. c.* 1. *n.* 13. ſed Capellaniæ, regulariter loquendo, ſolent inſtitui cum onere applicandi Miſſæ Sacrificium pro Fundatore, niſi contrarium explicetur, aut ex circumſtantiis colligatur; ergo etiam in propoſito caſu præſumitur Capellania hoc modo inſtituta. Ita, nonnullis citatis, Bonacina *punct.* 7. §. 2. *n.* 13. & 14. Barboſa *de poteſt. Epiſc. allegat.* 24. *n.* 35. *tom.* 2. Homobonus *de Exam. Eccleſ. part.* 1. *tract.* 4. *cap.* 13. *qu.* 121. *in fine*. Gavantus *coment. in Rubr. Miſſal. part.* 3. *tit.* 12. *num.* 5. Lugus *diſp.* 20. *de Euch. ſect.* 1. *n.* 23. & alii apud ipſos.

36 Secunda Sententia, cui magis adhæreo, tenet, in dato caſu non obligari Capellanum applicare Sacrificium pro Fundatore, ſed poſſe libere applicare cui voluerit. Ratio eſt, quia gravis obligatio non eſt Capellano imponenda, niſi de illa clare conſtet; at in propoſito caſu non conſtat de obligatione applicandi Sacrificium pro Fundatore; ex eo enim, quod teneatur quotidie celebrare in tali loco, & die, ſeu tempore, non bene infertur obligatio applicandi Sacrificium, cum hæc duo non ſint neceſſario connexa, ſed una obligatio poſſit eſſe ſine alia; & ita, licet Capellanus teneatur quotidie, vel certis diebus, & locis celebrare, non deducitur obligatio celebrandi, ſeu applicandi dictam Miſſam quotidianam pro Anima ejuſdem Fundatoris; ergo cum ex nullo alio capite inferatur dicta obligatio, non eſt Cappellano imponenda, maxime quia in dubio, an hæc fuerit impoſita, præſumi non debet, cum poſſeſſio ſtet pro libertate. Confirmatur, quia propoſitum mente retentum nihil extra operatur, & lex mente Principis retenta, aut non ſufficiente promulgata, & intimata, non obligat; ſed diſpoſitio Teſtatoris eſt veluti lex quædam privata, quæ non obligat, ſeu non imponit onus applicandi, niſi Teſtator ſe declaret; cum ergo non ſe declaraverit, non tenetur Capellanus pro illo applicare. Adde, quod hæc regula in oneribus maxime imponendis ſervanda eſt: *ſi voluiſſet, expreſſiſſet*. Ita tenet Marchinus *cap.* 37. *n.* 5. & 6. Pignatellus *conſult.* 139. *tom.* 1. Pellizzarius *tract.* 5. *c.* 9. *n.* 98. & *tract.* 6. *cap.* 3. *n.* 20. Antonius a Spiritu S. *diſp.* 6. *ſect.* 2. Tambur. *lib.* 3. *c.* 1. §. 3. *n.* 15. & ſequentibus, quamvis *num.* 11. videatur contrarium aſſerere.

37 Ad rationem primæ Sententiæ facile reſpondetur, quod inſtituentes Capellanias velle poſſunt Miſſæ applicationem pro anima ſua, vel poſſunt eſſe contenti ſola officiatura, & cultu Altaris, vel etiam utrumque requirere poſſunt, cum liberum ſit illis diſponere de rebus ſuis, prout magis voluerint; communiter autem ſolent ſe explicare, & ſolent exprimere, quando volunt obligare Capellanum ad applicationem Sacrificii pro Anima ſua, ſi autem id non exprimant, videntur contenti eſſe ſola officiatura, & cultu, ac veneratione loci. Quare ſi ex communiter accidentibus valida deſumenda eſt præſumptio, dicendum eſt, Fundatorem noluiſſe obligare Capellanum ad applicationem Sacrificii, quando id non expreſſit, nec ex circumſtantiis poteſt ſufficienter colligi, & valet illa regula maxime in oneribus imponendis ſervanda: *Si voluiſſet, expreſſiſſet*: & inde falſum eſt, quod ſi Fundator interrogaretur, ſemper reſponderet velle utilitatem Animæ ſuæ, cum poſſit eſſe contentus ſola veneratione loci, aut commoditate populi, quam ſolum reſpexiſſe præſumendum eſt, quando utilitatem Animæ propriæ, ut fieri ſolet, non expreſſit. Quod ſi Teſtator Miſſas reliquerit celebrandas ſine mentione loci, ut ſi dicat: lego, ut celebrentur tot Miſſæ, tunc præſumendum eſt peti applicationem, quia ſic ſolent homines Miſſas poſtulare.

DUBIUM VIII.

Quid præſumendum ſit in Capellaniis antiquis, ubi de præſcriptione Miſſarum.

38 IN Capellaniis noviter inſtitutis facile conſtare poteſt, vel præſumi de mente Fundatoris ex ipſa lectura, & narratione inſtrumenti juxta ſuperius dicta; at in Capellaniis antiquis non ita facile cognoſci poteſt, quibus conditionibus, ſeu oneribus fuerint fundatæ, ſi nullæ inveniantur ſcripturæ, & inſtrumenta, ſolumque conſtet ex antiquo uſu, Capellanum teneri quotidie, aut pluries in hebdomada celebrare in tali Eccleſia, ſeu Altari; tunc enim maxime dubitatur: *an Capellanus teneatur in iis locis ſolum Miſſam facere ſine alia applicatione Sacrificii, vel teneatur Sacrificium applicare?* Hoc ultimum tenet Bonacina *dicto punct.* 7. §. 2. *n.* 13. quia Fundator cenſetur ſibi voluiſſe conſulere omni meliori modo per applicationem Sacrificii.

39 Sed verius conſideranda eſt conſuetudo huc uſque obſervata a prædeceſſoribus Capellanis; ſi enim Capellanus a quadraginta annis ſit in pacifica poſſeſſione non applicandi Sacrificium ſeu præſtandi ſolam officiaturam, dico, poſſe perſeverare in tali poſſeſſione, nec teneri Sacrificium applicare. Ratio eſt, quia in fundatione talis Capellaniæ, vel nulla fuit appoſita obligatio applicandi Sacrificium, vel ſi fuit appoſita, fuit ſufficienter contra illam præſcriptum, & ſic cenſendum eſt, vel non fuiſſe, vel fuiſſe extinctam talem obligationem. Et quidem contra onera Miſſarum non minus, quam contra alia jura poſſe dari præſcriptionem ex eo patet, quod nunquam in jure invenitur facta exceptio, quod non currat præſcriptio contra onera Miſſarum, ſeu contra voluntatem defunctorum; quare ſi interveniant conditiones requiſitæ, nimirum titulus, bona fides, & poſſeſſio continuata tempore a lege præſcripto, dari poterit præſcriptio contra talia onera, ut etiam admittit Pignatellus *conſ.* 2. *tom.* 7. & inde ſi Capellanus ſit ſpatio quadraginta annorum in pacifica poſſeſſione non applicandi Sacrificium, dicendum eſt, ipſum non teneri illud applicare.

40 Conf. ex doctrina Navarri *conſil.* 1. *de præſcript. tom.* 1. *conſil.* quam refert Marchinus *citato cap.* 27. *n.* 5. cum ab antiquo in quadam Eccleſia adeſſet onus celebrandi duas Miſſas quotidianas, & per ſexaginta, & amplius annos una ſola fuerit celebrata a Rectoribus prædeceſſoribus, nulla extante ſcriptura, aut notitia, quid fecerint antiquiores, quærebatur: *an ultimus Capellanus teneretur ſatisfacere pro omnibus Miſſis præteritis, & futuris?* Re delata ad Navar. reſpondit, Capellanum ſatisfacere ſuæ obligationi, ſi adimpleat onera ſolita impleri a quadraginta anni citra, nec in ullo foro aliquid reſtituere debere, neque ad duas Miſſas celebrandas, ſed ad unicam ſolum obligandum, etiamſi inciperent apparere ſcripturæ ipſius fundationis, quæ duarum Miſſarum onus injungerent, quia præſcriptio quadraginta annorum dat juſtum titulum poſſidendi. Quare etiam in caſu noſtro, ſi Capellanus fuerit in pacifica poſſeſſione per quadraginta annos præſtandi ſolam officiaturam ſine applicatione Sacrificii, non erit ad iſtam cogendus, nec pro præteritis, nec pro futuris

tem-

temporibus, etiamſi de tali onere per ſcripturas aliqua notitia cepiſſet haberi. Ita Marchinus *loco cit.* & Tamburinus *lib.* 3. *c.* 7. §. 1.

41 *Utrum vero poſſit e contra Miſſarum onus præſcribere contra Capellanum, ſeu Eccleſiam, adeo ut Capellanus, ſi longo tempore, puta triginta, vel quadraginta annorum Miſſam quotidianam celebraverit pro Capellania, teneatur in tali onere continuare, etiamſi poſtea inveniat fuiſſe a Teſtatore inſtitutam ſolam hebdomadariam?* Videtur affirmandum a paritate rationis. At Tamburinus *cit. cap.* 7. §. 2. aſſerit, quod onus incumbens Capellano celebrandi pro Fundatore non eſt, niſi quædam ſervitus debita Fundatori Miſſarum a Sacerdote; cum autem ſervitus hominis liberi, & ſervitus perſonalis, quæ debetur a perſona perſonæ, nullo umquam tempore præſcribi poſſit, ut docent communiter Doctores; ita videtur, quod onus Miſſarum numquam præſcribere poſſit contra Sacerdotem. Quare ſi Capellanus adinveniat, non fuiſſe a Teſtatora relictam Miſſam quotidianam, ſed hebdomadariam, poterit quocumque tempore ſe eximere a tali ſervitute, & illas ſolum celebrare, ad quas titulo Capellaniæ, ſeu Beneficii, obligatur.

D U B I U M IX.

An Capellanus teneatur celebrare per ſe ipſum, & quando poſſit Capellania conferri Clerico non Sacerdoti?

42 RESp. non teneri Capellanum celebrare per ſe ipſum, ſed poſſe ſatisfacere per alium, niſi in fundatione Capellæ expreſſe diſponatur, quod Capellanus celebret per ſe ipſum: ita declaratum eſſe a Sacra Congregatione refert Homobonus *part.* 5. *tract.* 4. *c.* 14. *q.* 122. addens, in tali caſu Capellanum non poſſe cogi ab Epiſcopo, ut celebret per ſe ipſum, ut deciſum refert Pignatellus *tom.* 9. *conſult.* 134. *n.* 38. Quod ſi in fundatione expreſſe diſponatur, ut Capellanus celebret per ſe ipſum, utique non celebrando peccaret mortaliter, niſi excuſaretur ex parvitate materiæ, quia raro id omitteret, vel ex alia neceſſitate, nam facit contra mentem Teſtatoris, & contra pactum; non tenetur tamen ad reſtitutionem per alium celebrando, quia ſatisfacit per Miſſam ejuſdem valoris, ut dictum eſt ſupra *dub. VI.* tenet Tamburinus *lib.* 3. *c.* 4. *n.* 2. ubi *num.* 4. advertit, quod ſi ille, cui Miſſas celebrandas tradidit Capellanus, non celebret, tenetur Capellanus, hoc advertens, per ſe, vel per alium ſupplere, quia Capellano accidit iſte defectus, non Fundatori, ſiquidem ille, qui defecit, non contraxit cum Fundatore, ſed cum Capellano.

43 *Utrum vero Capellania relicta Sacerdoti, ut Miſſas celebret, conferri poſſit Clerico nondum Sacerdoti*, variant Doctores. Prima Sententia docet, hujuſmodi Capellaniam non poſſe conferri, niſi Sacerdoti, quia obſervanda eſt mens Teſtatoris ſic diſponentis. Secunda dicit, quod poteſt conferri Clerico, qui non ſit actu Sacerdos, dummodo intra annum poſſit ordinari, & hoc a paritate beneficiorum Sacerdotalium, in quibus ſufficit ſola habilitas, & potentia proxima ad Sacerdotium, qualis eſt in illo, qui intra annum poteſt ordinari. Tertia aſſerit, poſſe conferri Clerico in Minoribus conſtituto & 14. annorum, dummodo Teſtator expreſſe non diſpoſuerit eſſe dandam ſolummodo Sacerdoti, qui Capellanus, cum non teneatur per ſe ipſum celebrare, ſed poſſit ſatisfacere Miſſas per alium, non eſt cur non poſſit Capellania conferri Clerico. Pro unaquaque Sententia videri poſſunt Auctores ſuſe relati a Marchino *cap.* 20. & a Pignatello *conſult.* 2. *tom.* 7.

44 Reſp. 2. poſſe Capellaniam, & Beneficium ſimplex conferri Clerico non Sacerdoti, imo etiam Clerico conſtituto in ætate 14. annorum, quando in illius fundatione non fuit expreſſe diſpoſitum, quod illa non conferratur niſi Sacerdoti, & quod obtinens debeat per ſe ipſum celebrare. Hanc Sententiam ſemper fuiſſe admiſſam, & practicatam a Sacr. Congreg. Concilii *ad caput* 5. *de Reform. ſeſſ.* 25. docet Pignatellus *loco cit.* ubi etiam affert decreta Sacræ Congreg. Ratio eſt, quia quando non fuit expreſſe diſpoſitum, quod Capellania non conferatur niſi Sacerdoti, non fuit a Teſtatore principaliter conſiderata qualitas perſonæ, ſed onus Miſſæ celebrandæ, quod quia adimpleri poteſt per alium ſubſtitutum, talis Capellania non dicitur Sacerdotalis, ſed poteſt ſimplici Clerico conferri. Ita Lugus, Felin. Dec. Tabiena, Armilla, Azor. Ricci, Moneta *de commut. ultim. volunt. c.* 10. *n.* 54. Bonacina *diſp.* 4. *qu. ult. part.* 7. §. 1. Diana *part.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 18. & *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 217. & alii plures relati a Pignatello.

45 Quod verum eſt, etiam ſi in fundatione Capellaniæ dicatur: *eligatur Presbyter, Sacerdos, ſeu Capellanus, qui Miſſas celebret, interveniat Choro, cantet: volo quod Capellanus electus celebret quotidie: detur Capellania Sacerdoti, qui Miſſas celebret ter in hebdomada*; non enim illa Capellania cenſetur Sacerdotalis, ſed poteſt conferri Clerico, quia cum non dictum ſit, quod Capellanus celebret per ſe ipſum, non deſignant illa verba qualitatem perſonæ eligendæ, ſed obligationem impoſitam Capellano, quæ per alium poteſt adimpleri; & inde bene infert Tamburinus *lib.* 3. *cap.* 4. § 2. *n.* 4. poſſe aliquem habere duas, vel tres Capellanias, requirentes Miſſas etiam in diverſis locis, quia illæ ſunt inſtar Beneficii ſimplicis, non requirentis reſidentiam, quod per alium ſuppleri poteſt.

46 Reſp. 3. Quando Capellania eſt Sacerdotalis, ut quando Teſtator diſpoſuit, quod conferatur Sacerdoti, qui per ſe ipſum celebret, adhuc poteſt conferri ſimplici Clerico, in ea tamen ætate conſtituto, ut intra annum ad Sacerdotium promoveri poſſit. Ratio eſt, quia licet Beneficium Parochiale, aut Canonicatus Sacerdotalis adnexum habeant Ordinem Sacerdotalem, adhuc tamen poſſunt conferri Clerico non Sacerdoti, qui intra annum a die adeptæ poſſeſſionis ad Sacerdotium promoveri poſſit; ita pariter Capellania Sacerdotalis conferri poterit non Sacerdoti, dummodo promoveri poſſit intra annum ad Sacerdotium. Ita Marchinus, Diana, Pignatellus, & alii apud ipſos.

47 Dices: quando Teſtator diſponit, quod Capellania conferatur Sacerdoti, qui per ſe ipſum celebret, Sacerdotium eſt qualitas conſiderata, & requiſita ex parte perſonæ promovendæ: qualitas autem requiſita ex parte perſonæ debet ineſſe ab initio actus, quia per talem qualitatem perſona redditur habilis, & qualitas ineſſe debet tempore verbi adjecti, juxta regulam *l. in delictis* §. 5. *ff. de noxalibus*; ergo Capellania Sacerdotalis non poteſt conferri Clerico, qui non ſit actu, ſed potentia tantum Sacerdos tempore collationis. Ita Gratianus *diſcept. forenſ. cap.* 133. *n.* 5. Barboſa *allegat.* 24. *n.* 40. Moneta *cap.* 10. *qu.* 4. *n.* 138. & 145. Sed contra: qualitas requiſita ex parte perſonæ tunc ſolum ineſſe debet ab initio actus, quando non eſt in promptu, nec in noſtra poteſtate illam habere, quia tunc perſona non eſt talis, qualis requiritur, nec eſt in manu ſua fieri talis; at ſi qualitas dependeat a propria voluntate, ita ut quis promptus, & paratus ſit illam habere, tunc non eſt neceſſe, quod actu habeat, ſed ſufficit, quod intra annum, ſeu intra modicum tempus, poſſit illam habere, & paratus ſit intra tale tempus illam aſſumere; nam tunc paratus ad aliquem actum, ſimilis eſt habenti talem actum. *Cap. qui peiorare* 22. *q.* 5. & *l. Jure Civili ff. de cond. & demonſtr.* & proxime qualificandus, habetur pro qualificato *l. ex eo tempore ff. de teſtam. milit.*

48 Quod totum verum eſt, niſi Teſtator aliter diſpoſuerit, ac expreſſe voluerit, obtinentem Capellaniam tempore collationis eſſe actu, & non potentia tantum Sacerdotem, ut cenſuit Sacra Congregatio *die* 26. *Aprilis* 1602. & 13. *Junii* 1608. quod cognoſci poterit ex ipſa diſpoſitione; ſi enim concipiatur verbis negativis, prohibitivis, & annullativis; ut ſi dicat, quod *non poſſit præſentari, niſi Sacerdos: quod non poſſit conferri, niſi Sacerdoti: nullus inſtituatur, qui non ſit actu Sacerdos*, tunc Capellania conferri non poterit, niſi Sacerdoti actuali. Ratio eſt, quia negatio, cum ſit malignantis naturæ, deſtruit, quod invenit poſt ſe, & oppoſitum inducit. Idem valet, ſi Fundator incipiat a negativis, & deſinat in verba affirmativa: *Non eligatur, ſi non fuerit Sacerdos, ſed præſentetur Presbyter &c.* quia propoſitio eſt negativa, & indicat mentem Teſtatoris eſſe, ut non conferatur, niſi Sacerdoti actuali: in tali caſu tamen Sacerdos inſtitutus non tenetur per ſe ipſum celebrare, niſi exprimatur, quod celebret per ſe ipſum.

D U B I U M X.

An Sacerdos obligatus celebrare in Altari privilegiato ſatisfaciat alibi celebrando cum Numiſmate, ſeu Medalia benedicta?

49 CErtum eſt teneri Sacerdotem celebrare in Altari privilegiato, nec poſſe alibi celebrare, ſi illud fuit a Teſtatore, ſeu a dante eleemoſynam in particulari deſignatum, ad majorem illius Eccleſiæ frequentiam, populi commoditatem, & devotionem, vel aliam hujuſmodi cauſam, quia ſecus fraudaret voluntatem dantis eleemoſynam per ea, quæ diximus ſupra *dub.* 6. At ſi nulla fuit Eccleſia, vel Altare in particulari determinatum, quæritur: *an poſſit Miſſa celebranda in Altari privilegiato pro Defunctis, celebrari in Altari non privilegiato, applicando Defunctis Indulgentiam Medaliæ, ſeu Calculi benedicti?*

50 Prima Sententia negat, poſſe Sacerdotem, loco Altaris privilegiati, uti Numiſmate benedicto, quia in re gravi ageret infideliter contra promiſſum, & quia non eſt ita certum privilegium Numiſmati conceſſum, ſicut certum moraliter eſt privilegium Altaris; unde periculum eſt fraudandi Animas illo ſuffragio, ad quod offerendum fuit Sacerdos electus a dante eleemoſynam pro celebratione Miſſarum in Altari privilegiato. Ita Gavantus *tom.* 1. 3. *part. tit.* 12. *n.* 4. Homobon. *in conſult. caſuum conſcientiæ vol.* 2. *part.* 5. *reſp.* 60. & *in exam. Eccleſ. part.* 1. *tract.* 4. *cap.* 13. *q.* 523. Azorius, Graffius, Poſſevinus, Praxinellus, Ugolinus *de officio Epiſc. cap.* 14. *n.* 4. Bonacina § 4. *n.* 5.

51 Secunda Sententia affirmat, quia Pontifex, cum æqualem Indulgentiam plenariam conceſſerit celebrantibus cum Medalia, ſeu Calculo benedicto, ac in Altari, ſeu Eccleſia privilegiata, & Indulgentiæ ſint æqualis virtutis in utroque, ſequitur, quod Celebrans cum Calculo benedicto nullam faciat injuriam Defuncto, nec violat fidem datam, niſi materialiter, nam formaliter illam adimplet per aliquod æquivalens; ſiquidem aliud non intendebat

Teſta-

Teſtator, quam liberari a flammis Purgatorii per Sacrificium, & indulgentiam conceſſam Altari privilegiato, & hanc liberationem impetrat per Sacrificium, & æqualem Indulgentiam conceſſam Calculo benedicto. Ita Marchinus *cap.* 24. *nu.* 8. Paſqualigus, & Pellizzarius, quos citat, & ſequitur Diana *part.* 9. *tract.* 2. *reſol.* 12. *& part.* 6. *tract.* 6. *reſol.* 12. Megalius, Alphonſus de Leone, Puteus, Antonius Ruteus, & Thomas Hurtado, quos ſequitur Leander *tract.* 8. *diſp.* 7. *qu.* 70.

52 Hanc Sententiam veram cenſeo, quoties certo conſtat de Calculo benedicto, & de Indulgentia illi ad hunc effectum ſpecialiter applicata, quia cum æqualis ſit Indulgentia, illiuſque certitudo in Calculo benedicto, ac in Altari privilegiato, nullum damnum infertur Defunctis: at quia, regulariter loquendo, major ſolet eſſe certitudo Altaris privilegiati, illiuſque Indulgentia magis authentica, & ſecura, quam quæ applicatur alicui Calculo benedicto, & fortaſſe minus dependeat a ſtatu gratiæ ipſius Celebrantis, ut habeat effectum; ita regulariter non eſt hæc Sententia practicanda, quia non ſalvatur ſufficienter promiſſio, & obligatio per æquipollens, ut cum aliis tradit Lugus *diſp.* 21. *ſect.* 2. *n.* 39. & hoc fortaſſe intendunt Auctores pro prima Sententia citati.

53 Advertit Antonius a Spiritu S. *diſp.* 3. *ſect.* 1. *n.* 60. quod ſi aliquis Sæcularis poſtulet a Sacerdote Miſſam in Altari privilegiato, vel mittat ad Conventum ſummam pecuniæ, ut dicantur plures Miſſæ in Altari privilegiato, ſi non promittant eas ſic dicere, non peccare illas in tali Altari non dicendo, & citat Dianam *part.* 3. *tract.* 6. *reſol.* 62. *& part.* 9. *tract.* 2. *reſol.* 19. Alia privilegia pro Regularibus affert Leander *cit. q.* 70. apud quem videri poſſunt.

Hæc omnia tibi clarius adhuc ſubjiciuntur, omneſque hac in re de medio tolluntur difficultates in Appendice VIII. ad lib. 3. cap. 8. & 9. Tract. de Sacrif. Miſſæ, quam ſic tibi hoc loco fideliter exponendam putavi: In Diœceſi Toletana Eccleſiarum Sacrariis Præfecti tot eleemoſynas pro Miſſis in iiſdem Eccleſiis celebrandis acceptabant, quot ſatisfieri impoſſibile foret: quare, ne Fidelium pietas eleemoſynam erogantium fraudaretur, Archiepiſcopus in ſuis Synodalibus Conſtitutionibus juſſit, ut ſinguli Eccleſiarum Præfecti, quolibet trimeſtri, & de perceptis eleemoſynis, & de celebratis Miſſis exactam ſibi rationem redderent; quod ſi Miſſæ numerum non exæquarent ab elargientibus eleemoſynam præſcriptum, liberum ſibi eſſe voluit, earumdem celebrationem alteri Eccleſiæ committere. Etiam ejuſmodi Conſtitutio acriter impugnata eſt apud Sacræ Rotæ Tribunal: pleriſque enim videbatur Archiepiſcopus ſuæ poteſtatis limites prætergreſſus, quaſi ſibi jus uſurpaſſet, piam commutandi Fidelium voluntatem, qui in illa ſpeciali Eccleſia Sacrificium pro ſe offerri voluerant, in quam conſuetam contulerant ſtipem. Verum Rotæ Auditorium, cum ponderaverit, non fuiſſe ab Epiſcopo abſolute ſancitum, ut Miſſæ extra Eccleſiam celebrarentur, cui fuerant eleemoſynæ, oblatæ, ſed duntaxat præſcriptum, quid faciendum foret, quando in illa tot Miſſæ celebrari non poterant, quot oblatis eleemoſynis reſponderent; cumque ſimul perpenderit, aliquod temperamentum neceſſario adhibendum fuiſſe, ne in prædicto caſu a jure communi non prævíſo, prorſus eluderentur Fideles eleemoſynam elargientes; utque iidem ſpecialem fructum, quem erogata ſtipe exoptabant, ex Sacrificio aſſequerentur, ſi non illa, quam deſignaverant Eccleſia, alibi ſaltem oblato; idcirco laudatam Conſtitutionem commendavit, approbavitque *dec.* 1436. *& dec.* 1522. *coram Coccina.*

Haud abſimilis quæſtio ſæpius delata eſt ad Sacram Congregationem Concilii, a qua petitum fuit, quid foret agendum, cum ingens eleemoſynarum copia in unam conferebatur Eccleſiam, ut tot Miſſæ celebrarentur in uno certo, & deſignato ejuſdem Eccleſiæ Sacello, quot tamen ibidem celebrare eſſet impoſſibile; & Sacra Congregatio cenſuit, Miſſarum celebrationem non eſſe ultra hebdomadam differendam, ſed in aliis ſaltem ejuſdem Eccleſiæ Sacellis explendam. Ne autem imponeretur Fidelibus, eleemoſynas erogantibus, præſcriptam tabellam, in viſibili Eccleſiæ loco exponendam, notificari juſſit, ſuſcipiendis in poſterum Miſſarum oneribus ſatisfactum utique iri in Altari a Benefactoribus deſignato, ſi tamen intra unius hebdomadæ ſpatium fieri poſſet; ſin minus, in aliis ejuſdem Eccleſiæ Altaribus juxta Sacræ Congregationis reſcriptum.

CAPUT VI.

De Stipendio Miſſæ.

DUBIUM I.

Quo titulo, & a quibus poſſit accipi Stipendium.

CErtum eſt, ſtipendium nec dari, nec ſumi poſſe ut pretium Miſſæ, ejuſque fructus ſpiritualis, quia eſſet aperta ſimonia vendere rem ſpiritualem pro pretio temporali; eadem ratione nec dari, nec ſumi poteſt Stipendium pro labore intrinſeco, & neceſſario cum celebratione Miſſæ connexo, qualis eſt v. g. labor veſtiendi Sacras Veſtes, recitandi orationes Miſſæ, agendique cætera, ſine quibus Miſſa non poteſt rite conſiſtere; ſiquidem labor ille independenter a Miſſa nullam habet æſtimabilitatem, & cum ſit intrinſecus Miſſæ, qui illum venderet, Miſſam vendere convinceretur. Quod ſi labor ſit extrinſecus, & acceſſorius Miſſæ: puta ſi ob Miſſam celebrandam eundum eſſet ad locum valde ab urbe diſtantem, ſi ſurgendum eſſet ſummo mane, talis labor utique eſt pretio æſtimabilis, & pro eo accipi poteſt ſtipendium, & quidem pinguius eo, quod pro celebratione Miſſæ communiter tradi ſolet, quia aliud eſt celebrare, aliud obligare ad celebrandum tali loco, & tempore, ad quod non tenetur Sacerdos.

2 Duo tituli communiter aſſignantur, ob quos poteſt Sacerdos juſte ſtipendium ſumere, & exigere, non ſolum jure poſitivo, ſed etiam ex ipſo jure naturali: primus eſt Miniſtri ſuſtentatio, juxta illud Chriſti Lucæ 10. *dignus eſt operarius mercede ſua*; quod etiam docet Apoſt. 1. Corinth. 9. dicens: *Qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario ſunt edunt, & qui Altari deſerviunt, cum Altari participant*; & ſic poteſt dari, & accipi ſtipendium Miſſæ, non ut pretium, ſed ad Miniſtri ſuſtentationem; & ita cum aliis tenent Suarez *diſp.* 86. *ſect.* 1. Leander *diſp.* 4. *qu.* 1. Palaus *tract.* 22. *diſp. unic. punct.* 14. *n.* 13. Alter titulus eſt obligatio, quam ſuſcipit Sacerdos applicandi danti ſtipendium fructum Sacrificii, quem applicare non tenebatur, & poterat alteri applicare; adeo ut contractus quidam innominatus interveniat inter dantem ſtipendium, & Sacerdotem promittentem Miſſæ celebrationem, cujuſmodi eſt *do ut facias*; quatenus Sacerdos, accepto ſtipendio, tenetur ex juſtitia Miſſam celebrare, & qui illud dat, intendit talem obligationem imponere: & ita tenent Sylveſter, Navarrus, Aragonius, Vaſquez, Azorius, quos ſequitur Marchinus *cap.* 26.

Optimum ſane erit omnia hoc loco diligenter percurrere, quæcumque vel in Notificationibus, vel in Synodo Diœceſana, vel in Tractatu de Sacrif. Miſſæ, pluribus, ac utilibus admodum, ne dicam neceſſariis fere eruditionibus conferta legi poſſunt, ad hoc, ut omnibus, ſinguliſque clare innoteſcant, cum accipiendi pro Miſſarum celebratione ſtipendii origines, & juſtitia, tum etiam diverſitates, atque principia corruptelæ, ſeu abuſus uniuſcujuſque, qui plures in Eccleſiam Dei, ex hominum avaritia introducti, irrepſere: quod plurimum prodeſſe poterit legentibus ad ea omnia potiſſimum declinanda, quæ per Canones, & per Concilia prohibita olim fuere, & nunc etiam rigoroſe prohibeantur. Et primum in Notif. 15. *l.* 3. *hæc ſequuntur*. Illud ſtipendium, quod ex communi Eccleſiæ diſciplina Sacerdotibus traditur pro comparando fructu medio Sacrificii, & loco panis, ac vini, quæ antiquitus offerebantur, ſuffectum fuit, quodque ſæculo octavo propagari cœpit, ſi Thomaſſino (*de veteri, & nova Eccleſiæ diſciplina tom.* 3. *lib.* 1. *c.* 71. *n.* 18.) ac Mabillonio (*in Præfat. ad part.* 1. *ſæcul.* 3. *Benedictin. n.* 62.) rerum ſacrarum viris peritiſſimis fidem præſtamus, licet Pater Franciſcus Bierlaodus ex Ordine Theatinorum (*in Diſſertatione Hiſtorico-Theologica de Oblationibus Altaris part.* 2. §. 2.) altius repetendam hanc conſuetudinem pluribus documentis, ac rationibus commendat; illud, inquam, ſtipendium multas curas, ac ſollicitudines in Eccleſia concitavit, vel ad coercendam Sacerdotum avaritiam; vel ad aliquam normam ſtatuendam, ne ipſi detrimentum caperent ob aliorum libidinem, & ne hoc neceſſario ſubſidio deſtituerentur; vel denique, ne Fidelium voluntas fraudetur, qui ſtipendium offerunt, ut res divina pro ipſis, vel pro aliis adhuc vitam agentibus, aut pro Defunctis conficiatur. Quamobrem S. Franciſcus, uti Alvarus Pelagius teſtatur, pro his corruptelis evitandis conſtituit, ut ſui Ordinis Alumni quocumque loco degerent, ſemel tantum in die celebrarent. Sanctus quoque Ignatius Societatis Jeſu Fundator, parte ſexta ſuarum Conſtitutionum cavit, ne aliquis ex ſuis Sacerdotibus ſtipendium pro Miſſæ Sacrificio perciperet.

Ac primum, licet animus maximo diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtudio non inflammetur, ſi religione tamen aliqua præditus ſit, horrore ſane incredibili commovebitur, ſi perpendat, quo Sacerdotum avaritia ſuperioribus temporibus progreſſa fuerit, cum de ſtipendiis Miſſarum ageretur. Plura Sacra uno die facere cœperunt, ut majorem pecuniam congererent; cum vero id contrarium Eccleſiæ inſtitutis agnoſcerent, eodem Sacrificio plures hoſtias offerebant, quarum numerus acceptas eleemoſynas exæquabat, quis mos etiam a Græcis retinetur, quod idcirco Arcudius, *lib. de Concordia*, vehementer improbat. Poſt hæc, Miſſæ, quas *Biſaciatas*, vel *Triſaciatas* nuncupabant, ſubrogatæ fuerunt, cum nempe Sacerdotes bis, ter, & quater rem divinam inchoabant, & uſque ad Oblationem proſequebantur; deinde toties ſecretas Orationes repetebant, quoties Miſſam inchoaverant, Canonem vero ſemel percurrebant, ac poſtremo totidem addebant Collectas, quot initio recitaverant,

rant, quæ omnia propter nefariam augendæ pecuniæ cupiditatem fieri conſueverunt.

„ Petrus Cantor in Eccleſia Pariſienſi, qui Sæculo XII. inter mortales agebat, has corruptelas graviſſime redarguit, & Sacerdotes ejuſmodi Juda deteriores affirmavit *opere cui Titulus*; Verbum abbreviatum *cap. 37. Turpius*, inquit, *Chriſtum vendimus, quam Judas, eo quod deteriores ſumus: ille enim, quem purum hominem credebat, cum familia etiam ejus indigeret, vendidit; nos vero, quem ſcimus verum Deum, & hominem, vendimus*. Poſtea ſuperaddit: *Ille pro triginta argenteis, nos pro denario, & pretio viliſſimo*. Ignoramus quodnam pretium triginta denariis, quos proditor Judas accepit, Petrus Cantor tribuerit; nam diſcrimen inter ſiclos Sanctuarii, & argenteos communes intercedit; hi enim novem ſcuta Romana pretio adæquabant; illi vero ſummam duplo majorem continebant, uti præſtantes eruditione viri tradiderunt. Eſto tamen, de minoribus ſiclis res intelligenda ſit, Petri Cantoris argumentum aptiſſimum ſemper judicabitur, quod etiam his verbis magis confirmat: *Ille pœnitens, licet non vere, retulit, & rejecit triginta argenteos: in Eccleſia autem inter nos non eſt, qui turpiter acquiſita rejiciat*.

„ Supervacaneum eſt, Decreta recenſere Conciliorum, ac Pontificum, quibus hæ corruptelæ vehementer improbantur. Qui tamen ea cupiunt intueri, Chriſtianum Lupum *in notis Concil. Roman. habiti ſub Alexandro II. tom. 5. novæ editionis ſuorum operum pag.* 150. Cardinalem Bonam, *Rerum Liturgicarum lib. 1. c. 15. num. 7.* Thierſium *tom. 3. ſuperſtitionum cap.* 13. ac Petrum Berlandum *diſſertatione ſuperius allata hiſtorico-Theologica de oblation. Altaris part.* 2. percurrant, qui eadem Decreta fuſe commemorant. Satis erit innuere receptam quidem ab univerſa Eccleſia conſuetudinem, ut pro Sacro dentur, & accipiantur ſtipendia, cum ex Altari vitæ ſuſtentationem merito deſumere Miniſter Altaris debeat; ideoque non ſine imprudentia mos ejuſmodi damnari poteſt; *Sufficere debet*, inquit Gerſon in ſuo tractatu de ſolitudine Eccleſiarum particularium, *ad conſenſum hujus veritatis uſus totius communis Eccleſiæ, qui ſic habet, & recipit; cui ſi quis detrahit, imprudenter ſe decipit &c. Nihil æquius ſecundum omnem legem eſſe deducit Apoſtolus 1. ad Corinth. 9. quam, qui Altari ſervit, de Altari vivat*; tamen procul dubio avaritiæ crimen, & ſpeciem quamdam ſimoniæ admitteret, qui pro Miſſæ ſtipendio pactiones aliquas, aut conditiones faceret, quemadmodum ex Tridentina Synodo deprehenditur *Seſſ.* 22. in Decreto de obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſæ: *Atque, ut multa paucis comprehendantur, in primis, quod ad avaritiam pertinet, cujuſvis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Miſſis novis celebrandis datur, necnon importunas, atque illiberales eleemoſynarum exactiones potius, quam poſtulationes, aliaque hujuſmodi, quæ a ſimoniaca labe, vel certe a turpi quæſtu non longe abſunt, omnino prohibeat*. Nam, uti docet S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 2. *ad ſecundam. Sacerdos non accipit pecuniam quaſi pretium Conſecrationis Euchariſtiæ, aut Miſſæ decantandæ; hoc enim eſſet ſimoniacum, ſed quaſi ſtipendium ſuæ ſuſtentationis*. Inſuper alio loco *Sentent. diſtin. 25. q. 3. art. 2. quæſtiunc. 1. ad quartum*: eamdem confirmat ſententiam his verbis: *Facere pactionem de Miſſa celebranda eſt ſimonia &c. ſi tamen non habet alios ſumptus, & non tenetur ex officio Miſſam cantare, poteſt accipere denarios, ſicuti conducti Sacerdotes faciunt, non quaſi pretium Miſſæ, ſed quaſi ſuſtentamentum vitæ*.

„ *In Synodo autem Diœceſana hæc habentur*: Mos fuit in Eccleſia plurium Sæculorum intervallo ſancte retentus, ut quotquot ad Miſſarum ſolemnia convenirent Fideles, ſuam unuſquiſque Sacrificii partem, hoc eſt panem, & vinum conſecrandum, offerrent: ad quem alludens Cyprianus *lib. de oper. & eleemoſyn.* divitem feminam hoc nomine increpat, quod nihil offerens, alienæ oblationis partem ſumeret: *Locuples* (inquit) *& dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ in Dominicum ſine Sacrificio venis, quæ partem de Sacrificio, quod pauper obtulit, ſumis*: eumdemque reſpexit Auguſtinus (ſeu quiſquis eſt Auctor *ſermonis olim* 215. *de tempore, nunc* 263. *in append. tom. 5. num.* 2.) dicens: *Erubeſcere debet homo idoneus, ſi de aliena oblatione communicaverit*; atque inde etiam factum eſt, ut Tertullianus *lib. de exhort. Caſtit. cap.* 7. omnes Chriſtianos, Sacerdotes dixerit, non quod omnes poteſtatem haberent conſecrandi, ſed quia omnes panem, & vinum ad Dei Altare offerebant, ſicuti egregie explicat Petavius *in Diatriba de poteſtate conſecrandi cap.* 1. (*tom. 4. Theolog. Dogmat.*) Tanta porro illius ritus fuit apud Majores noſtros religio, ut, cum Patres Concilii Matiſconenſis II. anni 585. deprehendiſſent, eum pedetentim obſoleſcere, ſtatim reſtitui curaverint, *can.* 4. decernentes: *Reſidentibus nobis in ſancto Concilio, cognovimus quoſdam Chriſtianos, relicto Fratrum cœtu, a mandato Dei aliquibus locis deviaſſe; ita ut nullus eorum legitimo obſecundationis parere velit officio Deitatis, dum ſacris Altaribus nullam admovent hoſtiam. Propterea decernimus, ut omnibus Dominicis diebus Altaris oblatio ab omnibus viris, & mulieribus offeratur, tam panis, quam vini: ut per has immolationes, & peccatorum ſuorum faſcibus careant, & cum Abel, vel cæteris juſte offerentibus, promereantur eſſe conſortes. Omnes autem, qui definitiones noſtras per inobedientiam evacuare contendunt, anathemate percellantur*. (*collect. Harduin. tom. 3. col.* 461.) Neque vero quod a ſingulis Fidelibus offerebatur, modicum quid erat panis, & vini, quæ poſtea per Sacerdotem conſecrata, atque in Chriſti Corpus, & Sanguinem converſa, ipſimet offerentes perciperent, ſed quilibet, pro ſua facultate, plures offerebat panes, cum larga vini amphora, quorum exigua pars conſecraretur, & reliqua maſſa Sacerdotibus, & Clericis cederet, quemadmodum, pluribus allatis monumentis, oſtendit Chriſtianus Lupus *diſſert. 2. prœm. ad decret. & canon. Concil. tom. 3. primæ edit. pag.* 183.

Præter panem, & vinum, quæ Sacrificio uſui erant, aliud ad Altare offerre prohibuit *Canon.* 3. Apoſtolorum: *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, præter ordinationem Domini, alia quædam in Sacrificio offerat ſuper Altare, ideſt mel, aut lac, aut pro vino ſiceram, aut confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina, contra Conſtitutionem Domini faciens, congruo tempore deponatur*. Et quamvis ſequens *Canon.* 4. ejuſmodi prohibitionem temperans, offerri etiam permittat oleum, incenſum, novas ſpicas, & uvas; cæteros tamen fructus, non ad Altare offerri, ſed ad Epiſcopum mitti jubet, Presbyteris, Diaconis, & Clericis diſtribuendos: *Ne liceat autem aliquid aliud ad Altare offerre, præter novas ſpicas, & uvas, & oleum ad luminaria, & thymiama, tempore, quo ſancta celebratur oblatio. Omnis autem alius fructus domum mittatur primitiæ Epiſcopo, & Presbyteris. Clarum autem eſt, quod Epiſcopus, & Presbyteri Diaconis, & Clericis diſtribuunt*. Concilium vero Carthaginenſe II. anni 397. *can.* 24. qui eſt 37. in Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ (*tom. 1. collect. Harduin. col.* 883.) mel, & lac offerri permittit in die Paſchalis feſtivitatis, quo ſolemne Baptiſma celebrari, & egreſſis e ſacro Fonte mel, & lac dari conſueverat; de quo ritu plura Cardinalis Bona *rer. Liturg. lib. 1. c. 16. n. 3. Ut in Sacramentis* (ait cit. Concilium) *Corporis, & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis, & vinum aqua mixtum; primitiæ vero, ſeu lac, & mel, quod uno die ſolemniſſimo in Infantum myſterio ſolet offerri, quamvis in Altari offerantur, ſuam tamen habeant propriam benedictionem, ut a Sacramento Dominici Corporis, & Sanguinis diſtinguantur: nec amplius in primitiis offeratur, quam de uvis, & frumentis*. Verum poſteriori ætate uſus obtinuit, ut nihil quidem, præter panem, & vinum, juxta priſca Patrum decreta, Offertorii tempore exhiberetur, ſed vel ante Miſſam, aut ante Evangelium, ſive ſtatim poſt Evangelium, liceret Fidelibus, quidquid vellent, in Sacerdotum commodum, ad Altare offerre, quod ex Reginone *lib. 1. de Eccleſiaſt. diſcipl.* recte colligit Martene *de antiquis Eccleſ. ritib. tom. 1. lib. 1. cap. 4. artic. 6.* Duo pariter oblationum genera commemorant Capitularia Caroli Magni *lib. 6. cap.* 305. & magis aperte antiquiſſima Liturgia Æthiopum, quam ad hunc ritum comprobandum adducit Honoratus a S. Maria *in ſuis animadverſ. in regulas, & uſum Critices tom. 2. lib. 4. diſſert. 4. art. 6.* oblationes factas ante Offertorium, ab illis diſtinguit; quæ fiebant dum Offertorium canebatur.

Sed num, inter cætera, etiam pecunia, ſive ante Miſſam, ſive ante Offertorium, prioribus Sæculis, ad Altare offerri ſoleret, ignoramus. Scimus enimvero, ab Eccleſiæ incunabulis, in ſingulis Chriſtianorum Eccleſiis expoſitam fuiſſe arcam, quam Baronius *ad an. 44. num.* 69. *Gazophylacium* appellat; in quam pecuniæ a Fidelibus inſerebantur; ejuſmodi arcæ meminit Tertullianus *apol. cap.* 39. inquiens: *Si quid arcæ genus eſt, non de ordinaria* (al. honoraria) *ſumma quaſi redemptæ Religionis congregatur, modicam unuſquiſque ſtipem, menſtrua die, vel cum velit, & ſi modo velit, & ſi modo poſſit, apponit: nam nemo compellitur, ſed ſponte confert*. Et Juſtinus *apolog. 1. ad Antonium Pium num.* 67. quaſi rationem reddens pecuniæ, quæ in Eccleſiæ Gazophylacium conjiciebatur, ait: *Qui abundant, & volunt, ſuo arbitrio, quod quiſque vult, largiuntur, & quod colligitur apud eum, qui præeſt deponitur, ac ipſe ſubvenit pupillis, & viduis, & iis, qui, vel ob morbum, vel aliam ob cauſam egent, tum etiam iis, qui in vinculis ſunt, & advenientibus peregre hoſpitibus; uno verbo, omnium indigentium curam ſuſcipit*. Ubi *indigentium* nomine, etiam Eccleſiæ Miniſtros Juſtinum comprehendiſſe minime dubitamus; illi ſiquidem ex Fidelium oblationibus alebantur, & incredibile videtur, quod ex ſolo pane, & vino, ad Altare oblatis, potuerint omnia ſibi ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria comparare. Eumdem morem deponendi pecuniam in Gazophylacio commemorant Auguſtinus *ſerm.* 356. (*tom. 5. oper.*) *num.* 13. & Paulinus *epiſt. 34. ſive ſermone de Gazophylacio*, quorum

„ proin.

„ proinde teſtimonio conſtat, labente Sæculo IV. & decurrente V. illum perſeveraſſe.

„ Sed quandonam non in Gazophylacium immitti, ſed ad ipſum Altare cœperit pecunia offerri, certo definire non poſſumus. Habemus quippe ex Auguſtino *epiſt.* 22. *n.* 6. (*tom.* 2. *oper.*) quæ eſt ad Aurelium Primatem, tempore oblationis, ſeu Miſſæ pro Defunctis, fuiſſe ſimul denarios oblatos; ſed cum iſtos ab ipſimet offerentibus in pauperes erogari idem præcipiat, non videtur approbare, ut in Diaconorum manibus ad Altare deponerentur: *Oblationes pro ſpiritibus Dormientium, quas vere aliquid adjuvare credendum eſt, ſuper ipſas memorias non ſint ſumptuoſæ, atque omnibus petentibus, ſine typho, & cum alacritate præbeantur, neque vendantur. Sed ſi quis pro religione aliquid pecuniæ offerre voluerit, in præſenti pauperibus eroget.* Honorius Auguſtodunenſis, Scriptor XII. Sæculi, *in Gemma Animæ lib.* 1. *c.* 58. tunc in Eccleſiam morem invectum aſſerit, pecuniam, loco panis, ad Altare offerendi, cum deſierunt Fideles Sacrificio aſſiſtentes ſacra participare Myſteria, quod cæteroquin antea fas non erat prætermittere: *Poſtquam autem Eccleſia numero quidem augebatur, ſed ſanctitate minuebatur propter carnales, ſtatutum eſt, ut qui poſſent, ſingulis Dominicis, vel tertia Dominica, vel ſummis Feſtivitatibus, vel ter in anno communicarent, ne ante Confeſſionem, & Pœnitentiam pro aliquo crimine judicium ſibi ſumerent. Et quia, populo non communicante, non erat neceſſe tam magnum panem fieri, ſtatutum eſt, eum in modum denarii formari, ut populus pro oblatione farinæ denarios offerret;* tempus tamen, quo id acciderit, Honorius non deſignat.

„ Verum, utut hæc res ſe habeat, & quidquid ſit de initio uſus offerendi ad Altare pecuniam, indubitatum eſt, quod aſſerit Thomaſſinus *de vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. part.* 3. *lib.* 1. *c.* 7. *n.* 8. juxta primigeniam naſcentis, & adoleſcentis Eccleſiæ diſciplinam, ſive panem, ſive denarium oblatum fuiſſe Eccleſiæ, & Clericis in commune, non vero datum cuipiam peculiari Sacerdoti, ut Miſſam privatim faceret, quæ uni eleemoſynam offerenti prodeſſet. Morem autem ſtipem elargiendi Sacerdoti, ut exuberantem Sacrificii fructum ſtipis largitor in ſe, proximos, aut amicos, ſive vitæ compotes, ſive defunctos, derivaret, non ante Sæculum VIII. inductum, neque paſſim ubique ante XII. receptum, aſſerit Mabillonius *in præfat. ad part.* 1. *Sæculi III. Benedictini num.* 62. cui tamen contradicit P. Franciſcus Berlendi Clericus Regularis Theatinus *in diſſert. Hiſtorico-Theologica de oblationibus part.* 2. §. 2. illum longe antiquiorem affirmans. Enimvero, quod in fine Sæculi VIII. jam invaluiſſet, fidem facit Chrodegandus Epiſcopus Metenſis in Regula, quam, eo Sæculo labente, vel IX. ineunte, ſuis Canonicis præſcripſit: in ea quippe, *cap.* 32. *de eleemoſynis*, cuique Canonicorum liberam poteſtatem fecit accipiendi, & in quos vellet uſus expendendi eleemoſynam, quæ pro ſua ſibi Miſſa offerebatur: *De eleemoſynis accipiendis* (inquit) *ita conſtituimus, ut ſi aliquis uni Sacerdoti pro Miſſa ſua, vel pro Confeſſione, aut infirmitate, ſeu pro quolibet caro ſuo, aut vivente, aut mortuo, aliquid in eleemoſyna dare voluerit, hoc Sacerdos a tribuente accipiat, & exinde, quod voluerit, faciat.* (*collect. Harduin. tom.* 4. *col.* 1196.) Sæculo vero XI. eumdem morem adeo longe, lateque propagatum ſcimus, ut etiam pueris notus eſſet. Etenim Joannes Monachus *in Vita S. Petri Damiani cap.* 2. de eo adhuc puerulo narrat: *Petrus quadam die nummum reperit, & tanquam ſubito dives effectus, gratulabundus, quid eo mercari aptius poſſet diu mente revolvere cœpit, divinitus tandem inſpiratus, ait: melius eſt, ut tradam Presbytero, qui Deo Sacrificium offerat pro patre meo defuncto.*

3 Hinc infertur ſtipendium pro Miſſa accipi poſſe non ſolum a Sacerdote paupere, ſed etiam a divite, ſive dives ſit ex ſuo patrimonio, & bonis paternis, ſive ex beneficiis Eccleſiaſticis, quia quiſque Sacerdos poteſt contractum inire; & aſſumere obligationem pro alio celebrandi; item quilibet Sacerdos ſive dives, ſive pauper jure naturali meretur ſuſtentari ab illo, cui inſervit, & in cujus obſequium eſt occupatus. Cum autem munus principale Sacerdotis ſit Miſſam celebrare, utique juſte poteſt ab illo ſuſtentationem exigere, in cujus obſequium miniſterium exhibet. Ita cum D. Thoma *quodlibet* 6. *art.* 10. Sotus, Navar., Suarez, Reginaldus, Aragonius, Vaſquez, Rodriquez, Henriquez, Dicaſtillus, & alii, quos ſequitur Franciſcus a Jeſu Maria *c.* 75. *punct.* 1.

4 Titulus ſuſtentationis Miniſtri magis ridet, videturque magis proprius, & immunis a labe ſimoniæ; ſi enim licitum eſt Sacerdoti ſtipendium accipere propter obligationem, quam ſubit, applicandi Sacrificium danti ſtipendium, cui non tenebatur applicare, facile poſſet excuſari omnis Simonia: ſiquidem Epiſcopus poſſet Sacramenta Ordines, & Beneficia conferre, accepto ſtipendio, propter obligationem, quam ſubit Ordines, & Beneficium conferendi Titio, ad quod non tenebatur: ſimiliter emi, & vendi poterit quodcumque ſpirituale, dando & accipiendo pecuniam, non in pretium, ſed propter obligationem, quam unus imponit, & alter ſuſcipit, miniſtrandi, ſeu dandi ſpiritualia. Melius ergo dicendum eſt, ſtipendium dari non in pretium Sacri, nec propter obligationem celebrandi, ſed ob ſuſtentationem Miniſtri, quia nullus tenetur propriis ſtipendiis militare; & qui Altari ſervit, de Altari vivere debet, ut dicebamus in primo titulo, & tenent Auctores *ibidem citati*, & ulterius Joan. a S. Thom. Gonet, Lugus, Sanchez, Averſa & Arriaga, quos citat, & ſequitur Mader. *tract.* 3. *de Euchar. q.* 8. *art.* 9.

„ *Clarius adhuc videre hoc poteris in additione ad Cap.* 3. *dub.* 3. *tract.* 5. *hujus voluminis.* „

D U B I U M II.

An poſſit pro una Miſſa recipi plura ſtipendia ſive ab uno, ſive a pluribus?

5 PLura ſtipendia vel poſſunt eſſe juſta, & ſufficientia, vel incongrua, & inſufficientia: illud autem cenſetur eſſe juſtum Miſſæ ſtipendium, quod lege Eccleſiaſtica fuit taxatum, aut laudabili conſuetudine in unaquaque regione receptum; & quidem in Italia magis communiter eſſe ſolet unus Julius, ſeu argenteus pro Miſſis feriatis, nam pro feſtivis, an aliquid plus dari ſoleat, poſtea dicam, quia, ſicut in temporalibus juſtum pretium rerum venalium eſt illud, quod auctoritate Principis, vel legitima conſuetudine eſt conſtitutum; ita ſimiliter dicendum eſt de ſtipendio Miſſæ, quod licet non ſit vere pretium, ſervat tamen pretii ſimilitudinem, quatenus in eo ſervanda etiam eſt ratio juſtitiæ, ut cum aliis tradit Bonacina *qu. ult. punct.* 8. *n.* 8. & inde non poſſunt Sacerdotes exigere majus, nec Laici dare minus, quamvis liberum ſit Fidelibus dare majus, & Sacerdotibus recipere minus, ſi velint, ut cum Navar., Suarez, Reginaldo, Barboſa, Henriquez, & aliis, docet Bonac. *loc. cit.* ubi etiam *n.* 11. advertit, peccare mortaliter contra juſtitiam, poſita materia notabili, & conſequenter teneri ad reſtitutionem Sacerdotem, qui ſupra taxam ab Epiſcopo, aut conſuetudine conſtitutam, ſtipendium exigit, quia facit contra juſtitiam augendo pretium taxatum a Superiore, niſi forte illud majus fuerit liberaliter datum.

6 Difficultas igitur eſt: *an poſſit Sacerdos plura ſtipendia ab eodem, vel a pluribus accipere, & unico Sacrificio ſatisfacere?* Affirmant, poſſe Sacerdotem pro una Miſſa accipere tot ſtipendia, quot ſufficiunt ad ejus diurnam ſuſtentationem, Sotus, Cano, Montagnol, Viguerius, Angel, Sylveſter, Armilla, Rodriquez, Henriquez, Huncala, Petrus Navarra, Aragon., Cameiota, Graffi, quos afferunt Marchinus *cap.* 16. *n.* 7. & Diana *part.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 8. & hæc Sententia probabilior videbatur Leandro *diſp.* 4. *q.* 4. ante Decreta Sacræ Congregationis. Eamdem Sententiam extendunt alii etiam ad emendos aliquos libros, ſi Sacerdos Theologus, vel Juriſta eſſet, & ad ſuſtentandos alias mendicaturos, quamvis Petrus de Aragon. doceat ſolum accipere poſſe ſtipendium pro ſuſtentatione propriæ perſonæ, veſtitu moderato, locatione domus, & pro famula alenda.

7 Reſp. Nulli Sacerdoti licitum eſſe ab eodem, vel a pluribus plura ſtipendia exigere, & unico Sacrificio ſatisfacere. Ratio eſt, quia licet Sacrificium pluribus applicatum æque ſingulis proſit, ac ſi ſingulis applicaretur; attamen ſtipendium non datur in pretium fructus applicandi, quia foret ſimonia, cum ſit res ſpiritualis, ſed datur in ſuſtentationem Sacerdotis, qui fructum applicare debet. Hæc autem ſuſtentatio potuit lege Eccleſiaſtica, aut rationabili conſuetudine taxari, qua poſita, non eſt licitum Sacerdoti illam tranſgredi: maxime, quia ſuſtentatio Sacerdotis non debet adæquate pendere a ſola celebratione Miſſæ, cum poſſit canendo, funus agendo, docendo, vel alia honeſta via aliquid lucrari ad vitæ ſuſtentationem, ut habetur cap. *Clericus* 91. *diſt.* & Eccleſia diſtricte prohibet, ne quis ordinetur ſine ſufficienti Beneficio, aut Patrimonio, ut habetur *cap. Non licet. cap. Tuis. cap. Cum ſecundum Apoſtolum de præbend.* & in Trident. *ſeſſ.* 21. *c.* 22. *de reform.* Hanc Sententiam ſequuntur Suarez, Vaſquez, Hurtado, Azor., Leſſius, Filliucius, Barboſa, Bonacina, Palaus, & cum multis aliis Diana *dicta part.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 8. Marchinus *cit. cap.* 16. *n.* 19. *& ſeqq.* & hodie ceſſat omnis difficultas, nam Sacra Congregat. in Decretis SS. Domini N. Urbani VIII. auctoritate editis §. 3. ſub obteſtatione Divini judicii mandat, ac præcipit, ne ullus Sacerdos hoc faciat ſub obligatione peccati gravis, & onere reſtituendi.

„ *Hoc idem ſic confirmatur in Synodo Diœceſan. lib.* 5. *c.* 9. *hiſce verbis.* Quis non crederet, tot ſalubres Conſtitutiones, Sacerdotum avaritiam refrenaſſe? Et nihilominus ſcimus, ſufficientes haud fuiſſe ad eam cohibendam: aliqui enim ſuffulti plurium Theologorum opinione, qui, etſi Sacrificii fructum, quoad effectum, & in actu ſecundo, uti ajunt, finitum eſſe fateantur, attamen opinantur, illud pluribus applicatum, æque ſingulis prodeſſe, ac ſi uni tantum applicaretur; inſtar radii ſolaris, qui quamvis finitus ſit, æque tamen in unum, ac in multos ſe effundit, poſt acceptam a plu-

„ ribus

ribus conſuetam eleemoſynam, ſe omnibus ſatisfacere arbitrabantur, unicum Sacrificium ſingulis, qui ſibi ſtipem contulerant, nominatim, & expreſſe applicando. Alii conſiderantes, treſ eſſe Sacrificii fructus, generalem videlicet, qui in univerſam Eccleſiam redundat; ſpecialem, ſeu medium, quem ille ſolus participat, pro quo nominatim a Sacerdote Sacrificium offertur; & ſpecialiſſimum, quem ipſemet Celebrans in ſe derivat, putarunt, ſe poſſe hunc tertium fructum, qui ceteroquin eſt veluti actio immanens, quæ nequit ab agente in alium tranſire, alteri cedere, atque hac ratione novam eleemoſynam accipere. Ejuſmodi opiniones, & ſubdolæ artes, unice ab avaritia excogitatæ, jam a ſæculo XIII. in Eccleſiam irrepſerant, iiſque obviam ierat Concilium Lambethenſe, celebratum anno 1282. c. 2. decernens: *Nec credat Celebrans, ſe, dicenda Miſſam unam poſſe ſatisfacere pro duobus, pro quo utroque promiſit ſpecialiter, & in ſolidum celebrare... Abſit enim, ne a quoquam Catholico credatur, tantum intentione prodeſſe Miſſam unam, devote celebratam mille hominibus, pro quibus forſan dicitur, quantum ſi mille Miſſæ pro iis devotione ſimili canerentur. Licet ipſum Sacrificium, quod eſt Chriſtus, ſit infinitæ virtutis, non tamen in Sacrificio ſuæ immenſitatis ſummam plenitudinem operatur: alioquin pro uno Mortuo nunquam oporteret, niſi unam Miſſam dicere; operatur enim in huiuſmodi myſteriis diſtributione certa ſuæ plenitudinis, quam ipſe eiſdem lege infallibili alligavit.* (*collect. Hogdum tom. 7 col.* 852.) Et nihilominus ſæculi XVI. initio nondum abolitæ fuerant; ſiquidem Norimbergenſis Germanorum Principum Conventus, apud Hadrianum VI. ſummum Pontificem, de hoc eodem abuſu conqueſtus eſt: *Sacerdotes unius dati Miſſas, ad quas fundationis, ſeu annuæ recordationis jure celebrandas obligantur, non ſemel, ſed quater, quinquies, pluriesve vendidant, unaque Miſſa duobus, tribus, aut pluribus Eccleſiaſticis Beneficiis ſatisfacere præſumunt.* Quamobrem eam peſtilentem corruptelam iterum totis viribus eradicare ſtuduerunt, cum Urbanus VIII. in ſuis decretis anno 1625. promulgatis, tum ſacra Congregat. Concil. aliis decretis editis die 25. Januarii 1659. & 13. Decembris ejuſdem anni, quæ referuntur a Fagnano *in cap. Fraternitatem, de ſepulturis n.* 96. *&* 97. ac poſtremo illam omnino profligavit Alexander VII. cum anno 1665. has damnavit propoſitiones: *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licite accipere, applicando petenti partem, etiam ſpecialiſſimam fructus, ipſimet Celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Urbani VIII. Non eſt contra juſtitiam pro pluribus Sacrificiis ſtipendium accipere, & Sacrificium unum offerre; neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam, promiſſione etiam juramento firmata, danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram.*

8 Nec obſtat Sacerdotis paupertas; nam iſta non dat jus accipiendi rem alienam, ſeclusa extrema neceſſitate; nec dat jus tranſgrediendi leges taxantes pretia rerum, nec qui Miſſam petit, tenetur dare integram ſuſtentationem Sacerdoti, cum, ut dixi, nemo debeat ordinari ſine ſufficienti Patrimonio, aut Beneficio, ex quo debet habere integram ſuſtentationem.

„Brevi, ſed ſolida admodum auctoritate hoc idem etiam confirmatur in prælaudata Notif. 15. lib. 3. ubi hæc habentur: Sacerdos partem aliquam ſuæ ſuſtentationis ex ſtipendio tantum deſumit, quod Juveninus *de Sacramentis diſſert.* 5. *qu.* 7. *de Sacrificio Eucharitiæ art* 5. hoc pacto declarat: *Sed monitum velim Lectorem, rationi conſonam non eſſe conſuetudinem, quæ illud ſtipendium definit in ſumma, quæ ſatis ſit Sacerdotis in unam diem ſuſtentationi. Ratio eſt, quia ſtipendia non conferuntur ad integram Presbyteri ſuſtentationem, ſed ad illius adminiculum. Nec mirum; quippe quod Sæculares Sacerdotes fruuntur aut Titulis Patrimonialibus, aut Beneficiis, quæ teneant eorum locum: vetant nempe Canones, ne Sæculares ordinentur, quin ſuffulti ad vitam titulo. Mendicantes vero a populo fideli ſupponuntur recipere eleemoſynas, quibus veſcantur: nec enim ad Monaſterium admitti debent plures, quam conſuetæ eleemoſynæ ſuſtentare valeant.*

9 Reſtat difficultas: *an quando petens Miſſam non dat ſtipendium integrum, ac lege taxatum, poſſit tunc Sacerdos a diverſis tria parva ſtipendia ſuſcipere, quæ juſto, vel taxato ſtipendio æquivaleant, & pro omnibus illis unam Miſſam offerre?* Affirmabant, qui ante Decreta Sacræ Congregationis ſcripſerunt, Corduba, Honcala, Henriquez, Rodriquez, Azor. Suarez, Vaſquez, Poſſevinus, Nugnus, quos affert Marchinus *cap.* 21. qui pariter eamdem Sententiam probabilem exiſtimat ante Decretum Sacræ Congregationis, Leander *diſp.* 4. *q.* 5. Layman *tract.* 5. *c.* 5. *n.* 13. & alii, quos affert Diana *part.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 7. Ratio eſt, quia injuſta, & irrationabilis eſt poſtulatio illius, qui pro tenui ſtipendio totum, & integrum peteret Sacrificium, fieretque Sacerdoti injuria, qui poteſt ſe indemnem ſervare. Limitabat Marchinus, cum Homobono in eo Sacerdote, qui, non obſtante tenui eleemoſyna ſibi cognita, expreſſe promiſiſſet, ſe tot Miſſas celebraturum, quæ limitatio, ſtando in rigore juſtitiæ, non videtur neceſſaria Suario *in* 3. *p. tom* 3. *diſp.* 86. *ſect.* 4. ſi Sacerdos neceſſitate coactus hoc fecit; ſi enim cogitur ob paupertatem inæquale ſtipendium accipere, poteſt, non obſtante priori pacto, ſe indemnem ſervare; ſicut famulus; cui condigna merces non tribuitur, poteſt damnum ſuum quo melius poterit reſarcire, etiamſi ab initio ob paupertatem coactus, pro injuſto pretio fuerit ſtipulatus.

10 Negant vero abſolute Coninch, & alios referens Bonac. *diſp.* 4. *qu. ult. punct.* 7. §. 2. *n.* 8. Marchinus, Leander, & Diana *locis ſupracitatis*, Lugus *diſp.* 21. *n.* 26. Gobet *diſp.* 11. *n.* 113. Franciſcus a Jeſu M. *c.* 5. *punct.* 2. *n.* 8. ſuntque expreſſe definitum a Sacra Congregat. Concilii de celebrat. Miſſarum illius verbis: *Deinde ubi pro pluribus Miſſis etiam ejuſdem qualitatis celebrandis, plura ſtipendia quantumvis incongrua, & exigua, ſive ab una, ſive a pluribus perſonis collata fuerint, aut conferrentur in futurum Sacerdotibus, Eccleſiis, Capitulis, Collegiis, Hoſpitalibus, Societatibus, Monaſteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus, aut Locis Piis quibuſcumque tam Sæcularibus, quam Regularibus, Sacra Congregatio ſub obteſtatione divini judicii mandat, ac præcipit, ut abſolute tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant, quin imo graviter peccent, & ad reſtitutionem teneantur.*

11 Non deſunt tamen qui etiam poſt prædictum Decretum, contrarium ſentiant, fundati in eodem Decreto, ubi ponderant illa verba, *ad rationem attributa eleemoſynæ*; nam Sacra Congregatio non præcipit Miſſas celebrari debere, ſicut ab offerente abſolute præſcriptæ ſunt, ſed ſicut ab eodem juxta rationem, & computum datæ eleemoſynæ præſcriptæ ſunt. Cum igitur eleemoſyna non ſit data niſi limitate, limitate debebitur applicatio Miſſæ: nec eſt credibile Sacram Congregationem voluiſſe fraudare Sacerdotes juſta mercede. Et ita tenent Tamburin. *lib.* 3. *c.* 1. §. 3. *n.* 53. quem ſequitur Antonius a Spiritu S. *diſp.* 6. *ſect.* 1. *n.* 239. ubi etiam citat Peyrinum *tom* 3. *cap.* 1. *n.* 26. Verum hæc explicatio videtur rejicienda tanquam contraria Decreto Sact. Congregationis, quæ in reſponſ. *ad ſecundum, & tertium dubium* declaravit, Sacerdotes accipientes ſtipendium minus congruum teneri Miſſas ab offerente præſcriptas celebrare.

De hoc ſic breviter in Notif. 15. *lib.* 3. His Sententiis ad Apoſtolicam Sedem delatis, quid ſtatuendum eſſet ipſa indicavit per Sacram Concilii Congregationem, quæ non modo ad explicandam Tridentinam Synodum inſtituta fuit, ſed etiam, ut Eccleſiæ diſciplinam per univerſum Orbem integre, ſancteque tueretur. Plura igitur Decreta promulgata fuerunt, cum Urbanus VIII. Pontificatum gereret, qui primus Apoſtolica Conſtitutione, (43. *in Bullario Rom. tom.* 4.) ac deinde Innocentius XII. peculiaribus litteris eadem Decreta confirmarunt. Ipſa quidem variis locis edita ſunt, ac præſertim poſt Synodum Diœceſanam Cardinalis Jacobi Boncompagni Deceſſoris noſtri præclariſſimi. In his ſancitum fuit, ut, qui eleemoſynam pro Sacro acceperit, licet ſtipendium in Diœceſi conſtitutum non exæquet, ad ipſum Sacrum conficiendum teneatur, fructumque illi attribuere debeat, qui eleemoſynam impertivit. Qui vero plura exigua ſtipendia a diverſis Fidelibus congeſſerit, tot Miſſas celebret, quot pro ratione ſuſceptæ pecuniæ celebrari queunt.

At omnes, & quaſcumque preponis Giribaldi hoc in dubio difficultates circa ſtipendiorum pluralitatem, ſolutas jam, ac Decretorum, Conciliorumque auctoritate clare admodum definitas invenies apud Benedictum XIV. in ſuis vel Notificationibus, vel Diœceſanæ Synodi inſtitutionibus, vel in ſuo Tractatu de Sacrificio Miſſæ. Sic autem primo in Notificatione 15. *lib.* 3. Sublatis iis corruptelis, quæ ex Sacerdotibus dimanabant, alia plura ſancita ſunt, ut detrimentum repararetur, quod ratione legitimi ſtipendii ipſis Sacerdotibus inferri conſuevit. Nemo ignorat, perpetuas alias, alias vero adventitias Miſſas nuncupari. Primæ quidem quotidie, vel certis quibuſdam diebus ratione Beneficii, aut Fundatoris inſtituto, vel Teſtatoris voluntate celebrantur; adventitiæ vocantur, pro quibus ſtipendium a Fidelibus traditur, ita tamen, ut nullus fundus, nullumque onus in futurum tempus conſtituatur. Itaque ne fraus alia admitteretur, Scriptores unanimes conſentiunt, ſtipendii ſummam ex conſuetudine, inſtitutis Synodalibus, vel arbitrio Epiſcopi ſtatuendam; idque Sacra Congregatio Concilii ſua auctoritate confirmavit. Interamnenſis Epiſcopus die 25. Novembris ann. 1698. ab eadem Sacra Congregatione hæc petiit: *primo, quanta eſſe debeat eleemoſyna Miſſarum Manualium; ſecundo, quanta eſſe debeat pro perpetuis non taxatis a Fundatoribus.* Sacra vero Congregatio *lib.* 48. *Decret. pag.* 548. hoc pacto reſpondit: *Ad primum, & ſecundum cenſuit, attendendam eſſe conſuetudinem loci, vel legem Synodalem, quatenus adſit; ſin minus, ſtatuendam eſſe per Epiſcopum eleemoſynam competentem ejus arbitrio.* Porro id Presbyteris Sæcularibus æque, ac Regularibus obſervandum indicitur; nam die 15. Januarii ann. 1639. eadem Congregatio *lib.* 16. *pag.* 138. hoc reſponſum edidit:

„ dit: *Eleemoſynam pro qualibet Miſſa per Regulares celebranda in eorum Eccleſiis, eſſe taxandam arbitrio Ordinarii, juxta morem regionis.*

„ His peractis plures quæſtiones excitatæ fuerunt, ut, ſi fieri poſſet, Decreta hujuſmodi labefactarentur. Ac primum: an Hæres præſcribere poſſit eleemoſynam, cum Teſtator nullum certum ſtipendium pro centum Miſſis celebrandis explicavit; verum in Decretis generalibus Urbani ita decernitur: *Cenſuit, ubi nullam certam eleemoſynam Teſtator reliquit, eſſe ab Epiſcopo præſcribendam eleemoſynam congruam, quæ reſpondeat oneribus Miſſarum celebrandarum ſecundum morem Civitatis, vel Provinciæ.* Aliqui falſo quodam ſtudio Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & obſervantia erga Epiſcopos ducti libere aſſeruerunt, nullum ſtipendium a Laicis tribui poſſe, quod ſummam ab Epiſcopo præſcriptam excedat, nec illud jure a Sacerdotibus accipi poſſe, licet nulla conventione interpoſita, ſed ultro concedatur. Aliquis etiam Epiſcopus hanc ſententiam amplexus eſt, & cenſuras in eo minatus eſt, qui ſtipendia ejuſmodi conferrent: verum id communi omnium opinione improbatum fuit; quippe nihil mali proficiſcitur, ſi ſtipendium a Synodo, vel conſuetudine, vel etiam Decretis Epiſcoporum deſignatum ſuperetur, cum nulla pactio, ſeu conditio intercedat. (*vide apud Cardin. de Lugo in reſponſionibus moralibus lib. 5. dub. 18.*) Sacra Congregatio Concilii non ſemel, at præſertim die 16. Januarii ann. 1649. in Cauſa Piſtorienſi *lib. 18. Decret. pag. 585. a tergo*, ita reſpondit: *Proponitur dubium, an poſſit Epiſcopus prohibere ſub pœna Cenſurarum Laicis, ne pinguius ſtipendium taxæ ſolvant Sacerdotibus tam Sæcularibus, quam Regularibus Miſſam celebrantibus, & quod iidem Sacerdotes illud acceptare non poſſint, etiam a ſponte dantibus.* Poſt hæc ita decernit: *Prohiberi non poſſe, ideoque moderandum Decretum.* Epiſcopus Septempedanus hæc propoſuit Sacræ Congregationi examinanda: *Epiſcopus narrat, Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium quodammodo vileſcere, dum Sacerdotes quotidie ſe offerunt celebrare ad rationem tenuis eleemoſynæ dimidii Julii pro qualibet Miſſa; unde ſupplicat declarari, an ipſe ſtatuere poſſit eleemoſynam manualem unius integri Julii pro qualibet Miſſa, imponendo pœnam Celebrantibus pro minori quantitate.* Cui Sacra Congregatio ita reſponſum fecit: *Sacra &c. reſpondit affirmative quoad eleemoſynam manualem.*

„ *Paucis vero interjectis ſequitur hoc modo pro Diœceſi Bononienſi*: Cum Cardinalis Boncompagnus in ſua Synod. *lib. 5. cap. 5.* ſtatuerit, ut ſors pro Miſſa perpetua 112. Scutatis Romanis conſtaret; Nos hanc ſummam ad 60. Romana Scutata redigimus, cujus rei cauſam hic ſubjicimus.

„ In Pontificatu Innocentii XIII. omnes fere Regularium Ordines ſummo ſtudio petiverunt, ut onera pro Miſſis perpetuis imminuerentur. Tradita nobis fuit hujus negotii cura, habitiſque cum Præfectis Regularium pluribus colloquiis, poſtremo ſancitum fuit, ut onera pro ſingulis Miſſis perpetuis ad 60. Romana Scutata redigerentur, eaque ſumma perpetuo in ejuſmodi Miſſis excipiendis ſervaretur. Id Summus Pontifex ſua auctoritate probavit, ac per omnes Regularium cœtus Decretum ita confectum fuit.

„ Coacto Romano Concilio per Benedictum XIII. in quo locum inter Canonum interpretes nos ipſi tenuimus, facultas Epiſcopis permiſſa fuit, ut in ſuis Diœceſibus ſexaginta Romana Scutata pro ſingulis perpetuis Miſſis decernerent, uti Pontifex Innocentius XIII. Præfectis Regularium ante præſcripſerat. Inſuper ea conditio adjecta fuit, ne majorem, aut minorem pecuniæ ſummam pro Miſſis perpetuis in poſterum ſtatui paterentur.

„ Eadem ratione Sanctiſſimus Pontifex, qui Eccleſiam univerſam feliciter moderatur, nobis poteſtatem fecit, eamque prorogavit, ut in peragenda Paſtorali Viſitatione perpetuas Miſſas ad præſcriptam normam redigeremus. Quare, ſi hac auctoritate præditi pro iiſdem Miſſis 112. Romana Scutata ad 60. ſolum Scutata reduximus, quiſquis conſilii noſtri rationem facile perſpicere poteſt. Monendum quoque eſt, perpetuas Miſſas excipi non poſſe juxta Decreta Urbani VIII. atque Innocentii XIII. niſi facultas noſtra, aut Vicarii noſtri Generalis interceſſerit.

„ Nihil novi pro ſtipendiis Miſſarum adventitiis conſtituimus, ſed morem jampridem inductum libenter probamus. Cum Benedictus XIII. Pontifex eſſet, magno apparatu, magnoque ſtudio propoſitum fuit, ut idem ſtipendium augeretur, cum Romæ ad decem Romanos aſſes ſolum pertingeret: Sacræ Congregationi Concilii res examinanda tradita fuit, cum nos ipſi Secretarii munus ageremus. Quare diſſertationem in lucem edidimus, in qua rationes pro utraque Sententia continebantur. Die vero 13. Aprilis ann. 1726. petitum fuit: *An, & in qua quantitate eleemoſyna manualis Miſſæ augenda eſſet in Urbe?* Reſponſum his verbis datum: *Nihil eſſe innovandum, & ad mentem. Mens eſt, ut agatur cum Eminentiſſimo Vicario ſuper obſervantia Decretorum pertinentium ad utenſilia, & ad non tranſmiſſionem Miſſarum extra Urbem.*

Hoc idem fuſius etiam, atque majoribus adhuc fundamentis expoſitum invenies in Synodo Diœceſana lib. 5. c. 8. & 9. hiſce verbis: Demum Concilium Tridentinum cum animadverterit, nondum Sacerdotes a profano illo mercimonio ceſſaſſe, quod Patres Toletani fuerant deteſtati, *ſeſſ. 22. in Decreto de obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſæ*, injunxit Epiſcopis, ut de medio tollant quidquid avaritia, contra reverentiam Sacrificii Miſſæ induxit, utique in primis: *Cujuſvis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Miſſis novis celebrandis datur, necnon importunas, atque illiberales eleemoſynarum exactiones potius, quam poſtulationes, aliaque hujuſmodi, quæ a Simoniaca labe, vel certe a turpi quæſtu non longe abſunt, omnino prohibeant.* Ut itaque Epiſcopi Tridentino obtemperent, atque importunas, & immoderatas eleemoſynarum pro Miſſis exactiones impediant, debent, in ſua quiſque Diœceſi, Miſſarum ſtipem taxare, ultra quam nemo quidquam exigere valeat; quod etiam ante Tridentinum factum legimus a Vvillelmo Archiepiſcopo Eboracenſi, cujus Conſtitutionem renovavit Joannes ejuſdem Succeſſor in Concilio Provinciali Eboracenſi anni 1367. *cap. 3. Univerſis Rectoribus, & ſingulis Eccleſiarum Prælatis, Vicariis, & aliis quibuſcumque Perſonis Eccleſiæ, Capellas, Cantarias, Oratoria, Hoſpitalia, ſeu Beneficia Eccleſiaſtica quæcumque, infra noſtram Diœceſim obtinentibus, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna quadraginta ſolidorum, eleemoſynæ noſtræ applicandorum, ſimiliter inhibemus, ne in Eccleſiis, Capellis, Cantariis, Hoſpitalibus, ſeu aliis Beneficiis ſuis hujuſmodi, quemquam Capellanum ſtipendiarium Divina celebrare permittant, niſi, nomine ſtipendii ſui annualis, de ſumma ſex marcarum ſit contentus.* (*Concilior. Britanniæ tom. 3. pag. 96.*)

„ Porro ſi ultra eleemoſynam, ab Epiſcopo taxatam, plus Sacerdos celebraturus exigat, non ſolum delinquit contra legem Eccleſiæ, verum etiam juſtitiam commutativam lædit: etenim, uti argumentatur Suarez *tom. 3. in 3 part. diſp. 83. art. 6. ſect. 2. concl.* 1. quamvis Miſſæ ſtipendium non habet rationem pretii, nihilominus expoſcit juſtitia, ut aliqua proportio ſervetur inter illud, & opus, ad quod ſubeundum ſubminiſtratur, eamque proportionem definire, inſpecta natura rei, de qua agitur, ad ſolum ſpectat Epiſcopum. Ob eamdem rationem, judicio Epiſcopi, Miſſarum eleemoſynam taxantis, ſtare debent etiam Regulares, quibus, ſuorum privilegiorum obtentu, neutiquam licet ſtipem exigere illa majorem, quam Epiſcopus præſcripſit: quemadmodum enim ipſi, veluti membra Communitatis, obſtringuntur in contractibus ſervare æqualitatem ſtatutam a legibus loci, ubi degunt; ita & in hoc quaſi contractu, non poſſunt proportionem prætergredi, quam loci Ordinarius determinavit, *cum reliquis, quæ brevitatis gratia hic omittuntur; ſunt enim unum, & idem cum jam allatis ex Notific. ſupra laudata.*

Neque, ſolo jure ſpectato, prohiberentur Sacerdotes, minori accepta eleemoſyna, ad Miſſam celebrandam ſe obligare: ſiquidem quilibet poteſt cedere juri ſuo, & etiam ſine ullo ſtipendio celebrandi onus in ſe ſuſcipere; quia tamen aliquando illa conſuetæ eleemoſynæ remiſſio deprehenſa eſt noxia aliis Sacerdotibus, qui, ob fraudulentam aliorum liberalitatem, debita ſibi ſtipe privabantur; idcirco Sacra Congregatio Concilii prædictam remiſſionem quandoque fieri vetuit.

Videre poteris hic Decretum eiuſdem Sacr. Congregat. Concilii 16. Julii 1689. allatum ſupra in Notific. eadem, quod hiſce verbis exponitur: Sacerdotes quotidie &c. „

DUBIUM III.

An detur Caſus, in quo Sacerdos poſſit pro uno Miſſa accipere majus, aut duplex Stipendium?

12 QUæritur primo: *an ratione diei feſti poſſit Sacerdos accipere ſtipendium majus eo, quod aliis diebus dari ſolet?* Affirmant Homobon. *in exam. Eccleſ. part. 1. tract. 4. c. 13. qu.* 120. & Bonacina *quæſt. ult. punct. 8. n. 13.* ubi aſſerit, ita deciſum in Congregatione Pœnitentiariæ Mediolanen. ipſo præſente, & conſulente, quia pro Miſſa ſolemni licite taxatur majus ſtipendium, quam pro Miſſa privata; ergo etiam licite taxari poteſt duplex eleemoſyna pro Miſſæ celebratione in die feſto. Negant cum Diana Leander *diſp. 4. qu. 7.* Franciſcus a Jeſu Maria *cap. 5. num 9.* & apud ipſum Machado, & Gabriel a S. Vincentio, quia id prohibetur a Sacra Congregatione in ſuo decreto §. 3.

13 Reſp. non poſſe ſumi majus ſtipendium pro applicatione Sacrificii in die feſto, ac in die feriato, quia applicatio ſemper eſt ejuſdem rationis, & ſic non poteſt pro illa augeri ſtipendium juxta Decretum Sacræ Congregationis; bene tamen pro Officiatura, quæ magis, & a pluribus expoſcitur diebus feſtivis, quam feriatis propter majorem commoditatem populi, & frequentiam Eccleſiæ;

& hoc

& hoc titulo poterit a Prælatis taxari majus ſtipendium pro ipſa in die feſto, quam feriato, ut recte ſentit Tamburinus *l b* 3. *c.* 1. §. 3. *n.* 37. & idem dicendum eſt de Miſſa cantata; poteſt enim quis pro Officiatura duplex, vel triplex accipere ſtipendium juxta majorem, vel minorem labore Officiaturæ, non vero pro applicatione, quæ eſt ejuſdem rationis in utraque Miſſa. Ita Tambur. *num.* 38.

14 Quæritur 2. *An Sacerdos poſſit accipere ſtipendium pro fructu proprio ipſius Sacerdotis, qui dicitur ſpecialiſſimus, ſi uni applicet fructum hunc ſpecialiſſimum, & alteri fructum ſpecialem?*

Ante Decretum Urbani VIII. *de celebratione Miſſarum* multi affirmabant, quos refert Diana *part.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 14. & poſt Decretum probabile adhuc putant Naldus, & Fauſtus, quos refert Diana *part.* 5. *tract.* 14. *reſolut.* 45. ſequitur Leander *diſput.* 4. *quæſt.* 10. quod etiam admittit Filliucius *tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 181. caſu, quo Sacerdos partem trium Miſſarum ſibi correſpondentem applicet pro una Miſſa debita; & Peyrinus *de privileg. tom.* 3. *cap.* 1. *num.* 25. hanc opinionem admittit in caſu, quo in aliquo Monaſterio paupere creviſſet adeo Miſſarum numerus, ut ei ſatisfacere minime poſſent Sacerdotes ibi commorantes, nec haberent unde poſſent dictas Miſſas aliis, data ſtipe, commendare. Ratio eſt, quia fructus Miſſæ ſpecialiſſimus, eſt alteri applicabilis non minus, quam omne aliud opus bonum, quod eſt ab operante alteri applicabile, non quatenus eſt meritorium, ſed quatenus eſt ſatisfactorium; ſi ergo ille fructus ſpecialiſſimus alteri applicetur, dignus erit ſua mercede.

15 Reſp. non poſſe Sacerdotem ſtipendium accipere pro applicando alteri fructu ſpecialiſſimo Celebranti correſpondente. Ita Bonacina, Lugus, Megalius, Rodriquez, Henrincx, Gonet, Gavantus, & Diana pluribus in locis *part.* 5. *tract.* 14. *reſolut.* 45. *part.* 6. *tract.* 6. *reſol.* 8. eſtque communis poſt Decretum Urbani VIII. & Sententia contraria aſſerens, poſſe accipi duplicatum ſtipendium a Sacerdote applicante alteri fructum ſpecialiſſimum, eſt damnata ab Alexandro VII. *propoſit.* 8. inter damnatas. Ratio eſſe poteſt, quia fructus ſpecialiſſimus, vel non eſt alteri applicabilis, vel certe dubium eſt, an poſſit applicari: qui autem dat ſtipendium certum pro Miſſa, intendit habere fructum certum, partem ſcilicet illam, quam Sacerdos applicare poteſt nomine Chriſti, tanquam ipſius Miniſter, quare hodie non eſt amplius de hac re dubitandum.

„ *Circa applicationem fructum a Celebrante pro ſtipendio attribuendam, ſic in prælaudata Notificat.* 15. *lib.* 3.
„ Nonnulli perpendentes *fructum medium* Sacrificii, qui
„ in Sacerdotis poteſtate, atque arbitrio relinquitur, in
„ ſatisfactorium, atque imperratorium diſtingui, plures
„ eleemoſynas pro eodem Sacrificio comparari poſſe cenſuerunt, ſi videlicet Sacerdos fructum ſatisfactorium,
„ exempli cauſa, pro aliquo defuncto, & ſimul pro ægro-
„ to impetratorium fructum attribuat. Sed alia quoque
„ pro congerenda pecunia propoſita fuerunt. *Fructum ſpecialiſſimum*, qui Sacerdoti ſolum convenit, in Miſſa
„ contineri excogitatum fuit, ideoque plures inquiſierunt,
„ an Sacerdos, qui pro fructu medio jam ſtipendium accepit, fructum ſpecialiſſimum alteri pariter attribuere
„ poſſit, ac pro illo novum ſtipendium exigere, quod facile ſatis affirmarunt. Illud ſolum cavendum monuerunt, fructum ſpecialiſſimum trium Miſſarum fructui
„ medio unius Sacrificii tantum adæquari; quamobrem
„ ſuſcepto jam ſtipendio ob fructum medium tertiam quo-
„ que partem alterius ſtipendii pro fructu ſpecialiſſimo
„ percipi poſſe docuerunt.

16 Eodem modo dicendum eſt, non poſſe aliquid plus accipi ultra ſolitum ſtipendium pro fructu ex opere operantis: nam qui poſtulat Miſſam, utrumque fructum poſtulat ex opere operato, & ex opere operantis. Tambur. *cap.* 1. §. 3. *num.* 40. Eadem ratione non poterit Sacerdos accipere duplex ſtipendium, unum pro fructu impetrationis, & aliud pro fructu ſatisfactionis, quia poſtulantes Miſſam utrumque fructum intendunt, niſi contrarium explicent. Ita Bonacina, & alii, quos ſequitur Diana *part.* 6. *tract.* 6. *reſol.* 9. Tamburinus *num.* 46. nec aliter ſentiendum poſt Decretum Urbani VIII. prohibens recipi poſſe duplex ſtipendium pro eadem Miſſa.

17 Quæritur 3. *An Regulares habeant aliquod privilegium, ratione cujus poſſint unica Miſſa pluribus obligationibus ſatisfacere?*

Plura affert Marchinus *cap.* 20. Regularium privilegia, nimirum Julii II. Leonis X. & Nicolai Sixti IV. quibus videbatur concedi, poſſe Regulares plura accipere ſtipendia pro una Miſſa, vel addendo collectas, vel applicando pro offerentibus Miſſas, & alia opera Religionis. Verum hujuſmodi privilegia, & ſi quæ alia ſunt, revocata fuerunt in Decreto *de celebrat. Miſſarum*, ubi §. 4. habetur: *Id vero, ut deinceps obſervetur exactius, Sacra Congregatio eadem auctoritate revocat privilegia, & indulta omnia, quibuſvis Perſonis, Eccleſiis, ac Locis Piis, tam Sæcularibus, quam Regularibus cujuſvis Ordinis, Congregationis, & Inſtituti quamcumque ob cauſam conceſſa, quibus indulgetur, ut certarum Miſſarum, vel anniverſariorum celebratione, aut aliquibus collectis, aut orationibus plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.*

Confirmatur eadem hæc Sententia in Synodo Diœceſ. lib. 2. *hiſce verbis*: Ob eandem rationem judicio Epiſcopi, Miſſarum eleemoſynam taxantis, ſtare debent etiam Regulares, quibus, ſuorum privilegiorum obtentu, nequiquam licet ſtipem exigere illa majorem, quam Epiſcopus præſcripſit; quemadmodum enim ipſi, veluti membra Communitatis, obſtringuntur in contractibus ſervare æqualitatem ſtatutam a legibus loci, ubi degunt, ita ut in hoc quaſi contractu non poſſint proportionem prætergredi, quam Loci Ordinarius determinavit: quocirca Sacra Congregatio Concilii in una Romana 15. Januarii 1639. (*lib.* 16. *Decret. pag.* 138.) dixit: *Eleemoſynam pro qualibet Miſſa per Regulares celebranda in eorum Eccleſiis, eſſe taxandam arbitrio Ordinarii juxta morem Regionis.* „

18 Quæres 4. *An liceat Sacerdoti accipere duplicem eleemoſynam, unam pro præſentia, ſeu Officiatura, alteram pro intentione, ſeu applicatione Sacrificii?*

Negant Gavant. *ad Rubr. Miſſal. tom.* 1. *part.* 3. *titul.* 12. *num.* 5. Barboſa *de offic. Parochi cap.* 11. *& de poteſtat. Epiſc. allegat.* 24. *num.* 15. Bonacina *punct.* 7. §. 2. *num.* 13. quibus favet Diana *part.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 80. propter declarationem Sacræ Congregationis Concilii, quæ interrogata: *An Sacerdotes, qui Miſſas tenentur celebrare ratione Beneficii, ſeu Capellæ, Legati, ſeu Salarii, poſſint etiam manualem eleemoſynam pro Miſſis Votivis, aut Defunctorum recipere, & unico Miſſæ Sacrificio utrique oneri ſatisfacere?* Hoc reſponſum dedit: *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione Beneficii, ſeu Capellæ, Legati, ſeu Salarii, ſi eleemoſynas etiam pro aliis Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa utrique obligationi ſatisfacere.* Ratio eſſe poteſt, quia licet tales Capellani non teneantur applicare fructum Sacrificii, habent tamen ſtipendium pro ſuſtentatione correſpondens Miſſis, quas tenentur celebrare, & ſic non poſſunt aliud ſtipendium accipere, quia accipiendo pro applicatione fructus, committerent ſimoniam.

19 Reſp. obligatum ad ſolam præſentiam, ſeu Officiaturam, poſſe novum ſtipendium accipere pro applicatione Sacrificii. Ratio eſt, quia ſtipendium, quod datur pro ſimplici Officiatura, datur pro labore, & obligatione celebrandi in tali loco, tali tempore, & hora, & eſt quid diverſum a ſtipendio, quod datur pro applicatione Sacrificii, hoc enim datur pro ſuſtentatione Miniſtri Sacrificium offerentis, quam ſuſtentationem exigere poteſt Sacerdos ab eo, cui applicat Sacrificium, quamvis aliunde habeat, unde ſuſtentetur, ut dictum eſt ſupra de Sacerdote divite, qui etiam poteſt recipere conſuetum ſtipendium pro celebratione Miſſæ; nam obligatio non oritur ex paupertate Miniſtri, ſed ex miniſterio impenſo, ratione cujus debetur Miniſtro ſuſtentatio ab illo, ad cujus inſtantiam Miniſterium impenditur. Et ita tenent Major, Rodriquez, Naldus, Corduba, Henriquez, Trullench, Hemobonus, Fauſtus, Tamburinus, Lugus, Suarez, & alii communiter, quos citat, & ſequitur Pignatellus *tom.* 1. *conſult.* 139. *n.* 8. ſequitur Leander *diſp.* 4. *qu.* 12. Averſa *qu.* 11. *de Euchariſt. ſect.* 17. Franciſcus a Jeſu Maria *cap.* 5. *n.* 24. Antonius a Spiritu S. *diſp.* 6. *ſect.* 2.

20 Nec obſtat reſponſio Sacræ Congregationis, quæ ſolum procedit de Sacerdote, qui ratione Beneficii, Capellæ, Legati, aut Salarii, certis diebus obligatur ad celebrandum pro aliquo cum applicatione Sacrificii; tunc enim non poteſt, accepta eleemoſyna ab alio, eadem Miſſa ſatisfacere debito currenti pro utroque: non vero procedit de Sacerdote, qui tenetur celebrare in tali loco, vel tempore, cum libertate applicandi Sacrificium, cui voluerit; hic enim poterit danti ſtipendium applicare. Et ita tenent, poſt tale Decretum, Lugus, Leander, Pignatellus, & alii.

D U B I U M IV.

An poſſit Sacerdos idem Sacrificium offerre pro eo, a quo recepit eleemoſynam, & ſimul pro aliis ex charitate, gratitudine, aut liberalitate, vel ex conſtitutione Religionis?

21 Affirmant fere omnes, qui tenent valorem Miſſæ eſſe infinitum tum intenſive, tum extenſive, omnibuſque ita prodeſſe, ac ſi pro uno tantum applicaretur; poſita enim hujuſmodi infinitate, qui dedit ſtipendium, conqueri rationabiliter non poteſt, ſi non ipſi tantum, ſed aliis etiam applicetur ex charitate, cum talis applicationis conſortio detrimentum non patiatur; eſt enim *Miſſa inſtar candelæ accenſæ, quæ tam uni, quam multis æquale lumen impertit*, ut loquitur Marchinus *cap.* 17. *n.* 1. eſtque hujuſmodi Sententia favorabilis Animabus Purgatorii: ex quo inferunt, poſſe Religioſos, qui ex vi ſuæ Regulæ, ſeu Conſtitutionis tenentur certis diebus offerre Sacrificium pro Defunctis ſui Ordinis, & pro Benefactoribus, licite idem Sacrificium offerre pro aliis, a quibus ſtipendium acceperunt: ſolum enim prohibetur Sacerdoti accipere duplicem elee-

eleemoſynam, eademque Miſſa ſatisfacere pluribus obligationibus juſtitiæ, non autem prohibetur offerre pro illo, a quo ſtipendium accepit, & ſimul pro aliis ex ſola liberalitate, vel charitate, quod aliquo modo fieri poſſe ſupponit Eccleſia, dum idem Sacrificium, quod in *Memento pro Vivis* obtulit pro dante ſtipendium, ſimul etiam pro Defunctis in *Memento pro Mortuis* præcipit offerre. Et ita tenent Thomas Hurtadus, Dicaſtillus, Eſcobar, Marchinus, Lezana, & Martinus de S. Joſepho, quos citat, & ſequitur Leander *diſp. 4. quæſt. 14. & 15.* Diana *part. 10. tract. 15. reſol. 43.* Gonet. *diſp. 9. art. 6.* & probabile putat Antonius a Spiritu Sancto, ſuppoſita Sententia aſſerente, valorem Miſſæ eſſe infinitum.

22. Verum magis placet Sententia oppoſita, quæ conformior eſt Decretis Sacræ Congregationis, quæ licet expreſſe loquantur de pluribus obligationibus juſtitiæ, tamen hoc idem valere de aliis etiam obligationibus non obſcure ex contextu colligitur; nec facile afferri poteſt diſparitas, cur eadem Miſſa ſatisfieri poſſit pluribus obligationibus, quarum una ſit ex juſtitia, altera ex charitate, & non poſſit ſatisfieri pluribus obligationibus juſtitiæ, cum in utroque caſu currat eadem ratio de infinito valore Sacrificii: pone autem eadem Miſſa ſatisfieri pluribus obligationibus juſtitiæ, eſt propoſitio decima inter damnatas ab Alexandro VII. Ratio etiam eſt, quia Miſſam eſſe infiniti valoris, tantumque prodeſſe applicatam pluribus, ac uni, non eſt certum, ſed valde dubium, cum a pluribus non infimæ notæ Doctoribus negetur, ut patet ex dictis ſupra *cap. 3. dub. 4.* Qui autem dat ſtipendium certum pro Miſſa, intendit habere fructum certum, & quidem totum, & integrum fructum Sacrificii ſibi applicabilem, teneturque Sacerdos ex juſtitia, ratione accepti ſtipendii, illud danti totum, & integrum fructum Sacrificii certo applicare; ergo non poteſt, ſequendo primam opinionem de infinitate valoris Miſſæ, licite eumdem fructum alteri applicare ex liberalitate, charitate, ſeu gratitudine, quia cum talis opinio poſſit a parte rei eſſe falſa, exponitur periculo Sacerdos inferendi nocumentum danti eleemoſynam, eum privando debito fructu Sacrificii, & faciendi contra obligationem juſtitiæ, quam habet, applicandi eidem totum, & integrum fructum; & ita tenent non ſolum illi, qui volunt fructum Sacrificii eſſe finitum, nec tantum prodeſſe applicatum pluribus, quam uni, ſed etiam Boſſius *varior. moral. part. 1. tit. 1. §. 25. num. 401. & ſeqq.* Tambur. *lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 9. & ſeqq.*

23. Dices; Sententia aſſerens valorem Miſſæ eſſe infinitum, tantumque prodeſſe applicatum pluribus, ac uni, eſt maxime probabilis, eamque ſequuti ſumus *cap. 3. dub. 4.* ergo licite poterit Sacerdos illam ſequi, Miſſamque applicare uni titulo juſtitiæ, & aliis titulo charitatis. Sed contra. Quamvis licite ſequi poſſit opinio probabilis, relicta probabiliore, & tutiore, quando ſolum agitur de honeſtate, vel turpitudine actionis, non tamen ſequi poteſt, quando agitur de inferendo, ſeu vitando damno notabili proximi, quod ex juſtitia, ſeu charitate vitare teneris; tunc enim, ſi adeſt Sententia certa, ex qua nullum ſequitur damnum, illa ſequenda eſt, relicta probabili, ex qua, cum in re poſſit eſſe falſa, ſequi poteſt damnum proximo; hoc enim titulo Miniſter Sacramentorum non poteſt, relicta materia certa, adhibere probabilem, nec Medicus, relicta medicina certa, applicare probabilem, ut communiter tradunt Doctores, Suarez *tom. 3. in 3. part. diſp. 16. ſect. 2. diſp. 20. ſect. 4. ad finem, diſp. 45. ſect. 1. & tom. 4. de Pœnit. diſp. 26. ſect. 6. num. 5.* Salas *part. 2. tract. 8. diſp. unic. ſect. 5. num. 56.* Filliucius *tract. 21. cap. 4. nu. 138. tom. 2.* Bonacina *de præceptis diſp. 2. quæſt. 4. punct. 9. num. 19.* Layman, Coninch, Valentia, & alii relati a Boſſio *loco cit. num. 317.* & opinio aſſerens, non eſſe illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, eſt propoſitio prima inter damnatas ab Innocentio XI.

24. Itaque Sacerdos, qui accepto ſtipendio tenetur ex juſtitia certum, & integrum valorem Miſſæ applicare danti eleemoſynam, non poteſt, ſequendo opinionem probabilem, eamdem Miſſam alteri applicare, quacumque de cauſa applicet, ſive ex novo ſtipendio accepto, ſive ex mera liberalitate, charitate, aut gratitudine, ſive ex obligatione Conſtitutionum ſui Ordinis, quia exponitur periculo peccandi contra juſtitiam, & inferendi damnum grave proximo, quod certe inferret, ſi a parte rei illa opinio non eſſet vera, quia non applicaret danti eleemoſynam totum, & integrum fructum debitum: ex quo patet, præfatam doctrinam non eſſe Animabus Purgatorii favorabilem, ſed pernicioſam, quia exponuntur periculo probabili, ut defraudentur integro, & debito fructu Sacrificii, ut bene notat Boſſius *num. 401.*

25. Ex dictis infero cum eodem Boſſio, Regulares, quibus diebus tenentur applicare Miſſæ Sacrificium pro defunctis ſuæ Religionis, & pro Benefactoribus vivis, & defunctis, ex præſcripto ſuarum Conſtitutionum, ſi, accepto ſtipendio, illud idem Sacrificium alteri applicant, non ſatisfacere, neque obligationi juſtitiæ erga dantem eleemoſynam, cui integrum Sacrificium non applicant, neque obligationi Conſtitutionum, quæ intendunt illis diebus integrum, & adæquatum fructum eſſe applicandum defunctis Religionis, Benefactoribus, & Fundatoribus, atque adeo inferre injuriam danti eleemoſynam, & defunctis ſuæ Religionis, Benefactoribus, & Fundatoribus, hac de cauſa fortaſſe Conventus, & Collegia, ſeu Monaſteria, in quibus hoc modo Miſſæ applicantur, minime proſperantur.

26. Ad evitandum omne periculum Sacerdos, qui ex accepto ſtipendio, vel ex Beneficio, Capellania, aut Conſtitutionibus ſui Ordinis, ſi ſit Regularis, tenetur pro aliquo Sacrificium offerre, ſi illud idem Sacrificium vult etiam aliis applicare ex Charitate, ſeu liberalitate, non debet hoc facere intentione abſoluta, ſed conditionata; ita ut prius ſpecialiter, & abſolute applicet pro eo, pro quo ex accepto ſtipendio, Beneficio, ſeu Conſtitutionibus Ordinis, tenetur, deinde intentione conditionata, ſi omnibus prodeſſe poteſt; juxta divinam diſpoſitionem, aliis vivis, & defunctis, quibus magis maluerit applicari; quo applicandi modo vitatur omne periculum, nec ulla infertur injuria danti eleemoſynam.

27. Addi poteſt ex Boſſio *part. 1. Varior. Moral. tit. 1. §. 25. num. 411.* peccare mortaliter Regulares contra juſtitiam, & teneri ad reſtitutionem, alias ſcilicet Miſſas applicare, ſi diebus, quibus celebrare tenentur pro benefactoribus, & defunctis ſuæ Religionis, applicent pro aliis, a quibus ſtipendia accipiunt. Ratio eſt, quia Religioſi tenentur ex juſtitia illas Miſſas pro defunctis, & benefactoribus Religionis applicare, & ſic non poſſunt eaſdem Miſſas alteri applicare, accepto ſtipendio, cum non poſſit eadem Miſſa ſatisfieri duplici obligationi juſtitiæ, ut declaravit Sacra Congregatio, & tenent Doctores omnes, qui poſt talem declarationem ſcripſerunt. Antecedens probat Boſſius ex pacto, & contractu inito inter Religionem, & Religioſum, & virtualiter incluſo in ipſa profeſſione Religioſa, ratione cujus Religioſus donat ſe ipſum, & forte ſua etiam bona temporalia Religioni cum onere inſerviendi, & præſtandi ea, quæ pertinent ad ſtatum Religioſum ſecundum dictæ Religionis Conſtitutiones, ac ſtatuta, & Religio ſe obligat alere Religioſum, illique tribuere tam vivo, quam defuncto ea omnia, ſive temporalia, ſive ſpiritualia, quæ ad ipſius favorem in dictis Conſtitutionibus præſcribuntur, quam obligationem Religio transfundit in ſuos Superiores, & alios ſubditos reſpective, ut loco, & nomine Religionis miniſtrent ſubdito ea, quæ ex pacto profeſſionis fuerunt promiſſa: cum autem fuerint promiſſæ ſubditorum Miſſæ applicandæ pro Defunctis, tenentur Superiores, & ſubditi tales Miſſas applicare, eaſque non applicando, peccant contra juſtitiam, & deficiunt in materia gravi ad bonum Animæ pertinente; ſicut peccarent lethaliter contra juſtitiam Superiores, & illi, ad quos bonorum temporalium cura ſpectat, ſi contra pactum initum negarent Religioſo neceſſaria ad victum, & veſtitum, ut docent Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 1. cap. 11. num. 9. prope finem*, & Facundez *præcept. 1. lib. 3. cap. 10. nu. 5. & 6.*

28. Simile pactum agnoſcit Boſſius inter Religionem, & Benefactores, qui intuitu, & ſpe conſequendi Suffragia, Miſſas, & Orationes, quæ in tali Religione fieri ſolent ex ſtatuto, & præcepto Conſtitutionum pro Fundatoribus, & Benefactoribus, eleemoſynas erogant, ſeu Collegia fundant, vel alia notabilia beneficia præſtant; & nonnumquam propoſitione ſuffragiorum, quæ ſingulis hebdomadis fieri ſolent pro Benefactoribus vivis, & defunctis ex præſcripto, & ſtatuto Conſtitutionum, Religioſi eos alliciunt ad beneficia, & eleemoſynas conferendas, quibus ſuffragiis privarentur Benefactores, ſi Religioſi Miſſas, & Sacrificia pro ipſis non applicarent.

29. Nec obſtat, Conſtitutiones noſtras non obligare nec ad mortale, nec ad veniale, ſicut nec præceptum Superioris, niſi fiat cum ſolemnitate in Conſtitutionibus præſcripta; nam hoc verum eſt de ſimplici obligatione orta præciſe ex Conſtitutionibus, aut ex præcepto Superioris; ſecus ſi illi jungatur, & conſurgat alia obligatio juſtitiæ, ſicut de facto cum obligatione celebrandi Miſſas pro Benefactoribus, & Defunctis Ordinis conjungitur obligatio juſtitiæ ex virtuali pacto, ſeu contractu inito a Religione cum Benefactoribus, & Religioſis, qui proinde privari non poſſunt, nec debent ſuffragiis jam ſibi deſtinatis, & debitis, ut bene notat Boſſius ſupra *num. 414.*

30. Inde ſequitur, peccare mortaliter Superiores, qui ſcientes non applicari a ſubditis Miſſas pro Benefactoribus, & Defunctis ſuæ Religionis, quibus diebus ad id tenentur ex præſcripto ſuarum Conſtitutionum, diſſimulant, nec curant applicandas, quia deficiunt in re gravi pertinente ad ſuum officium; ipſi enim, ſuppoſita lege præſcribente Miſſas applicandas pro Benefactoribus in compenſationem beneficiorum, & pro Religioſis defunctis, tenentur ex officio curare, ut pro eis tales Miſſæ applicentur, quia tenentur curare, ut Religioſis vivis, & defunctis concedantur ea, quæ præſcripta ſunt in Conſtitutionibus, & inde ſi cognoſcant Religioſum non applicare, tenentur corrigere, & punire, ſi opus eſt; & omittendo, deficiunt in re gravi pertinente ad ſuum officium, & ſic peccant lethaliter.

DUBIUM V.

An Sacerdos, qui accepit Stipendium pro Miſſa, poſſit illam alteri celebrandam tradere retenta ſibi parte Stipendii?

31. Non poſſe Sacerdotem, qui, accepta pecunia, tenetur Miſſam celebrare, alteri eamdem Miſſam tradere celebrandam, retenta ſibi parte ſtipendii, deciſum habetur a Sacra Congregatione *de celebrat. Miſſarum*, quæ, ut omne damnabile lucrum ab Eccleſia removeatur, prohibet, ne umquam id fiat. Adeſt etiam propoſitio 9. inter damnatas ab Alexandro VII. quæ ita ſe habet: *Poſt Decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.* Quare de hac re non videtur amplius dubitandum, maxime quia eadem Sacra Congreg. reſpondendo dubiis ſuper hac re propoſitis omnes ſolvit difficultates.

„ *Hoc idem confirmatum invenies in prælaudata Notifi-*
„ *catione 15. lib. 3. paucis hiſce verbis*; Qui ſtipendium
„ ſolito majus conſequutus fuerit, ſi alium Sacerdotem ſuo
„ loco ad celebrandum ſufficiat, integram pecuniam in
„ illum conferat, ſibique nihil omnino retineat. *Et in*
„ *Synodo Diœceſana lib. 5. cap. 9. exponendo cum Giribaldi*
„ *propoſitionem ab Alexandro VII. damnatam, ſic conclu-*
„ *dit*; Si tamen qui manualem eleemoſynam conſueta
„ pinguiorem accepit, alteri Sacerdoti Miſſam celebran-
„ dam committit, non poteſt illius partem ſibi retinere,
„ ſed totam, quam accepit, erogare debet Sacerdoti ce-
„ lebranti, quod ab Urbano VIII. ſtatutum, & oppoſi-
„ ta oppinio ab Alexandro VII. die 24. Septembris 1665.
„ proſcripta fuit &c.

32. Dubitatum fuit, *an ſaltem Rectores, & Adminiſtratores Eccleſiarum poſſint aliquam eleemoſynæ partem retinere pro expenſis Manutentionis Eccleſiæ, Altarium, Inſervientium, Paramentorum, Luminum, Vini, Hoſtiæ, & ſimilium?* Sacra Congregatio ad ſeptimum reſpondit: *Permittendum non eſſe, ut Eccleſiæ, vel Loca Pia, aut illorum Adminiſtratores, ex eleemoſynis Miſſarum celebrandarum ullam utcumque minimam portionem retineant, ratione expenſarum, quas habent in Miſſarum celebratione, niſi cum Eccleſia, & Loca Pia alios non habeant reditus, quos in uſus earumdem expenſarum erogare licite poſſint; ac tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expenſarum, quæ pro ipſo tantum Miſſarum Sacrificio neceſſario ſunt ſubeundæ: & nihilominus eo etiam caſu curandum eſſe, ut ex pecuniis, quæ ſuperſunt expenſis, ut ſupra deductis, abſolute tot Miſſæ celebrentur, quot præſcriptæ fuerint ab offerentibus eleemoſynas.*

„ *Hoc idem ſtatuitur in Notif. allata, ubi poſt Decretum*
„ *Sacræ Congregationis evulgatum ſub Urbano VIII. quod-*
„ *que ad lit eram, ut in Giribaldi apparet, refertur, hæc*
„ *præterea adjunguntur*: Edictum in eamdem prorſus ſen-
„ tentiam evulgari juſſit Clemens XI. die 23. Decembr. an.
„ 1706. ut habetur in ſecunda parte Bullarii *pag.* 319.
„ Cum deinde eadem cauſa expenſarum, quæ pro Miſſæ
„ Sacrificio fieri neceſſario debent ab Eccleſiis, Piiſque
„ Locis, quibus ob inopiam ea facultas non ſuppetit,
„ cum, inquam, cauſa ejuſmodi in examen iterum ad-
„ duceretur in Sac. Congregatione Concilii, cum Nos ipſi
„ Secretarii munus gereremus, hæc in Cauſa Dertonenſi,
„ propoſita die 8. Julii, & confirmata die 28. Septembris
„ petita fuerunt; *An Archipresbyter Eccleſiæ Collegiatæ Op-*
„ *pidi Montis Curoni fuerit, & ſit obligatus ſubminiſtrare*
„ *Vinum, Ceram, & Hoſtias Capellanis, aliiſque Presbyte-*
„ *ris de Clero, celebrare volentibus, vel obligatis celebra-*
„ *re Miſſas in eadem Eccleſia*. Reſponſum his verbis da-
„ tum fuit: *Archipresbyterum non teneri ad miniſtranda*
„ *utenſilia, de quibus agitur, iis, qui celebrant in ſua*
„ *Eccleſia ex obligatione Beneficii, ſive Capellaniæ: quoad*
„ *Miſſas adventitias, teneri ad dictam ſubminiſtrationem,*
„ *quatenus permittat, eas in ſua Eccleſia celebrari, nec*
„ *teneri ad has Miſſas adventitias admittendas, niſi ſolu-*
„ *tis utenſilibus per Celebrantes*. Inſuper die 14. Maii an.
„ 1729. dum cauſa Maceratenſis ageretur, vetuſtius Sa-
„ cræ Congregationis Decretum, quod anno 1685. confe-
„ ctum fuerat, confirmatum eſt. Illud quidem Patribus
„ Minoribus Conventualibus permittebat, ut aliquid reti-
„ nerent pro expenſis Miſſarum, quas Presbyteri Sæculares
„ in ipſorum Eccleſia celebrare ex officio tenebantur;
„ non autem cum reliqui Sacerdotes pietate ſolum ducti
„ Sacrum in eadem Eccleſia conficerent. Ex his ſatis a-
„ perte conjicitur, primum, ſi Eccleſiæ paupertas inter-
„ veniat, aliquid retineri poſſe pro neceſſariis Miſſarum
„ expenſis, cum perpetuæ ſunt; etenim conſuetum ſtipen-
„ dium non minuitur, cum Teſtatores perpetuas Miſſas in-
„ ſtituentes integro Sacerdotis ſtipendio, omnibuſque ex-
„ penſis pro Sacrificio peragendo neceſſariis conſulere de-
„ buerint. Quod ſi aliquid deeſſe videatur, vel quia per
„ Teſtatorem præſcriptum non fuerit, aut quia curſu tem-
„ poris conſtituti proventus ad Miſſas agendas imminuti
„ habeantur, aliquis inter hæredes fortaſſe aderit, qui
„ ære ſuo expenſis omnibus ſatisfacere debeat. Poſtremo
ſi nulla ex parte ſubſidium deſumi poteſt, ſemper aditus „
patet ad petendum, ut Miſſæ ejuſmodi ad minorem nu- „
merum redigantur. Secundo, ſi, uti ſuperius dictum eſt, „
Eccleſiæ paupertas interſit, aliquid retineri poteſt pro „
Miſſarum expenſis, quæ in ipſa Eccleſia per aliquem „
pium Teſtatorem inſtitutæ fuerint, vel cum Sacrarii Cu- „
ſtodes, pluribus congeſtis eleemoſynis, Miſſas celebran- „
das indicunt; tunc enim ex conſueto ſtipendio aliquid „
plerumque detrahitur, quod tamen permitti nequit, cum „
Eccleſia privilegium a Sede Apoſtolica obtinuerit, ut pro „
expenſis in Sacrificio neceſſariis Miſſarum numerus mi- „
nuatur; quo ſane privilegio aliquas Romæ Eccleſias gau- „
dere non ignoramus. Tertio, etſi Sacrarium Eccleſiæ „
prematur inopia, nihil pro expenſis Miſſarum neceſſa- „
riis exigi poteſt a Sacerdotibus, qui ad eamdem Eccle- „
ſiam accedunt, rem Divinam facturi, aut pietatis cau- „
ſa, aut certe nullo ducti ſtipendio per Eccleſiæ Mini- „
ſtros, quamvis ipſi nullo jure adſtringantur illis Sacer- „
dotibus permittere, ut Sacrum ibidem perficiant. Quar- „
to, ſi Sacerdos ipſe celebrare in eo Templo omnino po- „
ſtulet, de cujus paupertate conſtat, tunc aliquid pro „
expenſis depoſcere licet, vel a Presbytero, qui ob pie- „
tatem Sacrum facit, vel ab eo, qui, collato ſtipendio, „
Sacrificium indixit, ſi forte Sacerdoti aliquid ſuperad- „
dere velit pro conſuetæ eleemoſynæ detrimento, quod „
ratione expenſarum ſubeundum eſt, vel tandem ſi adi- „
tus ejuſmodi præcludatur, ex ipſo conſueto ſtipendio „
aliquid expetere conceditur. „
Quod idem ſic rurſus in Synodo Diœceſ. lib. 5. cap. 9. „
Quia vero recta ratio non patitur ex eleemoſyna ab „
Epiſcopo taxata, quæ exigua eſſe ſolet aliquid detrahi „
in commodum Eccleſiæ ſubminiſtrantis Sacerdoti ſacra „
indumenta, aliaque utenſilia ad Miſſæ celebrationem „
neceſſaria; hac de cauſa Urbanus VIII. decrevit, nihil „
ex eleemoſynis manualibus eſſe eo nomine detrahen- „
dum; ex ſtipendiis vero pro Miſſis perpetuis relictis, „
tunc ſolum Eccleſias, ubi ſunt celebrandæ, aliquid per- „
cipere permiſit, cum alios reditus non habent quibus „
onus ſuſtineant ſacra utenſilia præſtandi &c. „

33. Dubitatum etiam fuit octavo loco: *an hoc Decretum habeat locum in Beneficiis, qui conferuntur in titulum, ideſt: an Rector Beneficii, qui poteſt per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare ſtipendium ad rationem redituum Beneficii?* & Sacra Congregatio reſpondit. *Ad octavum, non habere locum, ſed ſatis eſſe, ut Rector Beneficii, qui poteſt Miſſam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemoſynam congruam ſecundum morem Civitatis, vel Provinciæ, niſi in fundatione Beneficii aliud cautum fuerit*; & ita docuerant communiter Doctores, Suarez *diſp.* 86. *ſect.* 3. Vaſquez *diſp.* 234. *cap* 4. Lugus, Layman, Barboſa, Bonacina, quos refert Palaus *punct.* 14. *num.* 9.; nam tales pingues reditus non ſolum dantur in ſtipendium Miſſæ, ſed pro commodiori ſuſtentatione Sacerdotis. Quod dictum eſt de Beneficiato, valet etiam de Capellano, ſeu legatario pingui, qui ſatisfaciunt ſuæ obligationi, dando conſuetam eleemoſynam Sacerdoti celebranti, retento ſibi reſiduo, quia eadem ratio militat de illis, ac de Beneficiato, ut docent Tamburinus *lib* 3. *cap.* 1. §. 5. *num* 10. Lugus *de Euchar. diſp.* 21. *num.* 30. & cum Soto, Navarro, Riccio, & aliis, Ant. a Spiritu Sancto *ſect.* 3. *num.* 264.

34. Et quia hoc idem dubitabatur de Sacerdotibus, quibus aliquando offertur eleemoſyna major ſolito pro celebranda Miſſa: *an ii debeant dare eamdem integram eleemoſynam iis, quibus Miſſas celebrandas committunt?* Reſpondit Sacra Congregatio: *Ad nonum, debere abſolute integram eleemoſynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem ſibi retinere poſſe*; ubi, ut vides, quod conceditur Beneficiato habenti pingues reditus pro celebratione Miſſarum, negatur recipienti eleemoſynam manualem pro miſſis, quæ tota danda eſt celebranti Miſſam.

35. In duplici caſu non videtur prohibitum Sacerdoti recipienti pinguem eleemoſinam pro Miſſa, retento ſibi exceſſu, dare eleemoſinam conſuetam alteri Sacerdoti celebraturo. Primo, ſi pinguis illa eleemoſyna non ſit data præciſe intuitu Miſſæ, quo caſu tota tribuenda eſſet Sacerdoti celebranti, ſed intuitu amicitiæ, familiaritatis, gratitudinis, vel alterius ſimilis tituli, ut tradunt Diana *part.* 2. *tract.* 14. *reſ.* 12. Tamburin. *loco cit. n.* 13. Dicaſtillus, & Palaus, quos refert, & ſequitur Franciſcus a Jeſu Maria *cap.* 5. *nu.* 15. Secundo, ſi Sacerdos celebraturus contentus ſit minori ſtipendio, & libere, ac ſponte condonet exceſſum, ſciens unam partem ſtipendii a committente Miſſam retineri, quia ſicut talis Sacerdos poterat gratis celebrare, ita poteſt eſſe contentus minori ſtipendio, libere condonando aliam partem, & non ex metu aliquo, quia fortaſſe alias non darentur ſibi illæ Miſſæ, vel in futurum aliæ non dabuntur, vel quid ſimile; & ita tenent in hoc ſenſu Crux, Homobonus, Villalobos, & Hurtado, quos ſequitur Diana *loc. cit. reſol.* 13. Lugus, Averſa, Lezana, & Pellizzarius apud eumdem Dianam *part.* 10. *tr.* 16. *reſol.* 68. Tambur. *num.* 14.

36. Alium caſum refert Tamburin. *ibidem num.* 16. quo poteſt Sacerdos, retenta ſibi parte ſtipendii, minori ſtipendio

Miſ-

Miſſam tradere alteri celebrandam, & eſt, quando Procurator, cui incumbit onus curandi celebrationem plurium Miſſarum, recepto conſueto ſtipendio in hac Civitate, quod eſt v. g. unius Julii pro qualibet Miſſa, per ſuam induſtriam illas celebrandas mittit in alia Civitate, ſeu Oppido, ubi minori ſtipendio, ſed ibi conſueto, Miſſæ celebrantur; tunc enim probabile videtur, poſſe talem Procuratorem aliam medietatem ſtipendii ſibi retinere tanquam fructum ſuæ induſtriæ, ſumpta paritate a ſervo, qui per extraordinariam induſtriam, ad quam non tenetur, emit res minoris, quam valeant communiter in foro, qui poteſt retinere, quod ſupereſt tanquam fructum ſuæ induſtriæ. Idem fere habet Pellizzarius *in Man. tom. 1. tract. 6. cap. 3. n.* 23. de Religioſo electo in executorem Teſtamenti; iſte enim, ſi Miſſas preſcriptas a Teſtatore tranſmittat alibi celebrandas minori pecuniæ ſumma, quam celebrentur in ipſo loco Teſtatoris, tuta conſcientia retinere poterit reſiduum illud pecuniæ, quod expendiſſet, ſi Miſſæ in loco Teſtatoris fuiſſent celebratæ, & hoc titulo induſtriæ, ad quam non tenebatur: ea ratione, qua accipiens rem aliquam vendendam, ſi alio transferat, ubi carius venditur, poteſt exceſſum pretii ſibi retinere, tanquam fructum ſuæ induſtriæ, ut communiter concedunt Doctores. Nec obſtat declaratio Sacræ Congregationis obligans Sacerdotem accipientem eleemoſynam pinguem ad illam integre dandam Sacerdoti celebraturo, abſque eo quod poſſit aliquam partem ſibi retinere; nam declaratio expreſſe loquitur de Sacerdote ſuſcipiente Miſſam a ſe celebrandam, non autem de Sacerdote, qui tanquam executor Teſtamenti curat, ut Miſſæ præſcriptæ in Teſtamento ab aliis celebrentur.

37 Hæc doctrina, quamvis, ſpeculative loquendo, poſſit eſſe vera, continet tamen negotiationem, & affectum avaritiæ, & turpe lucrum, quod ab Eccleſia, & a celebratione Miſſarum, repellere intendit Sacra Congregatio: quæ proinde cenſenda eſt a Sacra Congregatione damnata; eamque cum Facundez *part. 1. lib. 3. c.* 10. *n.* 10. Averſa *de Euchariſt. qu.* 11. *sect.* 17. *§. tenetur etiam*, & Franciſco Lugo damnat Diana *part.* 10 *tract.* 16. *reſol.* 86.

„ *Hac de re ſatis apte, ſummaque paſtorali zelo inflammatus, diſſerit SS. D. N. Benedictus XIV. in brevi quodam ſuo Encyclico ad Epiſcopos Provinciæ Pedemontanæ, quod extat in Bullario pag. 34. Tom. 1. & in Tract. de Sacrific. Miſſæ lib. 3. c. 22. quodque inter cæteras Bullas in fine hujuſce Tomi, ſignato loco, cum de Miſſæ Sacrificio, videre poteris.*

DUBIUM VI.

An peccet mortaliter Sacerdos, qui, accepto ſtipendio, diu differt celebrationem Miſſarum?

38 RESpond. peccare mortaliter, quia ex tali dilatione non leve damnum infert illis, pro quibus erat celebrandum; nam ſi Sacrificium offerendum erat pro defuncto in Purgatorio exiſtente, per ſe patet, quam grave damnum illi proveniat ex tali dilatione, dum interim moleſtiſſimis flammis cruciatur, alioquin cito liberandus, ſi cito pro illo fuiſſet Sacrificium oblatum. Si vero offerendum erat Sacrificium pro impetranda valetudine infirmi, pace inter diſcordes, proſperitate itineris, aut pro alio beneficio temporali impetrando, accidere poteſt, quod moriatur infirmus, aut expiret neceſſitas talis impetrationis: quare peccat mortaliter Sacerdos, ſi diu differat celebrare Miſſam in favorem illius, pro quo, accepta pecunia, celebrare tenetur. Et ita tenent Sylveſter, Angelus, Corduba, Aragonius, Rodriquez, Reginaldus, Bonacina, & alii, quos citat, & ſequitur Marchinus *c.* 31. Homobonus *de exam. tract.* 4. *c.* 14. *qu.* 132. Leander *diſp.* 4. *qu.* 17. Diana *part.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 25. eſtque communis inter Doctores conformiter ad Decretum Sacræ Congregationis, quæ præcipit, ne Sacerdos eleemoſynas pro novis Miſſis recipiat, niſi infra modicum tempus, pro antea acceptis poſſit ſatisfacere.

39 Diſſenſio eſt inter Auctores, quid intelligat Sacra Congregatio per modicum tempus, ſeu quænam dilatio modica, ſeu diuturna judicanda ſit: & quidem arbitrio prudentis decidenda relinquitur, inſpecta materiæ, & perſonarum qualitate, necnon fine, ob quem Miſſa poſtulatur; ſi enim pro impetranda infirmi ſanitate, vel pro alio negotio pendente fuerit poſtulata, non ſolum graviter peccaret Sacerdos, ſed etiam teneretur ad reſtitutionem accepti ſtipendii, ſi Miſſæ celebrationem differret in tempus, quo infirmus obiit, aut negotium jam tranſiit, quia Miſſa jam non poteſt habere effectum poſtulatum ab offerente eleemoſynam, ut cum Rodriques, Petro de Navarra, Fraxinello, Bonacina §. 5. *n.* 3. & Homobono *dict. qu.* 132. tenet Marchinus *dict. c.* 31. *n.* 2. Nec erit excuſandus a culpa lethali, aut ab onere reſtitutionis ob magnum Miſſarum numerum ad propriam Eccleſiam confluentium, quibus omnibus non poteſt ſatisfieri, niſi poſt longiſſimum tempus; nam vel non debet onus celebrandæ Miſſæ ſuſcipere, vel conducere Capellanos ſufficientes ad hoc, ut opportuno tempore ſuſceptis oneribus ſatisfaciat; niſi forte differat celebrationem de conſenſu eleemoſynam offerentis, ut declaravit eadem Sacra Congregatio.

40 Præſcindendo a negotio pendente, ut ſi Miſſa fuerit poſtulata pro ſuffragio animarum purgantium, vel ſi Miſſam poſtulantes tantam celeritatem non intendunt, aliqui dicunt, poſſe celebrationem differri per unum menſem, & ita in Deciſione Rotæ; in una Bononienſi reſolutum fuit licere Sacerdoti nova Miſſarum onera recipere, ſi infra menſem poſſet vetera implere, niſi Miſſas poſtulantes majorem celeritatem requirant, ut refert Marchinus *ſupra n.* 5. Alii extendunt ad duos menſes, & colligitur ex cap. *Præſentium* 7. *qu.* 1. ubi abſens a ſua Eccleſia per ſpatium duorum menſium cauſa ægritudinis, non dicitur ſuæ Eccleſiæ defuiſſe: quod idem clarius colligitur ex Trid. *ſeſſ.* 23. *de refor. c.* 1. *& ſeſſ.* 24. *c.* 12. *de refor. Verſ. Præterea obtinentibus*, ubi ſpatium duorum menſium, tanquam quid modicum præfigitur abſentiæ in Canonicis, & aliis obtinentibus præbendas, aut portiones in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis. Ita tenent Ripa, & alii, quos ſequitur Marchinus *ſupra nu.* 5. Petrus de Ledeſma *cap.* 18. *concl.* 17. Villalobos *tract.* 8. *diff.* 18. *num.* 2. & aliis relatis Diana *tract.* 14. *cit. reſol.* 25. *& part.* 9 *tract.* 6. *reſol.* 55. Alii denique extendunt tres menſes, quia ſpatium non ſolum duorum, verum & trium menſium, tanquam quid modicum reputatur. Ita Leander *diſp.* 4. *qu.* 18. ubi merito cum Diana rejicit Sententiam Peyrini aſſerentis hoc modicum tempus ad tres annos extendi.

„ *Quid hac de re ſit ſentiendum poteris cognoſcere ex his, quæ a Notif.* 15. *lib.* 3. *& ex Tract. de Sacrific. Miſſæ lib.* 3. *c.* 9. *deſumpta, tibi hic ob oculos pono: quæ etſi breviter expreſſa, omnes tamen hujus dubii difficultates clariſſime ſolvit. Et primum ex Notif. citata hæc habemus*: Non minorem ſane diligentiam Sedes Apoſtolica contulit, ut Miſſarum Sacrificia, præſcripto tempore, ac loco, integroque numero perſolvantur. Decreta Urbani VIII. prohibent, adventitias Miſſas accipere, niſi reliquæ omnes, pro quibus antea ſtipendium collatum fuit, penitus abſolvantur. Hinc orta quæſtio fuit: an Decretum ejuſmodi nullam pateretur interpretationem? reſponſumque eſt, novas eleemoſynas admitti poſſe, *dummodo infra modicum tempus poſſent omnibus ſatisfacere*. Porro hujus modici temporis ſpatium ad duos, vel tres menſes protrahebatur; at Sacra Concilii Congregatio die 17. Julii ann. 1755. ita reſpondit, ut videre eſt *in lib.* 19. *Decret. Cum in declaratione undecima impreſſa ſuper Decretis de celebratione Miſſarum permittatur receptio aliorum onerum Miſſarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus poſſit omnibus ſatisfieri; hodie nonnulli Superiores Regulares pro conſcientiarum, ut inquiunt, quiete, denuo quærunt: an dictum modicum tempus celebrandi Miſſas reputetur tempus duorum, vel trium menſium?* Sacra &c. reſpondit: *Modicum tempus intelligi infra menſem....* Quod ſi tanta pecunia pro Miſſis celebrandis in dies congeratur, ut infra præſcriptum tempus abſolvi nequeant in illa Eccleſia, vel Altari, quemadmodum ſtipendium conferentes expoſtulant, per Sacram Congreg. Concilii præcipi ſolet, ut palam in Templo Tabella exponatur, quæ declaret, in ea Eccleſia, ſeu Altari infra certum tempus Sacra, quæ fieri poterunt, conficienda eſſe; quæ ſuperint in alia Eccleſia, ſeu in diverſo Altari ejuſdem Eccleſiæ celebranda. Hoc pacto qui eleemoſynas tribuunt, univerſa perſpecta habebunt & pietati facilius obſecundare poterunt, prout ipſis libuerit.

„ *Tandem ſic ſtatuit in Synodo Diœceſ. lib.* 7. *cap.* 70. *quod idem videre poteris, & in Appendice VIII. ad lib.* 3. 8. *&* 9. *jam hic ſupra relatum*: Sacr. Congreg. Conc. cenſuit, Miſſarum celebrationem non eſſe ultra hebdomadam differendam, ſed in aliis ſaltem ejuſdem Eccleſiæ Sacellis explendam. Ne autem imponeretur Fidelibus eleemoſynas erogantibus, per ſcriptam Tabellam, in viſibili Eccleſiæ loco exponendam, notificari juſſit, ſuſcipiendis in poſterum Miſſarum oneribus, ſatisfactum utique iri in Altari a Benefactoribus deſignato, ſi tamen intra unius hebdomadæ ſpatium fieri poſſet; ſin minus, in aliis ejuſdem Eccleſiæ Altaribus juxta Sacræ Congregationis reſcriptum.

„ *Et ex Tractatu de Sacrificio Miſſæ loco cit.* Duo vero huc adjicienda exiſtimavimus; primum eſt, qui eleemoſynam acceperit pro Miſſæ applicatione, eum teneri, non modo eleemoſynam offerenti Miſſam applicare, ſed etiam applicare eodem tempore, quo offerens ſibi applicari pro rerum ſuarum conditione petit; ita ut, ſi Sacerdos Miſſam celebret, & applicet extra illud tempus, & extra offerentis opportunitatem, teneatur eleemoſynam reſtituere. Fingi poteſt caſus in hunc modum: quidam eleemoſynam præbet, ut ſibi Miſſa celebretur, & applicetur, ut Deus Judicem lumine ſuo illuſtret, qui in quadam ipſius offerentis Cauſa ferre debet Sententiam; ſi poſt latam Sententiam Sacerdos celebraverit, profecto obligationi defuit ſuæ, & tenetur eleemoſynam reddere. *Vide Cabaſſutium in Theoria, & Praxi Jur. Canon. lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 18.

Alterum &c.

DUBIUM VII.

An, & quatenus onera perpetua Miſſarum poſſint moderari, & reduci ad minorem numerum?

41 Vigore facultatis ſibi conceſſæ a Concil. Trid. *ſeſſ.* 23. *de reform. c.* 4. poterant olim Epiſcopi in Synodo Diœceſana, juſta interveniente cauſa, & Generales Ordinum in ſuis Capitulis Generalibus, Miſſas moderari, & ad minorem numerum reducere, ſed hodie ſublata eſt illis hæc facultas per Decretum Sacr. Congr. de celebrat. Miſſarum: *Ubi diſtricte probibet, atque interdicit, ne Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel alias quoquomodo, reducant onera ulla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis; ſed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, aut commutandis, ad Apoſtolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perſpecta, id ſtatuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, moderationes, commutationes hujuſmodi, ſi quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit.*

42 Et quia dubitatum fuit: *an, quando ita tenue eſt, vel evaſit legatum, ſeu reditus, aut non inveniatur Sacerdos, qui velit onus illi injunctum ſubire, & ſi recurratur ad Sedem Apoſtolicam pro moderatione oneris, totum, vel magna pars reditus in neceſſariis expenſis conſumenda ſit; an poſſit Epiſcopus ad minorem numerum reducere?* Reſpondit Sacra Congregatio: *Ad primum, etſi legatum ſit adeo tenue, nihilominus pro dicta reductione oneris, ut ſupra, impoſiti ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apoſtolicam eſſe adeundam, quæ abſque ulla impenſa id ſtatuet, quod magis in Domino expedire judicaverit. Verumtamen ſi in ipſa Beneficii erectione expreſſe cautum fuerit, ut liceat Epiſcopo injunctum onus reducere, ac moderari, legem hanc fundationis, quam Decreta hac de re edita non ſuſtulerunt, eſſe validam, & obſervandam.*

43 Non obſtante tali Decreto, ſi reditus relicti pro Miſſis dicendis ita notabiliter deficiant, ut non remaneant pro unaquaque Miſſa conſueta eleemoſyna, & hoc ſine culpa Sacerdotis, poſſe tunc a Sacerdote particulari, vel a Superiore Religionis reduci Miſſas ad minorem numerum, abſque recurſu ad Sedem Apoſtolicam, docent Bordonus *in conſil. Regul. tom.* 1. *reſol.* 25. *qu.* 26. & Averſa *de Eucbariſt. q.* 11. *ſect.* 18. §. *Quod ſi*; quos ſequitur Franciſcus Lugus *de Sacram. lib.* 5. *c.* 12. *q.* 9. *n.* 97. quia talis eſſe videtur mens Fundatoris, ſeu Teſtatoris, ut ſcilicet Celebranti detur congruum ſtipendium, ne gravetur Sacerdos ad celebrandum ſine debita compenſatione. Quare ſi totum capitale Capellaniæ periiſſet ſine culpa Sacerdotis, vel Conventus, cui Miſſarum onus incumbit, poſſe prorſus a celebratione ceſſare, dicunt Averſa ſupra, & Bordonus *quæſt.* 21. cum aliis, quia pariter talis præſumitur intentio Fundatoris; & cum Beneficium detur propter officium, deſtructo Beneficio deſinere debet officium, ideſt onus, ſeu debitum ei annexum. Deinde, quia in humano contractu locationis non tenetur Conductor ſolvere penſionem integram, quando propter grandinem, vel alluvionem, vel ſimili cauſa depereunt agri fructus; ergo ſimiliter Sacerdos non tenetur dicere Miſſas omnes impoſitas, quando notabiliter decreſcunt reditus: & ita philoſophatur Lugus.

44 Si objicias, reductionem Miſſarum non pertinere ad auctoritatem privatam, ſed ad Papam, vel Principem, cujus eſt, juſta cauſa, poſſe commutare voluntatem Teſtatoris, aut Fundatoris, cum talis commutatio claudatur in reductione Miſſarum.

Reſpondet. reductionem Miſſarum conſiderari poſſe dupliciter: primo modo, quatenus numerus Miſſarum minuitur auctoritative, ſeu per diſpenſationem, in quo ſenſu procedit argumentum, & loquuntur jura, ſive decreta, tam Trident. quam Urbani VIII. & ſic ſolus Pontifex, & qui habent ab illo facultatem, reducere poſſunt; ſecundo modo, quatenus numerus Miſſarum minuitur ex æquitate, ſeu juſtitia, quæ, non patitur, ut Sacerdos faciat gratis, aut minori pretio, quod faciendum ſuſcepit ſub ſtipendio juſto; & in hoc non requiritur poteſtas Pontificis, aut Principis, ſed quiſque poteſt in ſuo contractu juſtitiæ, medium a contrahentibus intentum ſervare. Nec hoc eſt commutare Teſtatoris voluntatem, ſed operari juxta mentem ipſius, qui noluit, aut gratis, aut ſtipe minori cogere Sacerdotem ad celebrandum, cum ab initio congruum ſtipendium deſignaverit, alioquin ejus voluntas eſſet injuſta, quæ ſervari non debet juxta Gloſſ. *ver. voluntatem.* cap. *tua nobis. de teſtam.*

45 Hæc doctrina oſtendit quidem juſte, & rationabiliter faciendam eſſe reductionem Miſſarum juxta reditus, qui colliguntur; at non ſequitur, hoc fieri poſſe ſine licentia Sacræ Congregationis, quæ apertis verbis omnem prorſus abſtulit facultatem quoquomodo Miſſas reducendi, ſibique talem facultatem reſervavit privative, quoad omnes alios, quod facere potuit, ob bonum publicum, ne daretur anſa particularibus Perſonis, vel Eccleſiis perperam illam reductionem faciendi. Unde non militat diſtinctio de reductione facienda auctoritative per diſpenſationem, aut ex æquitate in vim compenſationis; nam Sacra Congregatio omnem prorſus prohibuit reductionem, quocumque titulo faciendam, ac proinde ad illam ſemper eſt recurrendum, ut docent Diana *part.* 7. *tract.* 12. *reſol.* 22. & *part.* 10. *tract.* 16. *reſol.* 65. Gavantus *in Manual. Epiſc. verb. Miſſa num.* 55. & 56. Marchinus *cap.* 19. *n.* 26. *juncto num.* 30. Pellizzarius *tom.* 2. *tract.* 6. *cap.* 3. *n.* 47. Lezana *in Summa tom.* 4. *verb. Miſſa num.* 37. Tamburinus *lib.* 3. *cap.* 1. §. 2. *num.* 2. *in fine.*

46 Sententia Bordoni ad ſummum admittenda videtur in caſu, quo Capellanus non poſſit adire Pontificem, qui ſtipendium taxet, Miſſaſque diminuat; tunc enim ſi ſtipendium relictum ſine ſua culpa fiat evidenter minus infimo juſto, nec hæres ſuppleat, poterit Capellanus, minuendo numerum Miſſarum, ſe indemnem ſervare; nam hoc eſt de jure Naturæ, contra quod Decreta Sacræ Congregationis non præſumuntur agere, ut loquitur Tamburinus *dict. c.* 1. §. 3. *n.* 90. ſequitur Antonius a Spiritu Sancto *diſ.* 6. *ſect.* 1. ubi etiam notat, quod pereunte totaliter cenſu relicto pro Miſſis, vel fundo dotato, non tenetur Capellanus ad ullas Miſſas, nec eſt neceſſarius recurſus ad Superiorem.

47 *Utrum vero poſt hoc Decretum poſſint Epiſcopi, & Generales Ordinum moderari Miſſas, & Anniverſaria a Teſtatoribus ante Trident. relicta?* Videtur affirmandum, ſi Miſſæ non ſint impoſitæ in limine fundationis alicujus Beneficii, aut Capellaniæ. Nam Decretum Urbani prohibet ſolum eam Miſſarum reductionem, quæ poſt Tridentinum acceptatæ fuerunt, aut quæ fuerunt impoſitæ in ipſa fundatione alicujus Capellaniæ, aut Beneficii, ut patet ex illis verbis: *aut poſt Concilium impoſita, aut in limine fundationis*: igitur Miſſæ relictæ ante Tridentinum, & non impoſitæ in limine fundationis alicujus Beneficii poſſunt moderari, & ad minorem numerum reduci. Et ita tenent Diana *part.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 2. Marchinus *cap.* 19. *num.* 31. Tamburinus *lib.* 3. *cap.* 1. §. 2. *n.* 8. Bonacina *punct.* 7. §. 2. *n.* 10. & alii apud ipſos.

48 Dubitabatur etiam: *an poſt hoc Decretum Urbani VIII. poſſint Epiſcopi moderari Miſſas alicui Eccleſiæ relictas, nondum tamen ob tenuitatem eleemoſynæ ab eadem acceptatas.*

Reſp. probabiliter poſſe fieri, quia hoc Decretum manifeſte loquitur de oneribus Miſſarum impoſitis: non cenſetur autem onus impoſitum, niſi poſt acceptationem; & intentio ejuſdem eſt, ut numerus Miſſarum relictus, & acceptatus adimpleatur: ante acceptationem autem non videtur ablata facultas, quam habent Epiſcopi de jure communi moderandi illas Miſſas. Et ita ſentiunt Tambur. *loco cit. n.* 9. Pellizzarius *tom.* 2. *tract.* 6. *cap.* 3. *n.* 16. & ex Marchino, & Diana, Franciſcus Lugus *ubi ſupra n.* 94. & 96. quamvis Diana *part.* 10. *tract.* 16. *reſol.* 65. hoc relinquat decidendum oraculo Sacræ Congregationis.

Hæc omnia, cum plena quarumcumque difficultatum ſolutione, cum noviſſimis Decretis, atque reſolutionibus, quæ vel a Sancta Sede, vel a Congregatione Concilii emanarunt, videre poteris in Synodo Diœceſ. lib. 5. *c.* 10. *ubi ſic legitur*: Cum ſapientiſſimi Concilii Tridentini Patres probe animadverterint, adeo ingentem eſſe numerum Miſſarum, ex piorum Defunctorum legatis, in perpetuum celebrandarum, ut illum explere, & exæquare, impoſſibile jam foret; cumque inſuper perpenderint, ob decrementum redituum, quos illi relinquerant, adeo tenuem ſupereſſe eleemoſynam, ſingulis Miſſis reſpondentem, ut nullus reperiretur Sacerdos, qui onus ſubire vellet, eas celebrandi; hiſce de cauſis *ſeſſ.* 25. *c.* 4. *de reform.* facultatem dederunt Epiſcopis, & Superioribus Generalibus Ordinum Regularium, ut illi, in ſua quiſque Diœceſana Synodo, hi vero in Capitulis generalibus, pro ipſorum arbitrio, & conſcientia, Miſſarum onera contrahere, ſeu eorum numerum minuere poſſent.

Verum hanc facultatem, qua plerique Antiſtites, præſertim Archiepiſcopus Valentinus in ſua Diœceſana Synodo anni 1577. & in Synodo Provinciali anni 1584. atque in alia Synodo Diœceſana, habita anno 1590. apud Cardinalem de Aguirre *tom.* 4. *Conciliorum Hiſpaniæ pag.* 289. & *pag.* 459. uſi fuerant, revocavit, & ad Sedem Apoſtolicam avocavit Urbanus VIII. in ſua Conſtitutione 45. *Bullar. tom.* 5. cujus verba ſunt: *Diſtricte prohibet, atque interdicit, ne Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel alias quoquomodo reducant onera ulla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis, ſed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apoſtolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perſpecta, id ſtatuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur: alioquin reductiones, moderationes, & commutationes hujuſmodi, ſi quas, contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit.* Quare hodie integrum amplius non eſt Epiſcopis in ſuis Diœceſanis Synodis, virtute facultatis, ſibi olim a Tridentino conceſſæ, Miſſarum onera minuere, & moderari; ac proinde reciſſæ hodie ſunt pleræque quæſtiones, quæ antea a Doctoribus verſabantur; puta: an ſolus Epiſcopus, etiam extra Synodum, poſſit Miſſarum onera minue-

re:

„ re: an potius Synodi conſenſus ad id requiratur, aliæque ſimiles, de quibus Hurtadus *reſolut. moral. tom. 2. lib. 6. n.* 2125. ſolumque diſputari poteſt, an per prædictam Urbani VIII. Conſtitutionem adempta quoque eis ſit poteſtas moderandi numerum Miſsarum, quarum celebrandarum obligationem nemo adhuc in ſe ſuſcepit, & fortaſſe, ob tenuitatem eleemoſynæ illarum numero reſpondentis, nemo reperitur, qui illam acceptare velit. Non eſſe adempta opinati ſunt Paſqualigo *de Sacrificio Novæ Legis quæſt.* 1168. Paſſerin. *de ſtatu hominum tom. 2. quæſt.* 187. *n.* 1055. & alii, quoniam Urbanus VIII. ſolum interdixit Epiſcopis, ne Miſſarum onera, a Fundatoribus impoſita, imminuant: onus autem, inquiunt, a Fundatore quidem relictum, ſed nondum acceptatum, non poteſt dici ulli impoſitum, cum, ante acceptationem, nullus ſit, qui eo gravetur; ſed, hac ſubtili ceteroquin, ratiocinatione poſthabita, prævaluit ſententia oppoſita, quam tuetur Diana *in edit. coord. tom. 2. tract. 1. reſol.* 14. *n.* 3. *&* 4. eique ſemper adſtipulata eſt Sacra Congreg. Concilii, a qua cum quæſitum fuiſſet; *An prohibitio facta Epiſcopis reducendi onera Miſſarum habeat locum etiam in caſu, quo legatum ſit ita tenue, ut non ſit, qui velit onus illi injunctum ſubire, &, ſi recurrendum ſit ad Sedem Apoſtolicam pro moderatione oneris, totum, aut fere totum inſumendum ſit pro expenſis ad id neceſſariis*: quamvis verba illa, *ut non ſit, qui velit onus illi injunctum ſubire*, manifeſte indicarent celebrationis onus nondum fuiſſe ab ullo acceptatum; nihilominus eadem Sacra Congregatio reſpondit: *Etſi legatum ſit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut ſupra, impoſiti ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apoſtolicam eſſe adeundam*: quod adnotatum legitur poſt prædictam Conſtitutionem Urbani VIII. *Bullar. tom.* 5. idemque iterum Sacra Congregatio declaravit in Cauſa Lucen. onerum Miſſarum, in qua, diſceptato ſequenti articulo: *An Epiſcopus poſſit onera Miſſarum nondum acceptata reducere, abſque beneplacito Sedis Apoſtolicæ, ſive hujus ſacræ Congregationis, quoties reductionem neceſſariam eſſe judicaverit, ex eo quod Locus Pius legatum acceptare recuſet, non diminuto onere*, die 20. Junii 1682. reſpondit: *Negative*. Secus vero eſſet, ſi is, qui legatum reliquit, expreſſam facultatem dediſſet Epiſcopo, Miſſarum deſignatarum numerum minuendi; tunc enim licere Epiſcopo, inconſulta Sede Apoſtolica, ea facultate uti, cenſuit eadem Sacra Congregatio, uti habetur *cit. tom.* 5. *Bullar.* poſt laudatam Urbani VIII. Conſtitutionem.

„ Attamen, poſt Urbanum VIII. alii Romani Pontifices, videlicet Alexander VII. Clemens X. Clemens XI. Innocentius XIII. & Benedictus XIII. fere omnibus Religioſis Inſtitutis privilegium conceſſerunt, ut Superiores Generales, adhibito maturo conſilio, ac nonnullis ſervatis regulis, in eorumdem privilegiorum litteris expreſſis, poſſent, in ſua quiſque Religione, onera Miſſarum antea relicta, & acceptata moderari: eademque facultas a ſanct. mem. Benedicto XIII. facta fuit omnibus Epiſcopis, qui vel per ſe, vel per ſuos Procuratores interfuerant Concilio Romano, habito anno 1725. uti videre eſt *in eodem Concilio tit.* 15. *cap.* 8. Huic Concilio Nos quoque interfuimus tanquam Doctor in Decretis, non vero tanquam Archiepiſcopus Theodoſiæ, licet hujus Eccleſiæ titulo eſſemus exornati; Epiſcopis quippe mere Titularibus aditus ad illud non patuit; & nihilominus, poſtquam ab Eccleſia Anconitana, ab eodem Benedicto XIII. nobis commiſſa, ad Bononienſem Metropolitanam, auctoritate Clementis XII. tranſlati fuimus, ab eodem Clemente poteſtatem impetravimus, Miſſarum in perpetuum celebrandarum numerum, juſtis exigentibus cauſis, in noſtra Bononienſi Civitate, & Diœceſi contrahendi. Qua tamen, ſumma cum moderatione, & cautela uſi ſumus, iiſque in primis adhibitis regulis, quas ſemper præ oculis habuimus, cum Sacræ Congregationis Concilii Secretarii munus obeuntes, de Miſſarum numero, a Fundatoribus præſcripto, minuendo, in eadem Sacra Congregatione agendum erat.

„ *Quorum omnium concluſio, atque ultima, certiſſimaque probatio, cum in Notific.* 15. *libri* 3. *tum in Tractatu de Sacrificio Miſſæ videri poteſt terminis jam ſupra citatis in additione ad dub.* 2. *ejuſd. Cap.* §. 11. *ex eadem Notific. deſumptis*.

D U B I U M VIII.

An, & quatenus teneatur Sacerdos, vel Eccleſia Miſſas celebrare, ſi ſolutio ſtipendii differatur?

49 Difficultas maxime procedit de Miſſis quotidianis, vel aliis perpetuis relictis a Teſtatore cum aſſignatione annui reditus pro illarum celebratione, & a Monaſterio, Eccleſia, ſeu Capellano acceptatis, ſi hæredum, vel aliorum, ad quos ſpectat, negligentia, aut alia de cauſa non ſolvatur, vel diu differatur ſolutio ſtipendii: *an*, inquam, *Eccleſia, Monaſterium, ſeu Capellanus teneatur hujuſmodi Miſſas celebrare, & continuare in tali celebratione, etiam ſi pecunia non exigatur, vel poſſit ceſſare, & differre quoadusque pecunia ſolvatur?*

50 Reſp. Non teneri Monaſterium, Eccleſiam, aut Capellanum Miſſas celebrare, quando, facta morali diligentia, incerta eſt ſolutio ſtipendii, ſed poteſt eas differre quoadusque conſuetos reditus recipiat, quia ob incertum ſtipendium non tenemur certum onus ſubire, ut cùm Paludano, Soto, Turrecrm. & Azor. notavit Tamburinus *dicto cap.* 1. §. 9. *num.* 12. Pellizzarius *tract.* 5. *cap.* 9. *n.* 100. & inde, ſi ratione belli, vel peſtis, vel ex alia cauſa non ſit ſpes moraliter certa, ut ſolvantur conſueti reditus, poteſt Capellanus ceſſare a celebratione: imo, ſi ſpe talis reditus bona fide Miſſas aliquas celebravit, poteſt deinde etiam poſt multos annos, quando forte ſolvi reditus incipiunt, dictas Miſſas cum præſenti cenſu compenſare, quia nemo cogitur ſuis ſtipendiis militare. Tamburin. *ibi*, & Antonius a Spiritu S. *diſp.* 6. *num.* 233. Si vero adſit ſpes moraliter certa, quod poſt aliquod tempus ſolventur reditus, tunc tenetur Miſſas celebrare, etiamſi per aliquod breve tempus debeat ſolutionem expectare, cum in communi hominum convictu ſoleant pro brevi tempore ſolutiones expectari; ergo pro parva dilatione non debet ceſſare ab onere, & obligatione contracta celebrandi; certe ſi pecunia eſſet retrahenda ex locatione domus, aut prædii, deberet Capellanus, qui initio anni obligationem aſſumpſit, toto anno celebrare, etiamſi pecunia ſolum in fine anni exigatur, dummodo exactio ſit moraliter certa.

51 Nec valet eadem ratio de Miſſis manualibus, quarum celebratio poteſt differri in tempus, quo ſolvitur eleemoſyna; nam & Miſſas manuales, ſi illas acceptaſti, & promiſiſti celebrare pro futuro ſtipendio, teneris ex pacto, & conventione, celebrare ſtatim: ſi vero eleemoſyna manualis, & ipſa ſit incerta, aut Miſſas non expreſſe acceptaſti, potes celebrationem differre in tempus, quo ſolvetur eleemoſyna; onus autem Miſſæ perpetuæ, ut ſuppono, jam acceptaſti, & ſic non potes pro brevi dilatione ſtipendii a celebratione ceſſare.

52 Dubitatur: *ad quid teneatur Monaſterium, ſeu Capellanus, qui per decem annos ceſſavit a celebratione Miſſæ quotidianæ ob non ſolutas penſiones aſſignatas, ſi poſt decem annos tota ſimul ſolvatur penſio præcedentium annorum, & ſucceſſive ſolvatur in futurum pro ſubſequentibus; ipſe enim non poteſt præteritas celebrare, cum ſit occupatus in celebratione currentis quotidianæ.*

Reſpond. quod ſi Miſſa quotidiana ſit relicta Monaſterio Religioſorum, vel alicui Eccleſiæ, in qua adſit numerus Sacerdotum, poteſt Monaſterium, vel Eccleſia omnes fructus præcedentes accipere, Miſſaſque celebrare per ſuos Religioſos, aut per Sacerdotes dictæ Eccleſiæ. Si vero Miſſa quotidiana applicata ſit Capellano particulari, poterit iſte, acceptis reditibus decurſis, Miſſas per alios Sacerdotes celebrare, dando illis conſuetam eleemoſynam, & ſi reditus ſint pingues, ſibi reſiduum retinere: ſi vero reditus non tranſcendant taxam ordinariam, & conſuetam, probabile eſt præteritarum Miſſarum celebrationem procurari poſſe ab hærede, ut probat Tambur. dict. *cap.* 1. §. 3. *a num.* 86. & cum eo Antonius a Spiritu Sancto *ſupra num.* 234.

53 Dubitatur 2. *An poſſit fieri compenſatio ſtipendii Miſſarum non ſoluti: puta, quis curavit, ut pecunia credita centum Miſſæ celebrentur a Monaſterio, ſeu a Sacerdote, qui celebratis Miſſis, ſtipendium habere non potuit?* Quæritur: *an ſi proceſſu temporis ab eodem, oblito præteriti debiti, ſibi tradantur centum argentei pro aliis Miſſis, an, inquam, poſſit Monaſterium, ſeu Sacerdos hujuſmodi argenteos ſibi retinere in compenſationem præcedentium Miſſarum, cum non habeat aliam viam recuperandi ſtipendium ſibi debitum, & ſic Miſſas de novo poſtulatas non celebrare?* Videtur affirmandum, quia ſicut Sacerdos, accepto ſtipendio, tenetur ex juſtitia Miſſas celebrare: ita etiam commendans Miſſas tenetur ex juſtitia in utroque foro ſtipendium tribuere: cum autem in obligationibus juſtitiæ detur compenſatio, poterit Sacerdos propter juſtam compenſationem ſibi reſarcire damnum, retinendo pecuniam abſque nova celebratione Miſſarum. Quod idem dicendum eſt de expenſis factis in recuperando ſtipendio Miſſarum celebratarum; nam ſi poſtea eidem Sacerdoti aliæ Miſſæ dici ab eodem præcipiantur, poterit expenſas factas compenſare, & ſolum pro reſiduo novas Miſſas applicare, in caſu, quo Miſſæ ſint pro eodem poſtulante. Et ita tenent Lezana *in ſum. quæſtion. Regul. tom.* 4. *verbo Miſſa num.* 34. Peyrin. *tom.* 3. *cap.* 1. *n.* 37. Pellizzar. *tract.* 6. *cap.* 3. *n.* 50. Tambur. *cap.* 1. *num.* 27. Anton. a Spiritu Sancto *diſp.* 6. *n.* 233.

54 Hoc unum difficile eſt in hac doctrina, quod vix practicari poteſt ſine præjudicio tertii; nam ſi Miſſæ de novo poſtulatæ certo ſint pro eodem poſtulante, admitti poteſt aſſignata doctrina, & ille ſibi imputare debet, ſi poſtulatas nunc Miſſas non habet, cum ſtipendium celebratarum non ſolverit. At quia pro diverſo negotio, pro diverſis Animabus purgantibus, aut pro diverſo committente poſſunt eſſe novæ Miſſæ poſtulatæ, ſine præjudicio tertii vix poteſt allata doctrina practicari, quapropter rejicienda eſt cum Diana *part.* 10. *tract.* 16. *reſolut.* 66.

CAPUT VII.

De Tempore, & Hora celebrandi.

DUBIUM I.

Quibus diebus licitum ſit celebrare Miſſam.

CErtum eſt apud omnes, cuilibet Sacerdoti licitum eſſe, per ſe loquendo, ſingulis diebus totius anni celebrare Miſſam, excepta Feria quinta, ſexta, & Sabbatho Hebdomadæ Sanctæ, de quibus diebus ſolum eſt difficultas apud Doctores. Et quidem Feria quinta licitum eſſe cuilibet Sacerdoti, ſive publice, ſive ſecreto celebrare, dummodo id fiat, antequam finiatur Miſſa Solemnis, & recondatur Corpus Chriſti, recte docent Navarr. *in Man. cap.* 25. *num.* 88. Sotus, Angles, Suarez, Dicaſtillus, Vaſquez, Coninchus, Layman, quos refert, & ſequitur Palaus *diſp. unica, punct.* 7. *n.* 2. Diana *part.* 6. *tract.* 6. *reſol.* 19. Marchinus *part.* 3. *cap.* 8. Leander *diſp.* 5. *q.* 20. & alii apud ipſos. Ratio eſt, quia nullum in contrarium datur præceptum, nec conſuetudo Eccleſiæ repugnat; nam plurimi Sacerdotes eo die, tam Romæ, quam extra, privatim celebrant, quamvis plures etiam abſtineant, quia ex devotione malunt in Miſſa Solemni communicare, ut aptius, Apoſtolorum Communionem de manu Chriſti Domini commemorent. Et quamvis Diana *loc. citat.* referat, Sacram Congreg. Rituum decreviſſe, Feria quinta in Cœna Domini celebrandam eſſe unam Miſſam tantum, addit tamen, hoc Decretum non eſſe in Sicilia, & in multis locis uſu receptum; nam paſſim in illa die Sacerdotes celebrant, & Palaus *d. n.* 2. ait, jam poſſim videri eo die Sacrificium celebrari tam Romæ, quam extra: & Lugus, qui poſt illud Decretum ſcripſit, docet, hoc abſolute licere: *Neque*, ait, *eſt ullum Decretum contrarium legitime promulgatum, quidquid alii dicant.*

2 Difficultas aliqua eſt: *an liceat dicta Feria quinta in Cœna Domini celebrare poſt Miſſam Solemnem, & poſt reconditum Corpus Chriſti in Sacrario?* Negat cum Vaſquio, Palaus *loco cit.* quod utique de celebratione publica facienda in eadem Eccleſia affirmandum eſt; ſecrete autem in aliquo privato, & ſecreto Oratorio Miſſa privatim celebrari poterit, præſertim ad ſatisfaciendum præcepto, ut advertunt prædicti D. D. cum Ant. a Spiritu S. *diſp.* 3. *ſect.* 1. *n.* 61. & Dicaſtillo *diſp.* 4. *dub.* 2. *n.* 29.

3 Feria ſexta Paraſceves non eſſe licitum Sacerdotibus celebrare Miſſam, teſtantur omnes Doctores, quia id expreſſe prohibetur cap. *Sabbatho, de conſecrat. diſt.* 3. ubi dicitur *biduo hoc Sacramenta penitus non celebrari*, quod reſpectu Feriæ ſextæ in viridi manet obſervantia apud omnes, de Sabbatho mox dicam. Ratio eſt, quia Eccleſia ea die recolit realem paſſionem, & cruentum Sacrificium Chriſti, & ſic non repræſentat myſtice, ſeu non immolat incruente: quare Celebrans in officio illius diei non conſecrat, ſed ſolum ſuſcipit hoſtiam, quæ ex præcedenti die conſecrara remanſit; ut enim loquitur Hugo de S. Victore *lib.* 3. Miſcellan. *cap.* 43. apud Marchinum: *Non ſacrificant Amici, dum trucidant inimici.* Hac de cauſa, ſi ea die occurrat feſtum Annunciationis, non tenentur fideles audire Miſſam, & intereſſe officio, quia illa proprie non eſt Miſſa, neque proprie offertur Sacrificium, cum non adſit hoſtiæ conſecratio: & ita tenent Navar. *cap.* 25. *n.* 88. & cum eo omnes Canoniſtæ. D. Thom. *q.* 83. *art.* 2. *ad* 2. & cum eo omnes fere Theologi, Suarez, Riccardus, Paludanus, & alii, quos ſequitur Leander *diſp.* 5. *q.* 23. Diana *part.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 62. Marchinus *part.* 3. *cap.* 8. Gavantus *in rubr. Miſſal. part.* 4. *tit.* 9. *n.* 24. ubi refert ita declaraſſe Sacram Congreg. Rituum die 19. Februarii 1622.

4 *Utrumvero Feria ſexta Paraſceves licitum ſit ſumere Sacram Communionem aliis, quam Infirmis per modum Viatici?* Negant Francolinus *de horis Canonic. cap.* 30. *n.* 12. Marchinus *part.* 3. *cap.* 8. Barboſa *de Offic. Parochi part.* 2. *cap.* 20. *num.* 16. Leon. *de Offic. Capellani quæſt.* 9 *ſect.* 17. *num.* 70. & ita determinaſſe Sacram Congregationem Rituum die 19. Februarii 1622. teſtatur Gavantus *loc. cit* quia in Rubrica Miſſalis in Officio illius diei ſolum pro Infirmis præcipitur ſervari Sacramentum. Affirmant e contra id licitum eſſe, etiam non infirmis, Suarez, Vaſquez, Facundez, Layman, Hurtado, Granado, Joannes de Cruce, Ledeſma, Tannerus, quos adducit, & ſequitur Leander *diſp.* 5. *q.* 24. Diana *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 237. & *part.* 6. *tract.* 6. *reſol.* 19. Palaus *punct.* 7. *n.* 3. Dicaſtillus *diſp.* 4. *dub.* 2. *n.* 32. dicens, Viennæ Auſtriæ, & in aliis Germaniæ locis id eſſe uſu receptum: quod etiam obſervari Matriti in Parochia Sancti Martini, docet Machadus *lib.* 4. *part.* 1. *tract.* 11. *docum.* 11. *n.* 2. Nec obſtat, quod in Officio Paraſceves Sacramentum ſolum propter Infirmos cuſtodiri jubeatur, quia illa fuit cauſa maxime neceſſaria, propter quam ſervari debeat Sacramentum, non proinde tamen prohibetur miniſtrari non infirmis. Quare permitti poterit conſuetudo communicandi ſanos, ubi illa fuit legitime introducta; ubi autem non eſt introducta, obſervandum erit Decretum Sacræ Congregationis, quod in Feria ſexta Paraſceves non ſit Euchariſtia miniſtranda, niſi Infirmis, ut etiam obſervat Diana *part.* 9. *tract.* 7. *reſol.* 24.

5 Sabbatho Sancto negant licere privatim Miſſam celebrare, Francolinus, Navarrus, Azorius, Gavantus, Layman, Henriquez, quos adducit Marchinus *d. cap.* 8. *n.* 5. nituntur recepta conſuetudine, & dict. cap. *Sabbatho Sancto*, ubi dicitur, *hoc biduo Sacramenta penitus non celebrari.* Affirmant Suarez, Sotus, Ægidius, Coninch, Facundez, Guttier, quos ſequitur Marchinus *loc. cit.* Lugus, Quintanaduenas, Caſpenſis, Mercerus, Leander, Granado, Leſſius, Amicus, Sylvius, quos citat, & ſequitur Diana *part.* 9. *tract.* 7. *reſol.* 24. & de licentia Prælati idem licere docet Azorius *inſt. Moral. part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 23. *q.* 4. ſed hanc licentiam non eſſe neceſſariam docent cæteri, præcipue Lugus, & Facundez apud Dianam. Nec urget ratio in oppoſitum allata, quia ille textus ſolum habebat locum antiquiſſimis temporibus, quando Eccleſia biduo illo in mœrore, & triſtitia ob paſſionem Chriſti permanens, Miſſam Reſurrectionis ipſa nocte faciebat, non vero locum habet noſtris temporibus, quibus Miſſa illa Reſurrectionis reducta eſt ad tempus antemeridianum ipſius Sabbathi Sancti, ut bene advertit Marchinus, qui etiam docet, oppoſitam conſuetudinem non obſervari in multis locis Hiſpaniarum, Galliæ, & Italiæ.

6 Poſita hac ultima Sententia valde probabili, dubium eſt: *an licitum ſit Miſſam privatim celebrare ante inceptam Miſſam ſolemnem?* Negat Palaus *punct.* 7. *n.* 5. quia uſque ad illud tempus memoria realis paſſionis ab Eccleſia colitur; quo durante cultu, nullum eſt Sacrificium celebrandum ex dicto cap. *Sabbatho, de Conſecrat. diſt.* 3. ob hanc enim rationem diximus, nemini licitum eſſe Feria quinta in Cœna Domini poſt finitum Sacrificium ſolemne illius diei, & Sacramentum reconditum, privatim celebrare, tametſi antea licitum eſſet. Idem tenent Azorius, Suarez, Facundez, Pellizarius, & Amicus, quos ſequitur Diana *part.* 9. *tract.* 7. *reſol.* 24. Contrarium docet Lugus *diſp.* 20. *ſect.* 1. *n.* 23. quamvis dicat, id fieri non debere abſque cauſa, ſed ſolum ex cauſa, ut alii, qui non poſſunt expectare, audiant Sacrum: idem docet Dicaſtillus *num.* 36. & abſolute fieri poſſe docet Leander *qu.* 28. quia ita tenet uſus piorum hominum, qui, ut etiam Lugus fatetur, privatim, abſque ullo ſcrupulo, ſummo mane celebrant.

7 Hinc ſequitur, quod ſi in Sabbatho Sancto accideret Feſtum Annunciationis Beatæ Virginis, poſſet Epiſcopus ordinare, ut in ſingulis Eccleſiis Miſſæ celebrentur; & ita celebratas fuiſſe plures Miſſas in Diœceſi Toletana anno 1607. occurrente Feſto Annunciationis, teſtatur Leander *quæſt.* 25.: idem practicatum in Diœceſi Cæſarauguſtana anno 1639. aſſerit Garzia. Addit Marchinus *ſupra num.* 8. eſſe Sacrum audiendum ſub mortali, nam tunc duo occurrunt, nempe verum Sacrificium, & dies Feſtus. Nec obſtat, quod omnes Fideles non poſſint Sacro intereſſe, cum unum tantum in qualibet Eccleſia celebretur; nam poſſunt plures celebrare, & per accidens plures excuſarentur, ſi unum tantum Sacrum celebraretur. Qui autem privatim celebrare voluerit in Sabbatho Sancto, poterit dicere Miſſam ordinariam illius diei, aut cum Introitu Miſſæ Reſurrectionis ſequentis diei, vel incipiendo a Kyrie eleyſon, finita Confeſſione, ut dicit Gavantus *tom.* 1. *part.* 4. *titul.* 10. *num.* 45. vel etiam Votivam B. Virginis, ut cum Ledeſma tenet Diana *part.* 2. *tract.* 4. *reſol.* 21. quod etiam aſſerunt Granado, Hurtadus, Lugus, & alii apud Leandrum.

8 Anno 1690. cum Feſtum Annunciationis in Sabbatho Sancto venerit, exiit Decretum a Sacra Rituum Congregatione tenoris ſequentis.

Cum Sabbatho Sancto proxime futuro occurrat Feſtum Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, dubitatum fuit, an debeant celebrari Miſſæ privatæ ad effectum, ut Chriſtifideles commode ſatisfacere poſſint præcepto audiendi Miſſam? *& Sacrorum Rituum Congregatio, ad relationem Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi D. Cardinalis Colloredi re mature perpenſa, cenſuit, prædictum Feſtum Annunciationis una cum præcepto audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus, in Eccleſia univerſali transferri debere ad Feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, protractis omnibus aliis Feſtis, quæ non ſunt altioris ritus, ad aliam diem juxta Rubricas Breviarii Romani. Celebrationem quoque Miſſarum dicta die Sabbathi Sancti omnino prohibendam in quibuſcumque Eccleſiis, & Oratoriis privatis, non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium, & unicam Miſſam Conventualem una cum Officio ejuſdem Sabbathi Sancti celebrandam fore præcepit, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro placuerit, hac die* 11 *Februarii* 1690.

Et facto de prædictis, per me Secretarium, verbo cum Sanctiſſimo, Sanctitas Sua benigne annuit, ſenſum Sacræ Congregationis approbavit, ac præſens Decretum edi, & imprimi mandavit. Hac die 12. *Februarii* 1690.

A. Card. Cybo.

Locus ✠ *Sigilli.*

Laurent. Fliſcus Sac. Rit. Congreg. Secret.

9 Ut autem hoc perpetuo obſervaretur futuris temporibus, & tolleretur omne dubium, quod ſuboriri poſſet, eadem Sacra Congregatio aliud Decretum edidit tenoris ſequentis.

Sacra Rituum Congregatio, ad tollenda dubia exorta ſuper celebratione Feſti Sanctiſſimæ Annuntiationis B. M. V. in Feria ſexta in Paraſceve, vel in Sabbatho Sancto occurentis, declarando Decretum editum die 12. Februarii proxime præteriti, decrevit, Feſtum Annunciationis in caſu propoſito, una cum præcepto audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus, in Eccleſia univerſali transferri debere ad Feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, etiam quocumque alio Feſto impeditam, ita ut eadem Feria, prædicto caſu eveniente, perpetuis futuris temporibus, pro ſede propria, & fixa memorato Feſto Annunciationis aſſignata, & ſtabilita intelligatur, & in illa eo prorſus modo, & forma præfatum Feſtum, quoad Officium, & Miſſam celebretur, quibus propria die 25. Martii in Kalendario Romano appoſitum celebraretur, protractis ad aliam diem non impeditam, juxta Rubricas Breviarii Romani, omnibus aliis Feſtis in eadem feria occurrentibus, quæ non ſint altioris ritus; ac ita declaravit, & ſi Sanctiſſimo placuerit, ſervari præcepit. Firmo in reliquis remanente Decreto edito die 12. Februarii, nempe quod in Sabbatho Sancto celebrationes Miſſarum privatarum omnino prohibeantur in quibuſcumque Eccleſiis, & Oratoriis privatis, non obſtante quacumque contraria conſuetudine, & unica tantum Miſſa Conventalis una cum Officio ejuſdem Sabbathi Sancti celebretur. Die 11. Martii 1690.

Et facta de prædictis Sanctiſſimo, per me Secretarium, relatione, Sanctitas Sua annuit, prædictamque declarationem laudavit, & approbavit, ac præſens Decretum imprimi, & vulgari mandavit. Die 11. Martii 1690.

A. Epiſc. Oſtienſis Card. Cybo.

Locus ✠ Sigilli.

Laurent. Fliſcus Sac. Rit. Congr. Secret.

10 Cum autem anno 1693. Feſtum S. Joſeph venerit Feria quinta Majoris Hebdomadæ, dubitatum pariter fuit: *an una cum Officio ipſius Sancti Joſephi transferri deberet etiam obligatio audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus?* Dubioque hujuſmodi in Sacra Rituum Congregatione propoſito, re mature diſcuſſa, eadem Sacr. Congreg. cenſuit: *Officium transferendum eſſe ad aliam diem, juxta Rubricas Breviarii Romani, & Decreta ipſius Congregationis. Cæterum præceptum audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus prædictis non eſſe transferendum, ſed ſervandum eſſe in prædicta feria quinta Majoris Hebdomadæ; adeoque per Ordinarios locorum accurate providendum, ut eo die aliquæ Miſſæ privatæ ante celebrationem ſolitæ Miſſæ Conventualis celebrandæ pro præcepti adimplemento non deſint, ſed tamen propterea antiquus mos Communionis Cleri in Miſſa ſolemni ejus diei, quo Eccleſia Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti inſtitutionem, & memoriam recolit, ſumma religione hactenus retentus, nullatenus omittatur; & ita declaravit, ac Decretum hujuſmodi publicari, & imprimi mandavit. Die 13. Septembris 1692.*

A. Epiſcopus Oſtienſis Card. Cybo.

Locus ✠ Sigilli.

I. Vallemanus Sac. Rit. Congreg. Secret.

Quare hodie non eſt amplius dubitandum, ſed obſervanda Decreta ſupradicta, quibus prohibentur Miſſæ privatæ in Sabbatho Sancto, & conceduntur Feria quinta Majoris Hebdomadæ.

„ *Ultra etiam hac in re procedit SS. Dominus noſter Benedictus XV. & quamvis, quæcumque poſſunt ad plenam hujus Sententiæ confirmationem ſufficere, hic ſatis abunde adnotentur: plura adhuc tamen, aureo quidem ſtilo, atque eruditiſſimis de more fundamentis, congruentiis, Conciliis, & Auctoritatibus, una ſimul ad uberiorem congerit demonſtrationem, nonnulla potiſſimum recenſendo Decreta, quæ ultimis hiſce temporibus emanarunt: quæ omnia hic tibi, ſtudioſe lector, ob oculos fideliter pono, ut in Notificatione extant, poſita n. 18. lib. 2. hiſce verbis:* Ex veteri Eccleſiæ diſciplina univerſus Populus, qui ad Miſſæ Sacrificium convenerat, Feria quinta Majoris Hebdomadæ Sacram Euchariſtiam percipiebat. Id ex Sacramentario Sancti Gregorii colligitur, quod Hugo Menardus anno 1624. *pag.* 69. in lucem protulit, ubi hæc leguntur: *& communicat omnis populus ordine ſuo.* Neque ſolum pietate, ſed præcepto Fideles ducebantur, quemadmodum teſtimonio antiqui Canonis *In Cœna Domini, de Conſecrat. diſt.* 2. aperte comprobatur. Si quis præterea affirmaret, in more poſitum fuiſſe, ut ſexta Feria ejuſdem Hebdomadæ Fideles iterum ad Sacram Euchariſtiam accederent, hanc Sententiam perſpicuis documentis tueri poſſet, quæ P. Mabillonius *tom. 2. Muſæi Italici, in Comment. de Ordine Romano pag.* 72. & Martene *de antiqua Eccl. diſcipl. in Divinis celebrandis Officiis cap.* 23. *n.* 25. fuſe commemorant.

Si fides Amato Pougeto habeatur *in Inſtitut. Catholic. tom. 1. pag.* 840. eadem conſuetudo in quibuſdam Eccleſiis adhuc a Clericis retinetur: *Hodieque viget* (inquit ille) *in quibuſdam Eccleſiis, in quibus Clerici omnes duobus hiſce diebus communicant.* Mos tamen univerſim obtinuit, ut in Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis, aliiſque Regularium Eccleſiis Clerus univerſus illi Templo addictus, Euchariſtiam ſumat, dum res Divina celebratur; (*Andreas Sauſſajus in Panoplia Sacerdot. lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 9. §. 1.) Sacerdotes quidem collo pendentem, Diaconi vero a dextro ad ſiniſtrum humerum Stolam fluentem deferunt, quemadmodum Gavantus Sacrorum Rituum Magiſter *in Rubr. Miſſ. part.* 4. *titul.* 7. *n.* 7. *Venet. impreſſ. anno* 1690. *pag.* 181. tradit.

Ritus ejuſmodi documentum nongentis ab hinc annis ex Ordine Romano deprehenditur, ubi *de Cœna Domini* ſic legitur: *Fractis autem oblatis, communicent Presbyteri primo, poſtea Diaconi, & cæteri omnes, & ita perficiatur.* Romani* ſane Pontifices omnem curam ſemper contulerunt, ut hunc ritum conſervarent, ut mox ſubjiciemus; ac, reliquis omiſſis, S. Carolus Borromæus *Concil. III. Provinc. in Actis Eccl. Mediolan. tom.* 1. *pag.* 79. ita conſtituit: *Feria quinta in Cœna Domini, ſinguli, qui in Cathedrali Collegiatave Eccleſia, vel Dignitatem, vel Canonicatum obtinent, etiam qui Sacerdotalis Ordinis ſunt, & reliqui, item ſinguli ejuſdem Eccleſiæ Clerici Corpus Domini in ſolemni Miſſæ Sacro, quod illo die in ea Eccleſia fiet, ſumant.* Cæremoniale quoque Epiſcoporum Clementis VIII. Innocentii X. ac Benedicti XIII. auctoritate probatum, *lib.* 2. *cap.* 23. hæc habet: *Deinde, antequam ſe purificet* (de Epiſcopo res eſt) *communicat primum Diaconum, & Subdiaconum, deinde omnes Canonicos paratos, & alios Sacerdotes de Eccleſia, qui Stolam a collo pendentem ſupra Cottam habere debent, & denique omnes de Clero,*

Nos autem, qui fere per quadraginta annos Romæ verſati ſumus, & in Baſilica Vaticana Canonici Theologi titulum plurimis annis obtinuimus, teſtes ſumus de communi inſignium Urbis Baſilicarum uſu, in quibus univerſi Canonici, etiam Sacerdotio inſigniti, item Beneficio præditi, omneſque Clerici Eccleſiæ, Chriſti Corpus Celebrantis manu ſuſcipiunt. Qui vero Epiſcopali honore fulgent, & ad Chorum ſuis inſignibus ornati conveniunt, habita dignitatis ratione, in domeſticis, & privatis, vel in clauſis Sacrarii Sacellis, eo die rem Divinam conficiunt.

Si quis hujus inſtituti cauſam ſcire velit, ſtatim ipſam explicabimus. Eadem feria quinta Sacræ Euchariſtiæ ſolemne Feſtum celebratur, quam poſtrema Cœna Chriſtus Dominus inſtituit; quo tempore juxta Concilii Tridentini *ſeſſ.* 22. *de Sacrificio Miſſæ cap.* 1. ſententiam, Sacerdotium quoque Apoſtolis contulit. Quare, ſicut Divinus Salvator ſibi primum, ac deinde Apoſtolis Sacroſancta Myſteria tradidit; ita conſentaneum fuit, ut Sacerdos feria quinta majoris hebdomadæ, ſuſcepta Divina Euchariſtia, ipſam poſt univerſo Clero diſtribueret, qui Eccleſiæ adſcribitur, ubi Sacrum peragitur.

In Evangelio quidem non habetur, Sacram Euchariſtiam a Domino ſuſceptam, antequam Apoſtolis tribueret, uti modo dictum eſt; id tamen contigiſſe communi omnium Patrum opinione declaratur. S. Hieronymus ad Hedibiam *Epiſt.* 150. *quæſt.* 2. ita ſcribit: *Dominus Jeſus ipſe conviva, & convivium, ipſe comedens, & qui comeditur.* Sanctus etiam Thomas 4. *ſent. diſt.* 8. *quæſt.* 12. *artic.* 1. *part.* 3. *quæſt.* 82. *artic.* 1. fuſius rem comprobat, & Dominum nihil docuiſſe contendit, quod prius exemplo non indicaverit. Interpretes vero Canonis 87. diſt. 2. ſic aſſerunt: *Comedit ergo Chriſtus ſe ipſum, ſed non quoad effectum, quia non indigebat.* Poſtremo Sanctus Thomas, loco ſuperius allato, cum ad tertium argumentum reſpondet, Chriſtum Dominum, dum ſuum Corpus comederet, nullo gratiæ augmento cumulatum affirmat, ſed quadam ſpirituali ſuavitate perfuſum pro nova illa Sacramenti inſtitutione, quemadmodum Sancti Lucæ verbis deprehenditur: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum.*

Hæc noſtra Metropolitana, aliæque duæ Civitatis Collegiatæ, ritum, quem paulo ante expoſuimus, omnino ſequuntur. Idem tribus Collegiatis noſtræ Diœceſis præcipimus, ſi forte aliam conſuetudinem induxerint; nobis enim delatum fuit in una ex iiſdem Collegiatis Feria quinta in Cœna Domini Sacrum perfici, Clerum Celebrantis manu Divinam Euchariſtiam accipere, aliquos vero Sacerdotes, præſertim Canonicos, cum reliquis minime ad cœleſtem menſam accedere, cum rem Divinam jam antea confecerint, vel conficere poſtea deliberaverint. Id omnino ipſis interdicimus, omneſque, dum ſolemne Sacrum peragitur, ea ratione, quæ

ſuperius expoſita eſt, Divinum Chriſti Corpus accipiant.

„ Profecto ſatis erat, ne quis Sacerdos, aut Canonicus hunc ritum negligeret, Deceſſoris noſtri Cardinalis Boncompagni Decretum die 7. Aprilis annò 1724. promulgatum, præter Sacrum Parochiale, vel Conventuale, quemadmodum a Sacra Rituum Congregatione conſtitutum fuit, privatim Miſſæ Sacrificium celebrare vetitum fuit Feria quinta, & Sexta, ac Sabbatho majoris hebdomadæ, non modo in privatis Sacellis, ſed etiam in Regularium, ac Sæcularium Eccleſiis; omnibus quoque privilegiis, & contraria conſuetudine penitus abrogata. Quod ſi Decreti ejuſdem memoria penitus ex ipſorum animis exciderit, hæc pauca verba, quæ Feria quinta in Cœna Domini oculis ſubjicimus, facile percurrere potuiſſent: *Hodie, & duobus ſequentibus diebus prohibentur ubique Miſſæ privatæ.*

„ Sed quoniam una ex Collegiatis noſtræ Diœceſis, etiam poſt hæc tam perſpicua Edicta, frequenter juſſa detrectavit, ideo ſignificamus, eam mentem Summis Pontificibus ineſſe, ut nulla Sacra, Feria quinta, Sexta, & Sabbatho majoris hebdomadæ privatim fiant. Id Clementus XI. Decreto *promulg. die 15. Martii anno 1712. 17. in ejus Bullario* continetur, ubi quodcumque ſolemne, aut privatum Miſſæ Sacrificium prohibet Feria ſexta majoris hebdomadæ, licet Feſtum Annunciationis Beatæ Virginis celebrandum in ea contingat, jubetque ea plene ſervari, quæ in eum diem a Romano Rituali præſcribuntur. Poſt hæc ita ſubdit: *Poſtremo Sanctitas Sua declarat hac interdictione, quæ Feriæ ſextæ ratione facta eſt, haud permittere, ut Feria quinta, ac Sabbatho ejuſdem majoris hebdomadæ ſacra privatim inſtituantur, ſed Conventuale ſolummodo juxta ritum Sanctæ Eccleſiæ, & plura Decreto Sacrorum Rituum Congregationis.* Die vero 3. Aprilis ann. 1719. juſſu ejuſdem Pontificis Cardinalis Paracciaṇus, Urbis Vicarius, hoc monitum promulgavit: *Sanctitas Sua juxta ea, quæ pluries a Sacr. Rituum Congreg. ſancita ſunt, præcipit omnibus Sacerdotibus, ut a Miſſis celebrandis privatim abſtineant, non modo Feria ſexta, ſed etiam Feria quinta, ac Sabbatho majoris hebdomadæ, tum in privatis Sacellis, tum publicis Regularium, vel Sæcularium Templis, quibuſcumque privilegiis prædita ſint, quæ omnia, & quamlibet contrariam conſuetudinem penitus abrogat.*

„ Illud quoque notum facimus, Presbyteros omnes, etiam Canonicos Capituli Dignitates, & reliquos Clericos huic Metropolitanæ, vel Collegiatis cum Urbis, tum Diœceſis, adſcriptos, ea lege abſtringi, ut Feria quinta in Cœna Domini Sacram Euchariſtiam Celebrantis manu ſuſcipiant. Satis id probant, quæ ſuperius adduximus, & alia Sacrorum Rituum Congregationis Decreta, quæ Gavantius *in Manuali in verbo* Canonici munera *num. 48* ac Biſſus *in verbo* Communio Euchariſtiæ *ſub num. 383.* commemorant. Horum ſane præceptorum vim effugere nequeunt Sacrum antea privatim facientes; hoc namque vetitum eſt, uti nuper oſtendimus, niſi forte S. Joſeph dies feſtus in eamdem Feriam quintam incurrat. Tunc enim (licet Officium in alium diem transferatur) præceptum tamen indicitur audiendi Sacrum, & a ſervilibus operibus abſtinendi juxta Decretum editum die 13. Septembris anno 1692. in quo præterea hæc adduntur: *Adeoque per Ordinarios Locorum accurate providendum, ut eo die aliquæ quidem Miſſæ privatæ ante celebrationem ſolitæ Miſſæ Conventualis celebrandæ pro præcepti adimplemento non deſint; ſed tamen propterea antiquus mos Communionis Cleri in Miſſa ſolemni ejus diei, quo Eccleſia Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti inſtitutionem, & memoriam recolit, ſumma religione hactenus detentus, nullatenus omittatur.*

„ Idem decernendum, ſi Feſtum Annunciationis Beatæ Virginis eadem Feria quinta celebrandum occurrat, quemadmodum Sacra Rituum Congregatio die 12. Septembris anno 1716. ſanxit, cum ſequenti anno 1717. eadem Feria quinta Feſtum illud contingerit. Anno pariter 1728. cum idem eveniſſet, Cardinalis Boncompagnus Deceſſor noſter Edictum in lucem protulit, quod Civitatem, ac Diœceſim complectebatur, in quo templa deſignavit, ubi privatim Sacra ante Conventualem Miſſam fieri liceret, ipſorum numerum conſtituit, eamque normam propoſuit, ut eodem die Clerus univerſus, dum Sacerdos Miſſam ſolemnem ageret, ipſius manu Chriſti Corpus ſumere teneretur.

„ Cum hæc ita ſe habeant, ſi quis, abſque legitima cauſa, Canonicus, Sacerdos, aut Clericus Majoribus, ſeu Minoribus, Ordinibus initiatus, eiſdem Eccleſiis addictus hanc legem contemnat Feria quinta majoris hebdomadæ, præcipimus, ut ille qui abſentes a Choro notare conſuevit, nos certiores faciat, ut debitas pœnas infligamus. Si ipſe pro munere ſuo nos admonere negligat, pœnas in eum convertemus. Si vero præter Parochum in ſua Parochia, Sacerdos aliquis cujuſcumque conditionis, aut dignitatis, Miſſam (quod ſuſpicari vix poſſumus) privatam Feria quinta, Sexta, ac Sabbatho Majoris Hebdomadæ celebrare auſus fuerit, ipſum graviter puniemus, & a *Divinis* etiam interdicemus. Pœnas etiam dabit Cuſtos Eccleſiæ, vel Sacelli, ubi Sacrum peractum fuerit.

Neque hiſce ſolum ſibi contentus, ſic præterea alia adhuc congerit, huic ſemper inhærendo Sententiæ, quam novis prorſus, atque diverſis exornat auctoritatibus, & fundamentis, in ſuo Tract. de Sacrific. Miſſæ lib. 3. cap. 3. §. 8. hoc modo: Reliquum eſt de diebus dicere, quibus non poſſunt Sacerdotes privatas Miſſas celebrare: hi ſunt Feria quinta in Cœna Domini, & quæ eam conſequitur Feria ſexta, & Sabbathum; quibus diebus nonniſi ſolemnem Miſſam Conventualem celebrare licet; de qua in opere de Feſtis Domini diſſerimus, cum de ſacris agimus Cæremoniis, quæ per eos dies ab Eccleſia peraguntur. Statuitur in can. *Viſum, de Conſecrat. diſt. 5.* generalis regula, ut Miſſa quotidie celebretur: *Sicut enim nulla dies excipitur, qua non pro Viventibus, & pro quibuslibet neceſſitatibus Dominum deprecemur; ita nimirum nulla dies excipi debet, quin pro Animabus Fidelium preces Domino in Miſſarum ſolemnibus fundantur.* Et conſonant textus in can. *Iteratur, de Conſecr. diſt. 5. Quia quotidie labimur, quotidie Chriſtus pro nobis myſtice immolatur.* Verum in can. *Sabbatho, de Conſecr. diſt. 3.* hæc habentur: *Ut Traditio Eccleſiæ habeat, iſto biduo Sacramenta penitus non celebrari;* ubi bene advertit Gloſſa, regulam generalem ſupra allatam reſtringi in his diebus.

Non deſunt graves Auctores, qui, Feria ſexta in Paraſceve excepta, cum non conficitur Sacramentum Euchariſtiæ, propter quod eo die *Paſſio Domini recolitur, prout realiter geſta eſt*, ut ait D. Thomas *3. part. qu. 83. art. 2. ad 2.* Miſſas privatas a Sacerdotibus celebrari poſſe arbitrantur, etiam Feria quinta, & Sabbatho, modo ſecreto celebrent, & ſine Populi concurſu, ne puſillis ſcandalum creetur. Quin etiam Bellotte in Commentariis ad Ritus Eccleſiæ Laudunenſis *pag. 801. & ſeq.* fidenter docet, licere Feria quinta in Cœna Domini Sacerdotibus Miſſas celebrare, dummodo eas abſolvant ante Miſſam ſolemnem, cui adeſſe debent; atque itidem iis licere in Sabbatho Sancto Miſſas celebrare, dummodo Conventualis Miſſa ſit abſoluta. Ita Suarez *cit. ſect. 2.* poſt Sotum, alioſque plures. Rupertus Abbas *lib. 6. de Divinis Offic. c. 2.* quærit, quamobrem Sacerdotes Feria ſexta Majoris Hebdomadæ non celebrent, docente Apoſtolo *gloriari nos oportere in Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti;* & reſpondet, eumdem Paulum Apoſtolum dicere: *proprio Filio ſuo Deum non pepercisse*, ſed pro nobis omnibus *illum tradidiſſe*, quapropter in mœroris ſignum Eccleſiam ſtatuiſſe, ne eo die Miſſa celebretur: *Non enim ita gaudere debemus de Gratia tradentis, vel de Charitate morientis, ut non etiam doleamus, quod tanto Domino tormentorum, & mortis cauſa fuimus: ſiquidem non gaudere, ingratitudinis, non dolere autem, crudelitatis eſt.* Excepta Feria ſexta, putat Card. de Lugo de Sacrament. Euchariſt. *diſp. 20. ſect. 1. n. 14.* de Miſſa celebranda Feria quinta, & Sabbatho, nullam eſſe prohibitionem; ſi enim juxta Micrologum *cap. 53.* Miſſæ quondam principio noctis Sabbathi Sancti poterant celebrari, cum ſolemnis Miſſa abſoluta eſſet; nunc cum, anticipato tempore, ſolemnis Miſſa celebretur Sabbatho ab ipſo mane, videtur ſaltem poſt eam licere Miſſas privatas celebrari.

Verum non intelligimus, quid cauſæ eſſe poſſit, cur Decretis non pareamus Sacr. Congregationis Rituum Apoſtolica auctoritate confirmatis, quæ diſertiſſime vetant, ne quis diebus illis tribus privatas Miſſas celebret. Vide Edictum noſtrum 18. *lib. 2.* Meratus quoque legendus *part. 2. tom. 1.* ad Gavantum, qui *pag. 1041.* profert Pontificia Decreta, quæ prohibent, ne quis Miſſas privatas Feria quinta celebret, & ſi contingat, ut Feſtivitas vel Sancti Joſephi, vel Annunciationis B. Mariæ Virginis in illam incidat Feriam, jubent locorum Ordinarios curare, ut eo die quædam privatæ Miſſæ celebrentur ante Miſſam Conventualem, ut præcepto audiendi Miſſam Fideles poſſint ſatisfacere. Idem Auctor *pag. 1186. n. 64.* quædam refert Decreta, quæ vetant, ne quis Sacerdos privatam Miſſam celebret Sabbatho Sancto, etiamſi in eum diem cadat Feſtivitas Annunciationis B. Virginis: *In Sabbatho Sancto, etiamſi occurrat Feſtum Annunciationis B. Mariæ Virginis, celebratio Miſſarum privatarum omnino prohibetur in quibuſcumque Eccleſiis, & Oratoriis, tam publicis, quam privatis, non obſtante quacumque conſuetudine, ſed unica tantum Miſſa Conventualis una cum Officio ejus diei celebretur.* Verba ſunt Reſolutionis Sacræ Rituum Congregationis ſub die 11. Februarii, ab Alexandro VIII. ſub die 11. Martii approbatæ ann. 1690. quam refert idem Meratus *loc. cit. pag. 1404.* Quod autem ad veram attinet diſciplinam non celebrandi Miſſas privatas Feria quinta, Sexta, & Sabbatho Sancto Majoris Hebdomadæ, vide Thierſ. *tom. 1. de ſuperſtit. cap. 5.*

DU-

DUBIUM II.

An liceat ſæpius in die celebrare?

11 De via ordinaria ſemel tantum in die licitum eſſe ſacrificare, & hoc, jure Eccleſiaſtico, docent omnes Doctores, & habetur cap. *Sufficit, de Conſecrat. diſt.* 1. & cap. *Conſuluiſti, de Celebrat. Miſſarum.* Innocentius III. expreſſe docet, non licere, excepto die Nativitatis Dominicæ, & niſi *cauſa neceſſitatis ſuadeat*; idem habetur ea univerſali Eccleſiæ conſuetudine, & ex myſtica repræſentatione Sacrificii cruenti, quod fuit unicum. Ab hac regula generali excipiuntur aliqui caſus particulares, in quibus licitum eſt pluries in die ſacrificare.

12 Primus eſt dies Natalis Domini, in quo licitum eſt cuilibet Sacerdoti tres Miſſas celebrare ex conceſſione Innocentii III. & Teleſphori, relata in cap. *Nocte Sancta, de Conſecrat. diſt.* 1. ad ſignificandam triplicem Nativitatem Chriſti: Divinam, qua ab æterno naſcitur a Patre: Humanam, qua in tempore ex Beata Virgine natus eſt: & Spiritualem, qua quotidie in cordibus humanis naſcitur. Nullus tamen tenetur tres Miſſas celebrare, vel audire, ſed ſufficit, ſi una celebretur, aut audiatur, quia hæc conceſſio privilegium eſt, non præceptum; unde nec Parochus, ſecluſo ſcandalo, aut contemptu, tenetur tres Miſſas celebrare, quia nec Parochiani tenentur eadie tres Miſſas audire. Ita Leander *diſp.* 5. *qu.* 30. Facundez *præcept.* 1. *lib.* 3. *c.* 16. *n.* 2. Diana *part.* 4. *tract.* 4. *reſ.* 236. Marchinus *part.* 2. *cap.* 37. *n.* 3. ubi citat S. Thomam, Sylveſtrum, Navarrum, Naldum, & Bonacinam *diſp.* 4. *qu. ult. punct.* 11. *n.* 10.

13 *Utrum vero licitum ſit poſt celebratam primam Miſſam in media nocte proſequi celebrationem aliarum Miſſarum, & aliis Sacerdotibus tres Miſſas privatas ante auroram celebrare?* Affirmat Leander *diſp.* 5. *qu.* 32. Marchinus *part.* 3. *c.* 7. *n.* 9. Diana pluribus in locis *part.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 35. *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 236. *& part.* 10. *tract.* 12. *reſol.* 57. ubi pro hac affirmativa refert pluſquam triginta Doctores Theologos, & Canoniſtas, quorum aliqui dicunt eſſe communem Sententiam, Averſa *de Euchar. qu.* 11. *sect.* 15. teſtatur de praxi Urbis Romæ ſub oculis Pontificis, & Lugus *de Euchar. diſp.* 20. *ſect.* 1. *n.* 25. aſſerit, de veritate hujus opinionis non poſſe hodie dubitari. Nec ſufficiens ratio poteſt in contrarium adduci; nam in cap. *Nocte Sancta, de Conſecrat. diſt.* 1. non dicitur, quod una tantum Miſſa celebretur, ſed abſolute dicitur: *Nocte Sancta Nativitatis Domini Salvatoris Miſſas celebrent Presbyteri*, & ſic non videtur hoc privilegium limitandum ad unam tantum, maxime quia ſtatim ſubditur, reliquis vero temporibus non eſſe Miſſas ante diem celebrandas; ergo non ſolum una Miſſa illius Feſtivitatis, ſed abſolute tempus illius noctis excipitur, ut in eo poſſint Miſſæ celebrari. Nec obſtat, quod in Rubrica Miſſalis tria tempore diverſo aſſignentur, ſcilicet, ut prima Miſſa dicatur poſt mediam noctem, ſecunda in aurora, tertia vero in plena die, quia hoc valet ſolum de Miſſis ſolemnibus, & Conventualibus, non de Miſſis privatis. Nec enim obſtat, quod in Canone dicatur in prima Miſſa: *Communicantes, & noctem Sacratiſſimam celebrantes*, in aliis vero duabus: *diem Sacratiſſimum celebrantes*, quia, ut ait Suarez, in Divini Officii recitatione verba non referuntur ſemper ad tempus, in quo dicuntur, ſed ad aliud, pro quo repræſentando, & commemorando dicuntur: quare ſi ex illo titulo aliæ Miſſæ non poſſent dici in nocte, nec prima dici poſſet in plena luce diei, quod eſt falſum.

14 Hæc Sententia tanquam communis eſſet ſequenda, niſi in contrarium obſtaret Decretum Sacræ Congregationis Rituum, quæ de hoc caſu interrogata die 20. Aprilis 1641. & die 7. Decembris ejuſdem anni, auditis Procuratoribus, & Advocatis Regularium aſſerentium licere, reſpondit: *Non licere*; & id eſſe prohibitum tam Sacerdotibus celebrare volentibus, quam confluentibus in media nocte ad Eccleſias, & Communionem depoſcentibus. Decreta Sacræ Congregationis per extenſum refert Pignatellus *tom.* 7. *conſult.* 25. prout ſequitur: *Cum ſuperioribus diebus, conſulta hac Sacr. Rit. Congregatione, an eſſet permittendum celebrari in media nocte Nativitatis Domini poſt Miſſam decantatam ſucceſſive alias duas Miſſas, & in eis S. Communionem exhibere Fidelibus, illam depoſcentibus, & reſpondiſſet non eſſe permittendum, ſed omnibus utrumque prohibendum: nihilominus nonnulli Regulares, aſſerentes hoc licere, ſupplicarunt audiri. Et Sacra Congregatio, ipſis auditis cum Procuratoribus, & Advocatis, ad relationem Eminentiſſimi Palleotti ſtetit in Decretis, & reſpondit: iterum prohibendum tam Sacerdotibus celebrare volentibus, quam confluentibus in media nocte ad Eccleſiam, & Communionem depoſcentibus. Die 7. Decembris 1641. quorum Decretorum duplicata expedita fuerunt. Die 9. Auguſti 1653.*

C. Epiſc. Oſtienſ. Card. Medices.

Locus ✠ *Sigilli.*

in Regiſtr. fol. 144.

B. Roccius Sac. Rit. Congr. Secret.

Ruſus eadem Sacra Congregatio *in una Piſauren. die* 20. *Aprilis* 1664. idem prohibuit, tum pro Sacerdotibus, tum pro volentibus communicare. Iterum novo Decreto idem vetuit, *die* 15. *Novembr.* 1678. quare nec pro celebrare volentibus, nec pro Communionem depoſcentibus recedendum eſt a prædictis Decretis, quæ habent vim legis, & obligationem inducunt.

15 Titulo neceſſitatis, qua conceſſit Innocentius III. poſſe Sacerdotem pluries celebrare, ſi ſit jejunus: varii caſus afferri ſolent, qui tamen ob multitudinem Sacerdotum omnes fere in deſuetudinem abierunt. Primus eſt, ſi Parochus habeat duas Eccleſias Parochiales diſtantes, & nullum inveniat, per quem poſſit in altera celebrare; tunc enim ipſe poterit celebrare in utraque, quia ibi datur aperta neceſſitas. Idem valet de alio Sacerdote non Parocho, ubi adeſt magna penuria Sacerdotum, ut in India, Anglia, & quibuſdam Germaniæ locis, in quibus poterit Sacerdos pluries celebrare jejunus; nam & iſte caſus comprehenditur ſub neceſſitate, quem jura excipiunt, Marcinus *cap.* 37. Leander *qu.* 39. Lugus *diſp.* 20. *n.* 46.

16 Secundus, quando neceſſarium eſt celebrare ad dandam Viaticum Infirmo, qui tamen caſus vix poteſt in praxi contingere; nam ſi Sacerdos in prima Miſſa jam ſumpſit purificationem, non poterit celebrare ſecundam non jejunus, etiam ad communicandum Infirmum, quia præceptum celebrandi jejune ſtrictius obligat, neque omitti debet ob hanc proximi utilitatem, ut diximus ſupra *tract. præced. dub.* 4. *c.* 10. Si moneatur Sacerdos ante ſumptionem Hoſtiæ, poteſt, ac debet partem ſuæ Hoſtiæ reſervare pro Communione Infirmi: ſi vero moneatur poſt ſumptionem Hoſtiæ, nondum accepta purificatione, tunc probabile eſt poſſe iterum celebrare ad dandum Viaticum Infirmo, quia illa eſt gravis proximi neceſſitas. Et ita tenet Bonacina *punct.* 7. *n.* 10. Lugus *diſp.* 20. *ſect.* 1. *num.* 44. & alii plures, quos citat, & ſequitur Leander *diſp.* 5. *quæſt.* 34. Vaſquez *diſp.* 232. contra Dianam *part.* 2. *tract.* 14. *reſ.* 56.

17 Tertius caſus eſt, quando Epiſcopus, vel Princeps ſupervenit facta Conſecratione, aut ſumptione, ſed ante acceptam ablutionem, & non eſt alius, qui celebrare poſſit; quo caſu alii affirmant, alii negant poſſe Sacerdotem iterum celebrare, quia nulla datur urgens neceſſitas. *Quid enim refert*, inquit Lugus *num.* 43. *quod Princeps non audiat illa die Sacrum? quod ſi inculpabiliter omiſit, non peccavit; ſi culpabiliter, jam peccatum commiſſum eſt, nec tollitur per auditionem Miſſæ, ſed per pœnitentiam.* At ſi inchoata jam Miſſa, finita Epiſtola, vel Evangelio, ſed ante Offertorium adveniat Epiſcopus, vel Princeps, neque alia Miſſa celebrari poſſit, poſſe iterum ab initio Miſſam in iſto caſu inchoari, docet Gavantus *part.* 3. *tit.* 10. *n.* 17. & cum eo Leander *qu.* 35.

18 Quartus caſus, qui ſolet aſſignari, eſt ob Nuptiarum benedictionem, quando conſuetudo, aut Synodalis Conſtitutio hoc poſtulat. Quintus, ob Mortui ſepulturam, quando cum Miſſa ſepeliendus eſt; ſed hi jam abierunt in deſuetudinem, nec amplius admittuntur. Sextus caſus eſt ob multitudinem Populi ad Feſtivitatem concurrentis, quem Eccleſia nequit capere, nec haberi poteſt alius Sacerdos, nec inclementia Cœli permittit Miſſam celebrari extra Eccleſiam, ut omnes Sacrum audiant; qui caſus difficilis in praxi videtur. Septimus caſus eſt conſuetudo jam legitime introducta, qua ratione in Regno Valentiæ in Hiſpania Sacerdotes Regulares ter, Laici vero bis communiter celebrant in die Commemorationis Defunctorum die ſecunda Novembris, quod Summi Pontificis privilegio adſcribit Leander *qu.* 42. cum Lugo *diſp.* 20. *n.* 43. Antonius a Spiritu Sancto *diſp.* 3. *ſect.* 2.

Pluribus quidem in locis hoc de re diſſerit SS. D. N. Benedictus XIV. in ſuo præſertim Opere de Canonizatione Sanctorum lib. 3. *cap.* 30. *alter tom.* 10. *ſuorum Operum, iidem in alio opere de Feſtis Domini Noſtri Jeſu Chriſti part.* 1. *pag.* 247. *At cum tibi illud potiſſimum, ſtudioſe Lector, promiſerim, me in iis maxime diligentem daturum operam, in quibus extent ſimul cum eruditione Inſtitutiones conjunctæ; ſic tibi ea nunc tantum ſufficiunt, quæ ex ſuo Tractatu de Sacrificio Miſſæ hinc, atque illinc ſparſa, collecta in unum omni adhibita diligentia deſumpſi, ubi omnes tibi proponuntur caſus, in quibus plures eadem die celebrare Miſſas Sacerdotibus licet. Et primum in ipſo Tract. lib.* 3. *cap.* 4. §. 13. *hæc habemus:* Alexander II. in Can. *Sufficit, de Conſecrat. diſt.* 1. interrogatus, num plures eodem die Miſſas liceat Sacerdoti celebrare? reſpondit: *Sufficit Sacerdoti unam Miſſam in die una celebrare, quia Chriſtus ſemel paſſus eſt, & totum Mundum redemit. Non modica res eſt unam Miſſam facere, & valde felix eſt, qui unam digne celebrare poteſt.* In eumdem modum loquitur Honorius III. in cap. *Te referente, de Celebrat. Miſſar.* ex quo illa ſunt: *Cum cuilibet Sacerdoti, quacumque dignitate præfulgeat, unam in die celebrare Miſſam ſufficiat; nam & valde eſt felix, qui celebrat digne unam.* Et Innocentius III. in cap. *Conſuluiſti, de Celebrat. Miſſar. Reſpondemus, quod excepto die Nativitatis Dominicæ, niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat, ſufficit Sacerdoti ſemel in die unam Miſſam ſolummodo celebrare.* Itaque ea ſtatuatur regula, „ exce-

excepto die Nativitatis Domini, & niſi aliter urgeat neceſſitas, non licere Sacerdoti, niſi unam tantum eodem die Miſſam celebrare, dummodo in die Nativitatis Domini in duabus primis Miſſis purificationem non ſumpſerit; aliter enim Sacramentum non jejunus ſuſciperet: *De celebrandis vero Miſſarum ſolemniis nos hanc conſuetudinis regulam in diſciplinatis Eccleſiis & didicimus, & tenemus, ut Calicem differamus in Miſſarum fine perfundere, ſi noſmetipſos eodem die Sacrificium denuo ſperamus offerre*. Verba ſunt S. Petri Damiani *Epiſtol.* 28. *lib.* 5.

Gloſſa Canonica in textum Innocentii III. verbo *Neceſſitatis* ait, poſſe Sacerdotem, qui Miſſam celebraverit, ſecundam etiam Miſſam celebrare, ſi quis Defunctus ſepeliendus eſſet, nec quiſquam eſſet Sacerdos, qui Sacrificium faceret. *Sed quam dicit neceſſitatem? Reſpondeo, ſi celebravit de die, & poſtea etiam moriatur aliquis &c. unde poteſt unam celebrare de die, & aliam pro Defuncto &c.* De hac opinione diſſeruimus Edicto 16. *lib.* 2. circa medium. S. Raymundus *in Summa lib.* 3. *pag.* 471. *Edit. Avenionen.* 1715. quoſdam alios caſus affert in quibus ſecundam Miſſam celebrare licet, cujuſmodi ſunt, ſi iter facientes, aut hoſpites aliter Miſſa careant. Quidam caſum illum ponunt, ſi quis Infirmus peteret Viaticum, & deeſſet Sacramentum, nec quiſquam alius eſſet Sacerdos, qui Sacramentum conficeret. Nonnulli etiam affirmant, poſſe Sacerdotem ſecundam Miſſam celebrare, id ſi peteretur ab aliquo Principe, vel a ſuo Epiſcopo, qui Miſſam non audiſſent, cum audire tenerentur: itidemque ſi Nuptiæ in alium diem rejici non poſſent, nec quiſquam alius eſſet Sacerdos, quam qui antea unam Miſſam celebraſſet. Toletus *in Summa lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 5. *& ſeq.* Caſalius *de Veteribus Sacris Chriſtianorum Ritibus cap.* 9. §. *ante cibum*.

Prudenter obſervat Sotus *in 4. ſentent. diſt.* 13. *quæſt.* 2. *art.* 2. plures ejuſmodi caſus tunc evenire potuiſſe, cum tanta Sacerdotum copia non eſſet; nunc vero non item, cum eorum abundet numerus: *Attamen ex his omnibus antiquis caſibus, qui dum Eccleſia Sacerdotum raritate laborabat, frequentes erant, quibus unus poſſet plures celebrare Miſſas, non eſt jam in uſu præter diem Nativitatis, niſi ille, dum quis propter Parœciarum paupertatem Curam duarum habet*. Itaque concedit Sotus etiam unum Parochum, qui duas habeat Parochias, duas poſſe Miſſas eodem die celebrare; quod intelligendum, ſi in alterutram Parochiam non poſſit Populus convenire, nec alius Sacerdos, quam Parochus ſit, qui Miſſam celebrare poſſit. Huic caſui congruit exemplum S. Leonis III. qui, Walfrido Strabone teſte *cap.* 21. *de Rebus Eccleſiaſt.*, aliquando ſeptem, ut diximus, interdum novem Miſſas celebrabat: nam quidam id ita intelligunt, ut Sanctus Pontifex plures celebraret Miſſas, cum tanta eſſet Populi, qui ad Eccleſiam conveniret, frequentia, ut eodem die opus eſſet ſæpius Miſſam iterare; devotionis enim cauſa S. Pontifex omnia illa voluit facere Sacrificia, nec aliorum uti opera Sacerdotum. Ita Fleury *tom.* 10. *Hiſtor. Eccleſiaſt. pag.* 158. Sed utcumque ſit de ejuſmodi interpretatione, conſentiunt cum Soto communiter alii, Gonzalez in cap. *Conſuluiſti, de celebrat. Miſſar. num.* 2. Pirhing *in lib.* 3. *Decretal. tit.* 41. *n.* 3. Paſqualigus *de Sacrificio Novæ Legis tom.* 1. *quæſt.* 386. Barbola *ad Concil. ſeſſ.* 22. *cap.* 8. *nu.* 27. *de Sacrific. Miſſæ*. Fragoſus *de Regim. Chriſt. Reipub. lib.* 10. *diſp.* 21. §. 7. *num.* 6. *tom.* 2. Belletus *Diſquiſit. Clerical. part.* 2. §. 29. *nu.* 3. Hicoll. *Lucubrat. Jur. tom.* 2. *lib.* 3. *tit.* 41. Pax Jordan. *tom.* 1. *lib.* 4. *tit.* 1. *num.* 79. Card. de Lugo *de Euchariſt. diſp.* 20. *ſect.* 1. *n.* 46.

Eſt quædam inter Auctores quæſtio: an Parochus duas habens Parochias, ſi duas Miſſas celebrare velit, facultatem debeat ab Epiſcopo obtinere? Quidam eam facultatem petunt, ut videre eſt in auctoritatibus ſupra jam allatis; quidam eam non petunt, utpote quæ conceda-tur a jure communi. Quapropter Sylvius 3. *p. quæſt.* 83. *quæſt.* 12. *art.* 2. ita ſcribit: *Caſus autem illi* (quos ſupra indicavimus, & in quibus poterat Sacerdos, juxta quorumdam opinionem, duas Miſſas celebrare) *ſic exoleverunt, ut vix inveniatur alius, in quo, citra ſpecialem Epiſcopi conceſſionem, id liceat, quam is, quando unus habet plures Eccleſias Parochiales, quo caſu poteſt celebrare bis*. Sed hæc componi poſſe videtur controverſia, ſi animadvertamus, ſive ſit neceſſaria Epiſcopi licentia, ſive non, id certe neceſſarium eſſe, ut ille eam cognoſcat, ac perſpiciat, num revera neceſſitas urgeat, ut Sacerdos duas Eccleſias Parochiales habens, duas Miſſas cogatur celebrare: nonnunquam enim accidit, ut cum non alium eſſe Sacerdotem exiſtimaretur, qui in alterutra Parochia celebraret, tamen repertus ſit. S. Turribius Archiepiſcopus Limanus in ſua Diœceſana Synodo anno 1592. *cap.* 3. *in tom.* 4. *Concil. Hiſpan.* apud Cardinalem Aguirre *pag.* 687. ita ſtatuit: *Licentiam concedimus omnibus Indorum, Hiſpanorumque Parochis noſtri Diſtrictus, ut diebus Dominicis, & Feſtivis de præcepto ſervandis, poſſint celebrare duas Miſſas in duabus Eccleſiis, tam inter ſe diſtantibus, ut qui in loco unius Eccleſiæ aſſiſtunt, non poſſint commode accedere ad audiendam Miſſam in altera; cum autem habuerint alium Sacerdotem, qui poſſit celebrare in altera dictarum Eccleſiarum, non poterit Parochus celebrare in utraque, ſed unam tantam Miſſam in una, quandoquidem alter Sacerdos poſſit ſatisfacere neceſſitati alterius Populi. Nec item poterit idem Parochus celebrare duas Miſſas in eodem Oppido, quamvis non ſit alius Sacerdos, qui dicat ſecundam in eodem*; quod etiam confirmavit in VIII. Synodo ad Diœceſ. anno 1594. habita, *cap.* 38. *in eadem collect. Card. de Aguirre tom.* 4. *pag.* 705.

Ut autem ad alios redeamus caſus, in quibus veteres Theologi putabant, poſſe Sacerdotem plures eodem die Miſſas celebrare, quilibet poteſt intelligere, eos nullo modo contineri ſub neceſſitatis voce, quam diſerte exprimit Innocentius III. in allata Decretali. Ejuſmodi eſt caſus hoſpitum, & eorum, qui iter faciunt, atque itidem ille de Principe, aut Epiſcopo, qui die Feſto Miſſam non audierint, nec alius quiſquam Sacerdos ſit, qui poſſit Miſſam celebrare. *Quod enim inconveniens eſt, ſi Epiſcopus, vel alia Perſona nobilis, Miſſam non audiat, quia nullus adeſt Sacerdos, qui jure poſſit illam dicere?* ait Suarez *in* 3. *part. D. Thomæ tom.* 3. *quæſt.* 73 *art.* 2. *diſp.* 80. *ſect.* 3. Ejuſmodi eſt etiam caſus de Nuptiis, quæ differri non poſſint: nam quid incommodi inde ſequeretur, ſi cum Nuptiæ differri non poſſint, Matrimonium condicta die celebraretur; cumque non eſſet, qui Miſſam celebraret, die proxime ſequenti Sacrificium fieret, & Nuptiæ benedicerentur? *Adde parum referre, quod differatur in diem ſequentem benedictio*: ſunt verba Card. de Lugo *loc. cit. n.* 47. Quod vero attinet ad caſum, quo moribundus Viaticum petit, neque Sacramenti copia eſt, nec Sacerdos ullus Sacramentum poteſt conficere, niſi qui jam Miſſam celebravit, ſi quis rem bene conſideret, facile intelligat, non eſſe veriſimile, poſſe id uſuvenire: nam, aut Sacerdos, qui de moribundo Viaticum petente certior fit, jam Sacramentum ſumpſit, & ablutionem, & tunc non poteſt amplius ſecundam celebrare Miſſam, quod non ſit jejunus, nec poſſit propterea particulam ad Infirmum deferendam conſecrare; aut de eo certior fit antequam Euchariſtiam perceperit, & tunc non eſt opus ſecundam celebrare Miſſam, ſed ſatis eſt particulam abruptam ex Hoſtia ſervare, & ad Infirmum deferre. Itaque, ut revera neceſſarium ſit alteram Miſſam celebrare, oportet, notitiam ad Sacerdotem pervenire inter pauca illa temporis momenta, quæ inter Communionem, & ablutionem interjiciuntur; quod ſatis eſt, ut intelligamus caſum fere eſſe impoſſibilem. Ita nonnulli hac de re diſputant. Sed tamen, ut verum fateamur, caſus non eſt metaphyſicus; poteſt enim accidere, ut Sacerdos ſummo mane Miſſam celebraverit, nulla ſit Sacramenti particula, urgeat neceſſitas circa meridiem miniſtrandi Viaticum, nec ſit Sacerdos, qui Miſſam celebrare poſſit; quo caſu qui jam celebravit, cum jam jejunus non ſit, ei non licet rurſus celebrare; nullus enim, qui non ſit jejunus, poteſt Miſſam, ut infra videbimus, celebrare, etiam ut Viaticum moribundo miniſtret. In Concilio Mediolanenſi I. facultates omnes abolitæ ſunt, quas dederant Epiſcopi plures Miſſas uno, eodemque die celebrandi. Et in Concilio Mediolanenſi V. nullius roboris eſſe declarantur cauſæ celebrandi uno, eodemque die plures Miſſas, quas cauſas jam memoravimus, idque obſervavit etiam Grancolas *in veteri Sacramentario Eccleſiæ part.* 1. *pag.* 638.

Itaque concludendum, caſum, qui revera contingit, eum eſſe, cum Parochus duas habet Parochias, de quo ſupra ſumus loquuti; neque tamen quidquam præjudicatum volumus de aliis caſibus, qui accidunt in Miſſionibus, quibus conſultum eſt, concedendo Miſſionariis facultatem plures celebrandi Miſſas eodem die, ut videre eſt apud Verricellium *de Apoſtolicis Miſſionibus lib.* 4. *q.* 48. *dub.* 19. itemque de aliis caſibus, in quibus, vel ob locorum diſtantiam, vel ob paucitatem Sacerdotum, aut Hæreticorum, aut Infidelium perſecutionem, ne Fideles Miſſa careant, opus eſt a Sacerdotibus duas Miſſas celebrari. In Concilio Nemauſenſi habito anno 1284. ſub Martino IV. *in Collect. Labbeana tom.* 11. *p.* 1. *pag.* 1213. hæc habentur: *Si omnes Parochiani ad unam Miſſam ſimul non poſſint convenire, eo quod in diverſis locis habitant diſtantibus ab Eccleſia, & remotis, ſicut eſt in montanis, nec ſunt in Eccleſia duo Sacerdotes, & dicta prima Miſſa, poſtmodum Parochiani venientes poſtulent Miſſam aliam ſibi dici, poterit tunc Sacerdos Miſſam aliam celebrare. Tamen ſi in prima Miſſa poſt receptionem Corporis Chriſti, & Sanguinis profuſionem acceperit, non debet ſecundam Miſſam in prædictis caſibus celebrare*. De celebratione plurium in eodem die Miſſarum eruditiſſime duo ætatis noſtræ Auctores ſcripſere, Sambovius *tom.* 3. *Reſol. Caſuum Conſcientiæ caſu* 8., & Pontas *Dictionar. Caſuum Conſcientiæ verbo* Miſſa *caſu* 15. Eſt apud Fagnanum in cap. *In Ordinando, de Simonia n.* 37. reſolutio quædam Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, qua regulæ præſcribuntur ab Epiſcopis ſervandæ in concedenda facultate alicui Sacerdoti plures eodem die Miſſas celebrandi,

vel

Digitized by Google

„ vel ob locorum naturam, vel ob Sacerdotum paucita-
„ tem, vel ob Infidelium perſecutionem, ut paulo ante
„ dictum eſt. In Concilio Burdigalenſi habito anno 1583.
„ *cap.* 5. hæc habentur: *Ne bujuſmodi facultatem Epiſcopi*
„ *largiantur, niſi Sacerdoti ſpectatæ probitatis, idque gra-*
„ *viſſimis de cauſis, quæ facultas brevi etiam tempore cir-*
„ *cumſcribatur, nec ad plures dies, quam ad Dominicos,*
„ *& Feſtos, in diverſis tantum Eccleſiis, protrabatur.*
„ Conſonant verba Sacræ Congregationis Epiſcoporum in
„ citata Reſolutione; *Nec concedi poteſt hæc licentia ab*
„ *Epiſcopo generaliter, quaſi privilegium alicujus Sacerdo-*
„ *tis, ſed tantum in aliquo caſu particulari, neceſſitatis*
„ *cauſa ab Epiſcopo examinanda.*

„ Denique Sylvius 3. *part. q.* 83 *quæſit.* 18. prudenter mo-
„ net, Parocho, qui in iis, quas indicavimus, circumſtan-
„ tiis, duas Miſſas poteſt celebrare, alteram in una, in
„ alia Parochia alteram, non licere Feriæ ſextæ Officium
„ Majoris Hebdomadæ mane facere in una Eccleſia, il-
„ ludque iterare in altera; nam ſumenda illi eſt eo die
„ particula Hoſtiæ conſecratæ una cum vino non conſe-
„ crato; ideoque ei non licet, cum non ſit jejunus, alte-
„ ram Miſſam celebrare, & ſi ſumeret ſpeciem Panis ſine
„ Calice, & Vino, ſane id eſſet novum, & a regula alie-
„ num, cum præſertim nullo Fideles præcepto urgeantur,
„ ut Officio ejus diei interſint: *Feria tamen ſexta Para-*
„ *ſceves non poteſt niſi ſemel Officium facere, quia pars*
„ *Hoſtiæ conſecratæ ſumi debet cum vino, & ſic deſinit*
„ *eſſe jejunus. Neque putandum eſt, quod in priori Eccle-*
„ *ſia poſſit ſumere ſpeciem Panis abſque Calice, & Vino,*
„ *ut in poſteriori denuo peragat Officium, quia nulla eſt*
„ *neceſſitas iterandi iſtius diei Officii, cum ad illud au-*
„ *diendum Fideles non obligentur præcepto Eccleſiaſtico.*
„ *Deinde talis praxis non eſt a Romano Pontifice unquam*
„ *probata, vel recepta. Deinde prorſus inſolens videtur,*
„ *ut Officium ad Altare totum peragatur ſine Calice, quod*
„ *hic contingeret; nam in priori Eccleſia Calix aut non eſ-*
„ *ſet, aut foret ſuperfluus.* Idem Sylvius *tom.* 5. *Operum*
„ *ſuorum, editionis Antuerpienſis* in prima ſua Oratione,
„ quæ ſola eſt *de Officio Paraſceves*, materiam hanc re-
„ tractat, & quæ loco paulo ante citato docuerat, ulte-
„ riori doctrina confirmat, atque iterum ait, Parochum,
„ qui ſimul cum Vino ſumat Hoſtiam die, qui præceſſit,
„ conſecratam, non eſſe jejunum: *Sacramentum enim Eu-*
„ *chariſtiæ nonniſi a jejunis ſumendum eſt: qui vero Calicem,*
„ *ſeu vinum Calici infuſum, tametſi ſpeciem Corporis Domi-*
„ *ni contingens, ſumpſit, non eſt jejunus: ergo non poteſt, ſive*
„ *eodem, ſive diverſo in loco, Sacramentum Corporis Do-*
„ *mini ſumere; ideoque nec Officium, in quo Sacramentum*
„ *illud ſumendum eſt, peragere.* Quod ſi prætermittat Sa-
„ cerdos vinum ſumere, ſumatque tantummodo ſpeciem
„ panis, quando in prima Parochia Officium celebrat, quo
„ ſibi liceat jejuno idem Officium in alia Parochia pera-
„ gere, Eccleſiaſtico ritui adverſatur, quem & Ordo Ro-
„ manus, & Sacramentarium Sancti Gregorii præſcribunt,
„ & adhibet univerſalis Eccleſia, idque nulla urgente ne-
„ ceſſitate; populus enim nullo tenetur præcepto audiendi
„ eo die Officium, & Sancta Tridentina Synodus jubet,
„ eos ritus, & cæremonias in Miſſa a Sacerdotibus tan-
„ tummodo adhiberi, quas adhiberi jubet Eccleſia, ac fre-
„ quenti, & laudabili uſu commendavit. Suarez *loco cita-*
„ *to* cum Sylvio plane conſentit, ſed illud addit: quod ſi
„ per incogitantiam Parochus in utraque Parochiali Eccle-
„ ſia Sacramentum in Sepulcro condidiſſet, poſſet in eo
„ caſu in priori Miſſa a vino abſtinere, ſolamque Hoſtiam
„ ſumere, ut ſecundum Officium in altera Eccleſia cele-
„ braret. Quod tamen nos minime intelligere poſſumus;
„ nam illud perdifficile nobis videtur, Parochum ita eſſe
„ incogitantem, ut in priori Miſſa, vel Officio, Eccleſia-
„ ſticum Ritum non obſervet: quamobrem conſultius eo
„ in caſu putaremus, ut in altera Eccleſia Officium omit-
„ teret, & Sacramentum reconderet in Tabernaculo.

„ In Orientali Eccleſia nullum reperire licuit monumen-
„ tum, quo appareat Sacerdotem uno, eodemque die,
„ plures Miſſas celebraſſe; quinimmo regulam apud Orien-
„ tales eſſe novimus, ne quiſquam eodem die Sacerdos
„ Miſſam celebret ad Altare, in quo alius antea celebra-
„ verit, dummodo non aliter gravis quædam neceſſitas
„ fieri poſtulet: *Quæris, an pluries in die ſuper idem Al-*
„ *tare, ut Latinis mos eſt, Miſſa celebretur. Reſpondeo, ſe-*
„ *mel tantum Miſſam celebrari in die ſuper idem Altare, ni-*
„ *ſi vel adſit, urgeatque neceſſitas aliqua, vel id Epiſcopi*
„ *obtineatur auctoritate.* Verba ſunt celebris Maronitæ
„ Ekellenſis in Epiſtola ad Morinum ſcripta anno 1654.
„ De rebus Melchitarum, juſſu Summi Pontificis, ſingula-
„ ris quædam habita fuit Congregatio anno 1729., in
„ qua, inſtante Cyrillo quodam Patriarcha, propoſita fuit
„ quæſtio: *an ad idem Altare plures eodem die Miſſas ce-*
„ *lebrare liceret?* cumque ea Congregatio cognoviſſet, re-
„ ſcriptum antea fuiſse anno 1716. id non eſse permit-
„ tendum; etiamſi nonnemo falſa de cauſa putaret, ideo
„ non licere, quod Altare, Calix, Planeta, cæteraque ſa-
„ cra Indumenta ad primam Miſsam adhibita, ſi ad ſe-
„ cundam adhiberentur, rumpant jejunium; cenſuit unam
„ tantum Miſsam ad idem Altare eodem die celebran-

dam; Epiſcoporum vero eſse omnem curam adhibere, „
ut vel in Templis plura eſsent Altaria, vel Sacerdotes, „
juxta morem, quem alibi memoravimus, concelebrarent, „
& interim ex animis hominum errorem evellere nite- „
rentur, rumpi jejunium per ſecundam Miſsæ ad idem „
Altare celebrationem; atque idem ſemper Sedes Apoſto- „
lica cenſuit, non modo anno 1729., ſed etiam in eo- „
dem ſenſu temporibus, quæ conſequuta ſunt, conſtan- „
tiſſima fuit. „

Poſtquam de celebratione duarum Miſsarum hæc ſcrip- „
ſimus, forte fortuna incidimus in tertium Tomum Theo- „
logiæ Moralis Regularium Thomæ Franciſci Roveri Cle- „
rici Regularis Barnabitæ, & *lib.* 1. *ejus tomi cap.* 2. „
puncto 1. hoc argumentum deprehendimus abunde diſcuſ- „
ſum, magnaque animi voluptate comperimus, quæ ab „
eo ſunt ſcripta de hac re, cum noſtra ſententia omni- „
no congruere; quod hic declarare voluimus, tum quod „
egregium Virum, & de Congregatione ſua, quam Præ- „
poſitus Generalis ſapientiſſime gubernavit, optime me- „
ritum, & in litteraria Republica tot editis Operibus cla- „
rum magni ſemper fecimus; tum quod in Bononienſi „
Diœceſi Metropolitanæ Eccleſiæ Penitentiarius multos „
ſane labores plurium annorum ſpatio pertulit, tum et- „
iam quod, licet provectiore jam ætate, pluribuſque cu- „
ris ad ejuſdem Eccleſiæ bonum diſtentus, Opus hoc no- „
ſtrum non gravatus ſit recognoſcere, & emendare. „

Et in lib. 3. *cap.* 22. *ſicuti & in Notific.* 16. *Tom.* 2. „
hæc leguntur: In Rituali Romano, cum de Exequiis agi- „
tur, hæc leguntur: *Quod antiquiſſimi eſt inſtituti, illud,* „
quantum fieri poterit, retineatur, ut Miſſa, præſente cor- „
pore defuncti, pro eo celebretur, antequam ſepulturæ tra- „
datur. Merito quidem vetuſtiſſimus hic ritus nuncupa- „
tur, cum in Codice Abbatis Ratoldi, ubi ſepulturæ of- „
ficium deſcribitur, hæc habeantur: *In Eccleſia autem* „
requieſcet corpus defuncti, quouſque pro ejus anima Miſ- „
ſa canatur, & offeratur ab omnibus, quibus fuerit vi- „
ſum. Idem Codex Sæculo X exaratus fuit, quem Hugo „
Menardus adducit in Commentariis, quibus Sancti Gre- „
gorii Sacramentarium illuſtravit, *lib. editionis Pariſienſis* „
anno 1642. *pag.* 363. Is vero Ritus tanti a pluribus æſti- „
matur, ut, poſt Decretum Innocentii III., cap. *Conſu-* „
luiſti, de celebrat. Miſſarum, in quo ſtatuitur: *Excepto* „
die Nativitatis Dominicæ, niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat, „
ſufficit Sacerdoti ſemel in die unam Miſſam ſolummodo „
celebrare. Interpretes illud verbum *neceſſitatis* explican- „
tes; ita declaraverunt: *Sed quam dicit neceſſitatem?* „
Reſpondeo, ſi celebravit de die, & poſtea etiam moria- „
tur aliquis &c. Unde unam poteſt celebrare de die, & „
aliam pro defuncto. Huic vero opinioni certos limites, „
modumque imponendum alii cenſuerunt, quemadmodum „
auctoritate Benedicti XIII. de nobis optime meriti *ſerm.* „
6. *ſecundi trigeſimi de Purgatorio* deprehendimus: *Obſole-* „
tam quidem (inquit) *hanc opinionem exiſtimo, habita* „
tamen ratione, ſi Cadaver die Feſto ſepulturæ tradendum „
ſit in aliqua Parochia, quæ per unicum Sacerdotem ad- „
miniſtretur: tunc enim Canone Ductus *Innocentii III., &* „
illis præſertim verbis, niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat, „
audacter ſentio, duo Sacrificia per Sacerdotem celebran- „
da, unum nempe de Feſto ejuſdem diei, alterum vero „
pro Defunctis, pro expiatione præſentis Defuncti, cum „
præſertim in mea Diœceſi in uſum converterim ritum ve- „
tuſtiſſimum, ne Cadaver ullum ſine Miſſæ Sacrificio tu- „
mulo mandetur. „

Tandem ut omnibus pateat, quanam potiſſimum de „
cauſa Miſſarum pluralitas fuerit in Eccleſia nunc prorſus „
ſublata, hunc in Appendice IV. ad lib. 3. *ſermonem mi-* „
rificis ſic inſtituit documentis: Perſpectum eſt omnibus „
in Eccleſiaſtica Hiſtoria paulum modo verſatis, plures „
olim fuiſse dies polyliturgicos, quibus nimirum ſinguli „
Sacerdotes plus quam ſemel Miſſarum Sacrificia perage- „
bant, ut erat, præter Natalem Domini, prima die Men- „
ſis Januarii, Feria V. in Cœna Domini; Vigilia Aſcen- „
ſionis, tres dies jejunii infra Octavam Pentecoſtes, alii- „
que dies Feſti nonnullorum Sanctorum memoriæ dicati, „
ut Nativitas S. Joannis Baptiſtæ, & Natalitium SS. Apo- „
ſtolorum Petri, & Pauli, de quibus Nos ipſi monumen- „
ta protulimus in Opere *de Feſtis D. N. Jeſu Chriſti p.* „
1. *pag.* 247. „

Ut autem hujuſmodi conſuetudo generaliter tollere- „
tur, & facultas celebrandi plures Miſsas uno die, ad „
ſolum diem Natalis Domini coarctaretur, non alia de „
cauſa factum eſt, quam ut avaritiæ, & ſordidis quæſti- „
bus adimeretur occaſio, vel ſaltem oblocutionibus ſilen- „
tium imponeretur; quæ ſcilicet ex eleemoſynis pro Miſ- „
ſarum numero multiplicatis, aut ortum habuerant, aut „
oriri poſse videbantur. Hunc eſse proprium ſenſum Ca- „
nonis *Sufficit, de Conſecrat. diſt.* 1. jam demonſtratum „
per Nos eſt in litteris ad Ven. Fratrem Epiſcopum Oſ- „
cenſem datis *ſ. Excepta, & ſeqq.* Ideo autem ſcripta „
noſtra in hoc Decreto frequenter in medium protulimus, „
ne quæ jam alibi a Nobis dicta ſunt, hic denuo expli- „
care, & quæ alibi demonſtravimus, iterum rationibus „
comprobare cogeremur. Id vero, quod ſupra poſuimus, „
a duobus præterea Scriptoribus, in Eccleſiaſticis rebus „

„ appri-

„ apprime verſatis, aſſeritur. Eorum alrer eſt Thomaſſinus
„ in Opere *de veteri, & nova Eccleſiæ diſciplina par.* 3.
„ *lib.* 1. *cap.* 74. *num.* 6., ubi poſt allatam Conſtitutio-
„ nem Odonis Epiſcopi Pariſienſis, videlicet: *Nullus bis*
„ *in die Miſſam audeat celebrare, aut cum duplici Introi-*
„ *tu, niſi in magna neceſſitate*, hæc ſubdit: *Cum pecunia*
„ *tunc ut plurimum, ad Miſſam offerretur, hinc avaritiæ*
„ *ſpecies, vel ſuſpicio quædam iterationi Miſſarum affrica-*
„ *batur*. Alter eſt Vicecomes in Tractatu *de antiquis Miſ-*
„ *ſæ Ritibus lib.* 3. *cap.* 28. *circa finem*, ubi, poſtquam
„ antiquam expoſuit diſciplinam, qua permittebatur Sacer-
„ doti plures Miſſas in die celebrare, de ipſius diſciplinæ
„ mutatione deinde ſic ait: *Abrogationis autem cauſam quan-*
„ *tum equidem divinare poſſum, dedere nundinatores qui-*
„ *dam, qui majoris pietatis materiam ad turpe lucrum*
„ *detorquere non ſunt veriti, & fecerunt, ut libertas priſ-*
„ *ca ſaltem hiſce Regionibus erepta ſit, ac deſierit.*
„ *Plura adhuc alia legenda remanent in litteris jam ci-*
„ *tatis, & ad Epiſcopum Oſcenſem datis ſub die 16. Mar-*
„ *tii 1746.; at cum hæc ſint in forma Bullæ, in fine hu-*
„ *jus Voluminis inter reliquas Bullas apponentur*.

DUBIUM III.

Quanam hora ſit licitum celebrare.

19 CONveniunt Doctores, Miſſam non poſſe, regulariter loquendo, licite celebrari ante auroram, vel poſt meridiem: quare tempus legitimum celebrandi eſt ab aurora ad meridiem, ut præſcribitur a Pio V. in regulis Miſſalis, & probatur ex univerſali Eccleſiæ conſuetudine ubique recepta, maxime in Italia; nam in Gallia, Germania, & Belgio, uſus obtinuit, ut tribus, vel quatuor horis ante Solis ortum, Miſſæ paſſim, hyemis tempore, celebrentur, ut ſcilicet in illis Regionibus Septemtrionalibus, quibus hyeme Sol valde ſero oritur, famuli, & operarii Miſſam audire poſſint, antequam ad opus ſe accingant, ut teſtatur Navarrus *cap.* 25. *num.* 75. Coninchus *quæſt.* 83. *art.* 2. *dub.* 4. Layman *cap.* 4. *nu.* 3. *tract.* 5. Leander *diſp.* 6. *quæſt.* 2.

20 Nomine auroræ intelligitur initium crepuſculi, ſeu prima Solis irradiatio, prima aeris illuminatio, & lucis initium, antequam Solare Corpus in noſtro horizonte appareat, ut cum Divo Thoma 3. *part. quæſt.* 83. *artic.* 2. *ad* 4. notat Marchinus: quanto autem tempore aurora præcedat ortum Solis, variant Doctores apud Dianam *p.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 33. Nec poteſt aſſignari certa regula pro omni loco, & tempore; nam pro diverſitate elevationis Poli, aſcenſionum obliquarum Solis, pro varietate ſignorum brevium, ſeu longorum, quæ per temporum vices variantur, plus, minuſve ſolet aurora præcedere Solis ortum. Eſcobar *tom.* 3. *lib.* 21. *ſect.* 1. *cap.* 5. *num.* 77. apud Tonellium in Sacro Enchiridio *cap.* 2. *num.* 6. aſſerit, auroram præcedere Solis ortum per horam, & quadrantem, circa Æquinoctia, per duas horas, & quadrantem, circa Solſtitia, & circa media tempora plus, minuſve, prout magis accedunt ad hunc, vel illum terminum.

21 At quia auroræ tempus in ordine ad celebrationem Miſſæ non conſiſtit in indiviſibili, ſeu non ſumitur mathematice cum præciſione, ſed moraliter, intelligunt Doctores ſatis communiter, nomine auroræ horam cum dimidia ante ortum Solis in noſtro hemiſpherio, ſeu horam cum dimidia, plus, minuſve, antequam ipſum Corpus Solare noſtris oculis appareat, ut docet Tamburinus *lib.* 1. *cap.* 6. §. 4. Franc. a Jeſu Maria *tract.* 5. *cap.* 4. *n.* 33. & apud eum Dicaſtillus *diſp.* 4. *dub.* 4. *num.* 54. item Suarez, Bonacina, Rodriquez, quos citat, & ſequitur Paulaus *diſp. unic. punct.* 7. quare poterunt omnes Sacerdotes celebrare per horam cum dimidia ante Solis ortum; adduntque alii, poſſe tale tempus anteverti, & inchoari Miſſa fere duabus horis ante Solis ortum, ut finiatur, quando incipit prima irradiatio, ut cum aliis docet Diana *part.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 33. Suarez, Lugus, Rodriquez, Navarrus, Coninch, Facundez, Layman, quos ſequitur Leander *q.* 2., ex quo infert Suarez cum aliis, Regulares, quibus conceſſum eſt privilegium celebrandi una hora ante auroram, poſſe Miſſam inchoare ex licentia Prælati, itineris, vel alterius impedimenti cauſa, tribus fere horis ante ortum Solis abſque alio privilegio. Ita etiam tenet Leander *qu.* 3. & Diana *part.* 10. *tract.* 12. *reſol.* 26.

22 Excipitur ab hac regula dies Natalis Domini, in qua, ut vidimus, licet celebrare poſt mediam noctem. Excipitur ſecundo caſus neceſſitatis, quando neceſſarium eſſet celebrare ad dandum Viaticum Infirmo morti proximo; nam tunc licitum eſt celebrare non ſolum ſummo mane per duas horas cum dimidia, aut per tres horas ante Solis ortum, ut cum Navarro, Henriquez, Azorio, & aliis, tenet Antonius a Spiritu Sancto *diſput.* 3. *ſect.* 4. ſed etiam ſi neceſſitas urgeat, ſtatim poſt mediam noctem; tunc enim conſuetudini celebrandi ſolum in aurora prævalet ſalus Infirmi, & obligatio ſumendi Viaticum. Ita Vaſquez, Layman, Victoria, Gabriel, & alii, quos refert, ac ſequitur Leander *diſp.* 6. *quæſt.* 5. Diana *tract.* 14. *cit. reſol.* 33. Lugus *diſp.* 20. *num.* 26. Excipitur tertio Epiſcopus iter habens, qui ex privilegio poteſt celebrare, vel facere celebrare ante auroram, quod idem valet etiam de Cardinalibus, etiamſi non iter agant, ut notat Marchinus: non eſt tamen id extendendum ad ſimplices Sacerdotes, poſſe ante auroram celebrare, ut commode, & celeriter iter agant, ut minus recte conceſſit Henriquez; nam privilegium Epiſcoporum non extenditur ad ſimplices Sacerdotes, cum hoc illis concedatur ob prerogativam dignitatis, ut cum Marchino habet Leander *quæſt.* 7.

23 Poſt meridiem non licet Sacerdotibus, regulariter loquendo, celebrare, ut conſtat ex univerſali Eccleſiæ conſuetudine, a Pio V. & Clemente VIII. approbata in Rubricis Miſſalis, quod etiam habetur in Concilio Toletano anno 1583. *art.* 3. *cap.* 42. ubi dicitur: *Nullus ante auroram, vel poſt meridiem celebret*. Quanto autem tempore poſſit differri, vel etiam inchoari Miſſa poſt meridiem, abſque peccato gravi, non ſatis conſtat. Navarrus *c.* 25. *num.* 87. putat, Miſſam, abſque ullo privilegio celebrari poſſe uſque ad horam nonam, hoc eſt, uſque ad tres horas poſt meridiem; verum hæc ſententia eſt contra communem Doctorum ſenſum, & ab omnibus reprobatur. Alii contrahunt ad tertiam partem horæ, ultra quam erit peccatum mortale differre Miſſæ celebrationem; ſic Azorius *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 25. *quæſt.* 6. Alii extendunt ad ſemihoram: ſic Henriquez, & Facundez, quos ſequitur Marchinus *ſupra num.* 14. Alii ad tres fere quadrantes: ſic Bonacina *quæſt. ult. punct.* 9. *num.* 6. Communior, & probabilior Sententia eſt, poſſe incipi Miſſam una hora integra poſt meridiem, quia hic eſt uſus, & praxis communis Clericorum, ut fatetur Leander *diſp.* 6. *q.* 11. Sic etiam tenent Diana *p.* 2. *tract.* 14. *reſolut.* 34. & *part.* 10. *tract.* 12. *reſol.* 22. Franciſcus a Jeſu M. *cap.* 4. *num.* 34., & apud ipſum Palaus *punct.* 7. *num.* 14. Sylvius *quæſt.* 83. *art.* 2. nec diſſentit Bonacina *loco citato*.

24 Excipiuntur tamen aliqui caſus, in quibus licitum eſt poſt meridiem celebrationem differre, quos refert Marchinus *part.* 3. *cap.* 7. *num.* 13. Primus eſt in Funere Regis, vel Ducis, in quo, incœpto Officio Funebre ante meridiem, poteſt Miſſa inchoari poſt horam nonam, ſi tanto tempore Officium durat, quia Miſſa eſt finis Officii jam inchoati. Ita Facundez *præcept.* 1. *lib.* 3. *cap.* 17. cum Vaſquio, & Suario, quos ſequitur Antonius a Spiritu Sancto *ſect.* 4. *num.* 85. Idem dicendum eſt, quando Epiſcopus habet Sacram Ordinationem, quæ inchoata ante meridiem protrahi poterit quouſque neceſſe eſt & Miſſa celebrari etiam poſt nonam. Idem in Sabbato Sancto propter prolixitatem Rituum Eccleſiaſticorum, & Benedictionem Fontis Baptiſmalis, poterit Miſſa protrahi longe poſt meridiem, ut docent citati Doctores, cum Navarro, & Leandro *quæſt.* 13.

25 Secundus eſt in Feſto ſolemni, ſi Miſſa ſolemnis, & Concio protrahatur poſt meridiem; tunc enim, durante Miſſa ſolemni, & etiam paulo poſt, poterunt inchoari Miſſæ privatæ, quia totum illud tempus eo caſu cenſetur legitimum, & uſus obtinuit, ut poſtea aliquæ Miſſæ privatæ dicantur, ne plures careant auditione ſacri. Ita Layman, Palaus, Rodriquez, Ledeſma, & Suarez, quos relatos ſequitur Franciſcus a Jeſu M. *cap.* 4. *num.* 35. Tertius eſt ob neceſſitatem comunicandi Infirmum morti proximum. Quartus, cauſa itineris, ſi occurrat neceſſitas celebrandi in die Feſto poſt meridiem, dummodo horæ ſpatium non excedatur ſecundum Suarez, & tenent Henriquez, Rodriquez, Miranda, Layman, quos adducit Palaus *ſupra num.* 6. Tamburinus *lib.* 1. *cap.* 6. §. 4. *num.* 23. idemque licere cum ſimili cauſa die non feſto, tenet Paſqualigus *quæſt.* 419. *num.* 5.

Suis hic quoque, de more, eruditiſſimis certe funda- „
mentis hæc eadem confirmatur cum communi Doctorum „
omnium Sententia in Notific. 13. *lib.* 1. *ubi etiam, ne* „
in dubium præterea verſari quis poſſit, quibuſnam potiſ- „
ſimum terminis Auroræ, Meridiei, aut Veſperæ tem- „
pus circumſcribatur Tabula quædam obſervanda proponi- „
tur, quæ Auroræ, & Meridiei tempora per univerſam „
Italiæ Eccleſiam moderatur, quæ omnia tibi hic, iiſdem „
quibus ſe habet terminis, proponere haud inutile credam. „
Sic autem legitur: Cognoſcenda omnino ſunt Auroræ, „
Meridiei, Mediæque noctis tempora, ut Eccleſiæ præ- „
ceptis, qua fas eſt, diligentia pareamus. „
Primum quidem neceſſarium eſt, cum Miſſæ Sacrifi- „
cium ante Auroram, *ut in Rubrica Miſſalis: quacumque* „
hora ab Aurora, celebrari nequeat, niſi forte exiguum „
tempus interceſſerit, uti inferius dicetur, vel aliquis ab „
hoc præcepto Sedis Apoſtolicæ auctoritate, ac privilegio „
liberetur, quo tamen cautiſſime uti debet, ſicut a Pau- „
lo III. Pontifice *in Bull.* 22. *tom.* 1. §. 25. conſtituitur: „
Quoque Indulto celebrandi, ſeu celebrare faciendi ante „
diem, parce utantur, quia, cum in Altaris miniſterio „
immoletur Dominus Noſter Jeſus Chriſtus Dei Filius, qui „
candor eſt lucis æternæ, congruit, hoc non in noctis te- „
nebris fieri, ſed in luce. In pervigilio etiam Natalis „
Domini ex communi Eccleſiæ conſuetudine, ante me- „
diam noctem Sacrum non peragitur, uti Paſqualigus *de* „
Sacrificio Novæ Legis tom. 1. *quæſt.* 405. advertit; & „
„ San-

„ Sanctiſſimus Pontifex Pius V. *in Bull.* 4. *tom.* 2. univerſa, licet vetuſtiſſima, privilegia penitus abrogavit, ob quæ nonnulli ante mediam noctem eo celebritatis tempore Sacrum faciebant.

„ Inſuper Meridiei cognitio prorſus requiritur, cum ex Tridentina Synodo *Decret. de obſervandis, & evitandis in celebr. Miſſæ* Sacerdotibus certum, debitumque tempus ad Miſſam celebrandam præſcribatur; illud vero in Rubrica, quam ſuperius diximus, ita explicatur: *Miſſa privata ſaltem poſt Matutinum, & Laudes, quacumque hora ab Aurora, uſque ad meridiem dici poteſt.* Clemens XI. in conventu pluſimorum Cardinalium, ac Præſulum hanc rem ſedulo examinandam mandavit; & licet ipſis tertia pars horæ ante Auroram, & poſt meridiem permitti Sacerdotibus poſſe videretur, Pontifex tamen eam ſententiam probandam non cenſuit, ac Decretum his verbis promulgavit: *Mandamus, ne Miſſarum Sacrificia ante Auroram celebrentur, & uſque ad meridiem ſolum protrahantur.*

„ Ita ſe habuit omnino, donec Innocentius XIII. Pontificatum obtinuit. Tandem Benedicto XIII. Pontifice iterum res in examen adducta fuit, & facultas tertiæ partis horæ, de qua paulo ante ſermonem fecimus, novo Decreto permiſſa eſt, cui pariter Edictum Clementis XII. conformatur.

„ Quæ cum ita ſint, eamdem poteſtatem noſtris Preſbiteris in hac Urbe concedimus, ea tamen conditione, ut præſcriptos limites, neque ante Auroram, neque poſt meridiem omnino prætereant; niſi fortaſſe ex Apoſtolico Beneficio, nuſquam abrogato, aliquis Sacerdos, vel Eccleſia poſt elapſam horam a meridie, ad Sacrum perficiendum non impediatur; ſic enim Romæ Templum Gallorum a S. Ludovico, a SS. Apoſtolis, a S. Jacobo, Templum Luſitanorum a S. Antonio, a S. Carolo in Via Flaminia, a Piis Operariis, a Capuccinis nuncupatum pro hac re Litteras Apoſtolicas obtinuerunt.

„ Profecto ſi quis rem diſſimularet, atque oſcitanter ſe gereret, cum nullus jam a ſæcularibus temporibus ordo ſervetur, iterum nocturna Sacra fierent, uti primis Sæculis in more poſitum fuit, vel ſaltem veſpertina, quæ (ad exemplum Judæorum, a quibus matutina, ac veſpertina Sacrificia offerebantur) initio Eccleſiæ celebrari conſueverunt, cum legales ritus, ac cæremoniæ, uti Cardinalis Cozza perpendit *rerum Liturgic. lib.* 1. *c.* 21. *n.* 3. *impreſſ. Rom.* non ita ſtatim de medio auferri potuerint.

„ Deceſſores noſtri Tabulam propoſuerunt, in qua Auroræ, Meridiei, ac Veſperæ tempus, & ipſæ minutiſſimæ horarum partes accurato ſtudio deſcribuntur: ſed cum pro Eccleſiæ præceptis obſervandis horas juxta proborum hominum opinionem metiri ſatis ſit; & cum plurimos religio inceſſeret, & magnopere torqueret, eo quod Auroræ, Meridiei, ac Veſperæ tempus juxta minutiſſimas horarum partes exacte deſignaretur; cum inſuper Romæ, aliiſque in præclaris Italiæ Civitatibus, res tota in quadrantes digeratur: quamdam Tabulam in lucem edidimus, quæ initium Auroræ, & Meridiei, mediæque noctis tempora moderetur. Operam, ac diligentiam præſtantiſſimi Civis adhibuimus, cujus ingenium, nomenque, non per Italiam modo, ſed per univerſam Europam eximiis laudibus commendatur. Volumus, ut in Urbe, ac Diœceſi, in uſum, ac legem recipiatur, & in omni Sacrario palam exponatur, & in poſterum poſt Kalendarium hujus Eccleſiæ Metropolitanæ imprimatur.

„ *Et in Notific.* 14. *lib.* 2. §. 3. *hæc habentur*; De hora Sacrum faciendi nihil addendum videtur iis, quæ Inſtitutione XIII. continentur, quæ poſt Kalendarium excuditur. In ipſa enim juris Pontificii, & Rubricarum auctoritate ſancitum fuit, Miſſis celebrandis initium fieri non poſſe, niſi ante Auroram tertia pars horæ jam defluxerit, finemque ipſis poſt meridiem, tertia quoque horæ parte jam emenſa, ſtatuendum eſſe. Quare Magnates ſolum, qui privato Sacello in ſuis Ædibus utuntur, admonebimus, horarum legem, quam modo explicavimus, ipſis omnino obſervandam. Paupertate, ac patientia domeſtici Sacerdotis minime abutantur, ita ut paratus jam ad Sacrificium diu expectare debeat, & ipſum quoque conficere, cum tempus ad rem Divinam agendam conſtitutum prætericrit. Agobardus Lugdunenſis Archiepiſcopus id vehementer improbavit, cum ad Bernardum Coepiſcopum *de Privilegio, & Jure Sacerdotum* ſcriberet: *Increbuit conſuetudo impia, ut pene nullus inveniatur anhelans, & quantulumcumque proficiens ad honores, & gloriam temporalem, qui non domeſticum habeat Sacerdotem, non cui obediat, ſed a quo inceſſanter exigat licitam ſimul, atque illicitam obedientiam, non ſolum in Divinis Officiis, verum etiam in humanis.* Id quoque indignum adeo viſum fuit, ut in Gallia Regum edictis vetitum Franciſc. Amatus Pouget *in Inſtitutionib. Catholicis tom.* 2. *pag.* 819. & Boquillot *in tract. hiſtorico de Liturgia lib.* 2. *cap.* 6. fateantur.

„ *Itidem in. Notific.* 1. *lib.* 4. *poſtquam abuſum ante ſtatutas horas celebrandi, cum Effigies B. Mariæ Virginis, a S. Luca depicta, die Dominica ante Aſcenſionem, ad plures Urbis Eccleſias defertur, improbaverit, contraque abuſum ipſum Epiſtolam ipſimet a S. Congreg. Concilii, Clementis XII. juſſu ſcriptam, retulerit; hæc apertiſſime ad ſolidiorem rei confirmationem ſubjungit*: Hæc ita perſpicua ſunt, ut nulla interpretatione indigeant. In ipſis mentio habetur de Tridentina Synodo, ac de Rubricis Eccleſiæ; nam *ſeſſione* 22. in Decreto *de obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſæ*, hæc mandantur Epiſcopis: *Edicto, & pœnis propoſitis caveant, ne Sacerdotes, aliis, quam debitis horis celebrent.* Quo ſane Decreto abrogantur privilegia omnia, quæ ante Tridentinum Concilium conceſſa fuerant, ut horis indebitis rem Divinam facere liceret: *Ante diem, & horis indebitis celebrare nulli liceat, etiam vigore Privilegiorum, a Sede Apoſtolica, ante Concilium Tridentinum, conceſſorum*, uti Gallemartius advertit: quod etiam Sacræ Congregationis ſententiis eſt conſentaneum. In Rubricis autem Miſſalis id præcipitur: *Miſſa privata ſaltem poſt Matutinum, & Laudes, quacumque hora ab aurora, uſque ad meridiem dici poteſt.* Illud pariter adjungitur in litteris Pontificis, in poteſtate noſtra ordinaria poſitum eſſe, ut Miſſarum celebrationes extra præſcriptum tempus interdicamus, cenſuras, ac pœnas arbitrio noſtro decernentes, tum in Sæculares Presbyteros, tum in Regulares, quos etiam comprehendi in Decreto Trident. Concilii *jam ſuperius allato*, Sacra Congregatio declaravit. (Pagnanus *cap. Grave*, *n.* 46. *de Officio Ordinarii*). Neque huic ordinariæ poteſtati quidquam adverſatur Titulus Apoſtolicæ Delegationis, qui in eodem Decreto Concilii ſuperadditur; nam certiſſimum eſt, quod tradit his verbis Cabaſſutius *in Theoria, & Praxi Juris Canonici lib.* 1. *c.* 9 *n.* 5. *Pleraque enim jure ordinario poterant, quibus ſuperadditus eſt Titulus Apoſtolicæ Delegationis, qui Titulus non officit eorum juri Ordinario, ſed operatur, ut facilius, & cum debita veneratione illis obtemperetur, præſertim ex eorum parte, qui prætenderent ipſorum ordinariam poteſtatem minuere, aut in controverſiam revocare, aut ab ea ſe ſubtrahere.* Deinde plures alios ejuſdem Sententiæ Scriptores commemorat. Tandem Pontifex ſuam addit auctoritatem, ſi opus ſit, quam ſupremam cum noſtra ordinaria libentiſſime conjungimus.

„ *Tandem, qui plura hac in re cupit, adire profecto non recuſet lib.* 3. *c.* 7. *tract. de Sacrific. Miſſæ, ubi pereleganter quædam alia exponuntur, a quibus omnis prorſus de medio tollitur difficultas, & hora ad celebrandum apta generaliter decernitur. Hæc autem ſunt verba*: Nihil opus eſt hic de hora celebrandæ Miſſæ diſputare; nam Rubrica Miſſalis diſerte ait: *Quacumque hora ab aurora*; & alibi: *Miſſa privata ſaltem poſt Matutinum, & Laudes quacumque hora ab aurora uſque ad meridiem dici poteſt.* Univerſalis Eccleſiæ conſuetudo eſt, in Pervigilio Nativitatis Jeſu Chriſti, ut poſt mediam noctem Miſſa Conventualis celebretur. S. Pius V. edita Bulla 4. *tom.* 2. *Bullarii*, antiqua omnia ſuſtulit privilegia, quorum vi quidam Miſſam ante mediam noctem in eodem Pervigilio celebrabant. Æquitate quadam, juxta eam, quæ etiam Romæ viget, praxim, tolerari ſolet, ut Miſſa horæ triente ante auroram, & poſt meridiem celebretur, ut videre eſt in Edicto noſtro 13. Tomi 1. atque etiam in noſtro Edicto 1. Tomi 4. ubi Epiſtolam retulimus, nobis a Sacra Congregatione Concilii, Clementis XII. juſſu, ſcriptam, in qua improbatur malus uſus, Miſſam, occaſione cujuſdam Solemnitatis, multas horas celebrandi ante auroram, multaſque itidem horas poſt meridiem. D. Thomas 3. *part. qu* 83. *art.* 2. *ad* 4. hæc eadem confirmat: *Ad quartum dicendum, quod regulariter Miſſa debet celebrari in die, & non in nocte &c. ita tamen, quod principium diei accipiatur non a media nocte, nec etiam ab ortu Solis, id eſt, quando ſubſtantia Solis apparet ſuper terram, ſed quando incipit apparere aurora; tunc enim quodammodo dicitur Sol ortus, in quantum claritas radiorum ejus apparet &c. ſpecialiter tamen in nocte Natalis Domini Miſſa celebratur, propter hoc, quod Dominus in nocte natus eſt.* Et Sotus *in* 4. *ſent. diſt.* 3. *q.* 2. *art.* 2. *prope finem*: *Jam vero tunc temporis ſtatutum tempus Miſſis celebrandis decurrit ab initio auroræ, quocumque tempore anni, uſque ad meridiem.* Nonnullos tamen, ait, ex privilegio Apoſtolico poſſe Miſſam celebrare, aut celebrandam curare ante auroram, & poſt meridiem; ac deinde invehitur adverſus abuſum celebrandi poſt elapſum tempus, quod præfinitum eſt: *Attamen quod hoc fiat ad inſerviendum deliciis eorum, qui noctes aleis, & crapulis vacando in dies vertunt, dieſque dormiendo in noctes, non poteſt non eſſe vituperio dignum.*

D U B I U M IV.

De Privilegiis Regularium circa tempus celebrandi Miſſam.

26 Regulares multa habent privilegia celebrandi Miſſam ante auroram, & poſt meridiem: nam Gregor. XIII. Bulla 22. conceſſit Patribus Societ. Jeſu, quod poſſint celebrare per horam ante auroram, & ita per tres horas ante ſolis radios manifeſtos, quia pro duabus horis utuntur jure communi, pro tertia utuntur privile-

vilegio, cujus meminit Rodr. *t.1. q. Regul. q. 43. ar.* 1. & refertur in Comp. privil. Societ. Jeſu verbo *Miſſa* §. 3. & ita tenent Leander, Dicaſtillus; Tambur., Pellizzar., & alii, quos refert, & ſequitur Diana *p.* 10. *tr.* 12. *reſol.* 26. & per idem privilegium poſſunt celebrare una hora poſt meridiem; quod privilegium valet pro quolibet die etiam non feſtivo; nam die feſtivo poſſe quemlibet Sacerdotem ex juſta cauſa v. g. itineris, vel ſimili, Miſſam incipere poſt integram horam a meridie docent Henriquez, Suarez, Miranda, & Rodriquez, quos citat, & ſequitur Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 4. & diximus ſupra.

27 Alexander VI. Bulla 13. conceſſit Religioſis, ut ex cauſa celebrare poſſint Miſſas immediate poſt duas horas mediæ noctis, quod privilegium extenditur etiam ad Clericos Sæculares celebrantes in Eccleſiis, & Domibus Regularium. Ita Crux *lib.* 2. *c.* 5. *dub.* 6. *concl.* 2. Calpenſis, Dicaſtillus, Leander, Lugus, quos refert, & ſequitur Diana *p.* 10. *tract.* 12. *reſol.* 25. Hoc privilegium factum fuit Monachis Sancti Benedicti, ut propter multitudinem confluentium poſſint in Eccleſia ſui Monaſterii celebrare duabus horis immediate poſt mediam noctem; verum alii participantes in hoc privilegio, poſſunt eo uti, quamvis pro iis deficiat dicta cauſa multitudinis confluentis. Ita Lugus *de Euchar. diſp.* 20. *ſect.* 1. *n.* 29. quia Pius IV. conceſſit Ordini S. Hieronymi, atque ideo cæteris Religioſis communicantibus in privilegiis, ut privilegia extenderentur de uno Conventu ad alium, etiam non exiſtente eadem, ſed alia cauſa; talis autem eſt cauſa itineris, infirmitatis, & ſimilis. At quia illud privilegium non fuit abſolutum, ſed ad celebrandum in Eccleſia illius Monaſterii, ideo cum eadem limitatione debet tranſire ad alios communicantes eodem privilegio, qui proinde non poterunt tali hora celebrare in quolibet loco, ſed ſolum in Eccleſia ſui Monaſterii, ut bene obſervant Lugus, & Dicaſtillus *citati*. Quod ait Portel. *in dub. Regul. verbo Miſſa*, non poſſe Religioſum uti prædictis privilegiis cauſa itineris eo die, quo debet iter arripere, quia nondum eſt in itinere, non ſubſiſtit, quia, ut bene advertit Tambur. *lib.* 1. *cap.* 6. §. 4. *num.* 9. dicitur eſſe in itinere, qui eſt in procintu itinerandi.

28 Leo X. conceſſit Minoribus, ut illico poſt Matutinum poſſint Miſſas celebrare, quod poſtea Gregor. XIII. ſimiliter conceſſit Congregationi Sanctæ Juſtinæ, ut teſtatur Peyrin. *ad conſt. Pyrrhi n.* 20. & Dicaſtillus *de Eucariſt. tract.* 5. *diſp.* 4. *dub.* 4. *num.* 58. At quia hujuſmodi conceſſio ab utroque Pontifice fuit facta vivæ vocis oraculo, hodie non ſubſiſtit, cum omnia vivæ vocis oracula revocaverit Urbanus VIII. quidquid alii dicant.

29 Eugenius IV. Bulla II. conceſſit Benedictinis, & per communicationem aliis Religioſis communicantibus itinerantibus, aut alia juſta cauſa, poſſe celebrare uſque ad horam nonam incluſive, nimirum uſque ad tres horas poſt Meridiem. Ita Cruz *in epitome lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 7. *concl.* 2. Dicaſtillus ſupra *num.* 58. Tambur., Lugus, Leander, quos refert, & ſequitur Diana *part.* 10. *tract.* 15. *reſol.* 27. cauſa autem differendi Miſſam uſque ad horam nonam ſufficit quæcumque, etiam ſi non ſit maxima, ut ſi propter invaletudinem non poteſt citius de lecto ſurgere: item ſufficit occupatio in ſtudio, vel in finienda confeſſione jam incepta, vel alia rationabilis cauſa, ut cum Tambur. docet Diana ſupra, ubi etiam demonſtrat hoc privilegium non eſſe revocatum.

CAPUT VIII.

De loco ad Celebrandum requiſito.

DUBIUM I.

An poſſit Miſſa celebrari extra Eccleſiam?

De via ordinaria, & jure communi, nonniſi in Eccleſia ab Epiſcopo conſecrata, vel ſaltem benedicta celebrari poteſt Miſſæ Sacrificium, ut habetur in cap. *Nullus* cap. *ſicut de conſecr. diſt.* 1. ubi dicitur: *Nullus Clericus Miſsas celebrare præſumat, niſi in locis ab Epiſcopo Sacratis*: quod idem cavetur in Trid. ſeſſ. 22. *de obſervandis, & vitandis in celebrat. Miſſæ*, ubi *præcipit Sancta Synodus Epiſcopis, ne patiantur privatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab eiſdem Ordinariis deſignanda, & viſitanda Sanctum hoc Sacrificium a Sæcularibus, aut Regularibus quibuſcumque peragi, non obſtantibus privilegiis, aut exemptionibus quibuſcumque*: & ita tenent Doctores communiter cum D. Thoma 3. *p. q.* 83. *art.* 3. Et quia materia eſt gravis, præceptum obligat ſub mortali, ut contra Sotum aſſerentem, licitum eſſe, ſecluſo ſcandalo, & contemptu in quovis loco honeſto ſacrificare, docent Homobonus, Sylvius, Filliucius, Joannes de la Cruz, Villalobus, Hurtado, quos citat, & ſequitur Diana *p.* 2. *tr.* 14. *reſol.* 38. Coninchus, Azor., Layman, & alii apud Bonacinam *diſp.* 5. *q. ult. punct.* 9 *n.* 9. & multis allegatis, Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part.* 2. *alleg.* 23. *n.* 2. & in citato cap. *Nullus*. Pœna depoſitionis ferendæ fuit Decreta tranſgreſſori; quapropter non poteſt a peccato lethali excuſari, qui ſecus fecerit abſque privilegio, aut neceſſitate.

Id ipſum videre poteris in iis, quæ tibi nunc ſubjiciuntur, ex libro 3. deſumpta, cap. 6. Tract. de Sacrificio Miſſæ, hiſce verbis. Canonica regula eſt, Miſſam in Templis conſecratis eſſe celebrandam, ut videre eſt in Canon. *Sicut, de Conſecr. diſt.* 1. vel in Locis, ubi Epiſcopus poteſtatem fecerit celebrandi: *Miſſarum ſolemnia non ubique, ſed in locis ab Epiſcopo conſecratis, vel ubi ipſe permiſerit, celebranda eſſe cenſemus.* Sunt verba Can. *Miſſarum, de Conſecrat. diſt.* 1. Atque juxta eam, quæ nunc viget, diſciplinam celebrari poteſt Miſſa in Templis ab Epiſcopo conſecratis, aut ejus permiſſu, ab aliquo Sacerdote benedictis, aut ex privilegio in Oratoriis privatis, domeſticiſque Sacellis, ut videre eſt apud Tournely *de Euchar. tom.* 2. *p.* 361. S. Trident. Synodus *ſeſſ.* 22. in Decreto *de obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſæ* jubet, ne Epiſcopi patiantur privatis in Domibus (*& reliqua, ut jam extant ſuperius hic citata a Giribaldi*). Gilbertus Conſultat. Canonicar. *conſ.* 5. *de Sacrific. Miſſæ* negat, per ea Sancti Concilii verba auctoritatem ademptam Epiſcopis concedendi facultatem celebrandi in privatarum Domorum Oratoriis, & auctoritatem confundit Epiſcopi, qua jubet Domi ſuæ Miſſam celebrari, cum auctoritate concedendi poteſtatem, ut in aliorum Domibus Miſſa celebretur, atque ulterius progreſſus ait; Epiſcopum, etiamſi a S. Synodo ea ſibi auctoritas eſſet adempta, ea tamen uti poſſe per viam diſpenſationis in caſibus particularibus. Sed hæc prorſus abſona ſunt, & a veritate non modo, quam ab univerſali omnium Diœceſium uſu aliena.

2 Excipiunt caſus neceſſitatis, qua interveniente, poterit Sacerdos extra Eccleſiam, ſeu Oratorium ſub diu celebrare, ut habetur cap. *Sicut, de conſecr. diſt.* 1. Caſus neceſſitatis eſt, ſi peregrinantes diu Miſſa carere cogerentur, maxime in Feſtis ſolemnioribus, quando Eccleſia eſt diruta, aut populi multitudinem concurrentem ad aliquam ſolemnitatem Eccleſia non capit; tunc enim poterit Altare, vel intra, vel juxta Eccleſiam collocari, ne plurimi Sacro careant. Item in caſtris pro militibus, & in Littore Maris pro navigantibus, ut die Feſto Miſſam audiant. Ita docent Lugus *diſp.* 20. *ſect.* 3. *num.* 38. Facundez *præcept.* 1. *lib.* 3. *c.* 13. *n.* 4. Ant. a Spiritu S. *ſect.* 3. *num.* 68. Henriquez, Sa, Hurtado, Suarez, Villalobos, Valentia, quos affert Leander *quæſt.* 16. &, aliis citatis, Tambur. *lib.* 1. *cap.* 4. §. 1. *num.* 3. qui bene advertunt in his, & ſimilibus caſibus, ſi fieri poſſit, petendam eſſe licentiam ab Ordinario, ſi autem non poſſit, ſufficiet neceſſitas ſine alia licentia.

Vide quæ hac in re exponuntur ipſo eodem loco ſuperius laudato in Tract. de Sacrific. Miſſæ: Lex, quæ prohibet, ne quis Miſſam alibi celebret, quam in Templis, aut Oratoriis publicis, privatiſque, præcipuam quamdam reſtrictionem habet, ſi Miſſa, quæ omnino celebranda ſit non poſſit in ejuſmodi locis celebrari: nam eo in caſu licet Sacrificium ubique facere, dummodo locus, in quo ſit, nihil indecori habeat, juxta Can. *Concedimus, de Conſecr. diſt.* 1. *In itinere vero poſitis, ſi Eccleſia defuerit, ſub dio, ſeu in tentoriis, ſi Tabula Altaris conſecrata, cæteraque ſacra miniſtera ad id Officium pertinentia ibi affuerint; Miſſarum ſolemnia celebrari concedimus: Aliter omnino interdicimus.* Et juxta Can. *Sicut, de Conſecrat. diſt.* 1. *Satius ergo eſt, Miſſam non cantare, aut non audire, quam in illis locis, ubi fieri non oportet, niſi pro ſumma contingat neceſſitate, quoniam neceſſitas non habet legem.* S. Thomas 3. *p. quæſt.* 83. *in reſponſ. ad ſecundum*, duobus illis textibus Canonicis utitur, ut oſtendat, etiam extra Templa poſſe, ſi neceſſitas urgeat, Miſſam celebrari. Suarez *in* 3. *part. diſp.* 81. *ſect.* 3. notat, haud ita fidendum illis textibus, qui neque ex Conſtitutionibus Summorum Pontificum, neque ex Decretis Conciliorum generalium deſumpti ſint; quia ſignificare voluit iis non propterea auctoritatem Legis accedere, quod a Gratiano in Decretum ſuum conjecti ſint, ſed tantum iis eſſe auctoritatis, quantum habeant apud Auctores ſuos. Eos tamen, ait, communi conſuetudine eſſe receptos, & æquum eſſe, Miſſam, ſi legitima cauſa interveniat, extra Templa etiam, & Capellas celebrari poſſe. Exemplum afferunt Auctores Capellanorum in exercitibus Sacramenta adminiſtrantium, quibus licet celebrare Miſſam in caſtris: quamobrem in Capitularibus incerti cujuſdam, ſed gravis Auctoris apud Labbæum *tom.* 9. *Concilior. pag.* 1011. hæc leguntur: *Miſſarum ſolemnia nequaquam alibi, niſi in Eccleſia celebranda ſunt, non in quibuſdam domibus, & in vilibus locis, ſed in loco, quem elegerit Dominus, juxta illud, quod ſcriptum eſt: Vide, ne offeras holocauſta in omni loco, quem videris, ſed in loco, quem elegerit Dominus, ut ponat nomen ſuum ibi: exempta ratione eorum, qui in exercitu pergentes, ad hoc opus habent tentoria, & Altaria dedicata, in quibus Miſſarum ſolemnia expleantur.* Et Durandus *lib.* 4. *Rationalis Divinorum Officiorum cap.* 1. *num.* 41. ita ſcripſit: *Poteſt autem eſſe neceſſitas, ut Miſſa dicatur in navi, vel in exercitu ſub papilione.* Exem-

plum

„ plum afferunt etiam navigantium, qui diu Miſſa caruerunt; nam dicunt, Sacerdotem poſſe in maris littore celebrare. Denique exemplum afferunt eorum, qui per Infidelium regiones iter faciunt, in quibus Catholicæ Religionis uſus prohibetur, & dicunt, licere in quovis honeſto loco Miſſam celebrare, ſemper tamen ſuper petra conſecrata: *Non debet cantari Miſſa, niſi in Eccleſia conſecrata, ſi fieri poteſt, vel ſaltem in Altari conſecrato, vel ſi hoc non habetur, habeatur ad minus ſemper parva Tabula conſecrata. In neceſſitate etiam poteſt Miſſa celebrari ſub dio, vel in tentoriis, in itinere videlicet, vel in exercitu, vel ſimili honeſto loco, dum tamen habeatur ſemper Tabula, ut dictum eſt, & cætera ornamenta neceſſaria*. Verba ſunt Sancti Raymundi *lib.* 3. Summæ *pag.* 470. § 11.

3. Ex privilegio ſibi conceſſo *cap. ult. de privil. in* 6. poteſt Epiſcopus in quocumque loco decenti, licet profano, ob ſuam commoditatem, vel cauſa itineris, tum in ſua Diœceſi, tum extra, ſive in ſua, ſive in aliena domo cum altari portatili celebrare; imo & cum eadem amplitudine poteſt concedere alteri Sacerdoti licentiam ibidem celebrandi coram ſe, non vero ipſo non præſente, quam facultatem non eſſe ablatam per Trident. dicta ſeſſ. 22. docent Vaſquez *diſp.* 233. *n.* 7. Facundez *ubi ſupra n.* 19. Lugue *loco citato*, Portel *in reſpon. Regul. par.* 5. *caſu* 20. *n.* 7. Diana *part.* 4. *reſol.* 15. Tambur. *cap.* 4. § 2. *n.* 8. & 11. ubi notat, quod Fideles intereſſentes celebrationi Miſſæ in dicto loco coram Epiſcopo, ſi ſit dies feſtus, ſatisfaciunt præcepto audiendi Miſſam, & quod plures etiam Sacerdotes poſſunt ibidem celebrare, Epiſcopo ſemper præſente, quia licet finis conceſſionis fuerit, ne tranſeat dies, in qua ipſe non audiat Miſſam, cui ſatisfit per celebrationem unius Miſſæ, attamen quia privilegia, quæ non ſunt in ullius præjudicium, ſunt amplianda, plures poterunt dici Miſſæ, quia id favet devotioni Epiſcopi plures Miſſas audire volentis.

4. Hæc Doctrina, quæ olim habebat probabilitatem, non amplius hodie ſubſiſtit; nam ſummus Pontifex Clemens XI. ſpeciali Decreto edito ex unanimi voto S. R. E. Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, inhærendo declarationibus alias hac de re editis, expreſſe declaravit *Epiſcopis, & his majoribus Prælatis, etiamſi Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque ſub prætextu privilegii clauſi in Corpore Juris, neque alio quocumque titulo, ullo modo licere extra Domum propriæ habitationis, in Domibus Laicis, etiam in propria Diœceſi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamſi Diœceſani conſenſus adhiberetur, erigere Altare, ibique Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrare, ſeu celebrare facere*: ut conſtat ex Decreto edito die 15. Decemb. 1703.

„ *Diſerte, & luculenta admodum eruditione hoc idem habetur in* §. 5. *loci citati hiſce verbis*: Sancta Tridentina Synodus privilegium Epiſcoporum non ſuſtulit, ut ſæpe declaravit Sacra Congregatio apud Barboſam de Epiſcopo *allegat.* 13. *n.* 1., & conſtat ex libro Decretorum 12. *pag.* 120. ubi ſic ea reſpondit: *Sacra Congregatio &c. cenſuit, Cardinales, non ſecus, ac Epiſcopi, ſine ulla Epiſcopi Diœceſani licentia, uti poſſe privilegio Altaris portatilis, ad præſcriptum Conſtitutionis felicis recordationis Bonifacii VIII. quæ incipit*: Quoniam Epiſcopi; *nec hujuſmodi privilegium ſublatum fuiſſe Concilii Decreto cap. un. ſeſſ.* 22. Verum Clemens XI. inſtallato Decreto, die 15. Dec. 1703. edito in ejus Bullario, & in Appendice Romanæ Synodi ſub Benedicto XIII., cum videret eo privilegio quoſdam abuti, ſtatuit, ne quis extra ſuam domum, nec propterea in Laicorum domibus, ſive in Diœceſi, ſive extra Diœceſim ejuſmodi privilegio uteretur: *Ad abuſus ejuſmodi eliminandos, & ad inſtaurandum venerationem tremendo Myſterio debitam, Sanctiſſimus Dominus Noſter ex unanimi voto S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, inhærendo declarationibus alias hac de re editis, expreſſe declarat Epiſcopis, & his majoribus Prælatis, etiam Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque ſub prætextu privilegii clauſi in corpore Juris, neque alio quoque titulo, nullo modo licere extra domum propriæ habitationis in domibus Laicis, etiam in propria Diœceſi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamſi Diœceſani conſenſus adhiberetur, erigi Altare, ibique ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrare, ſive celebrare facere*.

„ Ratio, quæ Pontificem ad illud condendum Decretum impulit, ea fuit, quod reſciverat, nonneminem Epiſcoporum tam in ſua, quam in aliena Diœceſi, domo ſua egredi conſueviſſe, & ut primario cuipiam Viro laico gratum faceret, qui non haberet privati Oratorii privilegium, ad illius domum ſeſe conferre, ibique, vel ab aliquo Miſſam celebrare facere, aut etiam plures, ſi Vir ille habuiſſet Oratorium privatum, ubi nonniſi unicam Miſſam eodem die liceret celebrari. *Epiſcopi etiam in aliena Diœceſi extra Domum propriæ habitationis in privatis Laicorum domibus erigi faciunt Altare, ibique per unum, aut plures e ſuis Capellanis vivificam Chriſti Hoſtiam immolari*. Idcirco opus fuit, Decretum Clementis XI. declarari ſub Innocentio XIII., qui in Bulla *Apoſtolici Miniſterii*, de Regulari Diſciplina pro Hiſpaniarum Regnis, quam Benedictus XIII. confirmavit, Decreto Clementino declaravit locum non eſſe, ſi Epiſcopus tanquam hoſpes in alicujus Laici domo moretur, aut Diœceſim viſitando, aut iter faciendo, aut ex licentia Sedis Apoſtolicæ habitando in domo aliena extra Diœceſim; *Declaremus tamen, quod cum in prædicto Decreto ſtatueretur, non licere Epiſcopis extra domum propriæ habitationis in domibus Laicis erigere Altare, ibique ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrare, ſive celebrare facere, hujuſmodi prohibitio intelligenda non ſit de domibus etiam Laicis, in quibus ipſi Epiſcopi forte occaſione viſitationis, vel itineris, hoſpitio excipiantur, & nec etiam quando Epiſcopi in caſibus a jure permiſſis, vel de ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia, abſentes a domo propriæ ordinariæ habitationis, moram idcirco faciant in aliena domo per modum ſimilis habitationis; his enim caſibus licita eis erit erectio Altaris ad effectum prædictæ celebrationis, non ſecus ac in domo propriæ ordinariæ habitationis*. Privilegio Altaris mobilis, quod habent Epiſcopi, gaudent Eminentiſſimi Cardinales, etiam qui Epiſcopi non ſint.

5. Poteſt tamen Epiſcopus etiam ſolum Titularis id facere in ſua domo, ſive urbana, ſive ruſticana, ſive intra, ſive extra Diœceſim, etiam ſine licentia Epiſcopi Diœceſani, in qua moratur, cum hoc non ſpectet ad juriſdictionem contentioſam, ſed ad voluntariam, quam poteſt libere Epiſcopus exercere extra Diœceſim, deputare Oratorium privatum, ubi celebretur Miſſa indifferenter ab omnibus, quæ facultas non eſt illis ablata per Trid. prohibens, ne permittantur Oratoria in domibus privatis; nam palatium Epiſcopi non eſt domus privata, ut ex Gavanto, & Carolo Navar. Epiſcopo notat Lugus *diſp.* 20. *nu.* 50. & idem ex Portello, & Ugolino docet Dicaſtillus *diſp.* 4. *dub.* 5. *n.* 94. Diana *part.* 9. *tract.* 1. *reſol.* 36.

6. Inde colligit Tambur. poſſe plures, & plures Miſſas in tali Oratorio eadem die celebrari, ſive ab Epiſcopi familiaribus, ſive ab exteris, ſive Epiſcopo præſente, ſive etiam abſente, ubicumque remote ſit, quia privilegium eſt perſonale, ſimulque locale, ideſt conceſſum Domui reſpectu Epiſcopi, cujus eſt; unde ſi Domus deſinat eſſe Epiſcopi, aut ſi locetur aliis, ceſſabit privilegium, quia deſinit reſpectus ad Epiſcopum. Fideles autem audientes Sacrum in tali Oratorio in die Feſto adimplent præceptum, prout declaravit Sacra Congregatio, teſte Diana *part.* 6. *tract.* 8. *reſol.* 40. *in fine*.

Hoc idem confirmatur loco citato, hiſce verbis: Quod vero attinet ad Oratoria, ſeu Capellas privatas, quibus certus, fixuſque aſſignatus eſt locus in Domibus tam Epiſcoporum, quam Cardinalium, poſſunt plures quotidie Miſſæ celebrari, etiam a Sacerdotibus, qui non ſint ex familia, licet Epiſcopus, vel Cardinalis abſit; quique, etiamſi ex familia non ſit, diebus Feſtis ibi Miſſam audiat, Eccleſiaſtico præcepto ſatisfacit. De Cardinalium Capellis videatur Cardinalis Brancacii *diſſert. de Privilegiis Capell. Cardinal.* De Capellis vero Epiſcoporum vide Clericatum *de Sacram. Euchariſt. deciſ.* 8. *num.* 20.

D U B I U M II.

An poſſit Epiſcopus concedere licentiam, ut in Oratoriis privatis, & Domibus Sæcularium celebretur.

7. ANte Concilium Trident. poterat Epiſcopus in ſua Diœceſi concedere facultatem celebrandi in locis non ſacris, & in privatis Domibus in Altari portatili, ut habetur cap. *Miſſar.* ibi; *in locis ab Epiſcopo conſecratis, vel ubi ipſe permiſerit*. Cap. *his ergo*: ibi: *niſi in quibus Epiſcopus juſſerit. De conſecrat. diſt.* 1. & ante Concilium Trident. hanc fuiſſe communem, & receptam opinionem, pluribus allegatis, docent Barboſa de poteſt. Epiſcopi *allegat.* 23. *n.* 6. & Marchinus *part.* 3. *cap.* 9 *n.* 3. Difficultas autem eſt, utrum facultas concedendi hujuſmodi licentiam ſit revocata per Trid. *ſeſſ.* 22. *de obſervandis, & vitandis in celebrat. Miſſæ*. Eſſe revocatam abſolute tradunt Navar. *cap.* 25. *n.* 81. Fuſcus *de Viſit. lib.* 1. *cap.* 21. *n.* 8. Azor. *par.* 1. *lib.* 10. *cap.* 26. *qu.* 3. Bonacina *diſp.* 4. *quæſt. ult. punct.* 9. *num.* 10. quia Trident. præcipit Epiſcopis, *ne patiantur privatis in Domibus, atque omnino extra Eccleſiam, atque ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab eiſdem Ordinariis deſignanda, & viſitanda, Sanctum hoc Sacrificium a Sæcularibus, aut Regularibus peragi*: ergo multo minus poſſunt id poſitive concedere.

8. Altera Sententia negat eſſe revocatam talem facultatem, atque ideo tenet, poſſe Epiſcopum concedere licentiam celebrandi in privatis Oratoriis, nam ex præcitatis verbis Concilii duo colliguntur. Primo reſtrictam eſſe poteſtatem Epiſcoporum, ne poſſint concedere facultatem celebrandi in quocumque loco honeſto extra Eccleſiam, ſicut prius poterant. Secundo in Oratorio Domus privatæ, ad Divinum cultum tantum deputato, quod non ſit ſtatim in profanos uſus convertendum, licere Epiſcopo dare facul-

tatem

tatem celebrandi, dummodo prius deſignetur, & viſitationi ejuſdem ſubjaceat; & ita ex declaratione Sacræ Congregat. docet Giner. *lib.* 1. *Canon. q. cap.* 30. *n.* 28. Zerola *in praxi Epiſc. part.* 1. *verbo Miſſa concl.* 4. Stephanus Quaranta verbo *Miſſa*, Sotus, Suarez, Coninch, Facundez, Layman, & alii apud Marchinum *dicto c.* 9. & Barboſam *alleg.* 23. *n.* 8. & quidem, ſiſtendo in terminis Trid. non eſſe ſublatam talem facultatem videtur probabile; nam Concilium ſolum indicabat Epiſcopis, ne celebrare permitterent extra Oratoria ab ipſis ad hunc ſacrum uſum deſignata, ſed non prohibebat, quominus etiam in privatis Domibus deſignarent talia Oratoria, in quibus celebrari poſſit.

9. Hodie tamen hæc facultas Oratoria concedendi Ordinariis ſublata eſt, & Summo Pontifici reſervata per Litteras ad Epiſcopos, datas a Cardinale Lancellotto, juſſu Pauli V. anno 1615. quarum meminere Riccius *in praxi Fori Eccleſ. dec.* 538. Franc. Scortia *lib.* 2. *cap.* 13. *de Sacrif. Miſſæ*. Molfeſios *in Sum. tr.* 3. *c.* 17. *n.* 70. Facundez *præcept.* 1. *lib.* 3. *cap.* 13. *n.* 52. Gavantus *Comment. in Rubr. Miſſal. part.* 1. *tit.* 10. *litt. M.*, quibus etiam conſentit Caſpenſis, Villalobos, Filliucius, Garaias, & Trullench apud Dianam *part.* 9. *tr.* 1. *reſol.* 42. illarumque tenorem refert per extenſum Naldus verb. *Miſſa*, *n.* 20. & illarum partem refert Pignatellus *to.* 6. *conſult.* 95. *n.* 72. his verbis: *Quod ſane deterrimum exemplum, ut de Chriſtiana Republica evellant RR PP. Amplitudines tuæ, cæteriſque Archiepiſcopis, atque Epiſcopis Univerſis, Sanctiſſimi Domini Noſtri juſſu ſignificandum duxerunt, facultatem hujuſmodi licentias dandi, ipſius Concilii Decreto, unicuique ademptam eſſe, ſolique Beatiſſimo Romano Pontifici eſſe reſervatam: proinde Amplitudini tuæ abſtinendum eſſe ab illis utcumque tribuendis, ſi quas hactenus, vel a te ipſo, vel a tuis Anteceſſoribus, aut alias quoquomodo, quam ab ipſo Summo Pontifice conceſſas reperies, nullas, atque irritas eſſe quam primum decernas, atque omnino curandum, ne alia illarum ratio in poſterum habeatur.*

10. Et licet Arriaga *diſp.* 54. *ſect.* 4. *num.* 27. doceat, in partibus Septemtrionalibus, in quibus ipſe ſcripſit, hujuſmodi litteras non videri eſſe receptas; tamen in Italia ſunt in vigore, & ad Summum Pontificem pro facultate habendi in privatis Domibus Oratoria privata omnes confugiunt, & noſter Homobonus, olim hic Bononiæ Pœnitentiarius, *de exam. Eccleſ. tr.* 8. *q.* 14. *cap.* 5. *part.* 2. teſtatur, ſic fuiſſe a Sacra Congregatione ſæpe reſcriptum Archiepiſc. Bononienſi, & ubique ſervari mandaſſe.

Hac de re altiora habere poteris fundamenta in Tract. de Sacrif. Miſſæ lib. 1. *cap.* 1 §. 11. *ubi hæc leguntur:* Temporibus haud multum ab ætate noſtra remotis actum eſt de uſu tollendo celebrandi Miſſas in privatis Domibus, ſeu earumdem Sacellis, & conſtat ex Collationibus trium Cardinalium, & quinque Prælatorum, quos Eccleſiæ reformationi Paulus III. præfecerat, & quorum conſultationes referuntur *Tom* 18. *Eccleſiaſt. Hiſtor.* Fleury, ubi *pag.* 167 articulum reperies, qui ad rem pertinet, de qua agimus. Verum ut in tertio libro ſuo loco dicemus (*& hic a nobis in antecedenti adjectione ad dubium* 1. *relatum eſt*) res eo deducta eſt, ut Epiſcopi nulli deinceps facultatem concederent in Oratoriis privatarum Domorum celebrandi Miſſam, & ejuſmodi concedendi facultatem ſoli Romano Pontifici poteſtas reſervaretur.

11. His non obſtantibus Trullench apud Dianam *loco citato*, & Antonius a Spiritu Sancto *diſp.* 3. *ſect.* 3. *n.* 72 referunt, Paulum V. anno 1618. die 30. Julii, de conſilio Cardinalium, conceſſiſſe Epiſcopis, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatis, poteſtatem viſitandi, deſignandi, & approbandi Oratoria, & dandi licentiam celebrandi in dictis Oratoriis, cum his limitationibus: 1. Ut licentia celebrandi in Oratoriis privatis concedatur ſolum Nobilibus Perſonis, ſenio, & infirmitate impeditis, durante tali impedimento. 2. Quod dicta licentia non ſuffragetur niſi Miniſtris omnino neceſſariis, ita ut alii præcepto Eccleſiæ ſatisfacere minime cenſeantur. 3. Quod in his Oratoriis una tantum dicatur Miſſa. 4. Quod ab hac licentia excipiantur dies Paſchæ Reſurrectionis, Nativitatis, Pentecoſtes, & alia Feſta ſolemnia. 5. Quod in eadem Domo non ſit niſi unum tantum Oratorium. 6. Quod hæc licentia duret tantum per ſex menſes, & aliis ſimilibus conditionibus, quas refert Quaranta in ſuo Bullario verb. *Miſſa*. Verum hæc etiam facultas fuit Ordinariis ſublata ab Urbano VIII., & illam ſolum Papæ reſervavit, ut habet Diana *ſupra*.

12. Non eſt tamen Epiſcopis ſublata facultas, occurrente aliquo caſu particulari, & juſta cauſa, diſpenſandi, ut una, aut altera vice celebretur extra Eccleſiam, in loco honeſto, quamvis profanis uſibus deſtinato, cum Altari portatili. Sic Barboſa *dicta allegat.* 23. *n.* 9. Tambur. *lib.* 1, *cap.* 4. §. 2. *n.* 7. Marchinus *c.* 9. *n.* 11. Lugus *diſp.* 20. *ſect.* 2. *n.* 49. Suarez, Rodriquez, Coninch, Layman, Navarrus, Vaſquez, Palaus, & alii, quos ſequitur Franciſcus a Jeſu Maria in curſu morali Salmat. *tr.* 5. *cap.* 4. *punct.* 2. *n.* 36., ubi refert, quod ægrotante Perſona aliqua illuſtri, Epiſcopus diſpenſare poterit, ut una, vel altera vice in ejus Cubiculo celebretur, aut alio loco honeſto, ut Miſſam audiat, & Communionem ex obligatione ſuſcipiat, aut Viaticum; quod non potuiſſet facere Sacerdos propria auctoritate. Sic etiam docet Averſa *quæſt.* 11. *ſect.* 14. Nec obſtat Decretum Concilii Trident. *ſeſſ.* 22. nam ſolum tollit facultatem conceſſam Epiſcopis in cap. *Miſſarum, de Conſecrat. diſt.* 1. permittendi aliis celebrationem liberam, & per modum privilegii in privatis Domibus, aut omnino extra Eccleſiam; non vero tollit facultatem diſpenſandi ex juſta cauſa, ut una, vel altera vice in dictis Domibus celebretur, ut tradunt Doctores citati, cum non ſit Epiſcopis ablata facultas diſpenſandi ex juſta cauſa pro aliquo caſu particulari in aliis ſimilibus legibus, ut cum aliis obſervat Bonacina *quæſt. ult. punct.* 9. *num.* 11.

13. Nec etiam obſtat Breve Pauli V. aut Urbani VIII. quia intelligi debent de licentiis continuis, & abſolute celebrandi in Oratoriis Sæcularium, non autem de facultate diſpenſandi in aliquo caſu particulari pro una, vel altera vice ex juſta cauſa, ut celebretur in Domibus privatis. Ita plures apud Dianam *ſupra reſol.* 44. ubi ſolum dubitat de caſu aſſignato, cum videat Epiſcopos ſaltem in Italia hunc caſum non practicare, & conſulit Epiſcopis, ut abſtineant a dandis ſimilibus licentiis: & Facundez *præcept.* 1. *lib.* 3. *cap.* 13. *n.* 13. abſolute aſſerit, non poſſe Epiſcopum hodie dare licentiam ad celebrandum Sacrum in Domo privata apud Infirmum, in caſu etiam urgentis neceſſitatis; quod etiam colligitur ex Decreto Clementis XI. & ita obſervari debet.

14. Quamvis Ordinarius dare non poſſit licentiam celebrandi in Oratoriis privatis, quæ ſunt in interiori parte Domus Sæcularium, nec habent oſtium patens ad viam publicam, poteſt tamen approbare, & facultatem concedere celebrandi in Oratoriis publicis, hoc eſt, quæ habent portam patentem in via publica cum campana, ſi adſint cætera requiſita, quia, poſita Epiſcopi approbatione, ſunt veræ Eccleſiæ, & Capellæ, nec comprehenduntur ſub Decreto Trident. *ſeſſ.* 22., & Pauli V anni 1615. prohibentis dumtaxat celebrationem in privatis Oratoriis, non vero in Oratorio publico auctoritate Epiſcopi erecto, & approbato, ut tenent Homobonus, Naldus, Lezana, & alii apud Dianam *part.* 9. *tract.* 1. *reſol.* 21. ubi etiam refert ex Paſqualigo, in tali Oratorio celebrari poſſe januis clauſis, ita ut accedant tantum Domini, & quos ipſi voluerint, quia non præcipitur, quod publice celebretur, ſed quod in Eccleſia, & Oratorio publico.

Lege quid hac de re juxta Conciliorum, ac Patrum auctoritatem decernatur in Tract. de Sacrif. Miſſæ lib. 3. *c.* 6. *ut ſupra*. S. Tridentina Synodus illis, quæ attulimus, verbis, Epiſcopis facultatem ademit, qua olim erant prædıti, concedendi ſuis Diœceſanis Oratorium in Domo privatum, ubi Miſſa celebrari poſſet, juxta ea, quæ per Encyclicas Litteras Epiſcopis ſignificavit Sacra Congregatio, Sacri illius Concilii Interpres, anno 1615. juſſu Pauli V., ut videre eſt apud Paſſerinum de ſtatibus hominum *tom.* 3. *quæſt.* 189. *n.* 979. *Tametſi Sacra Cardinalium Congregatio Concilii Tridentini Interpretum, opinionis innixa rationibus ſæpiſſime reſponderit, celebrandi licentias in privatis Oratoriis, nonniſi a Sede Apoſtolica eſſe concedendas &c. Illuſtriſſimi Patres &c. Sanctiſſimi Domini Noſtri juſſu, ſignandum duxerunt, facultatem hujuſmodi licentias dandi, ipſius Concilii Decreta unicuique ademptam eſſe, ſolique Beatiſſimo Romano Pontifici eſſe reſervatam*. Nihil tamen de privilegio Epiſcoporum detractum eſt, quo poſſunt in ſuis Domibus privatum Oratorium habere, & in eo Miſſas celebrare, & aliis Sacerdotibus permittere, ut celebrent, quemadmodum eadem Sacra Congregatio explicans ea, quæ Pauli V. juſſu in ea Epiſtola Epiſcopis edixerat, diſertiſſime declaravit anno 1623., atque illud etiam addidit, ne privilegium quidem Epiſcopis a Tridentina Synodo adeptum intelligi, ut ſuo loco dicemus, habendi Altare mobile: *Proindeque Capellas, & Oratoria, ad illorum uſum ubique locorum extructa, minime comprehendi in prohibitionem Conſtitutionis, juſſu ſanctæ memoriæ Pauli V. jampridem editæ, de non celebrando in privatis Oratoriis*.

DUBIUM III.

De Oratoriis privatis ex Indulto Summi Pontificis.

15. Cum ſpectet ad Summum Pontificem facultatem concedere celebrandi in Oratoriis Domus privatæ, maxime permanenter, & continue, debet diligenter attendi, & ſervari forma conceſſionis, quæ tenoris ſequentis eſſe ſolet.

Innocentius Papa XII. Tibi Diœceſis Bononienſis, qui, ut aſſeris, de nobili genere procreatus exiſtis, ut in privato Domus tuæ ſolitæ habitationis Oratorio, ad hoc decenter muro extructo, & ornato, ſeu extruendo, & ornando, ab omnibus domeſticis uſibus libero, per Ordinarium loci prius viſitando, & approbando, ac de ipſius Ordinarii licentia ejus arbitrio duratura, unam Miſſam pro unoquoque die, dummodo in eadem Domo, celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri conceſſa non fuerit, per quemcumque Sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum,

Secu-

Sæcularem; ſeu de Superiorum ſuorum licentia Regularem, ſine tamen quorumcumque jurium Parochialium præjudicio, ac Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti; necnon aliis ſolemnioribus anni Feſtis diebus exceptis, in tua, & familiæ tuæ, necnon hoſpitum tuorum Nobilium præſentia, celebrare facere libere, & licite poſſis, & valeas, indulgemus, Non obſtantibus, &c. Volumus autem, quod Familiares ſervitiis tuis non neceſſarii ibidem Miſſæ intereſſentes, ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia diebus Feſtis de præcepto, minime liberi cenſeantur. Datum Romæ, &c.

In hac conceſſione plura ſunt notatu digna, quæ, ſingulas clauſulas declarando, explicabimus.

§. I. *Tibi Diœceſis Bononienſis.*

16. HÆc clauſula non ponitur taxative, quaſi quod Privilegiatus non poſſit uti privilegio, niſi in Diœceſi Bononienſi, ſed demonſtrative, ut ſenſus ſit, *Tibi, qui nunc es talis Diœceſis*. Quare Privilegiatus uti poterit privilegio ubique, & in quacumque Diœceſi, ad quam forte tranſit, quia eſt privilegium perſonale, quod perſonam ſequitur ad quemcumque locum tranſeat, & ſic poterit in quocumque loco ſuæ habitationis ſibi facere Miſſam celebrare, cum licentia tamen Ordinarii, & ſervatis ſervandis, ut ex Navarro, & Megalio docet Diana *part.* 4. *tr.* 4. *reſol.* 208. ſequitur Averſa *q.* 11. *ſect.* 14. §. 6.

§. II. *Qui, ut aſſeris, de nobili genere procreatus exiſtis.*

17. CErtum eſt, nobilitatem ex parte Patris ſufficere, ut quis poſſit uti privilegio, quia ſufficienter verificatur narrativa conceſſionis; utrum vero ſufficiat nobilitas ſola ex parte Matris, negat Tamburinus *lib.* 1. *cap.* 4. §. 4. *nu.* 3., quia vera, & abſoluta nobilitas, quæ hic requiritur, ex Patre, non vero ex ſola Matre deducitur. Conſeo tamen illam ſufficere, ut tradit Pignatellus *tom.* 6. *conſult.* 98. *nu.* 44. quia deſcendentes ex Fœminis dicuntur eſſe de genere, & parentela, ut tradit Rota coram Durano *dec.* 8. *num.* 7. Cumque nobilitas ab aſcendentibus deſcendat in deſcendentes, tam Pater, quam Mater transfundunt nobilitatem in Filios, & ſic, ſi ſola Mater ſit nobilis, ſufficit, ut Filius dicatur procreatus ex nobili genere: & licet nobilitas abſoluta, & rigoroſe ſumpta deſumatur ex Patre, in ampla tamen ſignificatione attenditur etiam nobilitas ex ſola Matre. Quare cum in præſenti caſu ſimus in materia favorabili, videtur ſufficiens nobilitas in ampla ſignificatione deſcendens a Matre.

18. Major difficultas eſt de nobilitate ex privilegio: *an ſit ſufficiens, ſiquidem Nobilis ex privilegio videtur excluſus, cum non ſit ex nobili genere procreatus?* ut docet Tamburinus *lib.* 1. *cap.* 4. §. 4. *num.* 4. attamen poteſt non improbabiliter dici, illas particulas: *Qui de nobili genere procreatus exiſtis* non poni taxative, & reſtrictive ad taxandam nobilitatem ex genere, ſed demonſtive ad oſtendendam nobilitatem, qua fruitur Privilegiatus: menſis ſiquidem Pontificis requirentis nobilitatem in Privilegiato eſt, ne privilegium vileſcat per conceſſionem factam ordinariis Perſonis: hujuſmodi autem ratio tam reperitur in Nobili ex privilegio, quam in Nobili ex ſanguine, ut tradunt Garzia *de Nobilit. gloſſ.* 5. *num.* 3. & 4. & Maſtrillus *de Magiſtrat. lib.* 2. *cap.* 10. *nu.* 105. & ſic poterit gaudere privilegio Oratorii privati, perinde ac ſi eſſet procreatus ex nobili genere, cum nobilitas in ipſo per æquipollentiam reperiatur, non minus ac in procreatis ex nobili genere, ut tradit Pignatellus *ſupra num.* 46. quod a fortiori verum eſt, ſi in Brevi ſolum dicatur, quod Orator ſit Nobilis.

19. Nulla exiſtente nobilitate corrueret Oratorii privilegium, nec poſſet executioni mandari, cum nobilitas ſit ratio, ob quam Pontifex movetur ad concedendam gratiam, qua non exiſtente, non concederet; deficiente autem fundamento conceſſionis, deficit conceſſio ex traditis a Gloſſa in cap *ex part.* 2. *verb. Falſa, de converſ. Conjug.* Sanchez *de Matrim. lib.* 8. *diſp.* 21. *n.* 32. Tambur. *ſupra n.* 5. Quare ſi nobilitas non ſit nota Ordinario, ad quem ſpectat Litteras conceſſionis executioni mandare, erit probanda, & juſtificanda ad hoc, ut Ordinario conſtare poſſit de nobilitate, quæ eſt fundamentum gratiæ, antequam Litteræ executioni mandentur, ſecus imprudenter ageret Ordinarius, & contra munus executoris.

§. III. *Ut in privato Domus tuæ ſolitæ habitationis Oratorio.*

20. HÆc verba cum verificari poſſint de quacumque Domo a Privilegiato inhabitata, ſi Domum mutet, uti poterit privilegio in nova Domo, ſive empta, ſive locata, quia hæc ſecunda jam eſt Domus *tuæ ſolitæ habitationis*. Adde, quod privilegium Oratorii privati eſt mere perſonale, ut patet ex eo, quod verba conceſſionis per ſe primo, & immediate referuntur ad perſonam, & nullo pacto ad locum aliquem particularem, ut conſtat ex illis verbis: *Te ſpecialibus favoribus proſequi volentes*; & ex illis: *ut in privato Domus tuæ Oratorio celebrare facere libere, & licite poſſis, & valeas, indulgemus*; & ſic tanquam perſonale ſequitur perſonam ad quemcumque locum tranſeat; proinde poterit Privilegiatus non ſolum in Civitate, ſed etiam Ruri, ſi ibi commoratur per magnam anni partem, uti Oratorio privato, quia illa jam ſit Domus ſolitæ habitationis: interim tamen non poterit uti Oratorio, quod eſt in Civitate, cum non poſſit eodem tempore habere duo Oratoria, ſeu Oratorium in duplici loco, ut habet Diana *part.* 9. *tr.* 1. *reſol.* 22. & *part.* 11. *tr.* 5. & *Miſcell.* 5. *reſol.* 34. ex quo ſequitur, quod retinens Oratorium in Civitate, non poſſit illo uti Ruri ſine ſpeciali facultate, quando ibi brevi tempore moratur.

§. IV. *Ad hoc decenter ornato, &c.*

21. REquiritur, quod Oratorium privatum ſit decens, & ornatum pia aliqua imagine, ornamentiſque Altaris inſtructum, ut appareat locus Sacer. Debet eſſe a domeſticis uſibus liberum, & a cæteris locis pro habitatione familiæ, aliiſque domeſticis uſibus inſervientibus muro ſegregatum; non eſt tamen neceſſe, quod quarto muro claudatur, & ſeparetur, ſed ſufficit, quod tela extenſa, aut tabulis erectis, ſi Cubiculum ſit amplum, ita ſejungatur a domeſticis uſibus, ut per Oratorium non pateat aditus ad alias partes Domus. Exiſtente Cubiculo ſupra Oratorium nihil prohibet, quin illud poſſit ſervire pro dormitione, aliiſque domeſticis uſibus, cum illud non ſit Oratorium, quamvis decentius eſſet, ſi id non fieret, maxime ab uxoratis; laudatque Tamburinus aliquorum Religioſorum ſolertiam, qui licet dormirent in Cubiculo extructo ſuper Oratorium, lectulum nihilominus non apponebant directe correſpondentem Altari, ſed quanto diſtantius poterant ad latus.

22. Adveniente caſu aliquo neceſſitatis non duraturo, non videtur prohibitum, quod Oratorium inſerviat pro aliquo uſu domeſtico, non obſtantibus verbis *ab uſibus domeſticis libero*; nam etiam in Eccleſia benedicta, & conſecrata, permiſſum eſt dormire, & comedere, & negotiari in caſu neceſſitatis, & aliquando etiam copula inter Conjuges, ut per Sanchez *lib.* 9. *de Matr. diſp.* 15. *n.* 12.; ergo multo magis videtur poſſe hoc fieri in Oratorio, quod nec eſt conſecratum, nec benedictum, ſed ad tempus deſtinatum ad uſum ſacrum: cum enim agatur de una, aut altera vice, ſic urgente neceſſitate, non ſit, quin Oratorium remaneat liberum ab uſibus domeſticis. Quod ſi caſus ſæpe contingeret, aut longo tempore duraret, id fieri non poſſet, quia non eſſet locus liber a domeſticis uſibus, prout eſſe debet locus Oratorii.

23. Cum autem Oratorium privatum, nec ſit conſecratum, nec benedictum, nec locus ſacer cultui divino permanenter dicatus, ſed ſit locus mere profanus, adeo ut ſit neceſſarium privilegium, ut in eo Miſſa celebrari poſſit: nil vetat, quin ad libitum Domini nolentis eo amplius uti, nulla etiam petita licentia, poſſit etiam converti in uſus profanos, cum hoc pendeat a ſola voluntate Privilegiati, nolentis eo amplius uti. Si autem Privilegiatus vellet iterum profanatum Oratorium reducere ad uſum Sacrum celebrandi, vel Oratorium alibi erigere, neceſſaria erit nova approbatio Ordinarii, quæ ſemper requiritur tanquam conditio neceſſaria, quoties mutatur locus, aut antiquus reaſſumitur, ut notat Caſtro Palaus *in Bullam Cruciatæ, punct.* 4. *n.* 6. & Tambur. *dict. cap.* 4. *n.* 10. §. 4.

§. V. *Per Ordinarium loci prius viſitando, &c.*

24. DEbet Oratorium ab Ordinario loci, in quo erigitur, viſitari, & approbari, ut videat, an in eo decenter offerri poſſit Sacrificium, nec pro tali viſitatione exigi poteſt procuratio, ſalva legitima conſuetudine; poſſe ſemel tantum viſitari docet Tambur., quia illud *prius viſitando* unam tantum viſitationem notat. Verum, quia ſucceſſu temporis variari, & immutari poſſunt ea, quæ ſpectant ad ornatum, & decentiam Oratorii, poterit per conſequens ſæpius viſitari ad videndum, an manuteneatur in eo ſtatu decentiæ, ut poſſit in eo Sacrificium celebrari. Nomine Ordinarii venit Epiſcopus loci, in quo erigitur Oratorium, & per conſequens Vicarius generalis Epiſcopi viventis, & Capituli ſede vacante; & omnes illi, qui in locis exemptis ordinariam habent juriſdictionem, poterunt Oratorium viſitare, & executioni mandare hujuſmodi privilegium, quia illi omnes veniunt appellatione Ordinarii; & quia Ordinarius delegare poteſt alteri ea, quæ ſunt juriſdictionis Ordinariæ, poterit etiam delegare viſitationem, & approbationem hujuſmodi Oratorii, quæ jure ordinario competit Epiſcopo, ad quem ſpectat curare, ut rite, & cum debito decore celebrentur Miſſæ, ut habetur in Trident. *ſeſſ.* 22. *de ſervandis, & vit. in celebr. Miſſæ.*

25. Concurrentibus autem in tali Oratorio conditionibus requiſitis in Breve Conceſſionis, non poteſt Ordinarius, nec directe, nec indirecte impedire, quin in eo celebretur juxta tenorem privilegii, quia non poteſt impedire, nec alterare conceſſionem Summi Pontificis abſque peccato. Quod ſi licentia injuſte denegetur, an poſſit Privilegiatus celebrare, vel celebrare facere abſque alia facultate, affirmant nonnulli apud Dianam *part.* 9. *tract.* 1. *reſol.* 10.

& apud Tambur. *ſupra num.* 15. quia licentia juſte petita, & injuſte negata, præſumitur ipſo jure ab eodem Pontifice conceſſa. Verum cenſeo in eo caſu, poſſe Ordinarium compelli ad talem approbationem ab Archiepiſcopo, vel alio Superiore, non tamen poſſe ſine licentia in Oratorio celebrari, quia obſtat clauſula: *Per Ordinarium loci prius viſitando, & approbando*, quæ importat conditionem, & formam, ſub qua uſus Oratorii conceditur; non purificata autem conditione, non poteſt gratia executioni mandari. Nec obſtat regula illa, quod licentia juſte petita, & injuſte denegata habeatur pro conceſſa; quia non habet locum, quando licentia requiritur, tanquam conditio, ut in præſenti caſu.

26. Circa illa verba: *de ipſius Ordinarii licentia ejus arbitrio duratura*, dubitatur primo: *an poſſit Ordinarius datam licentiam revocare?* Secundo: *an poſſit illam prorogare ad Hæredes, mortuo Privilegiato?* Tertio: *an ſit executioni mandanda etiam mortuo Concedente?* Et quoad primum reſp., non poſſe revocare licentiam datam, niſi ex gravi cauſa concernente uſum dicti Oratorii, cujuſmodi eſſet variatio requiſitorum, & conditionum, ſub quibus fuit conceſſum; ſi in eo non celebretur cum debita reverentia; ſi celebrentur plures Miſſæ, aut diebus prohibitis. Ratio eſt, quia talis gratia non eſt a ſummo Pontifice conceſſa cum dependentia a mera, & libera voluntate Ordinarii, ſed ab ejus arbitrio, quod importat arbitrium boni viri regulatum a jure. In eo autem differt arbitrium boni viri, ex Sanchez apud Tambur. *ſupra n.* 16. a libera voluntate, quod ea, quæ libere voluntati relinquuntur, poſſunt etiam ſine cauſa concedi, aut negari; ea vero, quæ committuntur arbitrio boni viri, non poſſunt negari ſine cauſa, quia arbitrium boni viri debet eſſe a jure regulatum. Secus poſſet Ordinarius etiam ſine cauſa irritam reddere conceſſionem ſummi Pontificis.

27. Ad ſecundum dico, licentiam privati Oratorii non poſſe prorogari ad Hæredes, ſed expirare, mortuo Privilegiato, quia eſt privilegium perſonale Privilegiato inhærens, quod cum eo extinguitur, ut contra Pellizzar. docet Diana *part. 9. tr. 1. reſol.* 17., & hoc eſt juxta praxim, & ſtylum Curiæ Romanæ non permittentis hujuſmodi privilegia tranſire ad Succeſſores. Nec illa verba: *De ipſius Ordinarii licentia ejus arbitrio duratura*, extendunt conceſſionem, quo uſque fuerit ab Ordinario revocata, etiam poſt mortem Privilegiati, ut interpretatur Pellizzarius, ſed potius modificant, ut, durante vita Privilegiati, cui ſit talis conceſſio, dependeat ab arbitrio Ordinarii, qui, juxta exiſtente cauſa, poterit illam ſuſpendere, vel revocare.

28. Ad tertium dico, quod mortuo Summo Pontifice concedente, non ceſſat privilegium Oratorii privati, nec ceſſat, mortuo Epiſcopo, qui ſemel illud approbavit, quia eſt gratia facta, quæ non ceſſat morte Concedentis, vel eo amoto ab Officio, ut tradunt communiter Doctores apud Sanchez *lib.* 8. *de Matr. diſp.* 28. *nu.* 64. Eadem de cauſa poterunt litteræ conceſſionis Oratorii privati executioni mandari, etiam poſt mortem Concedentis, quia non continent gratiam faciendam, ſed gratiam factam; non enim dant facultatem Ordinario concedendi Oratorium privatum, ſed ipſi committunt executionem gratiæ factæ: gratia autem facta quamvis dependeat ab executione alterius, non expirat morte Concedentis ex Sanchez *lib.* 8. *diſput.* 26. *num.* 87. Pignatellus *num.* 53.

§. VI. *Unam Miſſam pro unaquaque die, dummodo, &c.*

29. IN privato Oratorio nonniſi una Miſſa ſingulis diebus celebrari poteſt, juxta tenorem conceſſionis, & ſi quis aliam celebraret, vel celebrare faceret, mortaliter peccaret, quia perinde eſſet, ac celebrare in loco inepto, quod *ſupra dub.* 1. Diximus eſſe mortale; nam tale Oratorium pro ſecunda, & tertia Miſſa non eſt approbatum, quod verum eſt etiam, ſi Dominus familiæ non audierit primam, cum ſolum una Miſſa ſit conceſſa.

„ *Aliqua hoc loco admittenda videtur exceptio, quæ diſerte apponitur in Tractatu de Sacrificio Miſſæ lib.* 3. *c.* 4. *hiſce verbis*: Pontificem obſervamus (*in formis Brevis*) favore Infirmi, exceptum illum diem Natalis Domini, cæteris diebus, quodammodo coæquare; ac propterea, quemadmodum diebus illis licebat in privato Oratorio unam Miſſam dumtaxat celebrare, videbatur reſpondendum eſſe, itidem in Natali unam ſolummodo Miſſam celebrari poſſe; præſertim cum in priori Brevi facultatem conceſſerit Pontifex celebrandi *unam Miſſam pro unoquoque die*, exceptis diebus Paſchatis, Pentecoſtes, & Nativitatis Domini; in poſteriori autem Brevi propter infirmitatem poteſtatem fecerit etiam in illis diebus, quos in priori exceperat, celebrandi *prædictam unicam Miſſam*. Itaque concludi poſſe videbatur, Pontificem nihil aliud concedere, quam ut in die Natali Chriſti Domini una Miſſa in privato Oratorio celebrari poſſet. Eam etiam rationem tetigimus, non alia de cauſa id a Pontifice permiſſum, quam ut in Natali Chriſti Domini, aliiſque diebus exceptis, poſſet Infirmus præcepto ſatisfacere Miſſam audiendi; cui quidem præcepto ſatisfit etiam in Natali, ſi una tantum Miſſa audiatur. Neque enim Sacerdos eo die præcepto tenetur ternas Miſſas celebrare, nec cæteri ternas Miſſas audire, ut concludunt Navarrus *conſil.* 1. *de Celebrat. Miſſarum*, Bonac. *to.* 1. *Oper. Mor. de Sacram. Euchar. diſp.* 4. *q. ult. punct.* 11. *propoſit.* 1. *n.* 10. Caſtropalaus *to.* 4. *Oper. Mor. tr.* 22. *diſp. unic. punct.* 7. *nu.* 7. & Salmaticenſes *in Curſu Morali tom.* 1. *tr.* 5. *de Miſſæ Sacrificio cap.* 4. *punct.* 1. *n.* 9.

In eodem ſermone noſtro rurſus quædam animadvertimus, quibus ſuaderi poſſet, licere, juxta Breve, in privato Oratorio tres Miſſas in die Natali Chriſti Domini celebrare; neque enim Pontificis gratias, & conceſſiones nimis arcte interpretari oportet, nec exiſtimandum eſt, Pontificem, qui poteſtatem facit Infirmo in Natali Jeſu Chriſti audiendi Miſſam in Oratorio privato, voluiſſe illum ſpirituali conſolatione fraudare, quam, ſi integris fuiſſet viribus, tribus eo die Miſſis audiendis ſuſcepiſſet; cum præſertim in Brevi mentio quidem fiat etiam in Natali *unius*, & *unicæ Miſſæ*, ſed ſine particula *dumtaxat*, qua Pontifex uſus eſt, cum in diebus exceptis unam tantum perſonam ſervitio addictam permittit una cum Infirmo Miſſam audire in privato Oratorio: *In tua, ac unius perſonæ, ſervitiis tuis neceſſariæ dumtaxat præſentia.*

Poſtremis hujuſmodi permota rationibus reſpondit Sacra Congregatio, licere in Natali Domini tres Miſſas in Oratorio privato celebrare, ex Brevi ſupra allato a Summo Pontifice in favorem Infirmi conceſſo.

Caſum Sacræ Congregationi die 16. Decembris anni 1724. ita expoſuimus: *Licet in Indultis Oratorii privati, quæ a Sede Apoſtolica conceduntur, excipiantur nonnulli dies, & ſignanter dies Nativitatis Domini, quibus non eſt permiſſum Miſſam in eis celebrare, aut audire, in nonnullis nihilominus Sedis Apoſtolicæ Indultis, quæ dantur Infirmis, qui domo egredi non poſſunt, non ſolum dicti dies non excipiuntur, ſed expreſſe permittitur, ut ipſis diebus exceptis, & ſignanter in die Nativitatis Domini, Miſſa in prædictis Oratoriis privatis celebrari poſſit; cumque exorta fuerit dubitatio, ejuſque examen fuerit ad hanc Sacram Congregationem remiſſum: an, ſtante antiqua conſuetudine, a temporibus Teleſphori Papæ introducta, juxta quam quilibet Sacerdos die Nativitatis Domini tres Miſſas celebrare poteſt, poſſint eædem tres Miſſæ ab eodem Sacerdote celebrari in Oratorio, quod eſt a Sede Apoſtolica conceſſum Infirmo, nec aliquod adſit in Secretaria Brevium monumentum ad hujus dubii reſolutionem pertinens, Secretarius hujuſce Sacræ Congregationis, ne ſuo muneri deeſſet, diſcurſum exaravit ad calcem folii impreſſum, eoque benigne perlecto, reliquum erit, ut EE. VV. decernere dignentur.*

An in Oratorio privato, in quo ex cauſa infirmitatis a Sede Apoſtolica conceditur, ut Miſſa in die Nativitatis Domini celebretur, tres Miſſæ ab eodem Sacerdote celebrari poſſint, vel unica tantum Miſſa ſit celebranda?

Sacra Congregatio die 20. Januarii 1725. ita reſpondit: ad primam dubii partem, affirmative: & ad ſecundam, negative.

30. Hæc Miſſa celebrari poteſt per quemcumque Sacerdotem, ſive Sæcularem, ſive Regularem. Et quidem pro Sacerdote Sæculari non requiritur ſpecialis licentia Ordinarii, ſed ſufficit generalis celebrandi, ut conſtat ex praxi etiam timoratorum; mens enim Pontificis eſt ſolum excludere Sacerdotes exteros, qui nullam habent facultatem celebrandi in tali Diœceſi, non autem Sacerdotes in Diœceſi approbatos. Regulares autem non poſſunt in privato Oratorio celebrare contra voluntatem ſuorum Superiorum, ut conſtat ex illis verbis: *ſeu de Superiorum ſuorum licentia*. Sufficit tamen licentia tacita, & rationabiliter præſumpta, quæ in aliis pluribus, etiam gravioribus, cenſetur eſſe ſufficiens, ut ex Quintanadvena notat Diana *ſupra reſol.* 16.

31. In prædicto Oratorio, nec etiam Regulares titulo ſuorum privilegiorum, nec alii Sacerdotes etiam Epiſcopi, poſſunt ſecundam Miſſam celebrare, poſtquam celebrata fuit unica Miſſa, quæ in Indulto conceditur, ut declaravit Summus Pontifex Clemens XI., ex ſpeciali Decreto Sacræ Congregat. edito die 15. Decembris 1703., in quo præcipitur Sacerdotibus celebraturis, ut prius diligenter inquirant, & optime ſe informent, an fuerit prius aliqua alia Miſſa celebrata. Declarat ulterius, quod illa in caſibus permiſſis celebrari nequeat poſt Meridiem.

32. Dubium eſt: *an ſi in eadem Domo ſatis ampla habitent duæ Familiæ, ita ut quælibet habeat ſuam habitationem, italice* Appartamento, *diſtinctam ab alia, an utraque poſſit habere proprium Oratorium, cum facultate celebrandi, vel potius dicendum ſit, inutiliter impetraſſe, qui poſterius impetravit?* Prima Sententia docet poſteriorem impetrationem eſſe nullam propter illam clauſulam: *Dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri conceſſa non fuerit*; cum autem in eadem domo jam ſit alia conceſſa licentia, ſequitur, quod poſterius impetrata non valeat. Nec ſufficit ſi dicas, quod ambæ Familiæ ſuam habent habitationem, italice *Appartamento* diſtinctam, & in ea diſtinctum Oratorium, quia clauſula non vetat ſolum duplicem licentiam in eadem habitatione, & Oratorio, ſed in eadem

domo;

domo: at prædicta domus, quamvis ampla, pluresque habeat habitationes, una tamen, & eadem Domus eſt, ac proinde non poteſt valere licentia poſteriori loco impetrata. Ita tenent Tambur. *libr.* 1. *cap.* 4. §. 4. *num.* 20. & cum eo Diana *part.* 11. *tract.* 5. *reſol.* 35.

33. Secunda Sententia docet, validam eſſe poſteriorem impetrationem, & unamquamque Familiam habere poſſe privilegium Oratorii privati in propria parte inhabitata, dummodo tamen pars illa ſit talis, ut habeat ſufficientem numerum cubiculorum pro inhabitatione Familiæ, alia loca pro officinis, & domeſticis uſibus, & ea omnia, quæ regulariter requiruntur pro conſtituenda una domo, etiamſi habeant ingreſſum communem, atrium commune, & aulam principalem communem. Ratio eſt, quia mens Pontificis ſolum videtur eſſe, ne in eadem domo, ab eadem Familia inhabitata, multiplicentur privata Oratoria, aut multiplicentur Miſſæ in eodem Oratorio, etiam prætextu licentiarum a diverſis, ſeu pro diverſis, obtentarum, non vero velle excludere Oratoria diverſa, diverſaſque licentias pro diverſis Familiis diſtinctas, & ſeparatas omnino partes inhabitantibus; nam illæ partes, quantumvis phyſice, & materialiter dici poſſint una domus, quatenus eodem muro cinguntur: moraliter tamen, civiliter, & politice loquendo, illæ ſunt duæ domus diſtinctæ, propter diſtinctam habitationem, & diſtinctam Familiam inhabitantem, quarum neutra habet communicationem cum alia in actu habitandi, quod ſufficit, ut cenſeantur domus diverſæ, & in ordine ad fruendum multiplici privilegio Oratorii privati, pluribus juribus allegatis, oſtendit Pignatellus *diſt. conſul.* 98. *n.* 61. *&* 62. Inde ſi domus pluribus ſolariis conſtet, nempe ſuperiori, & inferiori, & in ipſis conſtituantur diverſæ habitationes, in quibus habitent diverſæ Familiæ, erunt diverſæ domus, juxta diverſitatem ſolariorum, ſive domus ſuperioris, vel inferioris, vulgo *Appartamento di ſopra, e di ſotto*, & unaquæque poterit habere ſuum privilegium. Ita Pignatellus *ibidem*, & Megala *var. reſol. tom.* 2. *reſol.* 191.

34. Prima opinio eſt magis litteralis, ſecunda aſt magis doctrinalis, illamque probabilem cenſeo, quia verba non tam litteraliter, & materialiter, quam humano modo debent accipi. Humano modo partes diverſæ a Familiis diverſis inhabitatæ, quæ nullo modo invicem communicant in actu habitandi, dicuntur domus diverſæ, & ſic pro unaquaque verificari poteſt privilegium Oratorii privati. Verum tamen eſt, quod idem Oratorium non poteſt eſſe commune, nec inſervire pluribus Privilegiatis, etiamſi ſit in loco patenti omnibus communi, propter illam clauſulam: *Ut in privato domus tuæ habitationis Oratorio*; per quam oſtenditur, Oratorium conſtituendum eſſe intra, non extra habitationem, ſed debet pertinere ad portionem domus inhabitatam a Privilegiato. Propter eamdem rationem Dominus Palatii uti non poterit Oratorio ſito in parte locata, quia tunc Oratorium non eſt in habitatione ſolita locatoris, ſed conductoris.

§. VII. *Sine tamen quorumcumque Jurium Parochialium præjudicio.*

35. PEr privilegium Oratorii privati nullum præjudicium inferri poteſt juribus Parochialibus: jura autem Parochialia ſunt non ſolum decimæ, primitiæ, & aliæ oblationes, quæ fiunt Parochis, ſed ea omnia, quæ ſpectant ad Sacramentorum adminiſtrationem, & univerſaliter ea omnia, quæ ſpectant ad Parochos, ita, quod in privato Oratorio nullum exerceatur munus Parochiale: ac proinde non poſſunt ibi miniſtrari Sacramenta, dari Pax, denunciari Feſta, Jejunia, Matrimonia, & ſimilia, quæ per ſe ſpectant ad Parochum. Non eſt tamen neceſſaria licentia Parochi, neque quoad Sæculares, neque quoad Regulares Sacerdotes, ut in privatis Oratoriis celebrare poſſint, cum hoc ſit illis conceſſum a Papa cum ſola licentia Ordinarii quoad Sacerdotes Sæculares, & ſuorum Superiorum quoad Regulares, ut patet ex illis verbis: *Per quemcumque Sacerdotem ab eodem Ordinario approbandum Sæcularem, ſeu de Superiorum ſuorum licentia Regularem*. Tamburinus *ſupra n.* 25. ex facillima ipſius Parochi præſumpta facultate, non condemnaret Sacerdotem, qui congregatis in Oratorio privato denuntiaret Feſta, vel Jejunia forte in hebdomada occurrentia, vel etiam Sacramentum Pœnitentiæ toti Familiæ, ubi non urget particularis conſtitutio in contrarium; & Paſqualigus *q.* 643. docet, in dictis Oratoriis poſſe benedici Candelas, Palmas, & Cineres, dari Pacem, denuntiari Feſta, & Jejunia, quia hæc non ſunt jura ſpecialia Parochorum.

36. Dies, in quibus celebrari non poteſt in privatis Oratoriis, ſunt dies Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paſchatis, Pentecoſtes, Annunciationis, & Aſſumptionis B. Mariæ Virginis, SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Feſtum Omnium Sanctorum, quorum aliqui exprimuntur in Bulla Conceſſionis, alii continentur in illis verbis: *Necnon aliis ſolemnioribus Feſtis diebus exceptis*, prout declaravit Sacra Rituum Congregatio die 17. Novembris 1607. teſte Gavanto *part.* 1. *tit.* 20. quem ſequuntur Doctores communiter: Nomine Paſchatis, & Pentecoſtes, intelligitur prima tantum dies: ita Gavantus. Adduot aliqui Feſtum Patroni loci, idque, vel ex obligatione, vel ex convenientia; ab aliis non admittitur, quia in Decreto Sacræ Congregationis non excipitur, ſicut nec in eodem Decreto excipiuntur Feria quinta, & Sabbathum Majoris Hebdomadæ, cum nec ſint dies feſti; adeoque poterit his diebus in privato Oratorio celebrari, ceſſante alia prohibitione in contrarium, ut expreſſe docet Paſqualigus *q.* 639. *n.* 9. ubi etiam dicit, declarationes Sacræ Rituum Congregationis eſſe intelligendas de celebratione publica, non de privata, & ſecreta.

37. Hodie tamen ex Decreto Sacræ Congregationis, edito die 12. Februarii anni 1690. ſupra per extenſum poſito, prohibentur celebrari Miſſæ in Sabbatho Sancto in Oratoriis privatis; & per aliud ſpeciale Decretum, editum 15. Decembris 1703. eadem Sacra Congregatio declaravit: *In Oratoriis privatis, quæ per Sanctam Sedem conceſſa fuerint, non licere Regularibus cujuſvis Ordinis, aut Inſtituti, ſeu Congregationis, etiam Societatis Jeſu, aut etiam cujuſvis Ordinis Militaris, etiam Sancti Joannis Hieroſolymitani, aut aliis quibuſcumque Sacerdotibus, etiamſi eſſent Epiſcopi, in iis celebrare in diebus Paſchatis Sanctiſſimæ Reſurrectionis, Pentecoſtes, Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, aliiſque aliis Feſtis ſolemnioribus, ac diebus in indulto exceptis.*

§. VIII. *In tua, & Familiæ tuæ, necnon Hoſpitum tuorum Nobilium præſentia celebrare facere.*

38. NOmine Familiæ, quæ in privatis Oratoriis poteſt audire Miſſam virtute privilegii, veniunt Uxor Privilegiati, Filii, Nurus, Gener, & quicumque alii habitantes in eadem Domo, & conjuncti ſunt Privilegiato, & Commenſales; nam iſti omnes pertinent ad eamdem familiam, prout importat unum corpus cohabitantium, & conviventium, prout docent Diana *part.* 4. *tr.* 4. *reſol.* 208. & Tambur. *lib.* 1. *cap.* 4. *nu.* 28. Sicut etiam veniunt omnes Servi, & Servæ commenſales, qui in Miniſterio ejuſdem familiæ ſunt, quia in iſtis reperiuntur conditiones neceſſariæ ad conſtituendum aliquem familiarem, nimirum, quod vivat expenſis Domini, & quod inſerviat actu, prout colligitur ex cap. *Sicut nobis, de verb. ſignif. in* 6. & obſervant Doctores communiter. Pranch. *n.* 4. Bellam. *conſ.* 20. *n.* 9. Anchar. *conſ.* 398. *n.* 2. Gomez *ad reg. Cancell. de impetr. benef. vac. per obit. q.* 13. Maſcard. *de probat. concl.* 755. & Tuſch. *litt. F. concl.* 72. *n.* 11. 27. *&* 30.

39. Non eſt tamen neceſſe, ut aliquis dicatur commenſalis, quod conveniat ad eamdem menſam, aut quod illi ſubminiſtrentur cibaria, ſed ſufficit, quod vivat expenſis Domini ſubminiſtrantis pecuniam pro victu, ut conſtat ex praxi Curiæ Romanæ, ubi habentur pro familiaribus Cardinalium, qui non cibaria, ſed ſalarium in pecunia accipiunt ſingulis menſibus, ut notat Tuſchus ſupra *n.* 37.; & hac ratione Hortolanus colens hortum Domini, ſi habitat in eadem domo in continuo ſervitio culturæ, & vivit ex ſalario ejuſdem Domini, erit unus de familia: quod idem valet de quibuſcumque aliis inſervientibus in quocumque ſervitio continuo concernente familiam, & habentibus ſalarium a Domino pro ſuſtentatione.

40. Dubium eſſe poteſt de Factore, qui vivit quidem de ſalario Domini, ſed dormit, ſeu habitat in ſua propria domo. Dico eſſe de familia, quia in eo concurrunt conditiones, quibus perſonæ extraneæ conſtituuntur familiares ex dict. cap. *Sicut nobis*, nimirum eſſe in continuo ſervitio, & eſſe commenſalem, hoc eſt, vivere expenſis Domini. Nec obſtat, quod dormiat, ſeu habitet in ſua propria domo; nam Romæ familiares Cardinalium, & aliorum, quamplures non habitant in domo ſui Domini, ſed in propria, & tamen gaudent privilegio familiaritatis, quia vivunt expenſis Domini, & ſunt in ejus continuo ſervitio, quod ſufficit.

41. Capellanus, qui celebrat in Oratorio, an ſit dicendus familiaris, & ſatisfaciat præcepto audiendi Miſſam, videndum eſt, an vere ſit addictus ſervitio Domini, a quo ſalarium accipit, ut Miſſam celebret in Oratorio ad nutum, & commoditatem Domini, & tunc dici poterit familiaris, quia de facto inſervit, & ſalarium accipit: ſi vero ſalarium ſolum accipit pro celebratione, cum libertate celebrandi quando, & ubicumque voluerit, non erit familiaris, quia non eſt addictus ſervitio; nam ad familiaritatem illa duo copulative requiruntur. Satisfacit tamen præcepto, ſi Miſſam celebrat in Oratorio, quia talis videtur mens Pontificis concedentis, Miſſam poſſe celebrari per unum Sacerdotem. Idem valet de Clerico, ſeu alio inſerviente Miſſæ, qui debet gaudere privilegio, ratione Sacerdotis celebrantis, cui inſervit, nec debet eſſe deterioris conditionis, quam Domini famulus.

42. Dubitatur: *an Filii, ſeu Filiæ Privilegiati, eorumque Uxores, & Viri, gaudeant hoc privilegio, ſi habitent in eadem domo, in diverſis tamen habitationibus, ſeu appartamentis, & vivant ſuis expenſis?* Affirmat Pellizzar. *in Man. Regul. to.* 2. *tr.* 8. *ſect.* 2. *nu.* 149. quia licet prædicti habeant propriam menſam, proprios reditus, & proprios famulos, & hac ratione non poſſint: dici vere, & proprie de Familia habentis indultum Oratorii, etiam ſi habitent in ejus domo, cum potius revera ſint duæ Familiæ; nihi-

nihilominus cum ſimus in materia favorabili, nomen Familiæ videtur poſſe impropriari, itaut extendatur ad prædictos Filios, ſeu Filias, eorumque Uxores, & Famulos, cum uſus ille nemini ſit præjudicialis, & favorabilia debeant ampliari, *l. cum quidam ff. de lib. & poſthum.*

43. Reſp. tamen negative, quia prædicti, cum vivant propriis expenſis, & habeant habitationem, & familiam diſtinctam, non poſſunt diei familiares habentis indultum Oratorii, eum ex ſupra cit. cap. *ſicut nobis*, *de Verb. ſignif. in 6.* ad familiaritatem requiratur commenſalitas, quæ in prædictis perſonis deficit, cum vivant propriis expenſis, & habeant habitationem, & familiam diverſam, quamvis in eadem Domo materiali habitent, ut late probat Diana *p.* 9. *tract.* 1. *reſol.* 6.

44. *Necnon in hoſpitum tuorum Nobilium præſentia.* Non in omnibus conceſſionibus apponi ſolet hæc clauſula, ubi autem apponitur, ut hoſpes gaudere poſſit privilegio audiendi Miſſam in Oratorio privato Privilegiati, neceſſe eſt, quod ſit hoſpes, & quod ſit nobilis, ut in conceſſione exprimitur. *Hoſpitum* appellatione veniunt, qui domi commorantur tanquam extranei a Domino recepti, qui proinde ſunt commenſales ad tempus; non eſt in illis neceſſaria nobilitas ex genere, ut notat Tambur. ſupra *nu.* 32. ſed ſufficit quæcumque nobilitas, ſive ex genere, ſive ex privilegio, maxime quia in conceſſione dicitur tantum *Nobilium*, non autem ex *nobili genere*. Hoc privilegium extendit Pellizzar. ad hoſpitem unius diei, ut cum quis invitatur ad prandium pro uno ſolum die, quia revera eſt hoſpes; quod etiam verum putat, etiamſi de induſtria talis Vir nobilis invitaretur ad prandium, ut gaudeat privilegio audiendi Miſſam in privato Oratorio, quia hæc non eſt fraus, ſed reddere habilem Virum nobilem, ut gaudere poſſit privilegio, ſicut habilis redditur ad comedendas carnes ille, qui exiens a loco, ubi eſt jejunium de præcepto, ſe confert ad locum, ubi tale præceptum non adeſt; hanc extenſionem non admittit Diana *part.* 9. *tr.* 1. *reſol.* 6. nec privilegium extenditur ad ſervos Viri nobilis invitati, quia non exprimuntur in privilegio.

45. Dubitatur 2. *an ſit licitum in privatis Oratoriis celebrare coram familia, etiamſi non adſit Dominus, cui principaliter conceſſa eſt facultas?* Communis Sententia affirmat, quia licet hoc privilegium concedatur familiæ, & familiaribus ſolum, ratione Domini, nullum tamen in Bulla conceſſionis reperitur verbum reſtringens; ut in ſola præſentia Domini, & non in illius abſentia frui debeant tali privilegio. Nec obſtat, quod in conceſſione dicatur *in tua, & tuæ familiæ*, quæ quidem particula eſt copulativa, & conjungit antecedentia cum ſubſequentibus, quia ſicut non obſtante tali particula, &, celebrari poteſt in ſola præſentia Domini, ita etiam celebrari poterit in ſola præſentia familiæ; ut enim bene advertit Diana *part.* 4. *tr.* 4. *reſol.* 13. cum Rodriquez, Comitolo, & Portel, particula, &, ſumitur aliquando disjunctive pro *aut*, ſeu *vel*: & ita tenent Diana *ibidem*, & *part.* 9. *tr.* 1. *reſol.* 2. & apud ipſum Novarius, Quintanadvenas, Pellizzar., & Ludovicus a Cruce, & ita in praxi aſſerit obſervari; nam paſſim, abſente Domino, ejus familiares audiunt Miſſam in privatis Oratoriis. Sequuntur Averſa *de Euchar. q.* 11. *ſect.* 14. §. 17. Caſtro Palaus *diſp. unica punct.* 6. *num.* 9. Tambur. *lib.* 1. *cap.* 4. §. 4. *num.* 40. & Pignatellus *conſult.* 98. *numer.* 99. & alii ſatis communiter.

46. Hæc Sententia, quamvis ſit probabilis propter auctoritatem Doctorum; probabilior tamen, & ſequenda eſt Sententia oppoſita, negans poſſe Miſſam celebrari in Oratoriis privatis Domorum Sæcularium, abſente Domino, ſeu non præſente aliquo ex Privilegiatis, quando pluribus privilegium conceſſum eſt, quia tale privilegium eſt perſonale, & conceſſum ſoli Domino, aliis autem nonniſi concomitanter ratione Domini, ut cum illo poſſint Miſſam audire, non vero ſine illo; & ita colligitur ex Decreto Sacræ Congregat. emanato 15. *Decembris* 1703. pro tollendis abuſibus Oratorii privati, & inter alios delatos ad aures Sanctitatis Suæ ponitur, quod *Regulares in quibuſdam Magnatum, ſeu aliorum nobilium perſonarum privatis Oratoriis, quæ certis quandoque ex cauſis a Sancta Sede Apoſtolica concedi ſolent, celebrare audent, vel plures Miſſas, quam in ipſis celebrare ſit indultum, vel abſque præſentia perſonarum, quarum contemplatione gratioſa conceſſio emanavit*; & inde non poteſt ſine tali præſentia Miſſa celebrari, prout tenent Rodriquez *in addit. Cruciat.* §. 5. *n.* 5. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 13. Villalob. 1. *part. Sum. tr.* 27. *Clauſ.* 4. *num.* 16. & probabile putat Tambur. *loco cit.*

47. An vero poſſint Regulares in hujuſmodi Oratoriis privatis miniſtrare Euchariſtiam communicare volentibus ex devotione: affirmat Portell. *in reſpon. Mor. p.* 3. *caſu* 39. quia Regulares habent amplum privilegium Pauli IV. anno 1557. & aliorum Pontificum, miniſtrandi Euchariſtiam Sæcularibus extra ſuos Conventus, quod privilegium a nullo Pontifice eſt revocatum; ergo poſſunt illam miniſtrare in Oratoriis privatis, etiam contradicente Epiſcopo, & probabile putat Diana *part.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 14. qui tamen conſulit, ne Regulares id faciant cum diſplicentia Epiſcoporum; poſſe etiam Sacerdotes Sæculares in Oratoriis privatis miniſtrare Euchariſtiam habentibus per Bullam Cruciatæ privilegium ſuſcipiendi Sacramenta a Sacerdote, quem elegerint, concedit Diana *ibidem*; ſed conſulit, ne id faciant abſque licentia Epiſcopi, certe ſine illa non debet miniſtrari.

§. IX. *Volumus autem, ut ab obligatione, &c.*

48. Non obſtante tali clauſula, ſatisfieri præcepto audiendi Miſſam in die feſto ab Exteris, & non Privilegiatis, ſi in Oratorio privato Miſſam audiant, aſſerunt Homobonus *de exam. Eccleſ. par.* 2. *tr.* 8. *cap.* 5. *q.* 14. Palaus *tract.* 22. *diſp. unica punct.* 16. *n.* 13. Facundez 1. *Eccleſ. præcep. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 8. Henriquez, & Pellizzar. *in Manual.*, quos refert Paſqualig. *q.* 659. Buſembau *in Medul. Theol. lib.* 3. *tr.* 3. *dub.* 2. *num.* 10. Leander *in præcept. Eccleſ. tract.* 2. *diſp.* 1. *qu.* 20. Trullench. *in Decalog. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 1. *dub.* 6. *n.* 4. & alii apud ipſos. Ratio eſt, quia Eccleſia, præcipiendo auditionem Sacri, non præſcribit locum, in quo audiatur, & conſuetudine introductum eſt, ut ubique extra Parochiam poſſit audiri. Nec obſtat clauſula in privilegio Oratorii appoſita clare affirmans, alios a Privilegiatis non ſatisfacere præcepto, quia aſſerunt poni de ſtylo Curiæ, & ſecundum ritum antiquum, quando non poterat præcepto ſatisfieri, niſi in propria Parochia, qui ritus cum hodie ſit abrogatus, illa clauſula perinde ſe habet, ac ſi non eſſet appoſita. Hæc Sententia probabilitatem olim habebat ex auctoritate Doctorum, & qui, illam ſequendo, Miſſam audiebat in Oratorio privato, non ita facile condemnandus erat de lethali.

49. Probabilior tamen, & ſequenda eſt Sententia oppoſita, dicens non ſatisfacere præcepto audiendi Miſſam in die Feſto, qui illam audiunt ſine privilegio in Oratorio privato; ſicut nec ſatisfacit Dominus ibidem audiendo Miſſam diebus ſupra excluſis. Ratio eſt, quia nimis clara, & aperta ſunt verba Pontificis excludentis exteros a ſatisfactione præcepti, audiendo Miſſam in Oratorio privato, ut patet ex illis verbis *Volumus autem &c.* Nec ſubſiſtit allata expoſitio hujus clauſulæ, cum ſit omnino voluntaria, & gratis aſſerta; licet enim quis poſſit audire Miſſam extra Parochiam in quocumque loco publico, non tamen poteſt in loco privato a Papa prohibito; præceptum audiendi Miſſam ſimul obligat ad illam audiendam in loco publico ad id deputato, ut conſtat ex Conc. Trid. *de ſervan.*, & *vita in celebr. Miſſæ ſeſſ.* 22. quia debet audiri ſecundum ritum ab Eccleſia præſcriptum, & ſecundum exigentiam Sacrificii; ritus autem Eccleſiæ eſt, ut Sacrificium offeratur in loco publico; & Sacrificium, cum ſit publicum pertinens ad omnes, & contineat publicum cultum Dei, exigit offerri in loco publico, & ad hunc cultum publice Deo offerendum obligat Eccleſia, per conſequens non ſatisfit præcepto, & intentioni Eccleſiæ per auditionem privatam in loco privato: & ita tenent Marchinus *ſupracit. cap.* 9. *num.* 10. Diana *ſupra reſol.* 3. Bonacina *quæſt. ult. punct.* 12. *n.* 4. Riccius *in praxi tom.* 1. *reſol.* 467. *num.* 23. Molfeſius *in Sum. tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 17. *nu.* 90. Pignatellus ſupra num. 109. & alii magis communiter.

50. Hodie de hac Sententia non eſt amplius dubitandum, nam Sacra Congregat. in Decreto edito 15. *Decemb.* 1703. expreſſe declaravit; perſonas quaſcumque non privilegiatas Miſſam audientes in Oratoriis privatis, aut in diebus non permiſſis, nullatenus Eccleſiæ præcepto ſatisfacere.

51. Per illas particulas *volumus autem, quod familiares ſervitiis tuis non neceſſarii, &c.* excluduntur illi tantum a Privilegio audiendi Miſſam in Oratorio privato, qui, licet ſint commenſales, & de familia, non tamen ſunt in actuali ſervitio Domini: non vero excluduntur illi, qui ſunt in actuali ſervitio concernente perſonam, aut Domum Privilegiati; quocumque enim modo inſerviant, dicuntur familiares, neceſſarii, & utiles ſervitio Domini: ſiquidem neceſſarii, ſeu utiles in præſenti pro eodem ſumuntur, ut explicat Pignatell. dicta *conſul.* 98. *num.* 108. adeo ut illi omnes dicantur neceſſarii, qui aliqua ratione ſunt utiles ſervitio Domini, ſive circa perſonam, ſive circa Domum ipſius.

52. Dubitatur? *an Privilegiatus ſi ſit infirmus, aut Domi loco carceris detentus, vel alias impeditus, ut non poſſit adire Eccleſiam, teneatur diebus Feſtivis audire Miſſam in Oratorio privato Domus ſuæ?* Affirmat cum Nugn. 3. *part. q.* 83. *art.* 6. *dub.* 3. Pignatellus *de conſul.* 98. *n.* 110. quia præceptum audiendi Miſſam obligat omnes illos, qui poſſunt audire, neque excuſantur, niſi impotentes, aut impediti; ſed qui habet privilegium, ut poſſit ſatisfacere præcepto audiendi in privato Oratorio, non eſt impotens, nec impeditus; ergo tenetur ibi audire, ut præcepto ſatisfaciat. Conf. in interdicto locali, qui habent privilegium, non excuſantur a præcepto audiendi Sacrum, ut cum Suarez, Bonacina, Navarro, Soto, Azor., Henriquez, Facundez, Lugo, Barboſa, & aliis tenet Franciſc. a Jeſu Maria *tract.* 6. *cap.* 6. *num.* 50. ergo nec excuſatur a tali præcepto qui habet privilegium audiendi Sacrum in privato Oratorio Domus ſuæ.

53. Reſp. tamen negative, maxime ſi neceſſarium ſit ſtipendio quærere Sacerdotem, quia præceptum Eccleſiæ ſolum obligat fideles ad audiendam Miſſam in Eccleſia, & loco

& loco publico, ut deferatur Deo publicus cultus; ergo qui non poteſt Eccleſiam adire, cenſetur impeditus, nec tenetur ex præcepto Miſſam audire. Nec ſufficit, quod ille habeat privilegium audiendi Miſſam in Oratorio privato; nam per tale privilegium poteſt quidem Miſſam audire, at non tenetur, ſicut qui poteſt veſpere præcedenti recitare Matutinum diei ſequentis, non tenetur, præveniendo, illud recitare, etiamſi pro craſtina die prævideatur impedimentum, quia nemo cogitur uti ſuo privilegio, & quod ad favorem alicujus conceditur, non debet in ejus obligationem retorqueri: & ſic privilegium Oratorii privati affert quidem poteſtatem, non tamen obligationem audiendi Miſſam. Nec eſt eadem ratio in hoc caſu, quæ eſt in caſu interdicti, quia interdictum locale nulla alia ratione excuſat ab obligatione audiendi Miſſam, niſi quatenus prohibet illius auditionem; habentibus autem privilegium non prohibet Miſſæ auditionem, ſed relinquit præceptum in ſuo robore, & Miſſa celebratur, ut debet, & ſolet, abſque ulla diſpenſatione in jure communi: at in caſu noſtro fit diſpenſatio in jure communi, quatenus Miſſa non celebratur in Eccleſia ſecundum ritum communem, & ordinarium, ſed extra Eccleſiam, ad quam nec præceptum Eccleſiæ, nec privilegium obligat, ſed permittit; nemo autem cogitur uti ſuo privilegio, & ita tenent Diana *part. 4. tr. 4. reſol.* 80. *& part. 9. tr. 1. reſol.* 19. Eſcobar. *tr. 1. exam. 11. cap. 11. num. 97.* Pellizz. *in Man. regul. tom. 2. tractat. 8. cap. 2. ſect. 2. num.* 154. Homobonus *in reſponſ. caſ. conſcient. volum. 1. reſpon.* 41.

D U B I U M IV.

De Privilegiis Regular. in ordine ad locum celebrandi.

54. PLura habent privilegia Regulares celebrandi extra Eccleſiam; adeſt enim privilegium amplum inſertum in corpore juris cap. *In his. De privilegiis* conceſſum ab Honorio Fratribus Prædicatoribus celebrandi in quocumque loco honeſto, & congruenti ſuper Altare portatili, ſine præjudicio tamen jurium Parochialium, quod privilegium fuit confirmatum ab Innocentio IV. aliiſque Pontificibus, eoque gaudent alii Regulares per participationem: & Paulus III. idem conceſſit Patribus Societatis, aliiſque per participationem in Bulla *Licet debitum*, ubi habetur *liceat Præpoſitis, & de eorum etiam facultate univerſis Fratribus & Sociis Societatis, in locis, in quibus degant, & eos pro tempore morari contigerit, habere Oratoria, & in eis, ac quocumque alio honeſto, & congruenti loco, in Altari portatili cum debita reverentia, & honore celebrare.*

55. Dubitatur: *an hujuſmodi privilegium Honorii, & Pauli III. ſit revocatum per Conc. Trid. ſeſſ. 22. in Decreto de obſervandis in celebrat. Miſſæ?* Affirmat cum aliis Lezana *to. 1. c. 21.* quia in fine illius Decreti habetur: *Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, & exemptionibus*, ſed alii magis communiter negant, Emanuel Rodriquez in Summa Verbo *Miſſa cap. 25. nu. 24.* Hieronym. Rodriq. *reſol. 9. nu. 4.* Petrus de Ledeſma *de Euchar. cap.* 20. Philibertus Marchinus *part. 3. tract. 3. cap. 9. num. 12.* Jo. a Cruce *lib. 2. de privileg. Regul. cap. 5. dub. 7. §. ſi objicias.* Portel. *in dubiis Regul. verbo Altare n. 1.* Baſſæus *tom. 1. verbo Miſſa 4.* Lugus *de Euchar. diſp. 20. ſect. 2. n. 51.* Jo. Præpoſitus, Paſqualigus, Ant. a Spiritu Sancto, & alii, quos affert, & ſequitur Fran. a Jeſu Maria *cap. 4. n. 61.* primo quia Decretum Trid. non prohibet celebrationem, ſed concedit Epiſcopis, ut poſſint prohibere etiam Regularibus, ne celebrent in domibus privatis, ut patet ex illis verbis: *Ne patiantur Epiſcopi &c.* quapropter donec Epiſcopi prohibeant, ſeu contradicant, non eſt revocatum privilegium celebrandi etiam in Cameris Sæcularium; nec non in Cameris propriis Religioſorum; hoc enim ſignificant verba Pontificis *ubique fuerint*, modo locus ſit decens, & aptus.

56. Secundo quia privilegium inſertum in corpore juris, ut eſt, quod habent Prædicatores celebrandi in loco honeſto in omni orbis parte, non debet dici revocatum, niſi certo conſtet de revocatione, quia jus commune intactum remanere eſt favorabile: de revocatione autem illius privilegii non certo conſtat, quia plures, ut vidimus, Doctores aſſerunt non eſſe revocatum, quamdiu Epiſcopus non contradicit, & ſic poſſeſſio ſtat pro privilegio, pro quo ſtat in foro externo præſumptio.

57. Si quæres: *an licitum ſit Regularibus celebrare in cameris ſuorum infirmorum, ut Miſſam audiant, & communicent?*

Reſp. affirmative, quia Pius IV. conceſſit Canonicis Lateranenſibus, quorum privilegiis nos Barnabitæ directe gaudemus, ut durante infirmitate in proprio cubiculo ſuper Altari portatili, in loco decenti, abſque alia Ordinarii requiſita licentia, Miſſas ſibi celebrare curent, illiſque aſſiſtere, ac dominicum Corpus recipere, ut refertur in noſtris privilegiis *tit. Infirmi* & in privileg. Ordinis Sanctæ Mariæ Fulienſis *eodem tit.* non obſtantibus Conciliis generalibus &c. Eſt autem hoc privilegium conceſſum die 18. Maji anno 1565. Pontificatus ſui anno 6. poſt Concilium Trident. & cum derogatione ipſius. Ita communiter apud Dianam *part. 6. tract. 8. reſol. 39.*

58. Quod ſi contingat aliquem Regularem infirmari in cubiculo Sæcularium, poterit ad ſe advocare quemcumque Sacerdotem voluerit, ut intra cameram, in qua decumbit, celebret Miſſam; nam privilegium eſt perſonale, unde ſequitur perſonam cap. *privilegium de reg. juris* in 6. & *l. privilegia*, & *l. in omnibus ff. de regulis juris*: & patet ex illis verbis ut *ubicumque fuerint*: hac de cauſa ſi in camera, ſeu cella intra Monaſterium infirmetur Sæcularis, non poterit in illa celebrari pro eo, niſi habeat privilegium perſonale, vel niſi hujuſmodi privilegium ſit locale.

59. Verum quoad Altare portatile Sanctiſs. Dominus noſter Clemens XI. ſpeciali Decreto edito die 15. Decemb. 1703. *ex unanimi voto S. R. E. Cardinalium Concilii Trid. Interpretum, inhærendo declarationibus alias hac de re editis, cenſuit, & declaravit, licentias, ſeu privilegia conceſſa nonnullis Regularibus in c. In his de Privil. & per aliquos ſummos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi dicto Altari portatili, in eoque celebrandi abſque Ordinariorum licentia in locis, in quibus degunt, omnino revocata eſſe per idem Sacrum Concilium, & propterea eoſdem Regulares prohibendos, ne illis utantur, ac mandandum, prout præſentis Decreti tenore mandat Epiſcopis, aliiſque Ordinariis locorum, ut contra quoſcumque contravenientes, quamvis Regulares, procedant, etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati, ad pœnas præſcriptas per idem Sacrum Concilium in dicto Decreto ſeſſ. 22. uſque ad cenſuras latæ Sententiæ, tributa etiam eiſdem facultate per hoc Decretum ita procedendi, perinde ac ſi per S. Sedem ſpecialiter conceſſa fuiſſet, & ita Sanctitas ſua declaravit, & ſervari mandat.*

60. Aliud privilegium conceſſit Gregorius XIII. poſt Concilium Trid. cum ejus ſufficienti derogatione Patribus Societatis Jeſu, & per communicationem cæteris Religioſis participantibus: *Ut poſſint in Miſſionibus, quæ a Superiore fiunt, Sacrificium Miſſæ ſuper Altari viatico, ubique gentium, cum debita reverentia, & honore celebrare, etiam in caſtris militum, modo loca, etſi communia & profana, tuta & honeſta ſint, & Præpoſitus Generalis, aut per eum Provincialis, eo utendum fore judicaverint, & poſſe ibidem ſacram Euchariſtiam Fidelibus miniſtrare*: ut refert Tambur. *lib. 1. cap. 4. §. 3. nu. 3.* ubi notat id poſſe etiam in cameris Sæcularium, prout indicant verba *ubique gentium*; quo tamen privilegio gaudere non poterunt Presbyteri non Religioſi, qui forte ſint ſocii in miſſionibus talium Religioſorum, quia ſolis Religioſis eſt conceſſum.

61. Per aliud privilegium conceſſum Patribus Societatis, & per participationem aliis communicantibus a Gregorio XIII. poſt Concilium Trid. cum ejus ſufficienti derogatione die 3. Maji anno 1575. Pontificatus ſui anno 3. incipit *Decet Romanum Pontificem*, poſſunt Prælati Regulares, Generales, vel Provinciales, in ſuis Domibus, Collegiis, & aliis locis, ubi aliqui Religioſi reſidebunt, deputare privata Oratoria, in quibus, cum Altari portatili, abſque alia Epiſcopi licentia, poſſint Miſſam, & alia Divina Officia celebrare, non ſolum omnes illius Ordinis Religioſi, ſed etiam Presbyteri Sæculares, dummodo Oratoria ad divinum tantum cultum ſint deputata, prout refertur in compendio privileg. Societatis *tit. Oratoria* & in noſtris privilegiis *ſub tit. Miſſa* §. 1. quo privilegio fruuntur omnes alii Ordines Mendicantes, & non Mendicantes per mutuam communicationem, ut teſtantur Auct. Facundez apud Marchinum *cap. 9. num.* 14.

62. Hinc ſequitur, poſſe Regulares Miſſas celebrare in Grangiis, & aliis locis Monaſterii, & de hoc etiam habent privilegium per Bullam conceſſum a Sixto IV. Prædicatoribus Bulla 33. & Julio II. Bulla 20. & Innoc. VI. Bulla 14. qui conceſſit Ciſtercienſibus, poſſe in Grangiis, & aliis locis Monaſterii Capellas, Eccleſias, & Oratoria conſtruere, ubi ſine licentia Ordinarii, vel alterius, poſſint Miſſas, & divina Officia celebrare: rationem etiam affert Diana *part. 9. tr. 1. reſol. 33.*, quia Concilium ſolum concedit Epiſcopis, ne permittant celebrare in privatis domibus, aut omnino extra Eccleſiam; prædia vero, ſeu Grangiæ non ſunt privatæ domus privatarum perſonarum, aut ſæcularium, ſeu Monaſteriorum, & communitatum Religioſorum, nec ſunt omnino extra Eccleſiam, quia ſunt partes Eccleſiæ, & bona ipſius, & notat ex Henriquez in dictis Grangiis, & eorum Oratoriis non ſolum poſſe celebrare Sacerdotes Regulares, ſed etiam Sæculares: idem habet *part. 6. tract. 8. reſol. 39.*

D U B I U M V.

An licitum ſit celebrare in Mari?

63. PRima Sententia abſolute tenet non licere, quia regulariter adeſt periculum effundendi Sanguinem propter continuam Maris agitationem: & quamvis una, vel alia vice ceſſare videatur hoc periculum, non inde ceſſat lex prohibens prædictam celebrationem, quia lex non reſpicit periculum utcumque, ſed periculum regulariter contingens; deinde quia in Mari vix locus decens celebrationi inveniri poteſt; ob quas cauſas videtur conſuetudine rece-

 ptum,

ptum, in Mari celebrari non poſſe. Et ita tenent D. Antoninus, Navarrus, Suarez, Kellilonius, Angelus, Sylveſter, Vaſquez, Præpoſitus, Tannerus, Armilla, Sotus, Paludanus, Villalobos, & alii uſque ad triginta Auctores, quos affert Diana *part. 1. tract. 5. reſol.* 40 Peyrinus, & alii, quos affert, & ſequitur Bonacina *punct. 9. n. 11.* ſequitur Homobonus *de exam. punct. 1. tract. 4. cap. 14. qu.* 137. Gavant. *in Rubr. Miſſal. punct.* 1. *tit.* 20. Addit Coninch *de Sacram. q.* 83. *art. 3. dub. 1. n.* 226. per nullum inferiorem Papa, ob quamcumque neceſſitatem, poſſe alicui concedi facultatem celebrandi in Navi exiſtente in Mari, aut Flumine, bene tamen a Papa poſſe concedi, ut etiam tradunt Turrianus *in Sum. part. 2. cap. 70. dub. 1. concl.* 4. & Lugus *de Euchar. diſp. 20. ſect. 3. num.* 80.

64. Secunda Sententia abſolute affirmat licere, quia in Navibus Indicis, & ſimilibus, nullum eſt periculum irreverentiæ; facile enim in illis deſtinari poteſt locus digniſſimus, decenter, imo & magnifice ornatus, ab omni lætore, & ſordibus ſecretus, in quo debito tempore ſacrificetur. Facile etiam evitari poteſt omne periculum effuſionis Sanguinis, quia periti Naucleri prævident Maris commotionem, quæ ſi immineat, præmonebunt ante Miſſæ initium, & alius Sacerdos Calicem conſecratum firmare manu poteſt ne cadat, aut moveatur. Cum igitur in Navibus Indicis, & ſimilibus, locus decens inveniatur, & periculum morale effuſionis Sanguinis nullum ſit, ut multorum annorum experientia teſtatur, non eſt cur in illis celebrari non poſſit, ne in longa navigatione per prolixum tempus ingens hominum multitudo Miſſa privetur, ut ſatisfiat graviſſimis præceptis audiendi Miſſam in Feſtis, accipiendi Euchariſtiam in Paſchate; & Viaticum in articulo mortis, ſine quo facile decederent plures, ſi Miſſa in Mari celebrari non poſſet. Accedit uſus, qui jam invaluit, celebrandi in navigatione Indica, Summo Pontifice ſaltem non improbante, nec negante, ſicut non paucos ante annos facultatem negavit celebrandi in Triremibus Maris Mediterranei, quamvis fuerit petita exemplo adducto ex navigatione Indica, ut refert Lugus *ſupra n.* 89. quia Triremes non ſunt ita aptæ, ut grandiores illæ Naves, nec neceſſitas eſt eadem, cum frequenter ad terram accedant, ubi, in littore Altari erecto, poſſunt ex ipſo Mari Miſſam audire.

65. Hanc Sententiam ſequuntur Scortia, Durandus, Facundea, Layman, Bartholomæus ab Angelo, Graffis, Sa, quos citat, & ſequitur Marchinus *cit. cap. 9. in fine;* teſtaturque a Clemente VIII., & Paulo V. conceſſum fuiſſe navigantibus in Indiam, ut ſereno Cœlo, & tranquillo Mari, in onerariis Miſſas facere poſſint Sacerdotes; quod, experientia teſte, nullum ſit effuſionis Sanguinis periculum. Idem docent Antonius a Spiritu Sancto *diſp. 3. ſect. 3. n.* 80. Palaus *diſp. 22. pun.* 8. Lugus *diſp. 20. ſect. 3. per totam.* Arriaga *diſp.* 54. *ſect. 5. n.* 43. & Averſa *q. 11. ſect.* 4. appellat hanc Sententiam nunc communiorem, quamvis antiquitus eſſet communior pars negans, non tamen omnino abſolute, ſed quaſi ſub conditione periculi, irreverentiæ, & effuſionis Sanguinis, quod olim ſupponebatur inevitabile; poſtea autem experientia, præſertim in illa navigatione Indica, compertum eſt, vitari facile poſſe.

„ *Clara admodum ſilo, ac fortiſſimis rationibus, & eruditionibus plurimis, tota hæc ſolvitur quæſtio in Tract. de Sacrificio Miſſæ lib. 3. cap. 6. §. 8* verbis, quæ ſequuntur: Quæſtio itaque eo redigitur, an in Mari, vel Flumine, ideſt in Navi, vel Triremi, liceat Miſſam celebrare? In Sacerdotali Romano *c.* 47. generalis hæc regula habetur: *In loco fluctuanti, ut in Mari, vel in Fluminibus celebrare non licet alicui.* Generalis hæc regula reſtringitur, ſeu potius explicatur quoad Miſſam ſiccam: *Conſuevit tamen in Mari pro populorum devotione, abſque Conſecratione, Miſſa (quam ſiccam vocant) dici per Sacerdotem,* Adeundus Martene *de antiquis Eccleſiæ Ritibus lib. 1. c. 3. art. 1. n. 16. & ſeq.* ubi magna eruditionis copia fere omnia congeſſit, quæ Miſſæ ſiccæ favent, vel ei adverſantur. Ejuſmodi Miſſa, quæ etiam nautica dicitur; introducta fuit, ne Navigantes Miſſa omnino carerent in longis navigationibus, neve in Miſſa, quæ in Mari celebraretur, periculum eſſet effuſionis Sanguinis, dum navigium jactaretur. Georgius Caſſander *in Opere Liturgica* c. 34 hæc ſcribit: *Hæc Miſſa ſicca, ideſt ſine Conſecratione, & Communione, etiam navalis, ſeu nautica dicitur, eo quod in loco fluctuante, & vacillanti, ut in Mari, & in Fluminibus, quibus in locis plenam Miſſam celebrandam non putant, ad hunc tantum modum Miſſam dici poſſe tradant.* Durandus *in Rituali lib. 4. c. 1.* præſcribit, quomodo ejuſmodi Miſſa ſit celebranda; ait enim: Sacerdoti induendas eſſe ſacras omnes Veſtes, Miſſam legendam uſque ad Offertorium, recitandam Prælationem, omittendum Canonem, dicendam Orationem Dominicam, omittendas Secretas omnes, nihil dicendum eorum, faciendumve, quæ fiunt, dicunturve ſuper Calicem, & Hoſtiam, quorum neutrum debet eſſe ſuper Altare. S. Ludovicum Galliarum Regem, teſtatur in ejus Vita Gaufridus, cum captivus apud Saracenos eſſet, conſueviſſe coram ſe Miſſam ſiccam celebrari curare. Olim dicebatur in Triremibus Melitenſibus, ut teſtatur Macrus in Vocabulario Eccleſiaſt. verbo *Miſſa ſicca.* Auctores vero, qui ad res amplificandas ſunt procliviores, non dubitant affirmare, etiam coram infirmo, cui non liceat ad Eccleſiam accedere, præſertim de Epiſcopi licentia, poſſe ejuſmodi Miſſam celebrari, ut videre eſt apud Quartum *ad Rubricas Miſſal. par. 1. tit. 14. dub. 4. §. Dico tertio;* idque multo antea probaverat Epiſcopus Prudentius in ſuo Pontificali manuſcripto ante octingentos, eoque amplius annos, quod refert Boucat *to. 5. Theologiæ, diſſert. 2. part. 4. §. de Miſſa ſicca, ſeu nautica.* Et Guido de Monte Rocherii, qui ſcripſit circa annum 1333., *tr. 4. in Enchiridio Sacerdotum c. 7.* probat, conſuetudinem, quæ in quibuſdam locis invaluit, Miſſam ſiccam celebrandi, ne peregrini, qui, jam peracta Miſſa, ad Eccleſiam veniunt, Miſſa omnino careant: *Approbo iſtam conſuetudinem, quæ ſervatur in aliquibus Eccleſiis Gallicanis, quando ſcilicet, dicta Miſſa, veniunt aliqui peregrini ad aliquam Eccleſiam, ſi non ſit aliquis Sacerdos paratus celebrare, Sacerdos induit ſe, ſicut ſi deberet dicere Miſſam, & dicit eis Miſſam de Beata Virgine Maria, vel de Spiritu Sancto, vel de Trinitate, vel de illo Sancto, pro quo fit peregrinatio. Non tamen dicit Canonem, nec conſecrat, ſed oſtendit eis Reliquias alias loco elevationis Corporis Chriſti; & iſta Miſſa vocatur ſicca.* Quidam nomine Moleon Pariſiis opus quoddam edidit anno 1718. cui titulus: *Iter Liturgicum per Gallias,* ubi *pag.* 76. narrat, etiam nunc in Diœceſi Claromontana, ſi quis meridie extremum diem obierit, nec ad eum, qui proxime conſequitur, diem, Cadaver ejus incorruptum ſervari poſſit, conſuetudinem eſſe poſt prandium Miſſam ſiccam celebrandi, ne ſine Miſſa terræ detur Chriſtiani hominis Cadaver. Miſſæ ſiccæ fautor eſſe videtur Clericatus, ſi agatur de ea celebranda in Mari, vel coram Infirmo, *dec. 31. n. 36. & ſeq. de Sacrific. Miſſæ.* Verum Eſtius *Orat. 13. Theologica* adverſus eam graviter clamat, illamque improbat, quod veram ſacrificandi, & celebrandi ſimulationem contineat, ubi nec ſacrificatur, nec celebratur. Ob eaſdem rationes eam improbat Sylvius 3. *par. q. 83. art.* 2. Natalis Alexander *Theolog. Dogmat. & Mor. lib. 2. c. 6. art. 5. de Sacram. Euchariſt. regula 6.* earum, quæ ad praxim pertinent; Lupus *in can. 52. Concilii Trullani tom. 2. prima edit. pag.* 951. & Cardinalis Bona *Rer. Liturgicar. lib. 1. cap. 15. n. 6.*, quorum ſapienti Sententiæ libenter ipſi ſubſcribimus, & ad eam quæſtionem aggredimur pertractandam, utrum in Mari veram, non ſiccam Miſſam liceat celebrare.

Hac de re vulgo fere omnes rerum harum Scriptores diſſeruere, inter quos legi poſſunt Paſqualigus *de Sacrif. Novæ Legis to. 1. tr. 1. q.* 472. Verriecllus *de Apoſtolicis Miſſionibus q.* 133. Card. de Lugo *de Sacram. Euchar. diſp. 20. ſect.* 3. Schiata *Theologia Bellica t. 2. lib. 7. difficult.* 3. Rotarius *Theologia Regularium to. 3. lib. 1. c. 1. n.* 9. Card. Albitius *de Inconſtantia in Fide cap. 34. nu.* 130. *& ſeq.* Monacellus *in Formulario legali to. 4. in ſupplemento ad 2. tom. pag. 32. n. 1. & ſeq. edit. Roman. anno* 1713. Emin. Card. Petra *in Commentar. ad Conſtitut. Apoſtolic. tom. 4. pag.* 273. *& ſeq.* Meratus ad Gavantum *tom. 2. part. 1. pag.* 298. *& ſeq.*

Omnis, ut ſupra innuimus, difficultas ſita eſt in periculo, ne, ſi Miſſa dicatur in navigio, Chriſti Sanguis effundatur; quamobrem quidam obfirmate negant, celebrari poſſe Miſſam in Mari; alii vero celebrari quidem poſſe affirmant, tranquillo tamen Cœlo, pacatis undis, & tuto navigio. S. Antoninus 3. *par. tit. 13. cap. 6. §. 4.* ita loquitur: *In nulla neceſſitate licet celebrare in Mari, vel ſupra Fluvium, ubi probabiliter timetur de effuſione Sanguinis propter agitationem navis.* Joannes Major *in 4. Sentent. diſt. 13. qu. 2. in princ.* poſtquam ſtatuit non licere Miſſam in Mari celebrare, addit: *Cum autem non pateat acceſſus rationabilis ad terram, tales excuſantur ab auditione Miſſæ; eſſet enim periculum effuſionis Sanguinis Chriſti, a quo ubi caveretur, poſſet celebrari.* Atque illud eſt fama celebratum, quod narrat Surius *tom. 2.* ad diem 20. Martii de S. Vulfrano Archiepiſcopo Senonenſi, qui cum in Navi in altum Oceani devectus Miſſam celebraret, elapſa eſt Patena e manu Miniſtri in Mare, & a Deo Vir Sanctus impetravit, ut e fundo Maris in manus Miniſtri Patena rediret; qua de re ſcribit Baronius ad ann. Chriſti 700. *num.* 3. *Ex quibus, præter inſignis miraculi virtutem, intelligis, lector, non deſtitiſſe Sanctos Viros in Mari etiam, cum tranquillitas eſſet, religata anchoris navi, celebrare ibi ſacroſanctum Sacrificium Miſſæ, Deo maxime gratum, quod ipſe tanti editione miraculi patefecit.* Qua Baronii obſervatione, importuna de medio tollitur admiratio, de qua loquitur Matthæus Paris ad annum Chriſti 1247. ubi de Cardinali quodam Legato Pontificis ita ſcribit: *Cum navem aſcenſurus eſſet, juſſit cuidam Fratri de Ordine Prædicatorum in ipſa Miſſam celebrare: quod & factum eſt, non ſine multorum, qui hoc non providerant, admiratione.*

Sed per Sedis Apoſtolicæ, quæ nunc invaluit, praxim, ſublata eſt omnis diſputatio; ſcribunt enim Viri Sacrarum Congregationum Romæ peritiſſimi, ut videre

„ eſt

„ eſt apud Eminentiſſimum Cardinalem Petram *loco cit.*
„ & Meratum *loco cit.*, Apoſtolico opus eſſe privilegio,
„ ut in Mari Miſſa celebrari poſſit; neque ſatis eſſe pri-
„ vilegium Altaris mobilis, quo continetur clauſula, *in*
„ *loco boneſto, ac tuto*, quæ Mari non convenit; ideoque
„ peculiare privilegium oportere a Pontifice impetrare,
„ quod nonniſi ſub illis conceditur conditionibus, ut tutum
„ navigium ſit, ac longe abſit a littore, tranquillumque
„ ſit Mare, & Celebranti adſit etiam alter vel Sacerdos,
„ vel Diaconus, qui, ſi quis cooriretur motus, quo peri-
„ culum eſſet ne Calix everteretur, poſſit manu Calicem
„ ab ejuſmodi periculo eripere. Videatur Indultum, quod
„ Militari Ordini Hieroſolymitano conceſſit Clemens XI.
„ in ejus Bullario ordine undecimum, *pag.* 51. cui, poſt
„ accuratam Sacræ Congregationis ea de re diſceptatio-
„ nem, eæ appoſitæ ſunt conditiones.

„ *Ad poſtremam denique quæſtionis hujus confirmationem*
„ *videri etiam poteſt Indultum pro celebratione ſuper Tri-*
„ *remibus ab ipſomet Benedicto XIV. conceſſum Militiæ Hoſ-*
„ *pitalis S. Joannis Hieroſolymitani, quod in Bullario extat n.*
„ *41. in To. 1. & in hoc Volumine ſuo ex ordine loco exponetur.*

DUBIUM VI.

An ſit licitum celebrare in Eccleſia polluta, ubi quot modis polluatur Eccleſia?

66. RESpond. eſſe peccatum mortale Miſſam facere in Eccleſia polluta, ſeu violata, antequam purificetur, & reconcilietur. Ita cum D. Thoma 3. *part. q.* 83. *art.* 3. Marchinus *cap.* 10. *n.* 1. Lugus *diſp.* 20. *ſect.* 2. Palaus *punct.* 8. *nu.* 11. & alii communiter, & colligitur ex toto titulo *de Conſecrat. Eccleſiæ*, maxime cap. *Propoſuiſti, diſt.* 1. Nulla tamen eſt impoſita pœna Celebranti in Eccleſia polluta, ipſo jure incurrenda, ſive irregularitatis, ſive alterius cenſuræ, ut, pluribus citatis, docet Marchinus *n.* 6. & manifeſte colligitur ex cap. *Is qui. De ſent. excommun. in 6.*

67. Excuſatur Sacerdos a peccato celebrans in Eccleſia polluta, quoties pollutio contingeret poſt cœptum Canonem, tunc enim tenetur Miſſam proſequi, ut Sacrificium perficiat: ſecus ſi ante Canonem Eccleſiæ violatio accideret, quia tunc deberet a Miſſa deſiſtere. Secundo excuſatur Celebrans in Eccleſia polluta in caſu neceſſitatis, de licentia Epiſcopi, antequam reconcilietur, ut docet D. Thomas *ſupra art.* 3. Marchinus *n.* 2. & cum eo Suarez *diſput.* 81. *ſect.* 4. *ante finem*; imo tanta poteſt eſſe neceſſitas, ut ſi non ſit recurſus ad Epiſcopum, poſſit abſque ejus licentia celebrari, ut ſi in die feſto Populus non habeat aliam Eccleſiam, in qua poſſit Miſſam audire. Ita Suarez, Facundez, Lugus, & Marchinus.

68. Polluitur vero Eccleſia quinque modis: primo per homicidium voluntarium, injurioſum, ſive fiat cum ſanguinis effuſione, ſive alio modo. Sumitur ex dicto cap. *Propoſuiſti. De conſecr. Eccl. diſt.* 1. Unde Eccleſia non cenſetur polluta per homicidium caſuale, per homicidium factum ob meram defenſionem, cum moderamine inculpatæ tutelæ, & per homicidium factum ab amente. Item quando vulnus inflictum eſt extra Eccleſiam, quamvis mors in Eccleſia ſequatur; item ſi aliquis exiſtens in Eccleſia alium foris exiſtentem Sclopo occidat, quia non conſummatur actio externa occiſionis in loco Sacro, ſed extra illum; quamvis enim a loco Sacro progrediatur, non eſt tamen intra illum facta. Item ſi enſe, fuſte, baculo quis percutiat, ſine effuſione ſanguinis, quando læſio non eſt mortifera, ſeu quando mors actu non ſequitur. Ita cum aliis Marchinus, Suarez, & Lugus *locis ſupra citatis*. Nec etiam cenſetur polluta Eccleſia, ſi homicidium committatur ſupra tectum Eccleſiæ, aut in Turri, vel Campanili, aut in Cubiculis adjunctis Eccleſiæ, aut ſuſpendendo hominem in parietibus Eccleſiæ a parte externa, quia nihil horum eſt intra Eccleſiam. Leander *part.* 5. *tr.* 5. *q.* 3. *& ſeq.*

69. Si vulnus, aut percuſſio mortifera fiat in Eccleſia, ſed effuſio ſanguinis, aut mors in ea non ſequatur, non pollui Eccleſiam docet Suarez *diſp.* 81. *ſect.* 4. contrarium tenent Navar., Marchinus, & Lugus, quia licet mors ſequatur extra Eccleſiam, tamen cauſa efficax illius fuit intra Eccleſiam, quod ſufficit ad Eccleſiæ violationem, cum illa actio fuerit Eccleſiæ injurioſa, & mortem per ſe inferens. Polluitur etiam Eccleſia, quando exiſtens extra Eccleſiam ſcienter occidit aliquem exiſtentem intra Eccleſiam, quod etiam dicendum eſt de effuſione ſanguinis intra, vel extra Eccleſiam facta. Violatur etiam per occiſionem Martyris intra Eccleſiam; quia ex parte perſecutoris fuit injuſta, & Eccleſiæ injurioſa. Denique violatur, quando quis ſe ipſum occidit in Eccleſia, ſed non in amentia.

70. Secundo polluitur Eccleſia per injurioſam ſanguinis humani effuſionem. Cap. *Si Eccleſia. De Conſecrat. diſt.* 1. Unde Eccleſia non cenſetur polluta, ſi effuſio ſanguinis ſit in modica quantitate; nam *effuſio* magnam quantitatem ſignificat. Secundo, ſi effuſio ſit jocoſa, etiam in magna quantitate, quia per iſtam nulla infertur Eccleſiæ gravis injuria, & univerſaliter, niſi percuſſio facta ſit ita gravis, ut ad culpam lethalem accedat, ut quando pueri rixantur, & ſanguinem ſibi ex naribus eliciunt, non cenſetur Eccleſia polluta, quia regulariter non ſunt peccata mortalia; ſicut nec polluitur per effuſionem ſanguinis, etiam lethiferam, in magna quantitate, quæ de naſo proflueret pugno, alapa, & ſimilibus, quia naſus eſt organum ſanguinis, facile ab hac parte fluentis, ut cum Graffio docet Marchinus *num.* 8. Tertio, non polluitur per ſolam percuſſionem gravem, factam pugno, aut baculo, intra Eccleſiam, ex qua nec vulnus, nec mors, nec ſanguinis effuſio oritur, quamvis hæc actio ſit peccatum lethale. Leander, alios referens, *loco cit. quæſt.* 15. *& ſeqq.*

71. Tertio polluitur Eccleſia per voluntariam, & mortiferam humani ſeminis effuſionem, ſive per copulam, ſive per mollitiem, ſive intra, ſive extra vas, in quocumque genere perſonarum, etiam infidelium cap. *Is qui. De ſent. excommun. in 6.* & cap. *Unico de conſecrat. in 6.* Unde non violatur Eccleſia primo per pollutionem inculpatam; ſecundo nec per fornicationem factam ab amente; tertio nec per pollutionem voluntariam unius, vel alterius guttæ ſeminalis, quia *effuſio* quantitatem notabilem ſignificat; quarto per copulam conjugalem factam ex juſta cauſa neceſſitatis commorandi diu in Eccleſia, ut tempore obſidionis, & ſit in alterutro conjugum periculum incontinentiæ, vel admodum difficile diu abſtinere. Ita Sanchez, Facundez, quos refert, & ſequitur Marchinus. Eſt autem neceſſe ad pollutionem Eccleſiæ, quod delictum publice conſtet, & ſit notorium notorietate facti, aut juris, alias non cenſetur Eccleſia polluta, etiam reſpectu illorum, qui forte id ſciunt, etiamſi ſit ille, qui patravit delictum, quia nullo modo obligatur ad ſe manifeſtandum, ut recte docent Lugus, Marchinus, & alii paſſim: & ratio eſt, quia purificatio templi eſt actus publicus, & manifeſtus, & ſic ſupponit delictum publicum, & manifeſtum, ut docet Marchinus *ibid.*

72. Quarto polluitur Eccleſia, ſi in ea Hæreticus, vel Excommunicatus ſepeliatur. Cap. *conſuluiſti. De conſecrat. Eccleſiæ*: debet tamen talis excommunicatus eſſe vitandus, vel quia nominatim denunciatus per ſententiam Judicis, vel quia notorius Clerici percuſſor poſt Concilium Conſtantienſe, ut notant Victoria, Suarez, Coninch, & Marchinus, & Nav. qui *lib.* 5. *conſil.* 10. *de hæreticis, edit.* 2. *ad* 4. *q.* docet, per ſepulturam hæretici nominatim non denunciati, locum ſacrum non violari argumento textus in cap. *Sacris. De Sepulturis*, Leander alios referens *q.* 23. *& ſeqq.*

73. Quinto denique polluitur Eccleſia, ſi in ea Paganus, aut quivis infidelis ſepeliatur cap. *Eccleſiam. De conſecrat. diſt.* 1. ubi etiam includitur ſepultura pueri non baptizati, qui ſaltem negative dicitur infidelis, non tamen includitur infans in utero Matris mortuus, & cum ea ſepultus, quia ut pars Matris reputatur, ut notant Marchinus ſupra, Paludanus *in* 4. *diſt.* 18. *art.* 4. Layman, Dicaſtillus, & alii, qui recte advertunt ad polluendam Eccleſiam per tres priores modos requiri actionem peccaminoſam, & culpabilem, non ſic per duos poſteriores, ſed ſufficit factum ipſum publicum, & non requiritur culpa. Cæmeterium polluitur polluta Eccleſia, ſed non e contra, quia acceſſorium ſequitur conditiones principalis, non e contra.

74. Quando Eccleſia aliquo ex prædictis modis fuit polluta indiget reconciliatione, quæ quidem reconciliatio fieri debet ab Epiſcopo, ſi Eccleſia erat conſecrata, eo ritu, qui in Pontificali præſcribitur. Quod ſi Epiſcopus per duas dietas longe abeſſet, & Eccleſia ſit Regularis, tunc ex conceſſione Leonis X, facta Mendicantibus, poterunt Superiores illius Ordinis, & reliqui communicantes in eorum privilegiis, prædictam Eccleſiam pollutam, aqua per ipſos benedicta reconciliare, quod ſe feciſſe Ticini in Eccleſia noſtra Sanctæ Mariæ Coronatæ, per quoddam homicidium pollutæ, teſtatur Marchinus *d. cap.* 10. *num.* 14. & fieri poſſe docent Joannes Baptiſta Confectus *in ſumm. privil. Mendicant. tit.* 10. *c.* 5. Sayrus *de Cenſuris c.* 10. *n.* 31. Hugolinus, Barboſa, Henriquez, & Rodriquez, quos affert idem Marchinus, Lugus *ſect.* 2. *n.* 61. Abſque privilegio tamen ſimplex Sacerdos, quamvis Vicarius Generalis, nec etiam ex commiſſione Epiſcopi, poteſt Eccleſiam conſecratam reconciliare, cum ſit munus Ordinis Epiſcopalis, ut cum Diana *tom.* 1. *tract.* 1. *miſcell. reſol.* 6. notat Lugus, & ſequitur Marchinus.

75. Si autem Eccleſia non ſit conſecrata, ſed tantummodo benedicta, poterit per ſimplicem Sacerdotem rebenedici, & purificari ſola aſperſione aquæ, etiam ab ipſomet Sacerdote benedictæ, & orationibus ab Eccleſia inſtitutis, quæ in Rituali Romano habentur cap. *ult. de conſecrat. Altaris*, ut ibi notat Abbas *nu.* 3. & tenent Henriquez, Layman, Barboſa, quos refert, & ſequitur Palaus *num.* 14., & alii communiter.

76. Quid veniat nomine Eccleſiæ in hac materia, fuſe docet Marchinus dicto *c.* 10. *nu.* 15. non veniunt Oratoria in privatis domibus, etiam cum facultate Epiſcopi, vel Pontificis deſignata ad celebrandum, quia cum non ſint benedicta, non polluuntur, neque Campanile, Sacriſtia, aut cubicula ad latus Eccleſiæ poſita, nec clauſtra Religioſorum tumulandis mortuis minime deſtinata; bene tamen ſi habeant ſepulturas, quia tunc ſunt veluti quædam Cœmeteria. Si homicidium, aut Sanguinis effuſio contingat in porta Eccleſiæ, ſed a parte interiori, erit polluta

Eccleſia, & indigebit purificatione; ſecus ſi in limine, ſed in parte externa portæ.

„ *Hac in re pauca quidem, & iis, quæ a Giribaldi re-*
„ *cenſentur, conſona prorſus, vide in Tract. de Sacrific.*
„ *Miſſæ l. 3. c. 7. §. 4. hiſce verbis*: Jam vero de celebra-
„ tione Miſſæ in Templo violato; ſeu polluto, reliquum
„ eſt ut pauca quædam attingamus. Templum multipliciter
„ poteſt pollui: primo, ſi in eo homicidium voluntarium
„ perpetretur. Cap. *Propoſuiſti*. *De Conſecrat. Eccleſia-*
„ *rum*, ſecundo, ſi in eo magna vis humani ſanguinis effun-
„ datur. Can *Eccleſiis*. *De Conſecrat. d.* 1. & cap. *Si*
„ *Eccleſia*. *De Conſecrat. Eccleſiar.* tertio, ſi in eo ſponte
„ effundatur ſemen humanum, ut videre eſt in allatis texti-
„ bus: *ſive effuſio ſit ſecundum naturam, ſive contra, ſive per*
„ *copulam alias licitam, ſive illicitam*, juxta communem
„ ſententiam: quarto, ſi excommunicatus vitandus in eo
„ ſepeliatur. Cap. *Conſuluiſti*. *De Conſecrat. Eccleſiar.* quin-
„ to, ſi in eo itidem ſepeliatur Ethnicus, vel Infidelis. Can.
„ *Eccleſiam*. *De Conſecrat. d.* 1. Si quis in Templo polluto,
„ ſeu violato Miſſam celebret, nullam pœnam incurrit,
„ non ſuſpenſionem, non excommunicationem, non irre-
„ gularitatem, Cap. *Is qui*. *De Sentent. excommunicat. in 6.*
„ Irregularitatem enim, cujus Romano Pontifici reſerva-
„ tur diſpenſatio, incurrit qui in loco interdicto celebra-
„ ret, ut ſtatuit Bonifacius VIII. eod. cap. *Is qui*, Etſi au-
„ tem qui in Templo polluto, ſeu violato celebrat, nul-
„ lam ex illis pœnis incurrat, expers tamen peccati non
„ eſt, cum textus allatus dicat, eum *temerarie agere*. Ad
„ quæ verba notat Sylvius *in 3. part. quæſt. 83. art. 3.* Sa-
„ cerdotem hunc *facere contra juſtam Eccleſiæ prohibitionem*
„ *in re gravi*: ex quo infert, ſi Epiſcopi conſenſus acce-
„ dat, eum non peccare in Templo polluto Miſſam cele-
„ brando. Cum eo conſentit Perſicus *de Sacerdotis Officio*
„ *l. 1. dub.* 12. Fuſe id tractatum reperies in Collat. 16. Lu-
„ cionen. *t. 5. quæſt. 1. pag.* 160. *& ſeq. edit. anni* 1685.

CAPUT IX.

De Altari, ejuſque Ornatu, Sacris Veſtibus, aliiſque ad uſum Sacrificii requiſitis.

DUBIUM I.

De Altari neceſſario ad Sacrificium.

AD Miſſæ Sacrificium celebrandum neceſſario requiritur Altare, quod debet eſſe lapideum, & ab Epiſcopo conſecratum, vel ab habente poteſtatem ex conceſſione Summi Pontificis, ut conſtat ex cap. *Altaria*. *De Conſecrat. diſt.* 1. & ex uſu univerſali Eccleſiæ. Quare peccatum eſt mortale, & quidem graviſſimum, Miſſam celebrare ſine Altari, ut cum multis docet Facundez *primo præcept. lib. 3. cap.* 22. Palaus *diſput. unica punct.* 9. &, aliis citatis, Leander *tract.* 8. *diſput.* 7. *quæſt.* 1.

2. Altare duplex eſt, fixum, & portatile, ſeu viaticum, quod vulgo dicitur Petra Sacrata. Primum dicitur fixum, quia fixum eſt in Eccleſia, & conſecratur, ut ibi firmiter permaneat, & ideo nonniſi ſuper menſam, & completam ſtructuram conſecratur Altare, ideſt totus lapis ſuperior, qui capit totum Altare, & in qualibet parte illius menſæ poteſt Sacrificium offerri: non eſt neceſſe totum Altaris Ædificium eſſe lapideum, ſed ſufficit, quod ſuperior Menſa ſit lapidea, quæ tota conſecratur; & in qualibet parte illius poteſt celebrari, ut dixi. Perditur conſecratio, quando Menſa ſuperior removetur a ſtipite, inferiori ſtructura, ſeu columnis, quibus innititur, ut habetur cap. *Ad hæc*. Cap. *Quod in dubiis*. Cap. *Lineis*. *De conſecrat. Eccleſiæ*: non tamen perditur conſecratio, ſi unus, vel alter lapis ex his, quibus innititur, dimoveatur, dummodo tamen ita firmiter ſubſiſtat, ut in eo poſſit tute, & libere celebrari, quia tunc retinet priſtinam formam, ſub qua fuit conſecratum, ut docent Suarez, Vaſquez, Layman, quos ſequitur Lugus *diſput.* 20. *ſect.* 2. *num.* 67.

3. Perdit conſecrationem ſi ita ſit enormiter fractum, ut appareat deformitas; in quo ſtandum eſt judicio Epiſcopi, quod etiam valet de Altari portatili, & ſi ita fractum ſit, ut ſuper nulla illius integra parte ſtare poſſit Calix, & Hoſtia, quia jam eſt ineptum ad Sacrificium. ita Suar., Layman, Vaſquez, Azor. & alii communiter cum Marchino *c.* 12. non tamen ſi in duas partes ſcindatur, dummodo partes fractæ invicem non ſeparentur, nec ab inferiori ſtructura amoveantur, & in hoc caſu ſufficere eas aliquo glutine unire, docet Paſqualigus *quæſt.* 689. *n.* 10.

4. Secundum Altare dicitur portatile, quia conſecratur, ut ex uno loco in alium portari poſſit. Non poteſt fieri ex duobus lapidibus inſertis duobus lignis invicem colligatis ad modum tabulæ Altaris, quæ claudi poſſit, & aperiri ad inſtar libri, ut in uno lapide Hoſtia, in alio Calix collocetur, ſine licentia Summi Pontificis, quia eſt contra univerſalem conſuetudinem, & contra myſticam ſignificationem; nam per tale Altare ſignificatur Chriſtus, in quo eſt una tantum perſona. Ita Sylveſter, Vaſquez, Bonacina, Lugus, Facundez, & alii, quos citat, & ſequitur Leander *diſp.* 7. *quæſt.* 5. non tamen execratur, nec conſecrationem perdit, ſi ſolum ſeparetur a capſula lignea, cui incluſum eſt, quia hæc ſolum eſt ad ornatum, vel cuſtodiam lapidis, ne rumpatur.

5. Si frangantur etiam omnia cornua Altaris, ſive ſtabilis, ſive portatilis, quæ Sacro Chriſmate in ejus conſecratione inunguntur, modo pars, quæ remanet, ſufficiat ad ſuſtentandum Calicem, & Patenam, non proinde violari, nec perdere conſecrationem docent Layman, Palaus, Lugus *diſp.* 20. *ſect.* 2. *n.* 75. Tambur. *lib.* 1. *de Miſſa c.* 1. §. 1. *n.* 14. Ratio eſt, quia per illam unctionem conſecratur tota Ara, ſeu Altare, non ſolum ejus cornua, & ſic ſi remaneat pars ſufficiens ad Sacrificium, erit conſecrata.

6. Major difficultas eſt: *an execretur Altare, & perdat conſecrationem, ſi frangatur Sigillum, & Sepulchrum reliquiis ſpolietur?* Prima Sententia negat, quia fractio ſolius ſigilli non poteſt dici fractio enormis, & reliquiæ non ſunt de eſſentia conſecrationis Altaris, Ita Lugus, & Tambur. *ſupra*, pluribus citatis Leander *diſt.* 7. *q.* 6. & Paſqualigus *quæſt.* 679. citans pro ſe alios 24. Doctores, qui advertunt in caſu, quo in eo Altari non eſſent reliquiæ, quod Sacerdos in eo celebrans in principio Miſſæ, dum oſculatur Altare, non deberet dicere illa verba: *quorum reliquiæ hic ſunt*, ſed ſolum: *Oremus te, Domine, per merita omnium Sanctorum tuorum, ut indulgere digneris &c.* multo minus eſſet ponenda particula conſecrata loco reliquiarum, ut perperam quidam dixerunt.

7. Secunda Sententia verior, & ſequenda tenet, reliquias eſſe neceſſarias ad conſecrationem, ut habetur ex cap. *Placuit 26. de conſecrat. diſt.* 1. ex uſu univerſali in Eccleſia ſemper obſervato, & ex introitu Miſſæ per illa verba: *quorum reliquiæ hic ſunt*: quare ſi reliquiæ extractæ ſint, immo ſit ſepulchrum tantum, vel ſigillum apertum, aut lapis claudens ſepulchrum fractus fuerit, amittit conſecrationem, & iterum conſecrari debet. Sylveſter *verbo Altare num.* 6. Barboſa *Allegatione* 27. *n.* 25. *part.* 2. Antonellus de regimine Eccleſiæ *lib.* 1. *c.* 17. *n.* 8. Piſaceus *part.* 1. *c.* 5. *n.* 8. *verſ. violatur Altare*. Aſcan. Tambur. *de jure Abbat. tom.* 1. *diſp.* 23. *quæſt.* 6. Ludovicus Engel in Collegio Juris Canonici *lib.* 3. *tit.* 60. *num.* 3. & Nicolius in Floſculis *verbo Altare* deciſum refert a Sacra Congregatione: *Altare, ſeu Petram conſecratam habere debere ſolitum repoſitorium reliquiarum*: & in una *Nullius*, die 5. Martii 1633. refert deciſum, Altare dici enormiter fractum, & amittere conſecrationem, quando frangitur, vel loco movetur repoſitorium reliquiarum. Idem habet Bonacina *quæſt. ult. punct.* 9. *n.* 14. ubi dicit, amittere conſecrationem etiam, quando omnia cornua, quæ inunguntur, ſunt fracta. Verum quando reſiduum commode capere poteſt Hoſtiam, & Calicem, ſaltem pro majori parte, & reliquiæ in eo ſunt immotæ, tunc fracta cornua poterunt colla, vel gypſio jungi cum reliqua parte lapidis fracti, & ſic junctum ad Miſſam deſervire, ſicut jungimus cingulum fractum, quando reſiduum ſufficiebat ad cingendum, ut habet Nicolius *loco citato*.

8. Notant hic Doctores communiter, quod particulæ, quando conſecrantur pro Communione Laicorum, debent eſſe ſuper ipſa Ara conſecrata, non ſolum tempore conſecrationis, verum etiam uſque ad conſummationem Sacramenti, quia, cum ſint pars Sacrificii, uſque ad perfectionem illius coram Sacerdote ſtare debent: unde minus recte faciunt Sacerdotes, qui, conſecratione facta, ſtatim in Tabernaculo includunt, vel alteri Sacerdoti tradunt Laicis diſtribuendas, quia ſicut Sacerdos non debet de ſua Hoſtia dare prius, quam ipſe ſumpſerit, ſic nec de aliis, cum ſint una Victima, & Hoſtia, omneſque oblationes, orationes, & benedictiones ſequentes non minus ſpectent ad parvas Hoſtias, quod ad magnam; neque ante ſumptionem Sacerdotis perfecte, & integre ſacrificata ſit Victima. Ita Lugus *ubi ſupra n.* 69. quem ſequitur Diana *part.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 72. Leander *diſp.* 7. *quæſt.* 9. Tamburinus *lib.* 2. *c.* 5. §. 2. *num.* 12. ubi tamen dicit, non peccare mortaliter, qui contrarium facit, & ſi neceſſitas poſtulat pro communicando Infirmo, nullum erit peccatum, nec veniale.

Totum, atque integrum tibi hoc loco apponendum Ca- „
put cenſui, in quo de Altari ſolum modo agitur in l. 1. „
cap. 2. *Tract. de Sacrificio Miſſæ, ubi diſertiſſime, &* „
eruditiſſime ea omnia comprehenduntur, quæ ad plenam „
hujus rei ſpectant notionem, atque inſtitutionem; vetu- „
ſtiora potiſſimum recolendo monumenta, quæ cum in Ve- „
teri, tum in Novo Teſtamento illud nobis, cum ſuis om- „
nibus, vel partibus, vel conſtitutionibus, præfigurant. „
Sic enim legitur: Altare, ſuper quo Miſſæ Sacrificium „
ſit peragendum, lapideum eſſe oportet, & ab Epiſco- „
po conſecratum: & ſi quidem non ſit ex lapide, Sacra „
Petra ſaltem inſtrui debet, quam Epiſcopus conſecrave- „
rit; eaque tanta ſit magnitudine, quæ Hoſtiam, & „
majorem Calicis partem capiat. Tectum Altare ſit ter- „
nis linteis mundis, benedictis ab Epiſcopo, vel quovis „
alio, cui poteſtas ſit ea benedicendi. Longum eſſe „
oportet ſuperius linteum utrinque ad terram uſque de- „
miſſum; reliqua duo breviora; quin unum tantum- „
modo „

modo linteum ſatis eſſe poteſt, ſi tamen duplicetur, Anterior Aræ facies amiculo, ſeu pallio, ut vocant, contegenda, cui color ille ſit, qui Feſtivitati, ſeu Officio congruat. In medio Altari eſt Crux erecta, cujus ab utraque parte candelabra ſint cum candelis accenſis, ſaltem duabus. Ad inferiorem Crucis partem ponatur ea, quæ Tabella dicitur Secretarum. In cornu Epiſtolæ pulvinus Miſſali ſupponendus, & ab eadem Epiſtolæ parte paretur Cereus ad elevationem Sacramenti accendendus, parva campanula, binæ ampullæ vitreæ, quarum altera vini, altera aquæ plena ſit, cum pelvicula, & manutergio mundo in feneſtella, ſeu parva menſa ad hæc præparata.

„ Hæc in Rubricis Miſſalis continentur, quæ nos, quoad poſſumus, illuſtrabimus. Et primo: in Lege Naturæ Altaris, ejuſque conſecrationis, mentionem fieri comperimus; nam *Geneſeos cap.* 28. narrat Moyſes cœleſtem viſionem, quæ dormienti Jacob oblata eſt, qui experrectus *tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum, fundens oleum deſuper.* Verum, non conſecrandi cauſa, ſed idcirco Jacob unxiſſe lapidem putat, ut ſignum exſtaret, ibi eam ſibi viſionem eſſe oblatam, ut ad eumdem locum redeunti, viſa petra oleo peruncta, ſibi ſubiret memoria viſionis. Quam ſententiam jure Tournelyus riſu excepit *tom.* 2. *de Euchariſt. edit. Pariſien. pag.* 395. Qui enim potuiſſet Jacob, puta poſt viginti annos, ex oleo, quod ſuper lapidem fudiſſet, locum agnoſcere, ubi viſionem illam vidiſſet? Non enim fieri potuiſſet, quin, vel Sole, vel ipſo aere perflante, oleum omnino exſiccaretur. Quamobrem melior ea de re Calmetti mens fuit, qui ad illud caput *Geneſeos num* 18. obſervavit, ea ea unctione, qua Jacob oleo lapidem perunxit, ſacram ortam eſſe adhibendi oleum in Templorum, Altariumque conſecrationibus cæremoniam.

„ In Novo etiam Teſtamento mentio fit Altaris; nam Divus Paulus *ad Hebræos cap.* 13. *Habemus*, inquit, *Altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui Tabernaculo deſerviunt.* Locum illum Apoſtoli in hunc modum explicant Sacri Interpretes, quos laudat, & ſequitur a Lapide ad eumdem locum *verſ.* 10. Altare habemus, in quo Chriſti Corpus, & Sanguinem, jam in Cruce immolatum, offerimus; cujus Sacrificii neque participes fiunt Levitæ, neque Judæi, ſed Sacerdotes Chriſtiani, ceterique Fideles, cum Sacra Euchariſtia reficiuntur. Eſtius ſequutus D. Thomam, voce illa *Altare* putavit Chriſti Crucem, ſive etiam ipſum Chriſtum ſignificari: *At vero S. Thomas Altare hoc interpretatur Crucem Chriſti, vel ipſum Chriſtum: de quo Altari, inquit, edere eſt fructum Paſſionis Chriſti percipere, & ipſi tanquam capiti incorporari.* Nihil nos de utraque interpretatione ſtatuimus: illud vero dicimus, diſertiſſime de Altari mentionem fieri in Matthæi Evangelio *cap.* 5. *Si ergo offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum;* qui locus nulla ſane indiget interpretatione, ut obſervarunt Vvalemburg. *Controverſiar. to.* 2. *cap.* 39. Quævis præterea Liturgia Menſam, ubi ſacrificetur, commemorat, eamque verum Altare appellat, quod in ea verum Deo Sacrificium offeratur; idque uberrima argumentorum vi, & copia, eruditiſſime oſtendit Pater le Brun *tom.* 3. *de Miſſa pag.* 576. *& ſeq.* & Altarium conſecrationem, itidem ut Templorum, vetuſtiſſimum eſſe ritum Apoſtolicum probat; quod etiam obſervavit Pourget *Inſtitut. Catholicar. to.* 2. *edit. Pariſien. anni* 1725. *pag.* 906. Quamquam vero Origenes, Minutius Felix, Arnobius, & Lactantius, adverſus Gentes, quæ Chriſtianis exprobrabant, nulla iis eſſe Altaria, ejuſmodi criminationem non rejecerunt, quin etiam id verum eſſe confeſſi ſunt; certiſſimum tamen eſt, eos de Aris eſſe loquutos, quæ erigebantur, ut ſuper iis ſimulacra falſorum Deorum colerentur, vel victimis mactandis cruenta fierent Sacrificia; quod ingenue fatetur ipſe Binghamus, licet hæreticarum partium homo, *Orig. Eccleſiaſticar. tom.* 3. *pag.* 224. *& ſeq.* In eamdem explicationem conſentit Grancolas in Veteri Eccleſiæ Sacramentario *tom.* 1. *pag.* 35.

„ *Objicit nobis Celſus, quod non habeamus Imagines, aut Aras, aut Templa.* Sunt verba Origenis *libr.* 4. contra Celſum. Et apud Minutium *in Octavio*, objicit Chriſtianis Cæcilius: *Cur nullas Aras habent? Templa nulla? nulla nota ſimulacra?* Et Arnobius adverſus Gentes *lib.* 6. *Accuſatis nos*, inquit, *quod nec Templa habeamus, nec Imagines, nec Aras.* Quod quidem veriſſimum erat; Chriſtiani enim Aras non habebant, ut ſuas Ethnici, firmas, & ſtabiles, ſed mobiles, quas huc, atque illuc liceret transferre, ut explicat Bocquilot Tractatu Hiſtorico ſacræ Liturgiæ *lib.* 1. *cap.* 5. *pag.* 82. Ex eo autem, quod veteres Chriſtiani conceſſerint, ſe carere Altaribus, luculenter tamen oſtendi poteſt, inde non poſſe illud inferri, nulla eis fuiſſe Altaria, in quibus Euchariſtiorum Deo Sacrificium offerrent; nam illi iidem Patres, qui Chriſtianis nullas eſſe Aras confeſſi ſunt, cum de Menſa loquuti ſunt, in qua Euchariſtiæ Sacramentum conficitur, mentionem de Altaribus facere non prætermiſerunt, ut bene advertit P. Lamy *libr.* 6. *de Templo Hieroſolymitano cap.* 3. *ſect.* 1. & Fraſſen *tom.* 11. *Theologiæ Roman. edit. pag.* 339. Lucianum Martyrem celebrandæ Miſſæ cauſa, dum in vinculis eſſet, proprio uſum pectore, tanquam Altari proditum eſt; & Diaconorum manus pro Altari ad ſacrificandum adhibuiſſe Theodoretum legimus. Sed hæc ſane ſunt digna exempla, quæ miremur magis, quam imitemur; ſemperque conſtans, & perpetua fuit Eccleſiæ diſciplina, ut ſuper Altare Miſſa celebretur. Adverſus Donatiſtas, quorum furore Catholicarum Altaria erant everſa, inclamat Optatus Milevitanus *lib.* 6. *Quid eſt enim*, inquit, *Altare, niſi ſedes & Corporis, & Sanguinis Chriſti? Hæc omnia furor veſter aut raſit, aut fregit, aut removit &c. Si litoris judicio nos vobis ſordidi videbamur, quid vobis fecerat Deus, qui illuc invocari conſueverat? Quid vos offendiſtis etiam vos ipſi, ut illa Altaria frangeretis, in quibus ante nos per longa temporum ſpatia ſancte, ut arbitramini, obtuliſtis? dum impie perſequimini manus noſtras illic, ubi Corpus Chriſti habitabat, feriſtis & veſtras. Hoc modo Judæos eſtis imitati. Illi injecerunt manus Chriſto in Cruce: a vobis percuſſus in Altari. Si Catholicos illic infectari voluiſtis, vel veſtris illic antiquis oblationibus parceretis.*

Secundo dicimus, in Lege Veteri Deum juſſiſſe, e terra fieri Altare, vel e lapide. Sic enim *Exod. cap.* 20. *Altare de terra facietis mihi, & offeretis ſuper eo holocauſta, & pacifica veſtra, oves veſtras, & boves in omni loco, in quo memoria fuerit nominis mei; Veniam ad te, & benedicam tibi. Quod ſi Altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus; ſi enim levaveris cultrum ſuper eum, polluetur.* Atque illud Altare æneo tegumento operiebatur: *Et operies illud ære*, ut eſt in *Exodi cap.* 27. Itaque in Veteri Teſtamento Altare vel terra oppletum erat, quod exiſtimavit Abulenſis *in cap.* 29. *Exodi quæſt.* 6., vel rudibus lapidibus, quod mavult Ribera *lib.* 2. *de Templo c.* 20. Et ſane Macchabæus in Altare, quod Antiochus everterat, a ſe reſtitutum lapides injecit, juxta id, quod in Lege præſcribitur, ut videre eſt *in lib.* 1. *Macchabæorum c.* 4. Æneum fuiſſe Altare, ſeu Altaris aram, ſeu menſam, exiſtimavit P. Lamy *de Tabernaculo lib.* 3. *cap.* 6. *ſect.* 2.; illud vero, quo ea menſa ſuſtentabatur, fuiſſe lapideum: *In hocce autem loco Exodi, ubi Altare præcipitur de terra faciendum, non de ſumma parte, quæ ænea, ſed de fundamento Altaris, quod ut cito pararetur, cum mutabantur caſtra, permittebat Deus, ut fieret ex fortuitis ceſpitibus tumultuario opere.* Primis Eccleſiæ temporibus Altaria quidem certe lignea fuere: quamobrem Optatus Milevitanus, quem ſupra protulimus, Donatiſtas, qui Catholicorum Altaria ſubverterant, in hunc modum objurgare pergit; *Hoc igitur inexpiabile nefas, ſi de aliqua ratione deſcendit, uno modo fieri debuit, ſed, ut æſtimo, alio loco copia lignorum frangi juſſit, alio ut Altaria raderent lignorum inopia imperavit, ut removerentur, ex parte verecundia perſuaſit, ubique tamen nefas eſt, dum tantæ rei manus ſacrilegas, & impias intuliſtis. Quid perditorum conductam referam multitudinem, & vinum in mercedem ſceleris datum? quod ut immunda ore ſacrilegis hauſtibus biberetur, calida de fragmentis Altarium facta eſt.* Nec ita longe a vero abeſt, Sanctos Apoſtolos in ligneis Altaribus Miſſam celebraſſe ad Jeſu Chriſti exemplum, qui Legali Cœna peracta, ad menſam ligneam aſſidens, ſemetipſum in Sacrificium obtulit Deo Patri. Beatum Petrum, quem, ut jam diximus, Pudens Senator domi ſuæ excepit; traditione compertum eſt, in Altari ligneo ſacrificaſſe, quod etiam nunc aſſervatur Romæ in Templo Sanctæ Pudentianæ, ſi fides habenda ſit Aringo, qui in Roma ſubterranea *to.* 1. *lib.* 4. *c.* 43. *Extat*, inquit, *in eadem Eccleſia, ad dexteram intrantibus, Altare ligneum, ad modum Arcæ compactum, in quo Beatus Petrus, dum apud Pudentem hoſpitio receptus moraretur, ut pia fert traditio, immortali Deo Sacrificium offerebat. Lignea autem Altaris Tabula præ vetuſtate nimia conſumpta cernitur, & ſub Altari lapideo locata eſt, in quo S. Petri ſtatua cernitur. Hoc autem titulo notatum eſt. In hoc Altari S. Petrus pro Vivis, & Defunctis, ad augendam Fidelium multitudinem, Corpus, & Sanguinem Domini offerebat.* Quod autem in carceribus Miſſas celebratas eſſe novimus, cum perſecutionibus Ethnici in Chriſtianos ſævirent, id nobis palam facit, Altaria tunc temporis lignea fuiſſe.

„ Primis vero Seculis, & perſecutionum temporibus utrum præter lignea, Chriſtiani haberent etiam Altaria lapidea, & num primus Beatus Sylveſter Seculo quarto juſſerit, non amplius in ligneis, ſed in lapideis Altaribus Miſſam celebrari, quærunt Viri docti; quibus Juveninus *de Sacramentis diſſert.* 5. *de Euchariſt. quæſt.* 8. *c.* 3. hæc ſcribit: *Incertum eſt, an Altaria prioribus Seculis lignea fuerint, aut lapidea. Veriſimile*

„ eſt,

„ *eſt, utraque, dum ſæviret perſecutio, indiſcriminatim adhibita fuiſſe, prout nempe rerum, locorumque opportunitas ferebat &c. Multis ab hinc Sæculis Eccleſia præcepit, ut Altaria ſolum lapidea ſint. Nonnulli Scriptores illud Decretum Sylveſtro Papæ adſcribunt: ſed aſſertum hujuſmodi nullo veterum teſtimonio nititur.* Videantur etiam Card. Bona *Rer. Liturgicar. lib.* 1. *c.* 20. Martene *de antiquis Eccleſiæ Ritibus tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 3. *art.* 6.

„ Lapidea fuiſſe Altaria vergente in finem Sæculo IV. exploratiſſimum eſt S. Gregorii Nyſſeni Oratione de Sancto Chriſti Baptiſmate *pag.* 801. *Altare hoc ſanctum*, inquit, *cui aſſiſtimus, lapis eſt natura communis, nihil differens ab aliis cruſtis lapideis; ex quibus parietes noſtri extruuntur, & pavimenta exornantur. Sed quoniam Dei cultui conſecratum, atque dedicatum eſt, ac benedictionem accepit Menſa ſancta, Altare immaculatum eſt, quod non amplius ab omnibus, ſed a ſolis Sacerdotibus, iiſque venerantibus, contrectatur.*

„ Altaria, cum Eccleſia ſecundioribus rebus cœpiſſet uti, legimus a Fidelibus facta ex argento. Sane Conſtantinus Imperator, ut eſt in libro Pontificali, ſeptem ex puriſſimo argento extruxit Altaria in Conſtantiniana Baſilica, quorum ſingula pondus habebant ducentarum, & ſexaginta librarum. Xyſtum etiam III. argenteum itidem Altare trecentorum pondo librarum, in eodem libro proditum eſt, Baſilicæ Liberianæ obtuliſſe: illud tamen incertum, e ſolido ne argento Altaria illa fuerint, an ex ligno, vel lapide, argenteis laminis obducto; nam de ejuſmodi laminis, idem Pontificalis liber, in Vita Hadriani I. hæc habet: *in Baſilica Sanctæ Dei Genitricis, quæ eſt ad Præſepe, in Altari ipſius Præſepis fecit* Hadrianus *laminas ex auro puriſſimo, hiſtoriis depictis, penſantes ſimul libras centum quinque.*

„ Nunc de Petra Sacra dicendum, qua opus eſſe monuimus, ut Miſſa rite celebretur, niſi Altare conſecratum ſit. Ea in Can. *Concedimus, de Conſecrat. diſt.* 1. *Tabula Altaris* appellatur, & *Viaticum* in Decretali: *Quoniam Epiſcopi*; de Privilegiis in ſexto: *Ut Altare poſſit habere Viaticum*. Hincmarus Rhemenſis Sæculo IX. de Petra Sacra loquitur in Capitulis, quæ anno Epiſcopatus ſui duodecimo condidit: *Nemo Presbyterorum in Altari ab Epiſcopo non conſecrato cantare præſumat. Quapropter ſi neceſſitas popoſcerit, donec Eccleſia, vel Altaria conſecrentur, & in Capellis etiam, quæ conſecrationem non merentur, Tabulam quiſque Presbyter, cui neceſſarium fuerit, de marmore, vel nigra petra, aut litio honeſtiſſimo, ſecundum ſuam poſſibilitatem, honeſte affectatam habeat, & nobis ad conſecrandum afferat, quam ſecum cum expedierit, deferat, in qua ſacra Myſteria, ſecundum Ritum Eccleſiaſticum, agere valeat.*

„ In Orientali Eccleſia nullus hujus Petræ ſacræ eſt uſus; nam ſi in Altari non conſecrato Miſſa ſit celebranda, pannos quoſdam adhibent Sacerdotes eodem ritu, quo conſecrantur Altaria, conſecratos, quos vocant *Antimenſia*, ut videre eſt apud Cardinalem Bona *Rer. Liturgic. lib.* 1. *cap.* 20. Binghamum *to.* 3. *pag.* 246. & apud Renaudotium *in Collection. Liturgiarum Orientalium tom.* 1. *pag.* 182. At, quemadmodum diximus, in Occidentali Eccleſia, aut ſuper Altare lapideum conſecratum Miſſam celebrare oportet, aut ſi conſecratum non ſit, ſaltem ſuper Petram Conſecratam, ſive Altare ſit ligneum, ſive lapideum. Altare Jeſum Chriſtum ſignificat: *Altare quidem Sanctæ Eccleſiæ eſt Chriſtus, teſte Joanne: qui in Apocalypſi ſua Altare aureum ſe vidiſſe perhibet ſtans ante Thronum; in quo, & per quem oblationes Fidelium Deo Patri conſecrantur.* Et de Chriſto ait Apoſtolus 1. ad Corinthios: *Petra autem erat Chriſtus*; ut obſervat D. Thomas 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 3. *ad* 5. qui ad hunc modum convenientiam illam ſtatuit cum diſciplina, ne alia erigantur Altaria, quam lapidea, nec niſi ſuper Petra conſecrata Miſſa celebretur.

„ Duo tantum eorum, quæ attinent ad Altaria, ſuperſunt animadvertenda. Primum illud eſt, menſam Altaris unica, vel pluribus columellis ſuſtineri conſueviſſe, vacuo menſam inter & pavimentum ſpatio interjecto. Cujus rei argumento ſunt ejuſmodi Altaria, quæ in ſacris Romæ Cryptis videre licet. Et ſane memoriæ proditum eſt, Vigilium Romanum Pontificem, quem ejus inimici fugientem inſequebantur, in Eccleſiam S. Euphemiæ ſe ſub Altare recepiſſe; ibi latitantem ab inimicis deprehenſum, ac pedibus abreptum, manu columellam comprehendiſſe, ac in ejus caput fuiſſe futurum, ut menſa rueret, niſi eam Clerici manibus ſuſtinuiſſent; tum rurſus ab inimicis in Vaticana S. Petri Baſilica deprehenſum, ad eumdem modum columnas, quæ Altare ſuſtinebant, arripuiſſe; quibus diſruptis, menſam in ejus caput everſam, ut rem hanc expendentes pulcre obſervarunt Grancolas 1. *part. Veteris Sacramentarii Eccleſiæ pag.* 42. & 43. Bocquillot *Tractatu Hiſtorico Sacræ Liturgiæ lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 85. & 86. Alterum obſervatu dignum illud eſt, antiquitus unicum fuiſſe in ſingulis Templis Altare, ut iidem duo, quos ſupra memoravimus, Scriptores animadvertunt, pluribus ad id probandum monumentis e ſacra antiquitate depromptis. Ritum hunc Græci etiamnum retinent. Unicum tantum, ut obſervat Grancolas, in Templo quolibet commemorant Altare, Ignatius, Cyprianus, Irenæus, Tertullianus, Hieronymus. Neque adeo idem Grancolas monere prætermittit, etſi unum tantum eſſet Altare in Templo, Oratoria tamen in Templi ambitu fuiſſe, ubi Miſſa celebrabatur; cujuſmodi more etiam nunc utuntur Græci, qui cum unum in Templo habeant Altare, Oratoria tamen circum Templi perimetrum habent, ubi Miſſam celebrant, idque tum ex eorum colligitur Euchologio, tum ex Leone Allacio in Epiſtola de Græcorum Templis. "

DUBIUM II.

De Ornatu Altaris in ordine ad Sacrificium.

9. SUper Altare debent extendi tres Tobaleæ lineæ, eæque benedictæ, ut patet ex *Rubric. tit.* 20. *nu.* 2. & ex cap. *Si per negligentiam. De Conſecrat. diſt.* 1. ubi fit mentio de effuſione Sanguinis uſque ad quartum linteum. Suarez *diſp.* 81. *ſect.* 6. Vaſquez *diſp.* 233. *c.* 3. Facundez *præcept.* 1. *lib.* 3. *cap.* 22. *n.* 10. Palaus *punct.* 10. *n.* 11. docent ſufficere, quod ſint duæ, præter Corporale, vel una duplicata: attamen in Miſſali Romano, auctoritate Clement. VIII. & Pii V. edito, expreſſe requiruntur tres, duæ breviores, quibus cooperiatur tota Ara, vel una duplicata, quæ ſit pro duabus, & altera longior, quæ totam menſam Altaris cooperiat; ſic enim habet *tit.* 70. de præparatione Altaris: *Hoc Altare operiatur tribus Mappis, ſeu Tobaleis mundis ab Epiſcopo, vel alio habente poteſtatem benedictis, ſuperiori ſaltem oblonga, quæ uſque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, aut una duplicata.* Ita ibi Gavantus *ibidem part.* 1. *tit.* 20. Lugus *diſp.* 20. *ſect.* 2. *n.* 76. Diana *part.* 10. *tract.* 11. *reſol.* 5. Averſa, & alii, quos ſequitur Leander *d. diſp.* 7. *quæſt.* 10.

10. *An ſit peccatum mortale celebrare ſine tribus Tobaleis?* Affirmant Gavantus *ibidem*, negant alii, qui dicunt ſufficere duas: imo Leander *quæſt.* 15. citans D. Thomam, Rodriquez, Sylveſtrum, Dianam, & alios, aſſerit celebrare cum una tantum Tobalea, & Corporali, etiam ſine cauſa, eſſe tantum veniale, dummodo abſit contemptus, mortale vero ſine ulla Tobalea cum ſolo Corporali; quia celebrare primo modo, levis, ſecundo vero maxima eſſet irreverentia: quod utique probabile indicat Præpoſitus citans Suarium, & Azorium, & quælibet rationabilis cauſa etiam a veniali excuſat, ut docent communiter Doctores.

11. Mappas, ſeu Tobaleas non eſſe neceſſario benedicendas tenent Tambur. cum Suario, & Layman, item Leſſius, Ledeſma, Filliucius, Villalobos, Vaſquez, Bonacina, & alii apud Dianam *ſupra*, item Paſqualigus *qu.* 709. ubi pro ſe citat 20. DD. ſed contrarium habetur ex *Rubr. cit. de præparat. Altaris*. Gavantus *ibi*, qui dicit benedictionem illarum eſſe in Ordinario Romano, Lugus, Hurtado, Dicaſtillus, quos citat, & ſequitur Leander *quæſt.* 11. puto tamen non obligare ſub mortali, quia omnia, quæ habentur in Rubr. Miſſalis, non afferunt obligationem gravem, niſi aliunde conſtet de Eccleſiæ præcepto. Quapropter in caſu neceſſitatis poſſunt adhiberi Mappæ Laicorum non benedictæ, ſine peccato, & poſtea poſſunt eis reſtitui, ut habet Ant. a Spiritu Sancto *diſp.* 5. *ſect.* 1. *num.* 165. Palaus *punct.* 10. *num.* 11. Layman, & alii apud ipſos.

12. Secundo requiritur ad Sacrificium Corporale, quod ex lino tantum eſſe debet, nec ſerico, vel auro in medio intextum, ſed totum album, ab Epiſcopo, vel alio habente facultatem ſimul cum palla benedictum, ut habetur *in cit. Rub. de præparat. Altaris*, & in cap. *Conſulto. De conſecrat. diſt.* 1. Non prohibetur tamen Corporale in extremis partibus, & palla in parte ſuperiori, qua Calicem non tangit, ex quacumque pretioſa materia, vel colore ornari, ut notant DD. communiter, Layman, Lugus, & alii cum Tambur. *lib.* 1. *cap.* 5. §. 3. eſſe peccatum mortale celebrare ſine Corporali benedicto, cum Suario, Rodriquez, & aliis multis tenet Dicaſtillus *diſp.* 4. *dub.* 6. *n.* 156. non tamen erit mortale ſi deficiat ſola palla, & urgeat neceſſitas celebrandi.

13. Requiritur etiam Purificatorium linteum, quo tergitur Calix, non eſt tamen ex obligatione benedicendum, ut cum Gavanto docent Leander *q.* 14. & Lugus *diſp.* 20. *ſect.* 2. *n.* 76. nam in Ritualibus non invenitur benedictio propria Purificatorii, ſicut nec Veli, nec Burſæ Corporalis, ut advertit Gavantus *part.* 2. *tit.* 1. conſulunt Layman, Facundez, & Quart. *part.* 2. *tit.* 1. *ſect.* 3. *dub.* 5. ut una ſimul cum cæteris linteaminibus benedicatur. Defectus Purificatorii poteſt alio linteo ſuppleri, nec ulla cauſa requiritur, niſi quod ſatius eſt illo uti, quam Purificatorio valde immundo, quod eſſe peccatum mortale docent DD. communiter, quia eſt contra reverentiam debitam tanto Sacramento. Ita cum Filliucio, Ledeſma, Villalobos, & aliis, Ant. a Spiritu Sancto *diſp.* 5. *ſect.* 1. *num.* 167. quod idem valet de cæteris ad Sacrificium proxime pertinentibus, ſi ſint valde immunda, vel notabiliter lacera.

14. Quamvis Purificatorium linteum eſſe debeat, ſicut Corporale, & Palla, idem dicendum de Amictu, Alba, & Mappis, quæ pariter lintea eſſe debent; fieri tamen poſ-

ſunt

ſunt ex Canape, vel Goſſipio, vulgo ex Cottone, ſeu Bombace, ut bene notat Tambur. *ſupra cap.* 5. §. 3. *n.* 3. & 4.

15. Tertio requiritur lumen ardens in Altari, adeo ut ſine peccato nunquam poſſit celebrari ſine lumine, cum ſit contra conſuetudinem Eccleſiæ ab Apoſtolorum tempore dimanatam, ut ex Athanaſio, Abdia, & aliis oſtendit Henriquez *lib.* 9. *cap.* 9. *num.* 7. & contra grave præceptum poſitum in cap. *ult. de celebratione Miſſarum*. Ita Navar., Suarez, Lugus, Paludanus, Sotus, & alii, quos ſequitur Leander *quæſt.* 17. & ſi extinguatur ante conſecrationem ſine modo, & ſpe iterum accendendi, non licere proſequi Miſſam, cum aliis, tenet Facundez *præcepto* 1. *Eccleſ. cap.* 22. *nu.* 19. etiamſi eſſet dies feſtus, & neceſſitas conficiendi Viaticum ad communicandum Infirmum; puto tamen Miſſam eſſe continuandam, non ſolum ſi lumen extinguatur, aut deficiat poſt conſecrationem, ſed etiam ſi extinguatur poſt offertorium ante conſecrationem, cum jam ſint oblata ea, quæ ſunt conſecranda. Ita Leander *quæſt.* 20. & non obſcure indicat Lugus *diſp.* 20. *num.* 77. & Paſqualigus *quæſt.* 724. quia magis obligat, inquit, præceptum Miſſam inchoatam perficiendi, quam ſine lumine non celebrandi.

16. Lumen debet eſſe duplex, & quidem ex cera juxta regula Miſſalis, & celebrare cum uno tantum lumine, extra caſus neceſſitatis, eſſet ſaltem veniale, quia Rubric. Miſſalis duas exigit candelas. Gavant. *part.* 1. *tit.* 20. *lit. V.* Azor. *lib.* 10. *cap.* 28. *quæſt.* 5. & cum aliis Diana *part.* 10. *tract.* 12. *reſol.* 20. poſſet etiam, ſecluſo ſcandalo, in neceſſitate adhiberi lumen ex adipe, vel ſevo, vel etiam lucerna olei. Ita Lugus *diſp.* 20. *ſect.* 2. *num.* 77. Gavant. *loco cit.* Diana *part.* 2. *de celebrat. Miſſæ reſol.* 45. & 67. ubi magis probat, lucernam ex oleo, quia olim in Sanctuario lampades in cultum Dei ardebant, & Leander *qu.* 20. aſſerit etiam in caſu neceſſitatis eſſe peccatum mortale celebrare cum candela ex adipe, aut ſevo confecta, non ſic cum lumine, aut lucerna ex oleo, quia uſum olei in Eccleſia coram Venerabili Sacramento omnes admittunt: Paſqualigus tamen *quæſt.* 726. docet, adhibendam potius eſſe candelam ex ſevo propter ſimilitudinem cum cera: quare in caſu neceſſitatis, deficiente ſcandalo, utralibet Sententia tute ſequi poterit. Tertia candela accendenda tempore conſecrationis non requiritur cum tanto rigore, quamvis Miſſalis Rubricæ illam exigant. Ita ex Card. de Lugo *diſp.* 20. *de Euchar. ſect.* 2. *num.* 79. docet Tambur. *lib.* 1. *de Sacrif. Miſſæ cap.* 2. §. 4. *num.* 3. non enim omnia, quæ ponuntur in Rubricis, obligant ſub peccato, niſi aliunde grave præceptum colligatur.

17. Quarto neceſſarium eſt Miſſale, in quo ſaltem Canon integer contineatur, & ſine illo celebrare, regulariter loquendo, eſt mortale, quamvis Sacerdos Miſſam memoriter teneat, quia memoria labilis eſt, & non licet in actione publica ſe exponere periculo, maxime quia facile turbari, aut diſtrahi poteſt. Ita Navar., Sotus, Suarez, Ledeſma, Diana *part.* 9. *tract.* 9. *reſol.* 30. quos ſequitur Leander *qu.* 21. probabile tamen eſt, non peccare mortaliter, qui omnia ita memoriter tenet, ut nullum ſit morale periculum errandi; decet tamen loco Miſſalis alterum librum ponere ad vitandum ſcandalum. Ita cum Filliucio, Ledeſma, Villalobos, Trullench, Layman, Ant. a Spiritu Sancto *diſp.* 5. *ſect.* 1. *nu.* 69. Lugus *ſupra nu.* 78. Diana *de celebrat. Miſſ. reſol.* 46. & aliis pluribus citatis, Leander *quæſt.* 22. & hac ratione poſſunt excuſari, qui celebrant, & ob debilitatem viſus non poſſunt legere, modo ſi poſſint Hoſtiam, & Calicem ſufficienter videre, & experientia compertum habeant, ſe omnia fideliter, ac ordinate recitare: neceſſario tamen deberet cum illis aſſiſtere alius Sacerdos, vel Diaconus adjuvans ad colligenda fragmenta, & Hoſtia forte relicta ſuper Patenam, aut Corporale, ut ex Diana notat Leander, & docet Vaſquez *diſp.* 233. *cap.* 3. *in fine*.

18. Quinto adeſſe debet Crux in medio Altaris, ſaltem tempore Sacrificii, ut habetur ex *Rubr. Miſſal. tit.* 20. *nu.* 1. ad quam Sacerdos in acceſſu, & receſſu ſe profunde inclinat, & verſus quam in concluſione collectæ, & alias, caput inclinare jubetur; & hoc ſub obligatione peccati mortalis affirmant nonnulli apud Fagundez *præcept.* 1. *lib.* 3. *cap.* 21. *nu.* 32 ſed communis, & vera opinio eſt, ſolum ſub veniali, & cum cauſa nullum omnino peccatum erit. Ita Paſqualig. *quæſt.* 717. Suarez, Vaſquez, Hurtado, Layman, Diana, Homobonus, & alii, quos affert, & ſequitur Leander *quæſt.* 23. Gavant. *pr. part. tit.* 20. *lit. V.* Marchinus *part.* 3. *cap.* 12. Villalobos, Ledeſma, & alii, Bonacina *quæſt. ultim. de Euchariſt. punct.* 9. *num.* 29.

19. Crucem non eſſe in Altari ſtatuendam, ubi ſervatur clauſum in Tabernaculo SS. Sacramentum, docent nonnulli apud Tambur. *lib.* 1. *cap.* 5. §. 6. quia in loco, in quo adeſt, quamvis veluti ſub cortina, ipſe Dominus perſonaliter, alio ſigno, ipſum repræſentante, non eſt opus, ſed contraria Sententia eſt probabilior, eamque ſequitur Gavantus, quia Rubr. Miſſal. in omni Miſſa requirit adhibendam eſſe Crucem; ſolum adhibenda non eſt, quando ſuper Altare expoſitum eſt Sanctiſſimum Sacramentum, quia jam ipſe Dominus Crucifixus palam eſt, quamvis Paſqualig. *quæſt.* 715. citans Franciſc. Lug. velit, adhibendam eſſe Crucem etiam quando Sanctiſſimum eſt expoſitum.

20. *Quando in Icone Altaris eſt depictus Crucifixus, ſeu ſola Crux, vel quando pro Icone adeſt Crucifixus ſculptus, an tunc debeat item collocare altera Crux cum Imagine Crucifixi inter ipſa candelabra?* Affirmant Gavantus, quia Rubrica generaliter præſcribit abſque ulla limitatione Crucem inter Candelabra: & ratio eſt, quia ob oculos Sacerdotis ea debet eſſe, tum ad orandum, tum ad eam incenſandam in Miſſa ſolemni. Negat probabiliter cum aliis Tambur. quia jam eſt ante oculos Sacerdotis Imago Crucifixi, licet non inter candelabra.

21. Crucem debere habere Imaginem Crucifixi notat Gavantus ex *Cæremon. Epiſcop. lib.* 2. *cap.* 12.; alii tamen volunt ſufficere ſolam Crucem, nec requiri Imaginem Crucifixi. Ita Quartus, & Paſqualig. *quæſt.* 714. qui tamen cum aliis bene advertit, non ſufficere Crucem, quæ eſt in ſummitate Tabernaculi Sanctiſſimi Sacramenti, niſi eſſet adeo parvum, ut moraliter Crux ipſi ſuperpoſita cenſeretur eſſe in Altari.

22. Pallium, quo in anteriori fronte ornatur Altare, Pulvinar, ſeu Cuſſinum, cui Miſſale ſuperponitur, Candelabra, Manutergium, & ſi quæ ſint alia hujuſmodi remota a Sacra actione, non ſunt benedicenda, nec ſunt adeo neceſſaria, ut ſi quid in Eccleſia deſit, non poſſit ex profanis, ſed congruenter mundis, recipi, & deinde priori uſui, ſine ſcrupulo reſtitui, vel ſine ipſo, quando aliter fieri nequit, celebrari. Ita communiter, & Tambur. *ſupra* §. 6. Pallium Altaris multis in locis jam non adhibetur propter præſtantiam lapidis, aut aliud ornamentum.

„ *Alterum hoc itidem loco tibi ſuppeditatur integrum Caput, quod eſt tertium poſitum in Tract. de Sacrif. Miſſæ lib.* 1. *ubi & ſumma invenies, & facilitate, & plurimis, vel antiquæ Eccleſiæ, eruditionibus conferta, ea omnia, quæ, cum de Altaris ornatu, vel Giribaldi, vel de antiquis Eccleſiæ ritibus peritus quicumque tradere tibi poſſet, hoc modo.* Reliquum eſt, ut de ornatu Altaris dicamus, ſine quo Miſſam celebrare non licet. Superius monuimus, opus eſſe Cruce. Vertus *tom.* 4. *pag.* 30. ait, ſatis quondam fuiſſe Chriſti imaginem, quæ ponitur in Canone, ad Paſſionis Dominicæ memoriam in Sacerdotis animo excitandam; cœpiſſe deinde in aliquibus Eccleſiis, dum recitaretur Canon Miſſæ, ac præſertim tempore Conſecrationis exponi Crucifixi imaginem in tela nigri, vel violacei coloris depictam: remotioribus ab Eccleſiæ exordio temporibus, Presbyteros devotionis gratia voluiſſe, ut toto Miſſæ tempore Crucifixi imago ſibi obſervaretur ob oculos; Sacriſtas denique, minuendi laboris cauſa, ne, ea Miſſa peracta, ſibi imago auferenda, ac dum alia celebraretur Miſſa, rurſus apponenda eſſet, ab ea amovenda deſtitiſſe, ut Crux jam fixus, permanenſque cœperit eſſe Altaris ornatus. Et Auctor nuperi Miſſalis Trecenſis, quos ſexcentæ continentur novitates (quas jam, dum hæc ſcribimus, ab eodem Auctore expunctas eſſe ſumma voluptate intelligimus) ſcribit, optandum eſſe, ut Altaria omnia plane, ut Altare Cathedralis Baſilicæ inſtruantur, in quo non alia eſt Crucifixi imago, quam quæ fixa eſt magnæ Cruci in medio erectæ; nec imago Crucifixi ponitur ſuper Altare, niſi tempore Miſſæ, & tunc affertur, cum recitatur Epiſtola, excepto Quadrageſimæ tempore.

„ Sed quod tradit Vertus, merum eſt commentum cerebro ejus procuſum; nam vetuſtiſſimus eſt Crucis uſus ſuper Altaria. In Concilio enim Turonenſi anno 567. habito Can. III. hæc habentur: *Ut corpus Domini in Altari, non in Armario, ſed ſub Crucis titulo componatur*: ac vera ſententia eſt, ex Apoſtolica traditione derivatum, ne quis ſine Cruce Miſſam celebret, cujus aſpectu Sacerdoti revocetur Paſſionis Chriſti memoria, ut bene advertit Cardinalis Bona Rer. Liturgicar. *lib.* 1. *cap.* 25. *nu.* 8. quo duorum Hæreticorum error refellitur, Dallæi de Cultu Relig. *lib.* 5. *pag.* 773. & Binghami *tom.* 3. *pag.* 237. qui non ante trecenteſimum triceſimum ſextum annum putant in Eccleſiis expoſitas eſſe Cruces. Juveninus de Sacramentis Diſſert. 5. de Euchariſtiæ Sacramento *quæſt.* 8. *num.* 4. *art.* 3. poſtquam laudavit Concil. Turonenſis Canonem, quem ſupra attulimus, addit: *Sic fert Eccleſiarum omnium conſuetudo: cujus quidem cum in Conciliis, aut in Patribus initium non reperiatur, ad ipſos Apoſtolos juxta Auguſtini principia refundi debet. Decuit etiam ut Ritus, de quo agitur, obtineret: par enim eſt, ut Chriſti Paſſio Sacerdotis ſacrificantis oculis obverſetur, quam miſſa ad vivum exhibet.* Vir doctus Joſephus Vicecomes Obſervation. Eccleſiaſtic. *tom.* 4. *lib.* 7. *cap.* 23. locum affert ex Bedæ Hiſtoria, qui *lib.* 2. *cap.* 20. S. Paulini Eboracenſis Epiſcopi vitam ſcribens, ait: *Attulit quoque ſecum vaſa pretioſa Eduini Regis perplura, in quibus & Crucem magnam auream, & Calicem aureum conſecratum ad miniſterium Altaris, quæ adhuc in Eccleſia Cantiæ conſervata monſtrantur.* Unde hæc infert Vicecomes: *Quo loco verba*, Miniſterium Altaris, *Miſſæ uſum ſignificant, cum in Altari nulla res dignior, ac Miſſa procuretur.* Atque eadem eſt Orientalis Eccleſiæ, atque Occidentalis, diſciplina; nam apud Orientales nonniſi Cruce

„ ſuper

ſuper Altare collocata celebratur Miſſa, ut videre eſt apud Grancolas in veteri Eccleſiæ Sacramentario *par.* 1. *pag.* 52. Adverſus autem Miſſale Trecenſe egregie ſcripſit in ſua Paſtorali Inſtructione Joſephus Langletus Epiſcopus Senonienſis, qui *pag.* 35. *num.* 30. *& ſequen.* probat, vetuſtiſſimam eſſe conſuetudinem, ut, præſente Cruce, Miſſa celebretur, oſtenditque quanta perturbatio eſſet, & Fidelium offenſio, ſi, ut omnia Altaria ad exemplum Altaris Baſilicæ Cathedralis redigerentur, Imagines Crucifixi ab iis populus amoveri videret. Ratum igitur eſto, Miſſam celebrare nemini licere, niſi ſuper Altare Crucifixi Imago, vel ſaltem Crux erecta ſit. Ut autem huic rei quantum poteſt lucis affundamus, non abs re fortaſſe erit obſervare, non idem omnino eſſe ſi dicas, remotioribus ab ætate noſtra temporibus morem fuiſſe, ut Crux ſuper Altare locaretur, quotieſcumque Miſſa celebranda eſſet, ac ſi dicas, Miſſam nonniſi præſente Cruce celebrari conſueviſſe. De Cruce, ſuper Altarium menſas collocata, nulla profecto mentio ſit, neque in vetuſtioribus Eccleſiæ Græcæ monumentis, neque in antiquioribus Romanis Ordinibus; quod obſervavit etiam Thierſ. *in diſſert. de præcipuis Altaris ornamentis cap.* 18. quin etiam teſtimonia proferre licet Leonis IV., Raterii Epiſcopi Veronenſis, & Rhemenſis cujuſdam Synodi apud Buchardum, quibus oſtenditur, nil quidquam licuiſſe, quam ſacrarum capſam Reliquiarum, aut Evangeliorum Codicem, aut ſacram Pyxidem, in qua Chriſti Corpus ſervaretur pro Infirmis, ſuper Altaria imponere.

„ Sed certiſſima in Eccleſia, tum Græca, tum Latina, non deſunt argumenta, Cruces impoſitas fuiſſe in ſummo Ciborii vertice ſuper Altare collocati; Paulus enim Silentiarius, cum Altare deſcribit in Conſtantinopolitano Templo Sanctæ Sophiæ erectum, ait: *Medio in loco Ciborii fulgentem ex argento Cœli Imaginem impoſuit, ſupra Cœlum Crux ſupereminens conſpicitur.* Et Anaſtaſius in Vita Benedicti II. *Fecit in Eccleſia Beatæ Mariæ ad Martyres ſuper Altare coopertorium porphyreticum cum Cruce, & gemmis*; unde lux affulget ad illuſtrandum Turonenſis Concilii Can. tertium, quem ſupra memoravimus. Ex quibus omnis ſublata videtur controverſia, ſatiſque oſtenditur vetus & nulli dubio obnoxia obſervantia, nonniſi ad Crucis conſpectum Miſſam celebrandi, eorumque repellitur non ferenda audacia, qui poſtquam Crucis locus, temporum, ut fit, converſione, mutatus eſt; eamque probavit Eccleſia conſuetudinem, ut e Ciborii vertice Crux ſuper Altaris menſam poneretur, pro ea, qua vexantur, omnia permiſcendi libidine, poſtulant ab Altari Crucem amoveri, ac præſertim quando Miſſa celebratur. Scribit Gavantus, Crucem ſuper Altare locatam eſſe oportere, etiamſi adſit ſtatua, vel imago Crucifixi, quæ Gavanti Sententia pluribus Sacræ Rituum Congregationis reſcriptis evertitur. In Cæremoniali Epiſcoporum *lib.* 1. *cap.* 12. ſcriptum eſt, decere, ne in Altari, ubi Sanctiſſima cuſtoditur Euchariſtia, Miſſæ privatæ celebrentur: ac ſi in eo Altari celebrentur, nonnemo arbitratus eſt, non oportere Crucem apponi, cum nulla poſtulet ratio, imaginem ibi eſſe, ubi ille adſit, quia ea imagine exhibetur. Verum cum oculis tantum Fidei ille obverſetur, non vero oculis corporis, propterea neceſſe eſt, cum Miſſa celebratur, ut Crucifixi imago, aut Crux ſuper Altare ſit expoſita. Videantur Clericatus *de Sacrif. Miſſæ deciſ.* 43. *nu.* 6. Meratus *tom.* 1. *ad Gavantum part.* 1. *pag.* 295. *nu.* 6. *& ſeq.* præſertim cum Euchariſtia in Tabernaculo cuſtodiatur, ſemota ab oculis populi, nec publicæ venerationi expoſita ſit, ut obſervat Quartus ad Rubricas Miſſalis *par.* 1. *tit.* 20. *dub.* 10. §. *Oppoſita Sententia*.

„ De Luminibus, quæ ſcripſit Vertus, nos alibi refutavimus. Cum Verto idem ſentire videtur Joachimus Hildebrandus Heterodoxus Auctor in ſuo Opere typis Amſtelodamenſis edito an. 1702. cui titulus: *Sacra Publica Veteris Eccleſiæ in Compendium redacta*, *pag.* 11. locum expedit ex Actis Apoſtolorum *cap.* 20. in quo ſcribit S. Lucas, multas fuiſſe collucentes lampades, ubi D. Paulus in Fidelium conventu, qui ad Euchariſtiam ſuſcipiendam convenerant, verbum Dei prædicabat. Sed cum Apoſtolus ad mediam noctem ſermonem ſuum produxiſſet, lampadibus, ait Hildebrandus, collucentibus opus fuiſſe, ut tenebræ depellerentur. Addit, tribus primis Eccleſiæ ſæculis lumina quidem ad Sacrificium fuiſſe adhibita, ſed non aliunde id factum, quam quod Chriſtiani ſibi ab Ethnicis perſecutoribus metuentes, antelucano tempore Miſſam celebrarent. Fatetur item quarto ſæculo, parta Eccleſiæ pace, luminum uſum Chriſtianos retinuiſſe, ſed in Pervigiliis tantummodo, cum proxima, quæ Feſtivitati præcederet, die, per totam fere noctem vigilias, in Eccleſiis agitarent. Sub finem vero IV. ſæculi monumenta ſcribit extare, quibus evincitur, etiam cum jam illuxiſſet dies, lumina accendi conſueviſſe, cum cantaretur Evangelium, & conſecraretur Euchariſtia, in ſignum lætitiæ & gaudii. Denique S. Gregorius exiſtimat hujuſmodi diſciplinam collucentium etiam per diem luminum propagaſſe; & Sabinianum Auctorem fuiſſe, ut in Templis, etiam extra Sacrificii tempus, perpetuus lampadum eſſet uſus. Quamobrem concludit etiam Lutheranos, e quorum ipſe Secta erat, Miſſæ tempore candelas accenſas adhibere. Verum cum paucis, quæ vera ſunt, multa, quæ ſunt falſa, permiſcuit. Veriſſimum quidem eſt, perſecutionis tempore nocturnos fuiſſe Chriſtianorum conventus; conſequuta vero fuiſſe tempora, cum in Eccleſiis die, quæ feſtivitati proxime præiret, nocturna Pervigilia agitarent, lumina eſſe adhibita; iis nocturnas tenebras eſſe depulſas. Hæc vera omnia: illud autem a vero abeſt, ea tantum cauſa lumina eſſe adhibita. Et ſane, qui luminum uſum, etiam cum ad clare oculis perſpiciendum jam nihil opus eſſet luminibus, retinuerint, eos neceſſe eſt dicere, non ea tantum cauſa, ut viderent oculis, lumina adhibuiſſe, ſed iis ſymbolicam aliam fuiſſe rationem, etiamſi cum per noctem lumina accenderent, inde ſibi exiſteret clare perſpiciendi commoditas; cum præſertim ſymbolica cauſa non ſit commentitia, ſed ex Veteri, & Novo Teſtamento deprompta. Juſſit Deus *Exod. cap.* 25. Candelabrum fieri, lucernaſque ſeptem in eo locandas; & *cap.* 27. oleum ex oliva afferri, quo lucerna uſque aleretur. In Pſalmis a Deo petimus, ut lucem ſuam ad nos tranſmittat. In Epiſtola ad Epheſios D. Paulus, ut oſtenderet pie illis eſſe vivendum, ac vetera vitia eſſe abjicienda, ait, eos aliquando fuiſſe tenebras, factos autem fuiſſe lucem in Domino: quæ omnia ſatis declarant, terrena luce lumen cæleſte ſignificari. Grancolas in veteri Eccleſiæ Sacramentario *tom.* 1. *pag.* 717. *& ſeq.* veterem probat luminum in Eccleſia uſum, etiam interdiu, & cum divina celebrantur officia. Legas, & Caſalium de Veteribus Sacris Chriſtianorum Ritibus *cap.* 42. Inter eos, qui de Ritibus ſcripſere, Micrologus *cap.* 11. ita de eo Ritu loquitur: *Juxta Romanum Ordinem nunquam Miſſam abſque lumine celebramus, non utique ad depellendas tenebras* (quod voluit Vertus, & velle videtur etiam Hildebrandus, de quo nunc loquimur) *cum ſit clara dies, ſed potius in typum illius luminis, cujus Sacramenta ibi conficimus, ſine quo & in meridie palpamus, ſicut in nocte.* De hoc argumento legendi Bellarminus *lib.* 2. *de Miſſa cap.* 14 *Card. Bona lib.* 1. Rer. Liturgicar. *cap.* 25. *n.* 7. Natalis Alexander. *lib.* 2. *de Sacram. Euchariſt. cap.* 7. *art.* 2. Merſelius in Summa Criſtiana *par.* 3. *quæſt.* 41. §. Cæterum cereorum uſum. Le Brun *tom.* 1. *pag.* 66. *& ſeq.* Pouget *Inſtitut. Catholicar. to.* 2. *pag.* 711. *& ſeq.* Boucat Theologia Patrum *tom.* 5. *par.* 4. *diſſert.* 2. §. 4. & Collatio 16. Lucionenſis *tom.* 5. *pag.* 547. *& ſequen.* Duo autem candelabra ab utraque Crucis parte locata juxta Innocentium III. Chriſtianum & Judaicum populum ſignificant.

Vetuſtus itidem eſt linteorum uſus ſuper Altare; quamobrem Optatus Milevitanus citato lib. 6. hæc ſcripſit: *Quis Fidelium neſcit in peragendis Myſteriis ipſa ligna* (ſcilicet Altaria, quæ in Africa erant lignea) *linteamine operiri? Inter ipſa Sacramenta velamen potuit tangi, non lignum.* Et Victor Vitenſis de Perſecutione Vandalica *lib.* 1. narrat, Proculum quemdam, ab impio Genſerico adverſus Catholicos miſſum, vaſtitatem rebus eorum omnibus attuliſſe, & e linteis Altaris ſubuculas, & femoralia ſibi confeciſſe. Statuit Concilium Rhemenſe, ab Ivone relatum *in part.* 2. *Decreti cap.* 132. *Ut Menſa Chriſti, ideſt, Altare, ubi Corpus Dominicum conſecratus, ubi Sanguis ejus hauritur, ubi Sanctorum Reliquiæ reconduntur, ubi preces, & vota populi in conſpectu Dei a Sacerdote offeruntur, cum omni veneratione honoretur, & mundiſſimis linteis, & palliis diligentiſſime cooperiatur, nihilque ſuper eo ponatur, niſi Capſæ cum Sanctorum Reliquiis, & quatuor Evangelia.* Terna eſſe debent lintea, ut deducitur ex Canone *Si per negligentiam. De Conſecrat. Diſt.* 4. quo gravis ei pœna irrogatur, qui Sanguinem Chriſti e Calice effuderit, eaque præſcribuntur, quæ facere oportet, ſi Sanguis ad quartum linteum pertigerit: nam inter ea lintea computatur Corporale, ſub quo alia tria lintea ſubſternuntur. Ea in actis Eccleſiæ Mediolanenſis Sindones appellantur, & *Subſtratorium* dicitur linteum, ſuper quo explicatur Corporale. Stephanus Heduenſis Epiſcopus de Sacramento Altaris *cap.* 5. ubi loquitur de Diaconis, hæc ſcribit: *Horum eſt miniſterium Epiſtolam legere, Levitis miniſtrare, Altaria componere, Subſtratoria, Pallas, Corporalia lavare.* In quibuſdam libri Pontificalis Codicibus legitur de Hormiſda in ejus Vita, dono dediſſe *clamydem Imperialem, & Subſutorium ſub confeſſione B. Petri Apoſtoli*: ubi du Cange in Gloſſario verbo *Subſtratorium* monet, non *Subſutorium*, ſed *Subſtratorium* eſſe legendum.

De Cereo in elevatione Hoſtiæ accendendo, & de Campanula, quæ ad eamdem elevationem pulſanda eſt, alibi nobis erit ſermo. De Pallio, & Manutergio nihil eſt, quod moneamus præcipuum; Tabella introducta eſt commodo Sacerdotum, itidemque Tabella Evangelii S. Joannis. Pulvinum, ait Innocentius III. *lib* 2. *cap.* 41. ſignificare, *miniſtranda eſſe temporalia prædicanti verbum Dei*; & in Pontificali formulam habes benedicendi lintea, & reliqua Altaris ornamenta Tit. *De Altaris Conſecratione*.

„ *Hac*

„ *Hac tamen de re ultra etiam progreditur SS. D. N.*
„ *Benedictus XIV., atque ne in vacuum redeant quæcum-*
„ *que ad Eccleſiaſticorum quorumque ſcripſerit eruditio-*
„ *nem, Bullam etiam ſuperaddit, quæ extat in Tom. 2.*
„ *Bullar., quæ fortius ea omnia confirmat, & quam le-*
„ *gere poteris, ſtudioſe Lector, in fine hujus Voluminis,*
„ *ſuo loco ex ordine poſitam.*

D U B I U M III.

De Calice cum Patena, ejuſque Conſecratione.

23. AD Sacrificium Altaris neceſſario requiritur Calix cum Patena ab Epiſcopo conſecratus, quæ debent ſaltem quoad cuppam eſſe aurea, vel argentea, vel, ſi urget neceſſitas, ex ſtanno. *Ex Rubr. tit.* 10. *de defect. occur. in ipſo miniſterio num.* 1. & cap. *Ut Calix. De Conſecrat. diſt.* 1. ubi habetur: *Ut Calix cum Patena, ſi non ex auro, ſaltem ex argento fiat: ſi tamen quis pauper fuerit, ſtanneo ſaltem Calice utatur, ex ære, aut auricalco Calix nequaquam fiat; nullo autem modo in ligno, aut vitreo Calice.* Itaque Calix numquam debet eſſe ligneus, ne ſpecies imbibat, aut vitreus propter periculum fractionis; & in illo celebrare eſſe peccatum mortale, ut cum aliis docet Henriquez *lib. 9. cap. 6. num.* 4. & multis citatis, Leander *quæſt.* 24. Calix ex ſtanno permittitur in neceſſitate: non poteſt tamen fieri ex plumbo, quia plumbum non eſt ſtannum, & cum illo celebrare eſſe mortale docent Scortia, Suarez, Layman, Facundez, & cum aliis Marchinus *part. 3. cap.* 13. Nec etiam debet fieri ex ære, aut auricalco, aut cupro, quia hæc, propter rubiginem, provocant vomitum.

24. Probabile eſt, Calices æreos, vel alterius materiæ inhabilis, ſi intus inaurentur, reddi habiles, & adhiberi poſſe ad Sacrificium. Ita Facundez *præcept. 1. lib. 3. cap. 21. n.* 10. Leander *diſp. 7. qu.* 26. Paſqualigus *qu.* 767. & Lugus *diſp. 20. n.* 90. qui teſtatur de praxi frequenter Romæ, & alibi etiam nunc obſervata. Ratio eſt, quia per inaurationem tollitur cauſa prohibitionis, ſcilicet nauſea, quam cauſare ſolent dicta metalla; ſecus dicendum de Calice vitreo, vel ligneo, quibus per inaurationem non tollitur fragilitas, aut porroſitas, per quam lignum imbibit ſpecies conſecratas. Quia omnia intelligi debent de Cuppa; nam pes permittitur ex ære, aut alia materia decenti, ut teſtantur Vaſquez, Coninch, Henriquez, Layman, quos ſequitur Palaus *punct. 10. nu.* 5. & aliis citatis, Leander *qu.* 27.

25. Cuppa Calicis debet eſſe intus deaurata, ſicut etiam ſuperior pars Patenæ debet eſſe ſimiliter deaurata, ut habetur *ex Rubric. Miſſal.* & quidem ſub obligatione gravi, ſi non ſint ex argento, quia gravis irreverentia eſt inaurationem omittere: ſi vero ſint ex argento, non debere neceſſario inaurari docet cum aliis Granado *tract. 14. de Euch. diſp. 12. n.* 3. & ita videri eſſe in uſu notat Lugus *diſp. 20. ſect. 4. n.* 90. ſequuntur Franciſcus Lugus, Quartus, & alii, cum Paſqualigo *quæſt.* 770. & Tambur. *lib. 1. cap.* 1. §. 1. ubi excuſat etiam a veniali, ſi ſint ex argento, quia ita uſus obtinuit; & hac ratione ſedaſſe fatetur conſcientiam cujuſdam Sacerdotis, qui incidit in Calicem, & Patenam ex argento, & inaurata quidem, ſed ſemicorroſo auro, ita ut partim aurea, partim argentea apparerent: dixitque, potuiſſe rite in illis celebrari, quia ad hujuſmodi inaurationem, modo ſubſit argentum, non adeſt ſaltem gravis obligatio.

26. Calix, & Patena debet eſſe conſecratus ab Epiſcopo, ſive alio habente facultatem per unctionem Chriſmatis, & ſpecialem benedictionem; eſtque peccatum grave in Calice non conſecrato celebrare, ut tradent Doctores communiter, ex cap. *Unico. De Sacra Unctione* §. *ult.* & quibus Bonacina *diſp. 4. qu. ult. punct. 9. num.* 16. & Marchinus *part. 3. cap. 13. nu.* 2. aſſerunt, in Calice non conſecrato celebranti conſtitutam eſſe pœnam depoſitionis ab Officio, & Beneficio cap. *Ultim. De celebrat. Miſſarum.* At melius Tamburinus *lib. 1. cap.* 1. §. 3. admittit peccatum grave, ſed negat prædictam pœnam, quia cap. *Ult. de celebrat. Miſſar.* ſtat ſolum pro caſu uno particulari, ſecuto Brixiæ tempore Honorii III. ut patebit conſideranti textum.

27. Si Sacerdos bona, vel mala fide celebraret in Calice non conſecrato, non proinde ex contactu Sanguinis Chriſti reddi conſecratum docet Marchinus *dicto cap. 13. nu.* 3. quem, pluribus citatis, ſequitur Leander *quæſt.* 31. & ita judicatum a graviſſimis Patribus Societatis refert Facundez *præcept. 1. lib. 3. cap. 21. n.* 15. ac remanere conſecratum ex contactu Sanguinis Chriſti, nec alia indigere benedictione, aut conſecratione probabiliter tenet Diana pluribus in locis *part. 2. tract. 14. reſol.* 69. & *part. 5. tract. 13. reſol.* 60. exemplo Eccleſiæ pollutæ, quæ ſatis reconciliatur ex prima Miſſa in ea bona fide celebrata. Sequitur Tamburin. *ſupra*, quia per contactum Sanguinis Chriſti poteſt dici æquivalenter, imo & eminenter conſecratus, & deputatus ad Sacrificium, favetque Divus Auguſtinus allatus a Suario *de Euchariſtia diſp. 80. ſect.* 7. dum ait: *Sed & nos pleraque inſtrumenta, & vaſa ex auro, & argento habemus in uſum celebrandorum Sacramentorum, quæ ipſo miniſterio conſecrata, Sancta dicuntur.*

28. Calix, & Patena amittunt conſecrationem, quando amittunt formam, & fiunt inepta ad Sacrificium, ut ſi cuppa ſeparetur a pede non tornatili, vel in ejus fundo foramen etiam modiciſſimum detegatur; ſecus ſi pes tornatilis ſeparetur a cuppa, quia iſta conſecratur independenter ab hoc, vel illo pede, & ita habet uſus, & tenent Doctores communiter cum Leandro *quæſt.* 33. Utrum vero amittat conſecrationem, quando Calix jam conſecratus de novo inauratur, multi affirmant quando iterum deauratur per partem interiorem, quia per illam deaurationem acquirit aliam ſuperficiem; & fit quaſi novus Calix; ita Gavant. *part. 2. tit. 1. lit. H.* Marchinus *cap. 13. nu.* 4. Bonacina *qu. ult. punct. 9. n.* 18. & alii, quos adducit Diana *part. 2. tract. 15. reſol.* 3. Suarez, Vaſquez, Facundez, & alii apud ipſos: multi negant, quia per novam inaurationem ille non eſt alius Calix moraliter a præcedenti, qui jam ſemel conſecratus fuit, quod verum puto, quando ille eſt materiæ per ſe habilis, nimirum ex argento; ſecus ſi eſſet materiæ inhabilis, quæ tunc deberet iterum conſecrari; & ratio diſparitatis eſt, quia hic, amiſſa inauratione, amiſerat formam, non ille; ſiquidem inauratio in Calice argenteo fit ſolum de congruentia, in æneo autem, vel cupro, de neceſſitate. Et ita tenent Diana *loco cit.* Coninchus, Layman, Lugus, & alii, quos ſequitur Leander *qu.* 34. Antonellus *de Regim. Eccleſ. lib. 1. cap. 17. n.* 12. ubi cum Sylveſtro dicit, conſecrationem ita eſſe in ſuperficie auri, ut etiam remaneat in argento, præſertim cum aurum ſubtiliter in Calice circumponatur, unde per novam deaurationem non execratur, quemadmodum neque Eccleſia per dealbationem. Quod ſi deauratio paulatim amittatur, non ideo perit conſecratio, quia tota materia eſt conſecrata per modum unius, ſi Calix erat argenteus, ſecus ſi ex alia materia inhabili. Ita Tamburinus *lib. 1. cap.* 1. §. 5. *n.* 4.

29. Hic dubitari ſolet: *an Pyxis, ſeu Cuſtodia, in qua Corpus Chriſti aſſervatur, benedici, aut conſecrari debeat?* Et breviter reſpond. debere benedici benedictione ſimplici, & ſine unctione, quia ſic expreſſe præſcribitur *Rubr. 2. de ritu ſervando in celebratione Miſſæ*; & in Rituali Romano ponitur propria Pixidis benedictio: & ita tenet Marchinus *ſupra cap. 13. n.* 7. Gavantus *part. 2. tit. 2. nu.* 3. Lugus *diſp. 20. num.* 96. & aliis pluribus citatis, Leander *quæſt.* 35. benedicere autem poteſt idem, qui cætera ornamenta, ut docent Durandus *lib. 1. de ritib. Eccleſ. cap.* 16. Lugus, Suarez, Villalobos, & alii. Cujus autem materiæ eſſe debeat Pixis, non eſt in jure determinatum; unde, ſervata debita reverentia Corporis Chriſti, ſi ob paupertatem, vel aliam cauſam fieret, non ex auro, aut argento, ſed ex alia inferiori materia, nullum foret peccatum, ut cum Suario, & aliis docet Marchinus *ſupra*.

Fuſius adhuc, magnæque, de more, eruditionis co- „
pia, hæc omnia videre poteris in lib. 3. per totum cap. 4. „
& 5. in Tract. de Sacrificio Miſſæ, quæ hic fideliter, & ad „
litteram ſic apportantur: In Rubrica Miſſalis, quæ con- „
ſonat cum Jure communi, in Can. *Ut Calix, de Conſecr.* „
diſt. 1. præſcribitur, Calix, ut omnino vel aureus ſit, „
vel ſaltem argenteus, cujus tamen cuppa interne ſit „
auro illita; itidemque Patena vel aurea ſit, vel ex ar- „
gento deaurata: ſuper os Calicis ponatur Purificatorium, „
& ſuper illud Patena cum Hoſtia, quæ Palla operiatur; „
deinde Calix, cum his omnibus obducto tegatur velo, „
& huic Burſa ejuſdem coloris, quo ſunt cætera Paramen- „
ta, imponatur, in quam Corporale conjectum ſit pli- „
catum, e lino, ab omni vel ſerica, vel aurea fimbria „
nudum, omni ornatu detracto. Calicem, & Patenam, „
iis antequam utare, Epiſcopus conſecraverit; Purifica- „
torium vero, & Pallam, vel Epiſcopus benedixerit, „
vel quilibet alius, cui ejuſmodi ſit poteſtas talia bene- „
dicendi. „

De Calicis, & Patenæ Conſecratione verba fecimus „
in Notificat. 20. Tom. 1. eoque conſecrandi facultatem „
Epiſcopo reſervatam eſſe docuimus; nam in iis ſacra „
Unctione opus eſt; reliqua vero, quæ ſacra Unctione „
conſecrata eſſe non oportet, etiam Sacerdos, vel de „
mandato Epiſcopi, vel ex delegatione Sac. Rituum „
Congregationis, ut variæ ſunt Auctorum Sententiæ, po- „
teſt benedicere. De Calicis, & Patenæ conſecratione „
mentionem facit vetus Sacramentarium Gallicanum, „
ante mille annos, & amplius ſcriptum, quod edidit „
Mabillonius *tom. 1. Muſæi Italici pag.* 389. „

Itaque ad reliqua noſtra tranſiliat oratio, ac de pri- „
mo Calicis uſu paucula ſane dicenda ſuperſunt: illum „
enim in ultima Cœna Chriſtus adhibuit, cum Sanctum „
Euchariſtiæ inſtituit Sacrificium: *Quoniam Dominus Je-* „
ſus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias „
agens, fregit, & dixit: Accipite, & manducate; Hoc „
eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Similiter „
& Calicem, poſtquam cœnavit, dicens: Hic Calix novum „
Teſtamentum eſt in meo Sanguine: verba ſunt Divi Pauli „
Epiſt. ad Corinthios. Quapropter Feria V. Majoris Hebdo- „
madæ, cum præcipua memoria inſtitutionem Euchari- „
ſtiæ recolimus, *Natalis Calicis* a Veteribus Patribus ap- „
pellatur; tunc enim Calicem a profano ad uſum ſacrum „
Chriſtus Jeſus traduxit; & idem Calix, in quo Chriſtus „
Euchariſtiam conſecravit, Hieroſolymæ aſſervabatur „

„ ætate

ætate Bedæ, ex cujus verbis illud etiam colligitur, argenteum fuiſſe, ut videre eſt apud Baronium ad annum Chriſti 34. num. 63., quod tamen non videtur probare Chryſoſtomus, qui *Homil.* 60. ad populum Antiochenum hæc ait de Calice: *Non erat illa Menſa tunc ex argento, nec aureus Calix, ex quo Sanguinem proprium Chriſtus ſuis dedit Diſcipulis. Pretioſa tamen erant illa omnia, & tremenda, quoniam erant Spiritu plena.*

Si Eccleſiaſticas evolvamus Hiſtorias, Calices ex alia, atque alia materia fuiſſe, & multiplici formatos varietate inveniemus. Honorius Auguſtodunenſis *lib.* 1. *cap.* 89. *Apoſtoli*, inquit, *& eorum Succeſſores in quotidianis Veſtibus, & ligneis Calicibus Miſſas celebrabant.* Introductum vero putat a Zephyrino Pontifice, & Martyre, ut Calices ex auro, & argento adhiberentur: *Zephyrinus autem Papa, & Martyr in aureis, & argenteis Calicibus, & Patenis offerri conſtituit.* De Calicibus ligneis percelebris vox illa eſt S. Bonifacii Epiſcopi Moguntini in Concilio Tiburtienſi ſub Formoſo *cap.* 18. *Vaſa, in quibus ſacroſancta conficiuntur Myſteria, Calices ſunt, & Patenæ, de quibus Bonifacius Martyr, & Epiſcopus interrogatus, ſi liceret in Vaſculis ligneis Sacramenta conficere? reſpondit: Quondam Sacerdotes aurei ligneis Calicibus utebantur: nunc e contra lignei Sacerdotes aureis utuntur Calicibus.* Non omnes ſincerum eſſe putant illud Zephyrini Decretum: tuto tamen affirmari poteſt, diu quidem adhibitos eſſe etiam vitreos Calices, ſed tamen per id tempus, cum ejuſmodi Calices adhibebantur, etiam atrocioribus perſecutionibus in Chriſtianos ſævientibus, Calices ex auro, & argento non defuiſſe.

Vitreos Calices a Veteribus fuiſſe adhibitos, conſtat ex eo, quod narrant S. Irenæus *lib.* 1. *cap.* 9. & S. Epiphanius *Hæreſi* 34. Marcum videlicet Hæreſiarcham magicis artibus vinum ex albo colore in rubeum convertere conſueviſſe: ex quo intelligitur, Calices eum fuiſſe pellucidos, ideoque vitreos. Calix etiam ille fuiſſe videtur vitreus, quem confractum ab Ethnicis, junctis fragminibus reſtituit, fuſis ad Deum precibus, S. Donatus Epiſcopus Aretinus, de quo S. Gregorius *lib.* 1. *Dialog. cap.* 7. diuque vitrei ejuſmodi Calices multis in locis adhibiti. Nam D. Hieronymus Epiſt. ad Ruſticum de S. Exuperio Epiſcopo Toloſano: *Nihil*, inquit, *illo ditius, qui Corpus Domini caniſtro vimineo, Sanguinem portat in vitro.* Et in Vita S. Cæſarii Arelatenſis, qui vergente in finem quinto, & ineunte ſexto Sæculo floruit, ſcribit Cyprianus quidam natione Gallus: *Annon*, inquit, *in vitro habetur Sanguis Chriſti?*

Joannes quidam Dougtheus Heterodoxus Tractatum edidit Bremæ anno 1694. *de Calicibus Euchariſticis Veterum Chriſtianorum*, in quo narrat *pag.* 98. ſe, dum eſſet Romæ, quoſdam vitreos Calices vidiſſe: *Romæ quoque degenti, inter reliqua antiquitatum ornamenta oblatos memini Calices vitreos, qui ſacroſanctæ Euchariſtiæ uſui quondam Sacri venditabantur. An vero omnes fuerint, continuo dubitare cœpi, & adhuc admodum dubito. A nonnullis Cardinalibus eam quoque inivi gratiam, ut tales Calices vitreos in conſpectum meum producerent; commodum vero putabam meum de his judicium tunc temporis ſuſpendere, & antiquitatem fictam, & ſimulatam admirari. Hoc ipſo eorum poſſeſſoribus nihil prius, atque antiquius accidere poteſt.* Homini huic qui demum Calices oblati fuerint in conſpectum, plane neſcimus. Neque in nobis recipimus, vitreos omnes Calices, quos ille vidit, eoſdem eſſe, qui ad Euchariſtiam ſunt adhibiti. Pravum tamen intelligitur hominis ingenium abutentis eorum benignitate, qui vitreos illos Calices ei videndos produxerunt, ſatiſque apparet ambigua illius indoles, & bilinguis oratio, quæ & ejus malam fidem oſtendunt, declarantque in Catholicos quam male fuerit animatus; cum præſertim ipſe quoque putet, in veteri Eccleſia vitreos Calices eſſe adhibitos, & in quibuſdam locis eorum uſum uſque ad Caroli Magni ætatem eſſe retentum, etſi Joannes Baptiſta Caſalius, nonniſi ad Sancti Gregorii Turonenſis tempora Chriſtianos ejuſmodi Calicibus uſos eſſe contendat: *De Veteribus Sacris Chriſtianorum Ritibus c.* 11.

Cum vero vitreorum Calicum eſſet uſus, & perſecutiones graſſarentur, ſuos Eccleſiæ non defuiſſe Calices ex argento, & auro probant cum Acta Martyrii S. Laurentii, qui paſſus eſt ſub Valeriano, tum nefario ejus vox, qui a Juliano Apoſtata juſſus Antiochenam diripere Eccleſiam, deprehenſis argenteis, & aureis Calicibus, quod narrat Theodoretus *lib.* 3. *Hiſtor. Eccleſiaſt. cap.* 8. exclamavit: *En ejuſmodi vaſis Filio Mariæ miniſtratur.* Ea de re adeundi Card. Bona *Rer. Liturgicar. lib.* 1. *cap.* 25. & Binghamus *tom.* 3. *Antiquit. Eccleſiaſt. pag.* 241.

Gemmæ deinceps, pretioſique lapilli Calicibus Euchariſticis intexti, quod non probabat Divus Joannes Chryſoſtomus *Homil.* 60. ad Populum Antiochenum, ſi quis ejuſmodi munera offerret, qui ex Viduarum, Pupillorumque bonis ſe locupletaſſet: *Non ſatis nobis eſſe exiſtimamus ad ſalutem, ſi Viduis, & Pupillis expilatis, aureum Calicem, & gemmatam Menſæ offeramus.* Prioribus autem temporibus tuto affirmare poſſumus, etiam picturas Calicibus Euchariſticis apponi conſueviſſe, quod ex Tertulliano colligitur *lib. de Pudicitia cap.* 7. *Procedant ipſæ picturæ Calicum veſtrorum, ſi vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, utrumne Chriſtiano, an Ethnico peccatori conlimet.* Et cap. 10. *Si forte patrocinabitur Paſtor, quem in Calice depingitis proſtitutorem, & ipſum Chriſtiani Sacramenti*; quæ quidem imago ex Lucæ Evangelio *cap.* 15. deſumpta eſt, eamque paſſim videre eſt in veteribus ſacris Cœmeteriis apud Boſſium *in Cœmeter. cap.* 18. & Aringhum *lib.* 2. *Romæ Subterraneæ cap.* 20.

Quod vero ad varia Calicum genera attinet, quidam erant, qui Baptiſmi Calices dicebantur, quibus Sacro Baptiſmate abluti, poſt acceptam Euchariſtiam ſub ſpecie panis, Sanguinem bibebant ſub ſpecie vini. Miniſteriales etiam erant Calices, qui communicandis ſub ſpecie vini Fidelibus adhibebantur: ejuſmodi Calices ſemoti, poſtquam Calicis Communio ad ſolos contracta Sacerdotes eſt. Georgius Caſſander *in Opere Liturgico cap.* 31. de hujuſmodi miniſterialibus Calicibus verba facit, quos eo nomine appellatos eſſe ait: *quia non ad offerendum, ſed ad miniſtrandum populo Chriſti Sanguinem deſerviebant*; idque probat ex eo, quod in Sancti Remigii Vita legitur ab Hincmaro conſcripta.

Mabillonius *tom.* 2. *Muſæi Italici*, in notis ad primum Ordinem Romanum putat, Calices miniſteriales fuiſſe *Scyphos* appellatos; nam ad illud verbum, *Calices*, hanc interpretationem addit: *id eſt Calices miniſteriales, qui alio nomine Scyphi appellantur*: & in notis ad tertium Ordinem Romanum, ad ea verba, *in majorem Calicem, ſive Scyphum*, ait: *Scyphus, aut Calix miniſterialis.* Sed aliter ſenſit Juſtinianus Chiapponus Cæremoniarum Magiſter ſub Clemente XI.; nam in diſſertatione de Oblationum Myſteriis, quam edidit cum Actis Canonizationis quatuor Sanctorum ſub eodem Pontifice *pag.* 287. contendit, Scyphum non fuiſſe Calicem miniſterialem, ſed Calicem illum omnium maximum, e quo Sanguis in miniſteriales Calices invergebatur populo diſtribuendus, ut mox dicemus. Quod tamen putamus abeſſe a veritate; apertiſſimus enim eſt locus, qui mox producetur in tertio Ordine Romano, ubi Scyphus pro miniſteriali Calice accipitur; atque de hac re cum Mabillonio conſentit Bocquillot in Sacra Miſſæ Liturgia *lib.* 1. *cap.* 8. *pag.* 183. *edit. Pariſien. ann.* 1701. Joſephus Vicecomes *lib.* 6. *de Miſſæ Apparatu cap.* 12. quærit, an in miniſterialibus Calicibus Sanguis conſecraretur; ac in iis etiam conſecratum eſſe putat. Negat id Georgius *tom.* 1. *de Liturgia Romani Pontif. cap.* 3. Sanguis enim in Calice offertorio conſecrabatur, cujus portio quædam in vinum, Calice miniſteriali contentum, ingerebatur; & ad hunc modum populo Sanguis ſub ſpecie vini exhibebatur: quod etiam animadvertit Cardinalis Perronius in reſponſione ad ſecundam Magnæ Britanniæ Regis inſtantiam *pag.* 265. & Cardinalis Bellarminus *de Sacrific. Miſſæ lib.* 4. *cap.* 24. Quamobrem ex ſecundo Ordine Romano, quem exiſtimabat Panvinius eumdem eſſe, ac Gelaſianum Ordinem a S. Gregorio Magno emendatum, typiſque primum a Caſſandro, & Hittorpio vulgatum, quemque Mabillonius iterum edidit in *Muſæo Italico tom.* 2. *pag.* 50. hanc fuiſſe diſciplinam intelligimus, ut Pontifex, dum in Miſſa communicabat, partem Hoſtiæ in Calicem inderet, ſemel, iterum, ac tertio dicens: *Fiat commixtio, & conſecratio*; ei deinde Archidiaconus præberet Calicem, ex quo pars Sanguinis in Calicem miniſterialem invergebatur. Quod luculentius etiam tradit tertius Ordo Romanus eodem *tom.* 2. *Muſæi Italici pag.* 59. *Sed ipſe Pontifex confirmatur ab Archidiacono in Calice ſancto, de quo parum refundit Archidiaconus in majorem Calicem, ſive in Scyphum, quem tenet Acolythus, ut ex eodem ſacro Vaſe confirmetur populus, quia vinum etiam non conſecratum, ſed Sanguine Domini commixtum ſanctificatur per omnem modum.*

Ubi notandum, Euchariſtiæ diſtributionem ſub ſpecie panis *Communionem*, ſub ſpecie vini *Confirmationem* appellari conſueviſſe; quod ex quinto etiam Ordine Romano colligitur eodem *tom.* 2. *Muſæi Italici pag.* 59 *Clerus Communionem ab Epiſcopo accipiat, & ab Archidiacono confirmetur.* Armeni nunc temporis binis in Miſſa Calicibus utuntur, quorum in altero, quemadmodum Latini in Patena, collocant panem, in alterum vinum infundunt, ut teſtatur Cardin. Bona *cit. lib.* 1. *cap.* 25. *num.* 3. *in fine.*

In Accademia Eccleſiaſtica, quæ olim habebatur in Collegio Propagandæ Fidei, quo nos viridi ætate ventitabamus, quamque ab interitu vindicatam inſtauravimus, Petimezzius in diſſertatione, quam edidit cum aliis, quas in iis Conventibus habuit, *part.* 2. *pag.* 158. egit de Calicibus miniſterialibus, eoſque anſatos fuiſſe docuit, ut facile eos manu Sacerdotes tenere poſſent, cum Sanguinem populo diſpertiebant, juxta Ordinem Romanum, ubi legitur: *Levat Archidiaconus Calicem per anſas, & tenet exaltans illum juxta Pontificem.* Quoſdam etiam fuiſſe Calices miniſteriales, quorum fundo ferruminata eſſet fiſtula, *Scyphon* appellata, unde Laici Sanguinem exſugebant, quod multo antea obſervavit Lindanus

lib. 4.

lib. 4. Panopl. Evangelic. cap. 46. Quia Sanguinis effuſio propter incultioris populi ruſticitatem merito timebatur, Calicibus canna eſt ferruginata, affabreque inſerta, unde populus Sanguinem Chriſti non tam biberet, quam ſugeret. Pergit deinde Lindanus, & in Fuldenſi Monaſterio duos ſe vidiſſe Calices teſtatur, quibus, dum viveret S. Bonifacius, uſus fuerit: eorum alterum admodum parvum ad Miſſam ait adhibitum, alterum prægrandem putat miniſterialem fuiſſe Calicem, in quo populum Sanguinem biberet, quod ejus forma nihil in ejuſmodi uſum ſit accommodatius: *Idoneum enim eſt hoc Poculum, unde populus ſine periculo effuſionis bibere poſſit; habet enim duas anſas, eſtque nec rotundum, nec quadratum, ſed inſtar pomi orbiculatum.* Addit, in ea fuiſſe plebem opinione, S. Bonifacium hoc poculum ad potum, cum ad menſam accumberet, adhibuiſſe; id autem tam falſum eſſe, quam quod maxime, ſatis apparet ex duodecim Sacerdotum imaginibus in circumferentia inſculptis, quorum ſinguli Planeta induti, quemadmodum Sacerdotes, Calicem in manu habentes, videntur populum ad potum invitare. Et Rhenanus in Scholiis ad Tertullianum ab erudito quodam Abbate illud ſe accepiſſe teſtatur, in veteribus Carthuſianorum Conſtitutionibus vetitum fuiſſe, ne cui Monacho pretioſi quidquam apud ſe habere liceret, præter argenteum Calicem, & fiſtulam, qua Laici Sanguinem poſſent exſorbere. Præterea in vetuſto libro ante quadringentos annos ſcripto: *De Veteribus Theſauris Eccleſiæ Moguntinæ* legiſſe ſe ſcribit, in illius Eccleſiæ Theſauro quondam fuiſſe aureos magni ponderis Calices anſatos, cum ſenis argenteis fiſtulis, quæ in eoſdem Calices immittebantur ad uſum eorum, qui communicarent.

Nunc de Patena dicendum, quæ Calicis eſt veluti operculum, ubi ſacra ponitur Hoſtia. Utrum Chriſtus in Patena conſecratum panem poſuerit, non declarant Evangeliſtæ. Eam tamen Apoſtolorum tempore adhibitam fuiſſe, colligitur ex Liturgia S. Jacobi, ubi de ea diſerte fit mentio. Patenam *a patenda, quod patula ſit*, appellatam dicunt. In libro Pontificali de Sancto Sylveſtro proditum eſt, eum obtuliſſe *Patenas aureas ſeptem, quæ penſabant libras triginta*; & in vita Sancti Nicolai Pontificis: *Patenam ex auro puriſſimo miſit Michael Imperator cum diverſis lapidibus pretioſis.* Plures etiam alias aureas, & argenteas Patenas a Summis Pontificibus oblatas Baſilicis, quæ Romæ ſunt, reperias apud Chiappo-num *loco cit. pag.* 286.

Miniſteriales etiam erant Patenæ quædam multo capaciores, quæ ad Sacram Euchariſtiam ſub ſpecie panis populo diſpertiendam adhibebantur: ex his unam fuiſſe oportet, qua Gregorius Turonenſis de Gloria Martyrum *cap.* 45. lavandis ſibi pedibus uſum eſſe narrat Comitem quemdam Britanniæ: quod amplam illam, profundamque fuiſſe indicat: & ejuſdem generis illam quoque eſſe oportet, quam teſtatur Vertus *tom. 3. pag. 167. & ſeq.* aſſervari in Eccleſia S. Salvatoris Redonenſi Ordinis S. Benedicti in Diœceſi Redonenſi, eamque lanci mediæ magnitudinis ſimilem deſcribit. Patenæ eadem materia conflatæ, qua Calices, erant. Græci Patenam ſuam *Diſcon* appellant, quæ magis concava eſt, quam noſtra, ne panis confectati fragmenta inde decidant. In quibuſdam veteribus Patenis ſacræ quædam Imagines, & Hieroglyphica inſculpta conſpiciuntur, cujuſmodi eſt Patena argentea S. Petri Chryſologi, unciarum pondo quatuordecim, cujus diameter haud major eſt palmo Romano, ex altitudo mediocris: extant etiamnum partes ejus quædam inauratæ; ita vero affabre elaborata eſt, & in lateribus complanata, ut colligendis hoſtiæ fragmentis nihil ea eſſe poſſit accommodatius. Patenæ hujus figuras, hieroglyphica, & litteras eruditiſſime explanavit Joannes Paſtritius Theologiæ Polemicæ in Collegio de Propaganda Fide Profeſſor, in peculiari Opere Romæ edito anno 1706. Bocquillot *in Tractatu Hiſtorico Liturgiæ lib. 1. cap. 8.* poſtquam de Calicibus diſſeruit, ſatis erudite ſcribit de Patenis. Etymologiam probat, Patenam dictam eſſe a *patendo*; & Patenas miniſteriales commemorat, atque ex eadem, qua Calices, materia fuiſſe contendit. Quærit autem, cur Patenæ antea prægrandes ad hanc, qua nunc ſunt, parvitatem redactæ ſint, idque inde factum eſſe ait, quod haud ita frequentes nunc temporis ſint ii, qui in Miſſa, cui adſunt, Euchariſtiam ſuſcipiant. Olim autem, cum plerumque Muliæ qui adeſſent, iis Euchariſtia præberetur, haud ita commode id fieri poterat, niſi grandis fuiſſet Patena, in qua & frangendus erat panis, eaque Hoſtiarum plena, adſtantibus diſpertienda erat Euchariſtia.

Linteolum illud, in quo Corpus Chriſti Domini conſecratur, ab Eccleſiaſticis Scriptoribus *Corporale* appellari ſolet, atque etiam *Corporalis Palla*. Corporale longius quondam erat, & latius, & totam Altaris aream tegebat, ut colligitur ex Ordine Romano, ubi duorum Diaconorum opera requiritur ad illud explicandum. Hujuſmodi Corporali ita, ut diximus, amplo Calix etiam cooperiebatur, quem ritum etiam nunc ſervant Carthuſiani. Corporale autem e lino eſſe oportet. Calix novum ſepulcrum, quo conditus eſt Chriſtus Dominus; Patena revolutum lapidem ſignificat ſupra portam monumenti; Corporale Syndonem mundam exprimit, qua Joſeph ab Arimathea Corpus Chriſti involvit, ut bene advertunt Rabanus *lib. 1. de Inſtitut. Clericorum cap.* 33., & Ildebertus Archiepiſcopus Turonenſis *in Carminibus de Miſſæ Sacrificio*. De eo XII. Sæculi Scriptore conſulendus Longueval *Hiſtor. Eccleſ. Gallicanæ tom. 8. lib. 24. pag. 530. & ſeq.*

Ara Crucis, Tumulique Calix, Lapidiſque Patena,
Syndonis Officium candida byſſus habet.

Quæ de Corporalis ſignificatu diximus, confirmat S. Iſidorus Peluſiota *lib. 1. ep. 123. Pura illa Syndon, quæ ſub divinorum donorum miniſterio expanſa eſt, Joſephi Arimathæenſis eſt miniſterium. Ut enim ille Domini Corpus Syndone involutum ſepulturæ mandavit, per quod univerſum mortalium genus reſurrectionem percepit, eodem modo nos propoſitionis panem in Syndone ſacrificantes Chriſti Corpus ſine dubitatione reperimus illum nobis immortalitatem fontis in modum proferens, quam Salvator Jeſus a Joſepho funere elatus, poſteaquam a morte ad vitam rediit, largitus eſt.* Et ad eumdem modum de Corporali loquitur Divus Thomas 3. *part. quæſt. 83. art. 3. ad ſeptimum*. Et Concilium Seliuſtatenſe anno 1022. habitum, apud Longueval *tom. 7. pag.* 178., vetat, ne ad extinguendum incendium Corporale (qui mos erat illorum temporum) illuc injiciatur; ac Corporale quoddam in Monaſterio Cluniacenſi diu aſſervatum eſſe idem Auctor teſtatur, cui nota quædam erat appoſita, quo citius, faciliuſque, ſi ſedandi incendii extitiſſet occaſio, reperiretur.

Inter multa, quibus opus eſt Sacrificio Miſſæ celebrando, recenſuimus Purificatorium, Pallam, Velum, Burſam, & Ampullas. De Purificatorio nulla eſt apud Veteres mentio. Vicecomes *lib. 3. de Miſſæ apparatu cap. 5. Quid vero*, inquit, *ſentire oporteat de Linteo, quod Purificatorium vulgo nuncupatur, plane ignoro, quod apud nullum veterem Scriptorem mentio reperiatur.* Diu tamen eſſe, cum ut Sacrificium peragatur decentius, illud adhiberi cœptum eſt, docet Boucat *Theologiæ to. 5. part. 4. diſſert. 2. art. 2 ſect. 1. §. 6. in fine*. In Cæremoniali Epiſcoporum de eo fit mentio: *Super ea ponantur duo Candelabra cum Cereis albis, & in ipſius medio Calix cum Patena, Palla, Purificatorio, & Burſa Corporalia continente.* Ex poſt Suarez obſervavit Macrus in Vocabulario Eccleſiaſtico, Purificatorium, cujus haud ita vetus uſus ſit, non benedici. Eo Calix in Miſſa abſtergitur, quod Græci faciunt ſpongia adhibita, qua idcirco in Sacrificio incruento utuntur, quod ea fuerit pars quædam, & inſtrumentum cruenti Sacrificii. Videantur Goar *in Euchol. Græcor. pag.* 151. & du Cange verbo *Purificatorium*.

Palla parvum eſt quodammodo Corporale, quo Calix tegitur. Innocentius III. *lib. 2. de Myſteriis Miſſæ cap.* 56. Pallam deſcribit tanquam rem a Corporali diſtinctam: *Duplex eſt Palla, quæ dicitur Corporale, una quam Diaconus ſuper Altare totam extendit, alteram quam ſuper Calicem plicatam imponit.* Et Radulphus Tungrenſis *libro de Canonum obſervantia propoſitione ultima* teſtatur, ſuo tum apud Italos, & Germanos parvam adhiberi Pallam ad Calicem cooperiendum, Gallos tamen unico tantum Corporali ad eam rem uti. Nunc quidam binas Pallas adhibent, alteram Calici, alteram Hoſtiæ contegendæ. Duplicis Pallæ uſum conceſſit Paulus IV. Theatinus, unde oritur quæſtio, an Sæculares, Regulareſve Sacerdotes, cum in Theatinorum Eccleſia Miſſam celebrent, duplici Palla uti poſſint: qua de re conſulendi Gavantus, Paſqualigus, Quartus, & Meratus.

Velum, quo Calix tegitur, *Peplum* etiam, & *Sudarium* appellari ſolet. Vetus eſt Veli uſus, quo Calix operitur; nam in Canone Apoſtolorum 72. prohibetur, ne Velum ſanctificatum ad profanos uſus traducatur. Linteum olim Velum illud fuiſſe oportet; præſcriptum enim comperimus ut lavetur. Nunc vero ſericum eſſe oportet, ut præcipit Rubrica, quod obſervant Gavantus, & Meratus. Tria Vela Græci adhibent, quorum altero Patenam, Calicem altero, tertio denique utrumque contegunt. Tertium illud *Aerem* vocant, quod veluti aer circum ſacra dona expanditur, ut videre eſt apud Card. Bona *lib. 1. Rer. Liturgicar. cap. 25. num.* 11. qui docet, morem hunc ab Hieroſolymitana Eccleſia ad univerſum Orientem permanaſſe. Burſa dicitur etiam *Pera*, in quam Corporale conjicitur; & Gavantus ad Rubricam *de præparatione Sacerdotis celebraturi* narrat, Sanctum Pium V. Hiſpanis privilegium conceſſiſſe, ut Corporale ferre poſſent extra Burſam.

Ampullæ denique in Ordine Romano *Amæ* appellantur. De Amis argenteis mentio fit in Libro Pontificali in Vitis Sanctorum Sylveſtri, Marci, Innocentii, Cæleſtini, & alibi: & in Romanis Ordinibus *Amulæ* dicuntur, quod eſt diminutivum vocis *Amæ*, ut nonnemo exiſtimaverit, *Amas* capaciora quædam vaſa fuiſſe vino, & aqua excipiendis, quæ Sacrificio deſtinata eſſent, ut apud nos ſunt œnophora, ſeu bancalia; Amulas vero parvula quædam fuiſſe vaſcula, quæ vino, & aqua in Miſſa miniſtrandis adhiberentur: atque inde nonnulli

putant,

„ putant, morem illum derivatum eſſe, ut cum Summus
„ Pontifex, vel S. R. E. Cardinales Miſſam celebrant in Pon-
„ tificio Sacello, prægrandes quædam in menſa apponan-
„ tur argenteæ, atque etiam inauratæ, Trullæ, ſeu Bau-
„ calia. Sunt qui diſputant, an quidpiam diſcriminis in-
„ terſit inter *Amam*, ſeu *Amulam*, & *Hamam*, &
„ *Hamulam* aſpiratas. In Hiſtoria Trevirenſi apud Dache-
„ rium *in Spicilegio tom. 12. pag. 281.* ita proditum eſt de
„ Sicone quodam: *Capitato conſilio opportuno, triginta Ha-*
„ *mas præparat, in quibus ſingulis ſingulos milites electos,*
„ *loricatos, galeatos, enſibuſque præcinctos collocat, dein-*
„ *de ſexaginta viros nihilominus electos, plebeia veſte amic-*
„ *tos, enſibus eorum in hamis reconditis, geſtantes con-*
„ *ſtituit, nulloſque hominum hujus fraudis, præter præ-*
„ *dictos viros, conſcios fecit;* quo in loco Hamæ non qui-
„ dem Trullam, aut Ampullam, ſed Dolium videntur ſi-
„ gnificare. Verum utcumque ſit de hac quæſtione, nos
„ ulterius progrediendo dicimus, Ampullas vitreas eſſe
„ oportere, ut vinum ab aqua diſcerni poſſit. Remotio-
„ ribus ab hac ætate noſtra ſæculis, in uſum Sacrificii,
„ Fideles in poculis, ſive etiam lagenis offerebant; unde
„ Diaconus tantum in Calicem vini ingerebat, quantum
„ ſacrificanti Sacerdoti, & cæteris Communicantibus ſatis
„ eſſet: ad eamque rem Colatorium prælongo manubrio
„ inſtructum adhibebat, quo vinum magis defæcaretur.
„ Deſiderius Antiſſiodorenſis Epiſcopus ſexto Sæculo Ec-
„ cleſiæ ſuæ donavit *Colatorium penſans uncias duos*. Ex
„ his Colatoriis quædam ſe vidiſſe teſtatur in Muſæo Bar-
„ berino Card. Bona *Rer. Liturgicar. lib. 1. cap. 25. n. 1.* Eru-
„ ditiſſimus Blanchinus in Notis ad librum Pontificalem in
„ Vita S. Urbani *tom. 2. ſect. 18. pag. 179.* duos affert ico-
„ niſmo duorum Colatoriorum ex argento, quæ Marcus
„ Ant. Sabbatinus egregius Civis noſter haud ita pridem
„ Romæ e vivis ſublatus in Muſæo ſuo aſſervabat. De
„ Azymo, & Fermentato alibi diſſeruimus, cum de My-
„ ſterio Feriæ V. Majoris Hebdomadæ, & inſtitutione
„ Sanctiſſimæ Euchariſtiæ verba fecimus.

DUBIUM IV.

De Sacris Veſtibus.

30. Veſtes Sacræ Sacerdotales ſunt ſex, videlicet Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, Planeta, ſeu Caſula, & omnes debent eſſe benedictæ ab Epiſcopo, vel ab alio habente privilegium a Sede Apoſtolica, & ſine illis, aut illis non benedictis, celebrare grave peccatum eſſe tradunt communiter DD. ob univerſalem conſuetudinem, & obſervantiam totius Eccleſiæ, & colligitur ex cap. *Veſtimenta. De Conſecrat. diſt. 1.* Poterit in caſu neceſſitatis uti Sacerdos alia Stola pro Manipulo, aut Cingulo, aut etiam Manipulo oblongo pro Stola, ut docent Navar. *cap. 25. num. 84.* Suarez *diſp. 72. ſect. 3.* quos ſequitur Marchinus *cap. 14. num. 1.* Lugus *diſp. 20. ſect. 4. nu. 98.* & Palaus *punct. 0. num. 8.*

31. *Utrum vero ſit lethale celebrare ſine aliqua ex ſacris Veſtibus, aut illis non benedictis extra caſum neceſſitatis?* Omnes conveniunt eſſe lethale, quia Veſtes Sacræ ſunt de neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici ad Sacrificium celebrandum, ut cum aliis tradit Leander *quæſt. 39.* & Diana *part. 2. tract. 14. reſol. 68.* In caſu neceſſitatis ad communicandum infirmum, vel ſi urgeat præceptum celebrandi, vel audiendi Sacrum, aut alia ſimilis neceſſitas, multi excuſant a peccato lethali celebrantem ſine aliqua ex Veſtibus minoribus, puta Amictu, Manipulo, aut Cingulo. Filliucius *tom. 1. tract. 5. cap. 5. n. 142.* Petrus Ledeſma *in ſum. tom. 1. de Sacram. Euchar. cap. 21. concl. 5. ſub 3.* Jo. de la Crux *in direct. part. 3. q. 2. dub. 4. concl. 2.* & alii, quos refert Diana *ſupra reſol. 57.* & de Cingulo in particulari *reſol. 68.* & *part. 5. tract. 5. reſol. 62.* quia eſt, inquit, materia levis, & indumentum in ſe minus conſiderabile, quam quodcumque aliud; imo indumentum non eſt, ſed indumentorum ligatura; & quoniam multi ſunt, non immerito Lugus *diſp. 20. num. 102.* non audet condemnare eum, qui in caſu neceſſitatis ita faceret.

32. Alii vero non excuſant a peccato gravi ita celebrantem, quia ſine qualibet illarum Veſtium, nec rite, nec decenter celebraret; reverentia enim, quæ debetur Sacramento Euchariſtiæ poſtulat, ut non niſi cum Sacris Veſtibus conficiatur, quæ reverentia præferenda eſt ſaluti ægrotantis, qui, deficientibus ſacris indumentis, & copia Euchariſtiæ, non tenetur communicare cum irreverentia ejuſdem Euchariſtiæ; ſicut etiam ceſſat in eo caſu obligatio celebrandi, vel audiendi Sacrum, quæ Sententia eſt verior, & ſequenda, illamque ſequuntur Marchinus *cap. 14. num. 5.* Homobon. *de exam. part. 1. tract. 4. cap. 11. q. 99.* Sotus, Navarrus, Victoria, & alii, quos ſequitur Leander *qu. 42. & 43.* ubi obſervat cum Vaſquio, Cingulum non eſſe ligaturam indumentorum, ſed verum, & ſacrum indumentum, ac proinde illius omiſſionem non eſſe quid leve; & cum eo ſentiunt Gavantus *part. 2. tit. 1. num. 2. lit. 1.* Navar., Suarez, Filliucius, Molfeſius, Villalobos, Coninch, Petrus de Ledeſma, & alii.

33. *An ſaltem ſit licitum celebrare ſine ſacris Veſtibus ad evitandam mortem, aut aliud malum grave?* Certum eſt eſſe peccatum grave non ſolum omittere omnes, ſed etiam quamlibet ex minoribus, ſi metus incutiatur in contemptum Religionis: quo caſu mors potius appetenda eſt, quam lex Eccleſiaſtica violanda. At ſi metus incutiatur ob alium finem indifferentem, v. g. ut alii interſint Miſſæ; tunc juxta regulam generalem, quod humana præcepta non obligant cum tanto diſpendio, dicunt non eſſe peccatum etiam majores Veſtes, Albam, Caſulam, & Stolam omittere. Navar. *cap. 25. n. 84.* Hurtad. *de Sacrific. diſp. 14. diſ. 21.* Sa *verbo Miſſa n. 13.* Layman, Soto, Vaſquez, Medina, quos refert, & ſequitur Leander *qu. 41.* Sententia oppoſita docet nunquam licere, quia id non poteſt non cedere in irreverentiam Sacrificii, & ſcandalum aliorum. Suarez *diſp. 82. ſect. 3.* Facundez, Paludanus, Cajetanus, & alii, quos refert Leander *ſupra*. Sententia verior, & ſequenda diſtinguit, & aſſerit, nunquam licitum eſſe, nec ad vitandam mortem, celebrare ſine omnibus ſacris Veſtibus, bene tamen ſine aliqua, etiam ex majoribus, quia ſine omnibus non evitatur ſcandalum, & irreverentia magna, quæ evitari poteſt, ſi ſine aliqua dumtaxat celebretur. Ita Tambur. *lib. 1. cap. 3. §. 1. n. 6* Facundez *præcept. 1. Eccleſ. lib. 3. cap. 23.* Paſqualig. *q. 813.* ubi concedit, ad evitandam mortem, vel aliud grave malum, celebrari poſſe cum ſola Stola, quæ eſt proprius habitus Sacerdotis, ex text. in cap. *Eccleſiaſtica, diſt. 23* & deficiente Stola, licere per æquipollentiam, cum ſola Caſula, vel cum aliis omnibus Veſtibus inferioribus ſimul.

34. Amictus, & Alba debent eſſe contexta ex Lino, vel Canape, licet fieri poſſint ex Goſſipio, vulgo *Cotone*, ſeu *Bombace*. Tamburinus *lib. 1. cap. 5. n. 4.* Aliæ quatuor Veſtes poſſunt eſſe ex quacumque decenti materia, quæ quanto erit pretioſior, tanto erit melior, ut ex Azorio notat Tamburinus; tunc autem amittunt benedictionem, quando ſunt ineptæ ad uſum Sacrificii; v. g. ſi manicæ aſſutæ ſeparentur ab Alba, tunc vere perditur benedictio, & ſi poſtea aſſuantur, iterum benedici debent. Si vero Alba ita ſit elaborata, ut globulis, vel funiculis manicæ ipſi adnectantur, tunc per disjunctionem non amittunt benedictionem; item nec ſi illi pars aliqua non ſacrata una cum filo profano aſſuatur, quia acceſſorium ſequitur principale. Ita Lugus *diſp. 20. ſect. 4. num. 93 & 99.* Tamburinus *lib. 1. cap. 3. §. 3.* Facundez, Diana, & alii, quos ſequitur Leander *quæſt. 45.*

35. Si Cingulum ita rumpatur, ut utraque pars poſſit deſervire ad cingendum, utraque eſt benedicta, & poteſt ſufficere ad celebrandum. Si una pars fiat inepta, poterit parti aptæ iterum annecti ſine nova benedictione, quia acceſſorium ſequitur principale. Si vero neutra pars remaneat apta ad cingendum, poſſe annecti, & inſervire ſine nova benedictione docet Diana *part. 2. tract. 14. reſol. 57.* & *tract. 15. reſol. 4.* & iterum *part. 5. tract. 13. reſol. 92.* ubi plures pro ſua opinione refert. Verum magis placet Sententia oppoſita, quia per talem fractionem Cingulum benedictionem amiſit, quia fit ineptum ad cingendum, & ſic non poteſt deſervire, etiam ſi reficiatur. Ita Lugus, Hurtado, Tamburinus *locis citatis*, Bonacina *quæſt. ult. punct. 9.* Suarez, Palodanus, Reginaldus, & aliis pluribus citatis, Leander *quæſt. 47.*

36. Peccare mortaliter Sacerdotem, qui nudis pedibus celebrat, tradunt Sylveſter, Riccardus, Scotus, Suarez, quos refert Marchinus *cap. 14. num. 3.* & expreſſe tenet Filliucius *tract. 5. cap. 5. num. 151.* Verum exiſtimo peccare ad ſummum venialiter, quia facit contra Rubr. 1. Miſſal. *de Præparat. Sacerdotis celebraturi num. 2.* Hæc ad majorem ſolum honeſtatem, & decentiam præſcribi affirmant Gavant. *part. 2. tit. 1. num. 2. lit. X.* Bonacina *qu. ult. punct. 9. num. 28.* Lugus *diſp. 20. num. 102.* Layman *tract. 5. cap. 6. num. 15.* addens, nec eſſe veniale celebrare ſine calceis, aut ſandaliis, ſi neceſſitas illud poſtulet, & ſcandalum ceſſet, quod etiam docet Marchinus *ſupra*.

37. Quæres: *An Sacerdos extra Miſſam communicans debeat ſub mortali habere Stolam e collo pendentem?* Affirmant multi: verum probabilius exiſtimo, non teneri ſaltem ſub mortali, quia licet hoc Sacerdotibus præcipiatur ſub pœna excommunicationis cap. *Eccleſiaſtica, diſt. 23.*; tamen hujuſmodi Decretum, vel jam eſt uſu abrogatum, vel nunquam ſub tanto onere receptum. Ita Suarez, Reginaldus, Azorius, Pitignianus, quos refert, & ſequitur Bonacina *diſp. 4. quæſt. 6. punct. 2. num. 2.* Gavantus *part. 4. tit. 8. n. 7.* Diana *part. 2. tract. 14. reſol. 20.* Marchinus *de Ordine tract. 2. part. 8. cap. 8. n. 6.* Leander *de Euchariſt. diſp. 4. quæſt. 30. & 31.* non excuſat hujuſmodi Sacerdotem a veniali, quia ſub hoc onere videtur receptum dictum Decretum, & pro ſe citat Suarium, Azor. & alios.

Oblongiora forſaſſe, quam par ſit, videbantur, quæ „
huic loco adjicienda putavi, ubi de Veſtibus Sacris res „
potiſſimum habetur: verumtamen cum nihil, de his quæ „
ad aptam Sacerdotis inſtitutionem ſpectant, inutile hic „
ſuperſit; quinimo neceſſarium maxime videatur in iis „
omnibus Celebrantem inſtitui, circa quæ, & in quibus „
verſari debet: ſic ea omnia hoc loco recolenda conſtan- „
tiſſime duxi, quæ a SS. D. N. Benedicto XIV. recenſita „
eruditiſſime fuerunt per quatuor integra capita 7. 8. 9. „
& 10. libri primi: & ſunt. „

„ In

„ In noſtra Notificatione vigeſima libri primi de Sacerdotalibus indumentis, valde veriſimile eſſe docuimus omnium fere Eruditorum hominum conſenſione, Apoſtolos non iis veſtibus communibus, quas quotidiano, & continuo uſu adhibebant, ſed aliis quibuſdam peculiaribus indutos Miſſam celebraſſe. Joannes Franciſcus Budæus hæreticarum partium homo in ea Diſſertationum ſuarum, quam de Miſſa compoſuit §.25. mirari ſe ait, Cardinalem Bona, quem tamen videtur, ut æquum eſt, plurimi facere, ſcripſiſſe Apoſtolos, non conſuetis, ſed certis quibuſdam aliis veſtibus indutos Sacrificium Miſſæ peregiſſe. Ante Budæum Nicolaus Alemannus *de Lateranenſibus Parietinis* hanc opinionem, veluti riſu dignam notaverat; quod facit etiam Joannes Gottlieb Heineccius in Prima Exercitationum ſuarum *de Habitu Apoſtolorum Sacerdotali* edit. Halæ Magdebur. an. 1735. Nobis ea, quæ uterque objecit Auctor, diluere non eſt animus, qui ea ſatis refutata in eo edicto arbitramur.

„ Illud nunc duntaxat monere volumus, quod quamvis ſacra indumenta, quibus Sacerdotes utuntur, cum ad Altare accedunt, veſtes olim fuerint Clericorum Laicorumque communes, quæ propriæ deinde Eccleſiaſticorum virorum factæ ſunt in uſum Sacrificii; id tamen ſententiam noſtram minime evertere, qua aſſerimus, Apoſtolos aliis in Miſſa celebranda veſtibus uſos, quam quibus, dum per vias incederent, uterentur. Potuit enim exempli cauſa Sacerdos aliquis Albam, & Planetam, cum hæc indumenta omnibus erant communia, adhibere cum domi ſe continebat, vel per Civitatem ambulabat; peculiari autem alia Planeta uti, & Alba, cum ad Altare accederet: id enim ſatis erat ad ſuam erga Sacrificium reverentiam, ſi non eamdem adhiberet veſtem, Miſſam celebrando, quam qua uteretur vias, & compita perreptando. Quamobrem in Can. *Veſtimenta. De Conſecrat. diſt.* 2. *Veſtimenta Eccleſiaſtica, quibus Domino miniſtratur, & ſacrata debent eſſe, & honeſta, quibus aliis in uſibus non debent frui, quam in Eccleſiaſticis, & Deo dignis Officiis.* Atque hujus rei depromi poteſt exemplum ex Eccleſiaſtica Hiſtoria noſtrorum temporum. Certum eſt, nonniſi nudo capite licere Miſſam celebrare; at turpe, & indecorum eſt in Sinarum Imperio caput detegere: quamobrem Paulus V. Miſſionariis facultatem conceſſit, ut pileolo caput tegerent, dum Miſſæ Sacrificium celebrarent, modo pileolus ille non idem eſſet, quem communi uſu adhiberent: unde factum eſt, ut Neophyti novum quemdam, & a communi valde diverſum pileolum excogitaverint ad uſum Sacrificii. Vide Raynaudum *tom.* 3. *de Pileo, & cæteris capitis tegminibus pag.* 628.

„ Atque hæc non noſtra ſunt, ſed ex Thomaſſino deprompta, qui *tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 45. oſtendit, Stolam, Manipulum, & Albam, profanas antea fuiſſe Veſtes, quæ deinde uſu Sacrificii conſecratæ ſint. Et *cap.* 47. *nu.* 4. poſtquam plures attulit auctoritates: *Quibus ex teſtimoniis*, inquit, *conſtat, Tunicam, Dalmaticam, Caſulam communes illas fuiſſe quondam Laicorum veſtes, multoque magis Clericorum civili in uſu, ac tandem eo evaſiſſe, ut propriæ Clericorum eſſent, nec in civili tantum uſu, ſed & in ſacro Laicis a patrio Majorum habitu ad peregrinas veſtes deſciſcentibus.* Inter cætera, quæ Thomaſſinus affert documenta, illud eſt e S. Cæſarii Vita petitum *cap.* 19. in qua proditum eſt de Cæſario, qui poſt reditum in Gallias, egeno, mendicoque homini nihil quod daret haberet: *Caſulam, quam in Proceſſionibus utebatur, & Albam Paſchalem profert, datque egeno, jubetque ut vendat uni ex Clero.* Et in eadem Vita: *Ambulans per plateam Civitatis, vidit contra in foro hominem, qui a Dæmone agebatur; in quem cum attendiſſet habens manus ſub Caſula, ut a ſuis non videretur, Crucem contra eum fecit.* Planeta igitur, quam pauperculo illi Cæſarius dedit, utebatur cum ad Altare accederet; ea vero, qua erat veſtitus dum ad expellendum ex Energumeno Diabolum Crucis ſignum fecit, Planeta erat communis uſus, quam dum eſſet in foro adhibebat: ex quo facile intelligi poteſt, eamdem fuiſſe veſtium formam Sacerdotum, cum ad Altare accederent, & cum per Urbem inambularent; ſed non eaſdem fuiſſe veſtes, quas ad Altare, cum iis, quas in domeſtico, civilique vitæ uſu adhiberent: Quamquam, ut ait Thomaſſinus, *hujus utriuſque veſtimenti, ſi fuit eadem forma, uti & idem nomen erat, profecto ſacra civili & ſplendidior, & pretioſior.* Aliud argumentum ad ea, quæ ex Thomaſſino attulimus, addi poteſt ex Reginone deſumptum de vita, & converſatione Presbyteri *cap.* 66. qui teſtatur, non licere Presbyteris *in Alba, qua in ſuo uſu utuntur, Miſſas cantare*; ex quo intelligitur, duplices illis fuiſſe Albas; quarum alteram ad communem uſum, alteram ad Altare adhibebant, ut bene advertit Tournely *to.* 2. *de Euchariſtia edit. Pariſien. pag.* 378. Oſtendit Vertus *tom.* 2. *pag.* 283. Presbyteros etiam extra Miſſæ Sacrificium Albas adhibuiſſe; ſed vetitum fuiſſe, ne quis ea uteretur Alba ad Altare, quam in communem uſum adhiberet: atque inde contendit derivatum uſum Rocchetti, quod pigeret Presbyteros Albam, quæ veſtis eſt ad talos demiſſa, cum per Civitatem incederent, adhibere. In Formulario apud Reginonem legitur: *Si ſine Stola, vel Orario in itinere incedat, ſive abſque Alba, aut cum illa Alba, qua in ſuos uſus quotidie utitur, Miſſam cantare præſumat.* In Synodalibus Epiſcoporum Conſtitutionibus ad Parochos in Baluzii Appendice ad Reginonem: *Ut nullus in Alba, qua in ſuos uſus utitur, cantare præſumat.* Leo IV. apud Baronium ad annum 855. ita decrevit: *Nullus in Alba, qua in ſuo uſu utitur, præſumat Miſſas cantare.* Quod autem Albæ ſubſtitutus fuerit uſus Superpellicei, & Rocchetti, vide Perimezzium *diſſert.* 4. *tom.* 1. *pag.* 115. *& ſeq.*

„ His præmiſſis, ad ſacra Indumenta deveniemus, quorum primus eſt Amictus, qui in vetuſtis libris Liturgicis appellatur *Anaboladium*. Amalarius *lib.* 2. *de Eccleſiaſticis Officiis cap.* 18. de Amictu ait: *Amictus eſt primum veſtimentum noſtrum, quo collum undique cingimus.* Le Brun *tom.* 1. *pag.* 42. contendit vocem *Amictus* a verbo *amicire* deductam, quod operire ſignificat; & octavo Sæculo ad collum tegendum ejus uſum eſſe inductum; Eccleſiaſtici enim, & Laici ad eam uſque ætatem nudum collum habuerant, quod indecorum poſtea viſum eſt. Honorius Auguſtodunenſis *in Gemma Animæ lib.* 1. *c.* 201. videtur innuere, noſtrum Amictum eumdem eſſe cum Veteris Legis Ephod: *Hinc humerale, quod in Lege Ephod, apud nos Amictus dicitur, ſibi imponit, & illo caput, & collum, & humeros, unde & Humerale dicitur, cooperit, & in pectore copulatum duabus vittis ad mamillas cingit:* quod etſi alii non probent, tamen eſt admodum veriſimile, nam in Lege Veteri Ephod veſtis erat Sacerdotalis. Quamobrem D. Hieronymus Epiſt. ad Marcellam ſcribit: *Illud breviter attende, quod nunquam niſi in Sacerdotio nominetur Ephod*; etenim Sacerdotale Ephod linteum erat, & veluti cingulum quod ad poſteriorem colli partem circumductum, & ab humeris ad pectus demiſſum, in ipſo pectore decuſſabatur, ac tunicam præcingebat; & quamquam Sacerdotalis veſtis erat, ea tamen uſi ſunt etiam Laici; David enim, cum ſolemni pompa Hieroſolymam deferretur Arca e domo Obededon, Ephod induit, ut eſt in 2. *lib. Reg. cap.* 12. De Ephod adeas Calmeti Dictionarium Biblicum verbo *Ephod*; & de Amictu, ejuſque ſimilitudine cum Ephod, vide Sauſſay *Panoplia Sacerdot. part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 2. Maronitæ, & Ambroſiani Amictum ponunt ſuper Albam, olim etiam Græci: nunc vero nullo utuntur Amictu, teſte Macro in Vocabulario Eccleſiaſtico verbo *Amictus*, & Clericato *de Sacrificio Miſſæ deciſ.* 50. *numer.* 22.

„ In quinto ex Romanis Ordinibus, quos edidit Mabillonius *to.* 2. *Muſæi Italici*, apparet, Amictum tunc temporis ſupra Albam poni conſueviſſe. Profert Georgius *to.* 1. de Liturgia Romani Pontif. vetus Miſſale Vaticanum, ante ſeptingentos annos ſcriptum, in quo præſcribitur, ut Amictus poſt Albam, & Cingulum accipiatur; quod nunc non Ambroſiani modo, ut diximus, faciunt, ſed Canonici quoque Lugdunenſes. In Eccleſia Romana nunc, & in tota fere Catholica Eccleſia, Amictus induitur ante Albam; & hujus ritus veſtigium extat in Miſſali quodam undecimi Sæculi, teſte Merato *part.* 2. *cap.* 1. *num.* 20. *tom.* 1. *part.* 1. Sunt qui Amictum ſericis, aureiſque fimbriis ornent, ſed Cardin. Bona *Rerum Liturgicar. lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 3. ait, recentem eſſe hanc conſuetudinem, & ſacræ Antiquitati prorſus incognitam.

„ Altera ſacra Veſtis eſt, quæ *Alba*, *Camiſia*, *Camiſus*, & *Camiſile* appellatur. Græci *Poderem*, Itali vocant *Camice*. In Ordine Romano mentio fit de Alba: *Lineam Dalmaticam, quam dicimus Albam*; & in Actis Proconſularibus Sancti Cypriani Epiſcopi, & Martyris apud Ruinartum: *Et cum ſe Dalmatica expoliaſſet, & Diaconibus tradidiſſet, in linea ſtetit, & cœpit ſpiculatorem ſuſtinere.* Vocem illam, *linea*, etſi Baronius ad annum Chriſti 261. *nu.* 40. putet, ſignificare Rocchettum; tamen plures ita accipiunt, ut intelligant Albam: nam neque tum temporis ullus erat uſus Rocchetti, & Eccleſiaſtici Viri Alba ad quotidianum, communemque uſum veſtiebantur: cum præſertim Dalmatica etiam communis veſtis eſſet, quæ in Dalmatia, unde nomen traxit, inventa fuerat.

„ Eam Reges etiam adhibebant; nam Lampridius tradit, Commodum, & Julius Capitolinus, Pertinacem Dalmatica indutum in publicum prodiiſſe, ut obſervavit Baronius ipſe in Notis ad Martyrologium Romanum ad diem 31. Maji. Amalarius *lib.* 2. *de Eccleſiaſticis Officiis* de Alba ita loquitur: *Poſtea Camiſiam induimus, quam Albam vocamus.* In libro Pontificali, in Vita Benedicti III. proditum eſt, ſub eo Pontifice, Regem Saxonum Eccleſiæ Sancti Petri Romam dono miſiſſe Camiſias albas ſigillatas holoſericas cum chryſoclavo: & quamquam Caſaubonus putet, Veſtes fuiſſe ad ornatum Templi, tamen Ferrarius *lib.* 3. *de Re Veſtiaria cap.* 5. abunde probat, eas in Sacerdotum uſum comparatas fuiſſe. Alcuinus, ſive quis alius Auctor, in libro *de Divinis Officiis* de Podere mentionem facit his verbis: *Poderis, quæ*

vulgo Alba dicitur. Ejus vocis etymologiam ex voce *padas* trahit, quæ apud Græcos *pedes* ſignificat; eſt enim Alba ad pedes demiſſa veſtis. Et Ferrarius, in Linguæ Italicæ originibus docet, hanc veſtem e voce *Camicia*, exigua mutatione facta, *Camice* eſſe appellatam. Albam lineam, non laneam eſſe oportet: quapropter Divus Gregorius in Ezechielem *lib.* 1. *homil.* 11. ſcripſit: *Groſſiora quippe veſtimenta ſunt lanea: ſed cum Sacerdos ad ſacrum miniſterium accedit, ideſt, cum intus per compunctionem ingreditur, ſubtiliori intellectu neceſſe eſt, quod ipſe quaſi lineo veſtimento veſtiatur*. Albi etiam coloris eſſe debet Alba: quamobrem D. Hieronymus, *lib.* 1. *adverſ. Pelagium*, decere, ait, in Dei honorem, ut *Epiſcopus, Presbyter, Diaconus, & reliquus Ordo Eccleſiaſticus in adminiſtratione Sacrificiorum cum candida veſte procedant*. Feria ſexta in Paraſceve antiquitus Sacerdotes ea veſte utebantur, quæ nigri eſſet coloris. Quædam Albæ manicas habent acupictas, pectus etiam, humeros, & lacinias phrygio item opere variatas: quæ conſuetudo etiam nunc in quibuſdam Regularium Eccleſiis, & in Pontificio Sacello retinetur, ut obſervat Macrus verbo *Alba*, & Clericatus *dec.* 50. *num.* 23. *& ſeq.* Duo recentiores Viri docti, Fleury *de veterum Chriſtianorum moribus*, & le Brun *tom.* 1. *pag.* 45. oſtendunt, Albam peculiarem quemdam Laicorum, qui magna eſſent dignitate, fuiſſe ornatum; Tunicas enim albas Romanis donavit Aurelianus Imperator; deinde Alba proprium cœpit eſſe Indumentum in Eccleſiaſticis Cæremoniis. Et ſi Fleury fides habenda ſit *Eccleſiaſt. Hiſtoriæ lib.* 20. *n.* 23. de Alba in Altaris uſum deſtinata prima mentio occurrit in Carthaginenſi Synodo, vergente in finem quarto Sæculo habita. Alba inferiorum etiam Ordinum veſtis fuit Oſtiariorum, Lectorum, Exorciſtarum, Acolythorum; Fratrum Prædicatorum Acolythi etiam nunc Alba utuntur. Et Sauſſay *in Panoplia Clericali part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 5. §. *Nec ritus* obſervat, in inferioribus Miniſtris idcirco Albæ Superpelliceum ſubſtitutum fuiſſe, ut ambulando, cæteriſque muniis obeundis eſſent expeditiores.

Tertia ſacra Veſtis eſt Cingulum; quamobrem Stephanus Eduenſis Epiſcopus *lib.* 1. *de Sacramento Altaris cap.* 10. *Cingulum*, inquit, *quod Albam conſtringendo renibus coaptatur*: interdum *Baltheum*, aliquando etiam *Zona* appellatum eſt. Divus enim Hieronymus *Epiſt.* 128. ad Fabiolam: *Tertium genus eſt veſtimenti, quod illi appellant Abner, nos Cingulum, vel Baltheum, vel Zonam poſſumus dicere*. Olim, qui ampla, & longa uteretur veſte, Cingulo ſe præcingebat, *ne tunica ipſa diffluerer, & greſſum impediret*; verba ſunt Bedæ, & Rabani. Qui diſcinctus eſſet apud Judæos, & Romanos, otio, luxu, & deliciis diffluens habebatur, ut oſtendit Vertus *lib.* 2. *pag.* 310. Sacerdotale Cingulum non circa pectoris mammas, quod quidam perperam faciunt, ſed circa renes circumduci debet. De cingendis renibus locus eſt in Exod. *cap.* 12. *Renes veſtros accingetis*; & Job. *cap.* 12. *Præcinge fune renes eorum*; & Iſaiæ *cap.* 11. *Et erit juſtitia Cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus*. Vetus eſt Cinguli uſus; Joannes enim Diaconus in Vita Sancti Gregorii narrat, Fideles ejus ſupellectilem venerari conſueviſſe: *ſed & ejus Baltheum conſuetudinaliter oſculatos eſſe*.

Quarta Veſtis eſt Manipulus, de cujus etymologia Vvilelmus Britto in Vocabulario: *Manipulus eſt ornamentum manus*. Manipulus ſequiore ævo additus eſt; nulla enim de eo mentio fit a veteribus Patribus, & Ritualibus libris. Sacerdotes primis Eccleſiæ Sæculis Sudariolum ad ſiniſtrum brachium, tergendo ſudori, naribuſque emungendis, alligatum habebant. Voce etiam Saxonica *Fanon* appellabatur, quod idem valet ac Sudariolum, ſeu Muccinium, ut docet Voſſius *lib.* 2. *de vitii Sermonis c.* 7. Id Sudariolum haud ita Sacerdotibus peculiare fuit, ut Clericis etiam ad Altare eo uti non liceret.

Sibi tantum eo uti licere contendebant Eccleſiæ Romanæ Clerici; ortam inter eos, & Ravennatis Eccleſiæ Clericos controverſiam Sanctus Gregorius, ne quid Joanni Ravennatenſi Archiepiſcopo injucundum facere, ita diremit, ut primis ejus Diaconis, ex ſingulari privilegio, liceret ad ſiniſtrum brachium alligatum geſtare Sudariolum, dum celebranti Archiepiſcopo miniſtrarent, ut apparet ex Epiſtola ejus Pontificis 54. ad Joannem Epiſcopum Ravennatem *lib.* 2. Verba Joannis Archiepiſcopi, jura tuentis Clericorum ſuorum, ea ſunt: *Quia quoties ad Epiſcopatus ordinationem, ſeu reſponſi, Sacerdotes, vel Levitæ Eccleſiæ Ravennatis Romam venerunt, omnes in oculis Deceſſorum veſtrorum cum Mappulis, ſine reprehenſione aliqua, procedebant. Quare eo tempore, quo iſthic a Prædeceſſore veſtro peccator ordinatus ſum, cuncti Presbyteri, & Diaconi mei in obſequium Domini Papæ mecum procedentes uſi ſunt*. Benigna Divi Gregorii conceſſio his verbis continetur: *Illud autem, quod pro utendis a Clero veſtro Mappulis ſcripſiſtis, a noſtris eſt Clericis fortiter obviatum, dicentibus, nulli hoc unquam alii cuilibet Eccleſiæ conceſſum fuiſſe. Sed nos ſervantes honorem Fraternitatis Tuæ, licet contra voluntatem Cleri noſtri, primis Diaconibus veſtris, in obſequio duntaxat tuo, Mappulis uti permittimus. Alio autem tempore, vel alias perſonas hoc agere, vehementiſſime prohibemus*.

Hujus Sudarioli uſus viguit, donec ſubſtitutus fuit Manipulus, veluti ornatus quidam, qui propterea ejuſdem materiæ, & operis eſt, cujus Planeta, & Stola. Amalarius, qui vixit nono Sæculo, de Sudariolo mentionem facit; unde infert Cardinalis Bona *Rer. Liturgic. lib.* 1. *c.* 24. *n.* 5. Sæculo decimo Manipulum in Sudarioli locum fuiſſe ſubſtitutum. Meratus *to.* 1. *part.* 1. *pag.* 321. *n.* 25. longe antea id factum eſſe exiſtimat, qui Manipuli mentionem fieri repererit Sæculo VIII. Le Brun *tom.* 1. *pag.* 47. *&* 48. & Vertus *to.* 2. *pag.* 311. *& ſeq.* Manipuli primum uſum referunt ad Sæculum XI. nam Ivo Carnotenſis, qui eo vixit Sæculo, Sudarioli uſum etiamnum vigere innuit in libro de ſignificat. Indumentorum Sacerdotalium: *In ſiniſtra manu ponitur quædam Mappula, quæ ſæpe fluentem oculorum pituitam tergat, & oculorum lippitudinem removeat*.

De hac re ſua ſtet cuique Sententia; perdifficile eſt enim ejuſmodi Epochas conſtituere: ac de hujuſmodi rebus, aliiſque id genus, quæ paulatim in morem invectæ ſunt, arbitramur omnium veras eſſe Sententias, non quidem quoad univerſalem uſum, ſed quoad eorum tantum locorum uſum, unde afferuntur documenta.

Nunc Manipulum Sacerdotes induunt ante Stolam; Epiſcopi plerumque nonniſi ad Altare recitato *Confiteor*. Idem mos erat olim omnium Presbyterorum: Planeta enim illis temporibus, ut alibi inferius docebimus, nondum erat ſub brachiis uſque ad extremam oram aperta veſtis, ſed a collo integra ad pedes protendebatur, ac nonniſi ſub recitatum *Confiteor* plicabatur; quo temporis articulo etiam Manipulus brachio alligabatur, quod ſuper brachia ſublata, plicataque Planeta, ab omni impedimento liberum erat, & expeditum. Vide Vertum *tom.* 3. *pag.* 31. & Meratum *loc. citat. num.* 26. Quoniam vero de Manipuli ſymbolo, more ſuo, male loquitur Vertus, propterea quod appareat, natura duce ejus uſum invectum eſſe, Vir doctiſſimus, idemque graviſſimus Auctor Langletus, antea Sueſſionenſis, nunc Senonenſis Epiſcopus, in Tractatu adverſus Vertum 6. 34. monet, diſtinguenda eſſe tempora; fuit enim tempus, cum Manipulus inſtrumentum erat ipſa neceſſitate introductum: deinde vero, cum inter ſacra Indumenta locum obtinuit, in ſymbolum evaſit. Manipulus fere idem eſt, quod apud Græcos *Epimanicion*, de quo Goar in Notis ad Liturgiam S. Joannis Chryſoſtomi *num.* 12. Duobus vero Græci, & Maronitæ utuntur Manipulis, quorum ſingulos ad ſingula brachia alligant, teſte Macro in Vocabulario, voce *Manipulus*.

Stola quintum inter Indumenta ſacra obtinet locum. De Stola, tanquam de integra veſte, ſermo fit in Veteri Teſtamento Geneſeos *cap.* 41. *Veſtivitque eum Stola byſſina*; & *cap.* 45. *Singulis quoque proferri juſſit binas Stolas*; & Eſter *cap.* 6. *Tulit itaque Aman Stolam, & equum*. Idem probatur ex Parabola Evangelica Filii, qui facultates ſuas prodegerat. Apud profanos Scriptores Stola veſtis eſt muliebris. Locus eſt Ciceronis, qui perditos, profligatoſque M. Antonii mores exagitat in 2. *Philippica cap.* 18. *Sumpſiſti virilem Togam, quam ſtatim muliebrem Stolam reddidiſti*. Stola veſtis erat longa, quæ totum corpus tegebat; ac nomen illud traxit ex quadam faſcia ad ejus veſtis oram circumducta, quæ Stola dicebatur.

Sacra Stola, de qua agimus, *Orarium* etiam appellabatur: quamobrem in Gemma Animæ *lib.* 1. *cap.* 204. legitur: *Deinde circumdat collum ſuum Stola, quæ & Orarium dicitur*; & Rabanus Maurus *lib.* 1. *c.* 19. *Quintum eſt, quod Orarium dicitur, licet hoc quidam Stolam vocent*. Et in libro Pontificali in Vita Agathonis: *Ea hora Sancta Synodus una cum Principe ejus Orarium auferri juſſerunt a collo ejus*, ſcilicet Macarii Antiocheni. Vox Orarium occurrit etiam in Scriptoribus Ethnicis, & Sudariolum ad tergendam faciem ſignificat. Nam Flavius Vopiſcus in Vita Aureliani tradit, illum dono dediſſe *Oraria Populo Romano, quibus uteretur Populus ad favorem*, nimirum ut manibus ea ſuſtollerent, jactarentque, & lætis acclamationibus Principem proſequerentur. Atque Orarium longius apud eos, quam latius fuiſſe oportet ad modum faſciæ; Gregorius enim Turonenſis *lib.* 3. *Hiſtoriar. cap.* 5. narrat, Sigiſmundum Burgundorum Regem dormientem filium necari juſſiſſe, eique necem in hunc modum fuiſſe illatam refert: *Dormienti Orarium ſub collo poſitum, ab ſub mento ligatum, trahentibus ad ſe invicem duobus pueris, ſuffocatus eſt*.

Cardinalis Bona *lib.* 1. *Rer. Liturgic. cap.* 24. *nu.* 6. ait, noſtram Stolam ab ea faſcia ita dictam, quæ circa oram illius veſtis aſſuta erat, qua feminæ ſibi totum corpus tegebant, quæ faſcia Stola appellabatur. Orarium etiam appellaram eſſe Stolam ab Orario, cujus apud Ethnicos diximus majorem fuiſſe longitudinem, quam latitudinem. Quidam putant, Orarium dictum eſſe ab ora, quæ laciniam veſtis ſignificat. Ita ſentiunt

Le

„ Le Brun *to.* 1. *pag.* 50. & Vetius *to.* 2. *pag.* 326. Sed hæc leviuſcula controverſia eſt. Stolæ uſus vetuſtiſſimus eſt in Eccleſia, cujus documenta mille, & trecentis annis antiquiora afferri poſſunt; eam ſemper, & ubique geſtabant Epiſcopi, & Presbyteri; Diaconi itidem ſemper, & ubique, ſed primo tantum Ordinationis ſuæ anno. S. Fulgentium, ne a monaſtica vita diſcederet, proditum eſt, nunquam Stola uſum eſſe, quemadmodum cæteris utebantur Epiſcopi. In Vita Sancti Thomæ Cantuarienſis, quam Joannes Sariſberienſis conſcripſit, hæc habentur: *Stolam tamen jugum Christi ſuave circa collum dabur, ac noctibus habebat*. In Concilio Moguntino anno 813. *cap.* 28. ita ſtatutum: *Ut Presbyteri ſine intermiſſione utantur Orario, propter differentiam Sacerdotii dignitatis*. In Vita S. Mauri: *Stolam, cum qua eodem anno, jubente Beato Magiſtro ſuo, ordinatus ad Miniſterium fuerat Leviticum, & quam juxta morem ſanctitatis gratia, primo indeſinenter ferebat anno, de collo ſuo protulit, & ſuper caput ſuſcriut Crucis ſignum faciens poſuit*. Idem habetur in Vita ejuſdem S. Mauri carmine ſcripta:

„ *Plorat, & exoroi, veniam dum precibus orat,*
„ *Deponendo Stolam, quam toto tempore caram*
„ *Anni portabat, quam ſic vehementer amabat,*
„ *Quod ſublimatus, quod erat Levita creatus,*

„ Quæ quidem documenta fidem iis afferunt, quæ diximus, ut bene animadvertunt Mabillonius *in Præfatione Sæculum I. Benedictinum num.* 108., & Du Cange verbo *Stola*. Hoc vero tempore ſolus Romanus Pontifex veterem Epiſcoporum, Presbyterorumque morem retinuit ſemper geſtandi Stolam. Longior erat antiquitus Stola, quam quæ ſit ea, qua nunc utimur; nam in muſivo, ſeu vermiculato opere in Eccleſia Sanctæ Mariæ trans Tiberim S. Calepodius Presbyter depictus cernitur cum Stola ad pedes uſque demiſſa, ut obſervat Georgius de Liturgia Romani Pontificis *lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 6.

„ Sexta Sacra Veſtis eſt Planeta, Caſula etiam appellatur, ut apud Sanctum Iſidorum *lib.* 19. *cap.* 24. *Planeta Græce, & Latine dicitur Caſula, quæ totum hominis corpus tegit*. Veteris Planetæ forma omnino ei ſimilis erat, qua nunc utuntur Græci. Vetus itaque Planeta veſtis erat, quæ a collo ad pedes uſque Sacerdotem tegebat, & brachia, manuſque involvebat, ut ea, qui adhibere vellet, eum oporteret Planetam utrinque ſuſtollere, vel fibula ſubligare. Quamobrem Iſidorus eodem loco: *Veſtis cuculata, quaſi minor caſa, eo quod totam hominem tegat*; & Rabanus Maurus de Inſtitut. Clericor. *cap.* 21. *Caſula*, inquit, *dicitur vulgo Planeta Presbyteri, quia inſtar parvæ Caſæ totam tegit. Hæc ſupremum omnium indumentorum eſt, & cætera omnia interius per ſuum munimen tegit, & ſervat*. De veterum Planetarum forma optime ſcripſerunt Rocca *to.* 2. *noviſſimæ edit. pag.* 368. Georgius de Liturgia Romani Pontificis *tom.* 1. *libr.* 1. *cap.* 24. *num.* 8. Meratus *tom.* 1. *part.* 1. *pag.* 321. *nu.* 32. Et Joannes Paſtritius in diſſert. de Patena argentea S. Petri Chryſologi *pag.* 141. veterem ejus S. Epiſcopi antiqua Planeta induti imaginem affert. Macrus in Vocabulario verbo *Caſula* Græcos multum laudat, quod veteris Planetæ formam retinuerint; & Lindanus *Panopl. Sacerdot. lib.* 4. *cap.* 56. *pag.* 480. conqueritur, nimium decurtari ſuo tempore cœpiam eſſe Planetam; *Ita enim reciſa eſt, & decurtata, atque aliam prope in ſpeciem deformata, ut ſicuti illa priſca, unde fluxit, & degeneravit, cum ponatur, vix ſuum teneatur nomen*. Dudum diximus, donec Planetæ vetus forma permanſit, Manipulum a Sacerdote poſt *Confiteor* accipi conſueviſſe; tunc enim ſuper Sacerdotis brachia inſtollebatur Planeta; nunc vero, etſi Planetæ forma mutata eſt, eumdem morem Epiſcopi retinent.

„ Ex antiqua Planetæ forma conſuetudo illa manavit, ut Miniſter Sacerdotis in elevatione Euchariſtiæ Planetam extollat; quæ conſuetudo etiamnum viget, ut notat Juveninus de Sacramentis, *diſſert.* 5. *de Sacramento Euchariſt. quæſt.* 8. *cap.* 5. §. 6. *& ultimo*, ubi hæc habet: *Hinc ſequitur neceſſario, Planetam, ſeu Caſulam olim multo fuiſſe longiorem, ac latiorem, quam nunc ſit; nec enim alioquin omnes corporis partes obtegere potuiſſet. Ejuſmodi vero veteris figuræ hoc apud nos veſtigium remanet, quod ubi Hoſtia conſecrata a Sacerdote elevatur, Miniſter Sacrificantis Caſulam complicet, aut extollat, ne Sacerdoti genua flectenti ſit impedimento*. Et conſonat Tournely *tom.* 2. *de Euchariſt. pag.* 388. *edit. Pariſien.* Atque inde etiam morem illum ortum eſſe conſtat, ut in Quadrageſima, & in diebus jejunii, cum Diaconus, & Subdiaconus Sacerdoti Miſſam ſolemnem celebranti miniſtrantes, Planeta utuntur, eamdem Planetam habeant in anteriori parte plicatam: cum enim Planetæ olim eſſent amplæ, plicatas eas eſſe in anteriori parte oportuit, ut miniſtrando Diaconus, & Subdiaconus eſſent expeditiores. Vide Joſephum Catalanum in Notis ad Pontificale Romanum in Prolegomenis *cap.* 18. *num.* 6. *tom.* 1.

„ Planetam, antequam ſacra Veſtis eſſet, profanum fuiſſe indumentum, & Laicis commune, conſtat ex pluribus monumentis. Joannes Diaconus *lib.* 4. *de Vita S. Gregorii Magni cap.* 83. ubi de Sancti Pontificis Parentibus Gordiano, & Sylvia loquitur, de Gordiani veſte ait: Cujus *Gordiani habitus caſtanei coloris Planeta eſt*. Et S. Iſidorus in Regula *c.* 13. inter Laicorum veſtes Planetam recenſet: *Porro linteo non licet Monacho indui, Orarium, Birros, Planetas non eſt fas uti, neque illa indumenta, vel calceamenta, quæ generaliter cætera Monaſteria abutuntur*; quod idem eſt, ac *non utuntur*. Obſervant Viri docti, Veteres veſte quadam eſſe uſos, quam *Penulam* appellabant; eam, dum iter facerent, adhibebant. In urbe etiam ea uti cœperunt pro veſte lugubri: tandem ejus fuit uſus generatim apud viros, & feminas, ampliorque facta, & laxior, & ad pedes demiſſa, fortaſſe etiam cum peniculamento, ſeu ſyrmate, cum jam toga exoleviſſet; Nobilium Virorum deinde peculiaris veſtis fuit, atque ab hujuſmodi primorum hominum penula, non vero ab ea, quæ itineris penula erat, putant Planetam noſtram traxiſſe originem, ut videre eſt apud Bonarotam in Obſervationibus ad vaſa quædam vitrea *pag.* 108. *& ſeq.*

„ Planetam primis Eccleſiæ Sæculis Laicorum quoque veſtem fuiſſe docent Le Brun *to.* 1. *pag.* 52. Vetius *to.* 2. *pag.* 341. *& ſeq.* atque eam ſaptem primis Eccleſiæ Sæculis omnium fuiſſe vulgarem veſtem, quotquot longis veſtibus uterentur, exiſtimat idem Le Brun; eam denique a populo dimiſſam, homines Deo ſacros retinuiſſe, & Eccleſiam Sacerdotibus Planetam, peculiarem Sacrificio offerendo veſtem, ante nongentos annos aſſignaſſe. Id vero haud ita exploratum, & cognitum; perdifficile eſt enim rerum initia tuto commonſtrare; nam in Concilio Toletano IV. anno 597. habito, *can.* 27. ubi quid agendum ſit præſcribitur, ſi Epiſcopus, Presbyter, vel Diaconus in ſuum cujuſque gradum reſtituendus ſit, quaſve illis veſtes reddi oporteat, hæc habentur: *Si Epiſcopus eſt, Orarium, Anulum, & Baculum; ſi Presbyter, Orarium, & Planetam; ſi Diaconus, Orarium, & Albam*. Ex quo intelligitur, multo ante Sacerdotibus Planetam pro peculiari eorum veſte deſtinatam, ut bene obſervavit *loco citato* Bonarota. Reliquum eſſet ad ulteriorem Sacrorum Rituum notitiam diſquirere, quo tempore Planetæ forma mutata ſit, & ad eum modum redacta, ut non amplius eam complicatam ſuper brachia ſuſtollere oporteat, quod quidem aliis examinandum relinquimus.„

„ Illud tamen nolumus præterire, picturam olim fuiſſe in Lateranenſi Baſilica, quæ decimo Sæculo facta eſt. In ea depictus erat Joannes XII., cui, antequam ſacrificaturos ad Altare accederet, Planetam Miniſtri imponebant. Planeta utrinque ſub brachiis erat aperta, & ex antica, poſticaque parte in angulum deſinebat, ita ut brachiis adhibendis nulla plicatura opus eſſet. Ea pictura non amplius extat in Lateranenſi Baſilica; ejus tamen Iconiſmum reperias in Tractatu, quem de ea Baſilica ſcripſit Cardinalis Raſponus *lib.* 1. *cap.* 14.

„ De ritu benedicendi ſacra Indumenta, ejuſque vetuſtate, nihil opus eſt dicere; hæc enim in Edicto noſtro primo Tomi 2. fuſe perſequuti ſumus (*quod inferius in hoc Volumine integrum invenies.*) Itaque ad ſacrarum Veſtium colores ſermonem convertimus, ac de Birreto, quem Sacerdotes geſtant, dum ad Altare accedunt, pauca quædam damus.

„ Quinque colorum genera Rubrica Miſſalis commemorat, Album, Rubeum, Viride, Violaceum, Nigrum. Quarti Sæculi initio, pacatis Eccleſiæ rebus, non aliæ veſtes, quam coloris albi adhibebantur. Gregorius Turonenſis de Gloria Confeſſorum *cap.* 20. ubi de Dedicatione Oratorii ſui hæc habet: *Erat autem Sacerdotum, ac Levitarum in albis Veſtibus, non minimus Chorus*. Et Venantius Fortunatus circa dimidium ſexti Sæculi, *lib.* 2. *cap.* 10. S. Germanum Pariſienſem Epiſcopum cum ejus univerſo Clero in Veſtibus albis ſic deſcribit:

„ *Inde Sacerdotes, Leviticus hinc meat ordo,* . . .
„ *Illi jam ſenio, ſed & hi bene Veſtibus albent* . . .
„ *In medio Germanus adeſt Antiſtes honore &c.*

Præterea Sanctus Iſidorus in Origin. *lib.* 19. *cap.* 22. Sacerdotalem Veſtem commemorat albam, cum quibuſdam inſitiis rubei coloris. In Lege Veteri Sacerdotes non aliis, quam lineis, & albis Veſtibus ſacrificando utebantur; idcirco in Apocalypſi Angeli, qui Templi Miniſtros repræſentabant, albis veſtitis apparuerunt. Alba itidem plerumque induebantur veſte Sacerdotes Ethnici, cum ad Altare accederent; locus eſt in Silii Italici *lib.* 3. *v.* 694.

„ . . . *Ante Aras ſtat Veſte Sacerdos*
„ *Effulgens nivea* . . .

„ Apud Græcos uſque ad decimum tertium Sæculum non plures, quam duo colores fuerunt, albus, & rubeus; idcirco Theodoretus tanquam novum quiddam, & inuſitatum refert, Acacium Conſtantinopolitanum Patriarcham, ut dolorem ſuum declararet, quem ex Imperatoris Baſilii Edicto ceperat, adverſus Chalcedonenſem Synodum, veſte nigra ſe, Altare, & Patriarchalem Cathedram contexiſſe. In Occidentali vero Eccleſia duodecimo Sæculo Innocentius III. *lib.* 1. *Myſteriorum Miſſæ cap.* 65.

„ quatuor ſcripſit fuiſſe tunc temporis colores, quibus Romana uteretur Eccleſia, album pro Confeſſoribus, & Virginibus, rubeum in Apoſtolorum, & Martyrum ſolemnitatibus; nigrum diebus jejunii, in commemoratione Mortuorum, toto Adventus tempore, & a Septuageſima ad Sabbathum Sanctum; viride denique diebus ferialibus. Violaceum non commemorat Innocentius; perinde enim, ac niger color habebatur. In Ordine Romano decimo quinto Petri Amelii, qui Sacriſta fuit Urbani V. & Gregorii XI., apud Mabillonium *Muſæi Italici tom.* 2. *pag.* 462. Papa primo Quadrageſimæ, reliquiſque diebus Paramentis violaceis utitur. Et in decimo tertio Ordine, ſub Gregorio X. *in Muſæo Italico tom.* 2. *pag.* 235. legitur: *A Septuageſima uſque ad primum diem Quadrageſimæ* (Papa) *utitur colore nigro, & facit Proceſſionem a Sancta Anaſtaſia uſque ad Sanctam Sabinam.* Et in Ordine quartodecimo Cardinalis Cajetani creati a Bonifacio VIII. *eodem Muſæi Italici tom.* 2. *pag.* 247. ubi agitur de Officio Cinerum, & de Proceſſione a S. Anaſtaſia ad S. Sabinam, ita legimus: *Papa, poſt impoſitionem Cinerum, debet ſe diſcalceare, & indui nigra Caſula.* Quæ omnia quinque Eccleſiaſticos eſſe colores oſtendunt, Album, Rubeum, Viridem, Violaceum, Nigrum.

„ Bocquilot in Tractatu Hiſtorico Sacræ Liturgiæ *lib.* 1. *cap.* 5. ſcribit, jam introductos in Eccleſiam Romanam quinque colores ante Sæculum XIII. Durandum enim, qui obiit anno 1295. mentionem facere de quinque ſacrorum Indumentorum coloribus, tanquam de re toto terrarum Orbe uſurpata, & cognita. Gilbertus Grimaud Liturgia Sacra *part.* 1. *cap.* 5. teſtatur, haud ita pridem colorem violaceum introductum apud Gallos, diuque loco violacei nigrum colorem eſſe adhibitum. Bellotte in Obſervationibus ad Ritus Eccleſiæ Laudunenſis *pag.* 767. *& ſeq.* colorum congruentias affert, dieſque notat, quibus juxta Eccleſiaſticum ſtylum iidem colores adhibentur; & *pag.* 761. *num.* 6. peculiarem Eccleſiæ ſuæ ritum exponit adhibendi Feria ſexta in Paraſceve crocei, ſive ſubflavi coloris Indumenta, quod ſit ad perfidorum Judæorum bilem alluſio: *Non immerito per flavum, ſeu croceum colorem deſignantur Judæi; qui velut icterici ira, bili, & obſtinata cæcitate æſtuantes convenerunt in unum ad inceſſendum nomen illud Chriſti glorioſum, Angelicis etiam Poteſtatibus adorandum.*

„ Nunc de Birreto dicendum. A *Birro* derivata vox eſt, *Birrum* veſtis eſt, qua corpus, *Birretum* pars veſtis, qua caput tegitur, ut notat Du Cange verbo *Birretum*. Romæ, & in pleriſque aliis Eccleſiis nono Sæculo Birreti nullus erat uſus; Amictu enim caput obnubebant, & cum Miſſam inciperent, illum, quemadmodum nunc Mendicantium Ordinum Religioſi, in humeros rejiciebant. Ejus rei afferunt documenta Le Brun *to.* 1. *pag.* 42. & Vertus *tom.* 2. *pag.* 255. qui illud etiam tradit, etiamſi nunc Amictu Sæculares Presbyteri non amplius utantur, in Eccleſia tamen Pariſienſi eo ſibi per hyemem caput obnubere uſque ad Secretas; & Andegavi, & Rupellæ, tum per hyemem, tum per æſtatem, uſque ad Canonem; rejectumque tum ad humeros, poſt Communionem ſuper caput retrahere: quam conſuetudinem tamen nuperrime in Rupellenſi Eccleſia, ait, exoleviſſe. Huc addi poteſt, Pariſienſis Eccleſiæ morem celebrandi Miſſam per hyemem obnupto capite, vehementer, & magna eruditionis copia impugnaſſe Joannem Du Thours Doctorem Pariſienſem, & Archidiaconum Sueſſionenſem. Rupertus Abbas *lib.* 1. *de Divinis Officiis cap.* 19. de Sacerdote ſcribit: *In officio Altaris Amictu caput ſuum obnubit.* In Ordinatione Subdiaconi etiam nunc Epiſcopus Amictu caput Ordinando obnubit, quem ille deinde ſibi ad humeros rejicit. Quo autem tempore conſuetudo illa exoleverit, ut Sacerdotes Amictu caput obnupti ad Altare accederent, incertum eſt. Illud facile poſſumus ſuſpicari, nullum fuiſſe uſum Birreti, donec ea conſuetudo viguerit. Vertus *tom.* 2. *pag.* 272. *& ſeq.* obfirmare ſtudens, quamlibet rem ſacram, ſeu ritum, ſeu cæremoniam, ſeu veſtem, ad ſolam naturæ neceſſitatem referre, birretum, ait, ſuam traxiſſe originem a pileolo, qui ſub cucullo geſtabatur. Birreti enim cuſpides ortas ex trium impreſſione digitorum, qua paullatim in pileolo, qui frequenter detrahendus erat, exiguæ cornuum cuſpides extitere; iis prominentibus cuculli uſum factum eſſe paullo incommodiorem, quem propterea in humeros rejicere cœptum eſt; atque inde ſuper caput cornutum pileolum remanſiſſe, qui demum idem eſt, ac Birretum.

„ In commentitia hac narratione refellenda nobis non eſt animus tempus conterere. Illud non eſt prætereundum, pileolis uſos eſſe antiquitus Eccleſiaſticos Viros in modum Camauri, quorum figuras in pluribus Templis Romæ obſervare licet. Progreſſu vero ætatis pileolis ſub ſui cœptum haud ita molle pannum, quatuor, ut nunc apud Hiſpanos cuſpidibus, vel tribus tantum excitatis, ut fit in Italorum Presbyterorum Birretis. Atque ea eſt Sententia Macri in Lexico, verbo *Camelaucium*. Si cui vero volupe ſit rem hanc videre uberius pertractatam, & accuratius, adeat Theophilum Raynaudum Tractatu *de Pileo, & cæteris Capitis tegminibus*. Non hic loquimur de pileolo, quo quiſpiam privilegio munitus utitur celebrando Miſſam, eoque caput tegit uſque ad Præfationem, nec niſi poſt Communionem illum iterum capiti imponit; nam pileolus inter ſacra Indumenta non recenſetur. Miſſam vero fas non eſt tecto capite celebrare, juxta Can. *Nullus. De Conſecrat. diſt.* 1. cujus ea ſunt verba: *Nullus Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus ad ſolemnia Miſſarum celebranda præſumat cum baculo introire, aut velato capite Altari Dei aſſiſtere, quoniam Apoſtolus prohibet viros velato capite orare: & ſi temere præſumpſerit, Communione privetur.* Locum Divi Pauli reſpicit Canon ex Epiſtola 1. *ad Corinth. cap.* 11. *verſ.* 3. *&* 4. Quo quidem textu abuteretur, qui negaret Eccleſiam diſpenſare poſſe, ut Sacerdos cum pileolo capiti impoſito Miſſam celebret. Nam præceptum Apoſtolicum eſt meræ diſciplinæ, quæ mutationibus, & diſpenſationibus eſt obnoxia, ut bene ad rem noſtram oſtendit Gibertus *Conſultation. Canonicarum Conſult.* 4. *de Sacrificio Miſſæ.*

Quidam exiſtimarunt ejuſmodi licentiam ab Epiſcopo poſſe concedi, ſed Rubricæ, & Decreta ſatis luculenter docent, ſolius eſſe Romani Pontificis ejuſmodi licentiam impertire, qui cum diſpenſat ſuper hac re, ſemper jubet pileolum detrahi a Præfatione uſque ad finem Communionis. Quamobrem Sylvius, etſi in prioribus Operum ſuorum editionibus ſcripſit, poſſe etiam Epiſcopum eam licentiam concedere; tamen in editione Antuerpienſi anno 1714. ab ea Sententia receſſit, ac ſolius Sedis Apoſtolicæ docuit eſſe ejuſmodi facultatem concedere: eum tamen Sacerdotem, qui graviſſimo afflictus morbo Miſſam celebrans caput uſque ad Præfationem pileolo tegeret, detractumque iterum poſt Communionem capiti imponeret, a peccato immunem eſſe putat: neque enim Apoſtolica Sedes videtur ita ſibi eam licentiam reſervaſſe, ut illicitum voluerit declarare, quod quis in aliquo caſu extraordinario, qui ſupervenerit, vel propter morbum minime diutinum fecerit. De diſpenſatione celebrandi Miſſam cum pileolo, ſoli Apoſtolicæ auctoritati reſervata, alibi quoque ſcripſimus in Notific. 14. Tom. 4. §. 2.

Jam vero de myſtico ſacrarum Veſtium ſignificatu diſſerendum eſt. In ordinatione Subdiaconi, Ordinandus prodit coram Epiſcopo cum Amictu ſuper humeros, quo inde ſublato, Epiſcopus ei caput obnubit, dicens: *Accipe Amictum, per quem deſignatur caſtigatio vocis*; & Sacerdos Miſſam celebraturus accipiens Amictum, ait: *Impone Domine capiti meo galeam ſalutis ad expugnandos diabolicos incurſus*; & conſonat ea Oratio, quam recitat Epiſcopus, cum induit Amictum: *Pone, Domine, galeam ſalutis in capite meo ad expugnandas omnes diabolicas fraudes, inimicorum omnium verſutias ſuperando.* Juxta eam Orationem, ex Eccleſia ſenſu, Amictus deſignat normam illam rectam, qua Sacerdos uti debet in omnibus ſuis verbis, quæ ad Deum unice tendere debent; itemque robur illud ſignificat, quo diabolicas tentationes retundere debet, & frangere.

De illo primo ſignificatu loquitur Amalarius *lib.* 2. *de Eccleſiaſt. Offic. cap.* 17. *Amictus eſt primum veſtimentum noſtrum, quo collum undique cingimus; in collo namque eſt vox; ideoque per collum loquendi uſus exprimitur. Per Amictum intelligimus cuſtodiam vocis, de qua Pſalmiſta dicebat: Dixi, Cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea: poſui ori meo cuſtodiam; Amictus ideo dicitur, quia circumjicitur. In iſto primo veſtimento admonetur caſtigatio vocis.* S. Bruno Epiſcopus Signienſis in libro de Sacramentis Eccleſiæ, & Myſteriis: *Amictus quidem*, inquit, *quo & collum ſtringitur, & pectus tegitur, interioris hominis caſtitatem deſignat; tegit enim cor, ne vanitates cogitet; ſtringit etiam collum, ne inde ad linguam tranſeat mendacium.* De ſignificatu altero loquitur Innocentius III. de Myſteriis Miſſæ *lib.* 1. *c.* 1. *Lotis itaque manibus* (Papa) *aſſumit Amictum, qui ſuper humeros circumquaque diffunditur, per quem operum fortitudo ſignificatur.*

Quia vero ſignificationes myſticæ ejuſdem rei plures eſſe poſſunt, quidam ajunt, Amictum velum illud ſignificare, quo Judæi Chriſto Jeſu faciem velarunt, cum illi colaphos impegerunt, aut ſpineam coronam, quam ejus capiti impoſuerunt; vel etiam exprimi Chriſtum ſub Humanitatis Amictu ſuam abſcondiſſe Divinitatem. Quod vero ad moralem ſignificationem pertinet, nonnulli putant, Amictu ſalutis galeam ſignificari, ſpemque in Deum, qua hoſtes noſtros ſuperemus, & fortitudinem in Divinis exequendis Officiis. Dicunt etiam, ex eo, quod Amictu collum contegimus, de voce, quæ per os, & guttur emittitur, cuſtodienda; quod ſuper humeros extendatur, de ſuavi jugo Domini portando, nos admoneri; denique quod ſupra pectus alligetur, Sacerdotibus in memoriam illud revocari, nullis fas eſſe, quam divinis cogitationibus eorum animum patere. Ita D. Thomas *in* 4. *Sentent. diſtinct.* 24. *quæſt.* 3. *art.* 4. Titelmanus *in Tractatu de expoſitione Myſteriorum Miſſæ cap.* 2. Soto *in* 4. *Sentent. diſt.* 13. *qu.* 2. *art.* 4. Natalis Alexan-

„ der

der *Theologiæ Dogmat. & Moralis to. 1. lib. 2. de Sacram. Euchariſt. cap. 7. art. 3. n. 2.* Merbeſius *in 3. par. Summæ Chriſtianæ q. 49. concl. 1.* Tournely *de Sacram. Euchariſt. part. 2. pag. 374. & ſeq. edit. Pariſien.* Collationum Lucionenſium 16. *quæſt. 1. tom. 5. pag. 539.*

„ Sacerdos, cum Albam induit, ait: *Dealba me Domine, & munda cor meum, ut in ſanguine Agni dealbatus gaudiis perfruar ſempiternis*; cum qua conſonat Oratio Epiſcopi cum Alba itidem ſe veſtit: *Dealba me Domine, & a delicto meo munda me, ut cum his qui Stolas ſuas dealbaverunt in ſanguine Agni, gaudiis perfruar ſempiternis*. Ex his Orationibus facile intelligi poteſt, Albam ſignificare Jeſu Chriſti converſationem in terris, quam a primo ſuæ Conceptionis inſtanti ſemper retinuit, cui Sacerdos ſe conformare debet ex Titelmano eodem Tract. *c. 2. Alba vero, quam ſuperinduit Sacerdos, veſtimentum longum, & lineum, ſtrictum, & undique clauſum, ſignificat Chriſti integerrimam, & ſacratiſſimam, atque perfectiſſimam converſationem, quam ab initio ſuæ Conceptionis uſque in finem in carne duxit. Sacerdos quoque, dum hoc ſe indumento induit, acceptæ in Baptiſmo novæ & candidæ Stolæ memor, ſe ipſum admoneat, quomodo in ſancta, & candida converſatione perſiſtat.* Albam etiam ſignificare cordis puritatem, quam petimus per Agni immaculati merita, quem ſacrificamus, docet Le Brun *tom. 1. pag. 45.* Obſervat Merbeſius *q. 49. concluſ. 2.* Chriſtianis, & Sacerdotibus licere munditiam & candorem in Sanguine Agni ſibi comparare per Baptiſmum, per pœnitentiam, per cætera Sacramenta, per orationem, & cordis compunctionem; per opera miſericordiæ, per virtutum omnium, præſertim Charitatis, & Patientiæ exercitium, ac denique per Martyrium. Suarez *in 3. par. tom. 3. quæſt. 83. diſput. 82. ſect. 3.* ea præſertim verba expendens, *Dealba me Domine*, ait, Alba cordis munditiam ſignificari, & integram hominis juſtitiam. Soto *loco citato* ait, per Albam nobis ob oculos poni albam illam veſtem, qua indutum Chriſtum Jeſum Herodes irriſit. Idem docet Natalis Alexander *loco cit. num. 3.* atque illud addit: Alba de cordis, & linguæ puritate, ejuſque longitudine de perſeverando nos admoneri, eamque denique eſſe beatæ ſymbolum æternitatis. Et Amalarius Bedam ſequutus hæc de Alba ſcribit: *Manus, & brachia debet ſtringere Sacerdotis, ne quid, niſi utile, faciat; pectus, ne quid inane cogitet; ventrem, ne, delicias ultra modum appetendo, Deum ſe guloſum facere præſumat; ſubiecta ventri membra, ne laſciviendo totam Sacerdotalis habitus pulcritudinem corrumpant; genua, ne ab orationis inſtantia torpeant; tibias, & pedes, ne ad malum currant.*

„ Cum ſe Cingulo præcingit Sacerdos ait: *Præcinge me, Domine, Cingulo puritatis, & extingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiæ, & caſtitatis.* Epiſcopus vero ait: *Præcinge me, Domine, Cingulo Fidei, & virtute caſtitatis lumbos meos, & extingue in eis humorem libidinis, ut jugiter maneat in me vigor totius caſtitatis.* Vertus, qui non alia de cauſa putat Cingulum adhiberi, quam quo impediatur veſtis, ne fluat, neve Sacerdoti offendiculum præbeat, ait, nihil illud ad Eccleſiæ Ritus pertinere. Verum ſi verba perpendantur, quæ Sacerdos profert cum ſe Cingulo præcingit, facile quivis intelliget, non deeſſe myſticum ſignificatum, ut advertit Tournely *citat. tom. 2. de Sacram. Euchariſtiæ art. 13. pag. 379.* Itaque Cingulum ſignificat Sacerdotalem continentiam, ut bene id explicat Innocentius III. qui *lib. 1.* Myſteriorum Miſſæ *cap. 52.* debet. *Alba*, inquit, *circa lumbos zona præcingi, ut caſtitas Sacerdotalis nullis incentivorum ſtimulis diſſolvatur; unde:* ſint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. *In lumbis enim luxuria dominatur. Sic Dominus loquens de Diabolo manifeſtat: Virtus ejus in lumbis ejus, & fortitudo illius in umbilico ventris ejus. Debent ergo lumbi præcingi per continentiam, & ſuccingi per abſtinentiam: quoniam hoc genus dæmonii non ejicitur, niſi in oratione, & jejunio. Hinc etiam Apoſtolus ait: State ſuccincti lumbos veſtros in veritate.* Conſonat Suarez *loco cit.* & Titelmanus qui *cap. 3. Ipſe quoque*, inquit, *Sacerdos ex hoc intelligit, quomodo juxta Salvatoris verbum lumbos debeat præcingere, atque ab omni carnis luxuria appetitum frænare.* Quidam pie putant, Cingulo funem ſignificari, quo Chriſtus Jeſus eſt alligatus in horto. Ita Soto *loco cit.* Natalis Alexander *lib. 2. de Sacram. Euch. art. 3. n. 4.* Le Brun *tom. 1. pag. 45.* Merbeſius *in 3. part. Summæ Chriſtianæ quæſt. 49. §. Tertia Concluſio.*

„ Epiſcopus, dum ſiniſtro Subdiaconi brachio Manipulum aptat, hæc profert verba: *Accipe Manipulum, per quem deſignatur fructus bonorum operum*. Et Sacerdos Miſſam celebraturus, quando ſumit Manipulum, ait: *Merear Domine portare Manipulum fletus, & doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris*. Epiſcopus autem, cum ei aptant Miniſtri Manipulum, Miſſa jam incepta, nullam Orationem dicit, ne Miſſæ curſus interrumpatur. Ad eum, quem diximus, ſignificatum alludit Honorius in Gemma Animæ *lib. 1. c. 208. Sacerdos Phanonem in ſiniſtrum brachium ponit, qui & mappula, & ſudarium vocatur, per quod olim ſudor, & narium ſordes extergebantur. Per hoc pœnitentia intelligitur, qua quotidiani exceſſus labes extergitur. Hoc in ſiniſtro brachio geſtatur, quia in præſenti tempore tantum vita noſtra pœnitentia emundatur.* Idem ait Suarez loco citato. Et Soto ubi ſupra docet, Manipulum e brachio pendentem vincula ſignificare, quibus iterum Chriſtus alligatus eſt, cum ad columnam flagellandus eſſet. Quod ſpectat ad moralem ſignificatum, ſiniſtrum brachium præſentem vitam ſignificat, in qua pœnitentiæ opera rebus omnibus ſunt præferenda.

Epiſcopus in Ordinatione ſiniſtro Diaconi humero Stolam imponit dicens: *Accipe Stolam candidam de manu Dei; adimple miniſterium tuum; potens eſt enim Deus, ut augeat tibi gratiam ſuam*. Cum vero Diacono Presbyteratus Ordinem confert, Stolæ, quæ ex ſiniſtro humero pendet, partem alteram ſuper dextrum humerum ponit, dicens: *Accipe jugum Domini; jugum enim ejus ſuave eſt, & onus ejus leve.* Cum Stolam induit Sacerdos, ait: *Redde mihi, Domine, Stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis, & quamvis indignus accedo ad tuum ſacrum myſterium, merear tamen gaudium ſempiternum*. Epiſcopus itidem cum ſe ſacris veſtibus induit, ad Stolam ait: *Redde mihi Domine obſecro Stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis, & quamvis indignus accedere præſumo ad tuum ſacrum myſterium cum hoc ornamento, præſta, ut in eodem in perpetuum merear lætari.* Itaque Stola ſuave Chriſti jugum ſignificat; quia vero, nonniſi per obedientiam ad eum ſtatum reſtituendi ſumus, unde per inobedientiam primi Parentis decidimus, propterea Sacerdos, Stolam ſibi imponens, a Deo petit Stolam immortalitatis, quam in Adæ prævaricatione amiſit, ut advertit Suarez *loco citato.*

Concilium Bracarenſe anno 675. habitum myſterium explicat, quamobrem ſuper utrumque ſibi humerum Stolam Sacerdos imponat: *Ut qui imperturbatus præcipitur conſiſtere inter proſpera, & adverſa, virtutum ſemper ornamento utrobique circumſeptus appareat.* Conſonat Ivo Carnutenſis: *Hæc* (Stola) *a collo per anteriora deſcendens, dextrum latus ornat, & ſiniſtrum, ut doceat Sacerdotem per arma juſtitiæ a dextris, & a ſiniſtris, ideſt in proſperis, & adverſis debere eſſe munitum, quod ad fortitudinem pertinet, ſine qua cæteræ virtutes facile expugnantur, & minime coronantur.* Idem Auctor docet myſterium, cum Stola Cingulo alligetur: *Inde eſt, quod Stola cum zona Poderis quibuſdam nexibus colligatur, quia virtutes virtutibus adjuvantur, ne aliquo tentationis impulſu moveantur.* Stolam Sacerdotes ſibi aptant ſupra pectus in modum Crucis. *Debet Sacerdot, ſecundum Decretum Bracarenſis Concilii, de uno, eodemque Oratorio cervicem pariter, & utrumque humerum premens, ſignum Crucis in pectore ſuo præparare*; verba ſunt Innocent. III. *libr. 1. Myſteriorum Miſſæ cap. 34.* Epiſcopi Stolam ſibi non accommodant in modum Crucis; nam pendentem e collo Crucem cum Reliquiis deferunt, ut notat Macrus vocabul. verbo *Stola*. Soto loco ſæpius citato putat, Stolam, quantum ad mores attinet, obedientiam ſignificare, & jugum Domini, cui collum ſubjicimus, ejus ſectantes veſtigia; ſi vero ad Chriſtum referatur, tertia exiſtimat vincula exprimere, quibus eſt alligatus, quando portavit Crucem. Ex quibus jure Macrus infert, vehementer eos Sacerdotes errare, qui Stolam in humeros pendentem rejiciunt, nec eam collo circumducunt, ut ſupra monuimus.

Epiſcopus quando Diaconum ad Sacerdotium promovet, & ſuper ejus humeros Planetam imponit, quæ ex anteriori parte pendet demiſſa ad pedes, in poſteriori complicator, ait: *Accipe veſtem Sacerdotalem, per quam charitas intelligitur; potens eſt enim Deus, ut augeat tibi charitatem, & opus perfectum.* Cum vero Planetæ complicatam partem explicat, ac dimittit, ait: *Stola jucunditatis induat te Dominus.* Sacerdos Miſſam celebraturus, dum Planetam induit, ait: *Domine, qui dixiſti, jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve, fac ut iſtud portare ſic valeam, quod conſequar tuam gratiam.* Similem Orationem recitat Epiſcopus ad Planetam. Charitatem igitur Planeta ſignificat, ut bene explicat Rabanus Maurus *lib. 1. Inſt. Cleric. c. 22. Hanc ergo*, inquit, *veſtem poſſumus intelligere Charitatem, quæ cunctis virtutibus ſupereminet, & earum decorem ſuo tutamine protegit, & illuſtrat. Nec enim ullus virtutum erit ſplendor, ſi non eas Charitatis irradiaverit fulgor, quod oſtendit Apoſtolus dicens: Si linguis hominum loquar, & Angelorum, Charitatem autem non habuero, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens.* Et Innoc. III. *lib. 1. de Myſteriis Miſſæ cap. 18.* ſubdit, Planetam eſſe veſtem illam nuptialem, de qua loquitur Dominus in Evangelio: *Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* Ac veſtem quidem nuptialem, eſſe Charitatem

Sancti Patres intelligunt, quo ſenſu etiam accipit Eccleſia; nam cum Epiſcopus Presbyterum gradu deiicit, ait: *Veſte Sacerdotali, Charitatem ſignante, te merito expoliamus, quia ipſam, & omnem innocentiam exuiſti*. Huic explicationi ſuffragantur etiam Theologi *cit. diſp. 82. ſect.* 2. Orationem perpendens, quam Epiſcopus, & Sacerdos recitant ad Planetam, obſervat, eam jugum Domini appellari, & jugum leve, cujus ſuavitas e Charitate proficiſcitur. Soto *in* 4 *Sentem. diſt. 13. qu. 2. art. 4.* poſtquam docuit, Planetam ſignificare Chriſti Tunicam inconſutilem, quam illi detraxerunt Judæi, quando Cruci affigendus erat, moralem etiam innuens ſignificatum ait, Charitate Chriſtum Jeſum impulſum Crucem ſubiiſſe, & Charitatem noſtrorum operire multitudinem peccatorum. Et Natalis Alexander in Theologia Dogmat. & Morali *lib. 2. de Sacram. Euchariſt. art. 3. num. 7.* putat, Planetam itidem ſignificare Charitatem; atque ex pectore, & ex humeris demiſſa nos admoneri, ut Deum, & proximum, amicum, & inimicum diligamus; & idcirco ſuper reliquas veſtes imponi, quod Charitas cæteris virtutibus omnibus antecellat. Quibus omnibus conſentientibus teſtimoniis quivis intelligat, quam temere Vertas *to. 2. pag.* 341. ex eo, quod demonſtraverit, Planetam communem antiquitus veſtem fuiſſe, & collum circumundique, totumque corpus ad pedes uſque conteyiſſe, Planeta Charitatem ſignificari neget: neque enim intelligi poteſt, cur Eccleſia Planetæ, quæ peculiaris Sacerdotum veſtis facta fuerit, ſymbolum non potuerit tribuere Charitatis. Pietate, & eruditione Vir clariſſimus Joſephus Langletus Epiſcopus olim Sueſſionenſis, nunc Archiepiſcopus Senonenſis, *in Tractatu de vera Eccleſiæ ſenſu in uſu ſacrarum Cæremoniarum* affert Verti verba, quibus ille Planetam, quæ olim rotunda, & ad pedes uſque demiſſa ſignificabat Charitatem, quam S. Petrus ait operire multitudinem peccatorum, nunc, mutata forma, negat ſymbolum eſſe poſſe Charitatis; quam quidem rationem ſane irreverentiæ nota inurendam, pius Archiepiſcopus jure inclamans ita diluit, ut oſtendat ſymbolum in forma veſtis non conſiſtere; eumque temeritatis inſimulandum, qui cum ſciat, ab Eccleſia huic veſti, etſi quadantenus immutatæ, hujuſmodi ſymbolum tribui, tamen ejus Sententiæ audeat contradicere. *Vide ejus Tractatus* §. 33.

Si quis forte cupit de ſacris Veſtibus, earumque ſignificatu uberius aliquid cognoſcere, tametſi nos potiſſima quæque compleaxi ſumus, adeat Bruuum *de Cæremoniis lib. 3. c. 4.* Torres *in Inſtit. Sacerdotum cap. 3. §. 2.* & Collationem Lucionenſem 16. *part. 5. pag.* 539. Joſephus Vicecomes *Obſerv. Eccleſ. vol. 4.* fuſe, ac multiplici eruditionis copia ſcripſit de ſacris Veſtibus, earumque ſignificatu. Egregie de earumdem ſacrarum Veſtium ſignificatu agit Gilbertus Grimaud in Sacra Liturgia *part. 1. c. 6.* Bocquillot Tractatu Hiſtorico Liturgiæ Sacræ *lib. 1. c. 7.* oſtendere ſtudet, Apoſtolos, eorumque Diſcipulos in ſacris Myſteriis peragendis communes adhibuiſſe veſtes, quibus ad vulgarem uſumquotidie utebantur; ſcacentos annos eam conſuetudinem perduraſſe; ætate tamen D. Hieronymi, Sacerdotes ad Altare elegantioribus cœpiſſe uti, magiſque lacinioſis veſtibus, quam quibus vulgo ad communem uſum homines uterentur: Albam, Stolam, & Planetam, IX. etiam Sæculo ad communem uſum adhibita, juſſos tamen Presbyteros ad Altare, ut ſanctorum Myſteriorum decori conſuleretur, aliis uti Albis, Stolis, & Planetis ab iis, quas extra Altare, ſanctumque Sacrificium, induerent. Dudum nos, quod ad veritatem propenſius eſſe exiſtimamus in re ſatis perplexa, & obſcura, declaravimus; nec ab iis, quæ ſcripſimus, recedendum nobis putamus; ac fontem ſtuduimus commonſtrare, unde tam multiplex opinionum profluat copia, ubi de initio alicujus conſuetudinis exiſtit inter Viros doctos concertatio. Eſt aliquis, exempli cauſa, qui ad Sæculum IV. originem refert ejus conſuetudinis, ut in Miſſa Planeta peculiaris adhiberetur, idque optimis confirmat monumentis. Contra ea teſtimonium ab alio producitur, Sacerdotem fuiſſe aliquem ſexto Sæculo, qui Planetam eamdem in Miſſa adhiberet, qua ad communem uſum utebatur. Id autem ſi quis ſatis eſſe poſtulet ad Sententiam contrariam evertendam, næ ille nimium poſtulat; inde enim illud nobis tantummodo proclive videtur fuiſſe aliquem, qui poſterioribus temporibus, etiamſi communis invaluerit conſuetudo, ſeſe eximium populo præbere voluit, ac fortaſſe etiam juſtis, ac gravibus cauſis a communi conſuetudine ſibi recedendum putavit. Atque ad eumdem modum argumentando ſæpe peccare nobis videtur Bocquillotus, qui diſſimulare quidem non poteſt Divi Hieronymi auctoritatem, quem Ezechielis *caput* 44. enarrantem ait inde inferre, nulli fas eſſe cum communibus, & profanis veſtibus ingredi Sanctuarium, puraque mente ſibi bene conſcios, ac peculiaribus, quæ deceant, veſtimentis indutos oportere Divina tractare Myſteria; ex quo apparet, peculiares quarto Sæculo adhibitas eſſe Veſtes ad Miſſam, Sed cum in Vita S. Fulgentii, qui vixit poſt ducentos fere annos, legerit: *In qua Tunica dormiebat, in ipſa ſacrificabat*, id ſibi ſatis eſſe videtur, ut ſacris peculiaribus veſtibus vetuſtatis plurium Sæculorum eripiat honorem, & multo recentiorem affirmet Sacerdotum conſuetudinem, detractis ſibi communibus veſtibus, accedendi ad Altare peculiaribus Indumentis ornatos. Quæ quidem veritatis amore dicta ſunt, non quo quidquam detractum velimus eruditiſſimo Viro, qui in fine illius Capitis ad eos, qui nuperrime ab hæreſi receſſerunt, ſeſe convertens, eos ſapienter monet, cum non abſurdam exiſtiment Regum conſuetudinem, qui in ſolemnioribus quibuſdam cæremoniis eximiis veſtibus, & a communi uſu alienis, utuntur, nec coccineam eorum, qui Regi ſunt a conſiliis, Togam, aut Parlamentariorum, qui in Aulam conveniunt ad lites hominum dijudicandas, peculiarem improbent veſtem, atque adeo paſſi etiam fuerint, Miniſtros Calvinianos veſtibus non communibus indutos baptizare, concionemque habere, ne noſtros inſectentur Eccleſiaſticos, qui ad Altare accedunt, & Sacra faciunt myſticis induti veſtibus, quæ longe quidem a communibus differunt, optime tamen cum Sanctiſſimis congruunt Myſteriis.

Tametſi de ſacris ſolummodo Veſtibus, & ad Sacrificium propius attinentibus hic ſermo habeatur; prætereunda tamen nullo pacto videntur, quæ de Veſte, ſeu de Habitu Sacerdotis proprio, quamvis ab ipſo Sacrificio remotiori, a Conciliis tam particularibus, tum univerſalibus præſcribantur. Quinimmo cum illud præ omnibus ſit animadvertendum, quod in hiſce noſtris, Italis præſertim, Diœceſibus præcipitur circa habitum, quo debet incedere quicumque ad Sacrum quotidie faciendum præelectus fuit; ſic hoc . . ea omnia apponenda haud abs re quidem duxi, quæ vel in Notif. 16. lib. 1. vel in Notif. 4. lib. 4. extant, iis, quæ ſequuntur, verbis. Et primum lege §. 4. Notific. 16. lib. 2. In alia noſtra Inſtitutione, juxta plurima Deceſſorum noſtrorum Edicta, præcepimus ſingulis Sacerdotibus, quocumque gradu, aut conditione præditis, ne Sacrum facturi ad Eccleſiam ſine Veſte talari accederent, neque Sacrarium ingrederentur. Togam quoque, & Clamydem, quæ in Sacrariis præſto ſunt, ab illis adhiberi vetuimus; nunc idem Decretum renovamus, & quas in eo pœnas indiximus, ſane infligemus, ſi quis parere recuſaverit. Inſtitutione S. Caroli, cum agitur de externo corporis habitu, quem Sacerdotes præſeferre debent, hæc traduntur *in Actis Mediolanenſis Eccleſ. tom. 1. part. 4.*: *Veſtibus non ſordidis, aut inquinatis, nec dilaceratis, ſed mundis, & ad talos uſque deſcendentibus, ordinique ſuo, juxta Provincialia noſtra Decreta congruentibus, induatur*. Profecto quis animo non commoveatur, cum videat Sacerdotes Togam ſumere, ut Viros principes alloquantur, qui ſane hominis conditionem non ſuperant; grave autem, ac moleſtum ducere, eamdem veſtem ſuperinduere, cum domo egrediuntur, ut tremendum Deo Sacrificium offerant, Divinumque Verbum in terras e cœlo deducant? Inter cæteras pœnas, quæ eodem Decreto continentur, & quæ nunc iterum proponuntur, ſuſpenſionem minati ſumus cum Presbyteris celebrantibus, tum Sacrarii Præfectis, qui tam Divinum Sacrificium celebrari permittunt ſine talari Veſte, quæ ad ipſum Sacerdotem, non autem ad Sacrarium pertineat. Si Cuſtos inter Clericos non adnumeretur, munere ſuo ſpoliandum ediximus . . Nullus item Cuſtos ad Sacrum faciendum quempiam admittat, qui his Sacerdotum inſignibus careat; alias eamdem ſuſpenſionis pœnam ſubibit, aut alias, ſi Clericus non ſit, arbitrio noſtro ſtatuendas. Nam licet Veſtis, uti fert Proverbium, Monachum haud efficiat, nec vitæ integritas in externo habitu poſita ſit; cum tamen Eccleſia de Clericorum indumentis ſedulam curam ſemper oſtenderit, *ut per decentiam habitus extrinſeci morum honeſtatem intrinſecam oſtendant*, ut habetur in *cap. 6. ſeſſ. 14. de reform.*; hinc colorem nigrum Eccleſiaſticis aptiſſime convenire nemo dubitet: *In omni veſtitu* (ita in Mediolanenſi primo Concilio per Sanctum Carolum Borromæum coacto decernitur) *color tantum niger adhibeatur, niſi fortaſſe alium colorem requirat dignitatis gradus*. Eruditus quoque Thomaſſinus *de veteri, & nova Eccl. diſciplina part. 1. libr. 2. cap. 51. ſub numer. 6.* ita ſcriptum reliquit: *Poſt Synodos Tridentinam, & Mediolanenſes cum prohibitio rubei coloris, viridiſque, quod abſolutiſſime jam, & præciperetur nigra veſtis, & in mores inducretur*.

In Notificat. vero 4 lib. 4. hæc habentur: Quamvis illud nonnulli affirmaverint, quod S. Bernardus *lib. 3. de Conſiderat. ad Eugenium III. cap. 5.* commemorat: *num de Veſtibus cura eſt Deo?* & illud etiam communi proverbio uſurpetur; *Habitus non facit Monachum*: tamen Eccleſia ſingulare ſtudium ſemper impendit, ut Clerici veſtes dignitati ſuæ conſentaneas eligerent, non modo in Civitate, ſed etiam cum iter aliquod ſuſciperent, ut habetur in Can. 27. *Nullus eorum, qui in Cleri catalogum relati ſunt, veſtem ſibi non convenientem induat, neque in Civitate degens, neque iter ingrediens, ſed utatur veſtibus, quæ iis, qui in Clerum relati ſunt, attributæ fuere*. Hæc lex vetuſtiorum Trullani Concilii Gratiani Decreto

creto inſerta fuit, iis fere verbis, quæ modo *Can.* 27. retulimus, ob eam potiſſimum rationem, quam S. Bernardus loco ſuperius allato oculis ſubjicit: *At forma hæc veſtium deformitatis mentium, & morum indicium eſt. Quid ſibi vult, quod Clerici aliud eſſe, aliud videri volunt? Id quidem minus caſtum, minuſque ſincerum; nempe habitu Milites, quæſtu Clericos, actu neutrum exhibent; nam neque pugnant ut Milites, neque ut Clerici evangelizant.* Eamdem Sententiam Patres Tridentini Concilii *ſeſſ.* 14. *c.* 6. *de reformat.* his verbis approbant: *Quia vero, etſi habitus non facit Monachum, oportet tamen Clericos veſtes proprio congruentes Ordini ſemper deferre, ut per decentiam habitus extrinſeci morum honeſtatem intrinſecam oſtendant &c.*

„ Cum primum Dei beneficio, ac Sedis Apoſtolicæ munere, hujus Eccleſiæ cura nobis delata fuit, imperiti rerum Eccleſiaſticarum adeo non eramus, ut nos lateret, veſtem oblongam, & ad pedes uſque defluentem Clericis unice convenire, eamque conſuetudinem, ac diſciplinam tunc inductam fuiſſe, cum Laici poſt annum 1300., depoſitis longis veſtibus, breviores ſumpſerunt: *De veſte oblonga* (ait Thomaſſinus *de veteri, & nova Eccleſiæ diſciplina part.* 1. *lib.* 2. *c.* 51. *n.* 6.) *frequens in iis ſermo* (nempe in Conciliis illius ævi,) *propterea quod, cum circa annum Chriſti milleſimum trecenteſimum vulgus hominum laicorum longas abjecerit, & brevioribus impenſius delectari cœperit veſtibus, in hoc excubuit vigilantia Epiſcoporum, ut Clericos compeſceret a Laicorum imitatione, & ad veſtes eligendas adduceret conſentaneas potius dignitati ſuæ, quam corporeæ diſcurſationi accommodatas.* Neque ſane noſtra mente excideraт, licet diuturno tempore longe a patria vitam egerimus, hanc Civitatem porticibus ornatam eſſe, ideoque facilius, quam in aliis locis, Eccleſiaſticos oblonga veſte uti poſſe, quorum potiſſimum nullus tanto apparatu, ac pompa incedere ob dignitatis rationem cogitur, ut brevius indumentum adhibere judicetur, ne incommodum, ac moleſtiam reliquis afferat, qui ipſum proſequi deberent, ſi oblonga veſte uteretur.

„ Non ignorabamus, Clericis Mediolanenſis Eccleſiæ, cui hæc noſtra Eccleſia tanquam ſuffraganea olim jungebatur, eam legem indictam fuiſſe, ut nunquam ſine oblonga veſte in publicum prodirent. Cognitum pariter nobis erat, Clerum Comenſem omnium Judicum ſententiis damnatum fuiſſe, cum, publico edicto pro oblonga veſte deferenda per Cardinalem Cleri illius Urbis Epiſcopum promulgato *in Cauſa Comenſis Edicti die* 4. *Aprilis anno* 1693. *lib.* 4. *Decret. Sacræ Congregat. Concilii pag.* 128. parere recuſaret. Illud quoque perſpectum nobis erat, Sedis Apoſtolicæ auctoritate, maximoque ſtudio defendi eos Epiſcopos, qui veſtis oblongæ uſum Eccleſiaſticis præciperent, ut apud Monacellum *in Formular. Legal. lib.* 1. *tit.* 5. *formul.* 9. *num.* 2., & *tom.* 4. *in addit. tom.* 1. *lib.* 5. *formul.* 9. *num.* 2.

„ Tandem ignotæ nobis haud erant juris Canonici ſanctiones &c.. „.

„ Hæc noſtra humanitas permovere omnes debuerat, qui aliqua doctrina, & honeſtatis laude præditi ſunt, ut propoſitis limitibus continerentur. Sed quoniam iis virtutibus non omnes excellunt, ideo ſuperiori tempore coloratam veſtem non ſemel mane, & frequentius, peracto prandio, nonnulli induerunt qui abſque pallio, retento ſolum Collari Sacerdotum inſigni, & bacillum manibus gerentes urbem circumire cœperunt, pedibus contetentes clericalem dignitatem, & obſervantiam, quæ nobis, licet immerentibus ob noſtri muneris rationem, præſtanda eſt; parvi quoque facientes hujus patriæ gloriam, quæ cum ignobili Oppido hujus Diœceſis conferri non debet. Non omiſimus illos accire, quos nos ipſi, ſive aliorum fideli teſtimonio delinquentes cognovimus, eoſque pro hac libertate graviter objurgavimus. Cum tamen hæc corruptela latius in dies propagaretur, eoque devenerit hominum temeritas, ut aliquis eadem veſte ſuperindutus ad Metropolitanam acceſſerit, cum nuper dies Feſtus S. Petri celebraretur, & Veſperæ ſolemnes coram Nobis agerentur „.

„ In noſtra ſolum poteſtate ſitum eſt, formam indumenti Clericalis definire: *juxta ipſius Epiſcopi ordinationem, & mandatum, ut in ſeſſ.* 14. *c.* 6. *de Refor.* Idem poſt Trid. Synodum in Concilio Mechlinienſi ſtatuitur: *Et quoniam mundana curioſitas quotidianas adinvenit novitates, omnis ille habitus quibuslibet Eccleſiaſticis perſonis interdictus ſit, a quo Epiſcopus abſtinendum mandavit.* Primo igitur Clericis omnibus, etiam prima Tonſura, & nullo Beneficio præditis, aliiſque multo magis, qui Beneficia obtinent, & Sacris Ordinibus initiati ſunt, præcipimus, ut Collare, qui Sacerdotibus tribuitur, & Coronam capitis, breveſque deferant capillos. Si comis appoſitis ob noſtram facultatem utantur, nihil leve, aut inane in ipſis deprehendatur, & Corona appareat; Clericis enim operam, ſtudiumque Comis nutriendis dare non licet, ut ex Canon. *Prohibete*. Canon. *Clerici*: & Canon. *Non licet diſt.* 23. Item diſcrimen inter Coronam, & Tonſuram intercedit, *ut in Interpret. in caput unicum de Clericis conjugatis in ſexto*, & utraſque Clericis gerendas Innocentius III. cap. *Clerici, de Vita, & honeſtat Clericorum* his verbis indicit: *Coronam, & Tonſuram habeant congruentem.*

Secundo: veſtem oblongam, aut brevem, tibialia, femoralia nigri coloris adhibeant, de quo Cardinalis Baronius anno Chriſti 393. *num.* 48. hæc tradit: *irrepſiſſe autem color niger in Clerum videtur, cum & Monachiſmus in nonnullis Eccleſiis a Clericis receptus eſt, & ex Monachis Epiſcopi creati ſunt.* Et paulo ante, cum *de Vita Clericorum*, explicans ea verba Sancti Hieronymi ad Nepotianum: *Veſtes pullas æque devita, ut candidas*; hæc habet: *Cum igitur, neque pullus, neque candidus color Clericis congruere videretur, poſſumus intelligere, caſtaneum colorem, necnon violaceum in Eccleſia Catholica antiquo uſu receptum, retentumque uſque hodie ab eis, qui Familiæ ſunt Summi Pontificis, necnon ab Alumnis Romanæ Eccleſiæ Seminarii, & aliis, ut omittamus Epiſcopos, illis exceptis, qui ex Clauſtralium Ordinibus ad eam promoti ſunt Dignitatem.* S. Carolus Borromæus in prima provinciali Synodo *part.* 2. *pag.* 17. *actor. tom.* 1. ita ſtatuit: *In omni veſtitu color tantum niger adhibeatur.* Thomaſſinus autem *loco ſuperius allato num.* 6. hæc ſcripta reliquit: *Poſt Synodum Tridentinam, & Mediolanenſem rara prohibitio rubei coloris, viridiſque, quod abſolutiſſime jam, & præciperetur nigra veſtis, & in mores induceretur.*

Tertio: Veſtem oblongam, ſeu Talarem præcipimus, quam Clericis aptiſſime convenire non ſolum conſtat ex iis, quæ modo commemoravimus, ſed etiam ex Conciliis Provincialibus, ac Diœceſanis Italiæ, Pontificum Decretis, & Sacrarum Congregationum ſententiis apertiſſime comprobatur, uti quiſquis facile intelliget, ſi volumen ſecundum Theologiæ Moralis Genetti *tract.* 1. *cap* 9. de *veſte Talari*, percurrat, aut ea perpendat, quæ Baptiſtellus Fulginas Epiſcopus accurato ſtudio congeſſit in appendicem ſuæ Synodi, quam in examen adduxit, & auctoritate probavit peculiaris Congregatio *pag.* 172. & *ſeqq.* cui nos ipſi a Secretis delecti fuimus, cum Innocentius III. Pontificatum obtineret.

Quarto: cum in primo Mediolanenſi Concilio Provinciali, quod S. Carolus Borromæus celebravit, hæc leguntur: *Verumtamen, ſi iter faciendum ſit illis* (nempe Clericis) *uti liceat habitu contractiori, & ad iter accommodato, ſed ſimplici, & in quo honeſtas, & decorum Ordinis eluceat.* Item in ſecundo Concilio Diœceſano ejuſdem S. Caroli: *Clericis iter habentibus, quamvis veſtitu contractiori uti licebit, decentem tamen illum, atque ejuſmodi eſſe oportet, ex quo, eos eſſe Eccleſiaſtici Ordinis homines, cognoſci facile poſſit.* Ideo nos quoque hanc conſuetudinem libenter permittimus, & eam pariter æquo animo feremus, quæ multo ab hinc tempore invecta eſt, ut Clerici Minoribus, aut Majoribus Ordinibus initiati, ſive aliquo Beneficio, ſive nullo præditi ſint, ut Sacerdotes, etiam cum pro ſuis privatis negotiis expediendis Urbem circumeunt, breviori veſtitu utantur, non autem id concedimus, cum ad Eccleſiam pro Sacro peragendo ſe conferunt, uti paulo ante ſtatuimus, iteтumque confirmamus. Caveant etiam, ut idem veſtitus exterior nigrum colorem, & decentem honeſtatem præſeferat, ac ne ad latera nimis extendatur; ne interior tunica argento, vel auro exornetur, nec alii colores nigro intermiſceantur; ne poſtremo levitatem illam admittant, ob quam candida ſubucula aperta circa pectus tunica profertur. Nigrum pallium gerant, ut plurimi virtute præſtantes Eccleſiaſtici ſolent, qui patientia noſtra abuti nolunt, nec illorum exempla ſibi imitanda proponant, de quibus S. Hieronymus in Epiſt. 22. ad Euſtachium tradit: *tales cum videris, Sponſos magis exiſtimato, magis quam Clericos.*

Quinto: tolerantiam noſtram ultra conſuetos terminos proferentes, indulgemus Clericis pariter, ut ſine pallio, bacillum manu gerentes deambulent in locis ab omni populi frequentia remotis, vel extra mœnia Civitatis: item, ut hyemis, vel pluviæ tempore pallium violacei, ſive alius modeſti coloris adhibeant, modo tamen veſtitus interior niger fuerit; ac poſtremo ſi rus proficiſcantur, veſtitum ipſum, licet diverſi coloris ſuſcipiant, juxta eam formam, quam paulo ante expoſuimus. Porro id conceditur, quod pulvis, ac cœnum nigro colori plurimum adverſantur. Quod ſi ruri Sacrum facere velint, nigri coloris veſtitum induant neceſſe eſt, ut ex allata Notificatione.

Dum conficimus has Inſtitutiones, non modo indicamus quid faciendum exiſtimemus, ſed rationes etiam, ac fundamenta diſciplinæ, quam in noſtris eccleſiaſticis vehementer experimus, ante oculos ponere contendimus. Quoniam vero hujuſmodi Inſtitutiones, etiam in volumina rediguntur, optamus, ut de hac noſtra agendi ratione univerſi judicium ferant. Jam profecto facili conjectura perſpicimus patientiam noſtram in iis rebus, quas ſuperius enumeravimus, vehementer improbandam ab illis, qui Religionis ardenti ſtudio ducuntur, & in jure Canonico, ac Pontificum Decretis plene verſan-

tur; tamen hanc maculam a non exiguo hominum numero nobis inferri patiemur, ne parum humani a Clero noſtro chariſſimo judicemur: ſic etiam fiet, ut rationi omnino conſentaneum videatur, ſi inviti quidem hæc noſtra juſſa detrectantes puniamus.

„ At vero cognitæ omnibus ſunt pœnæ, quæ in illos decernuntur. Tridentina Synodus *Seſſ. 14. c. 6. de Reform.* Clementinam ſecundam *de vita, & honeſtate Clericorum* renovat, & poſt monitionem Edicto peractam, ſi qui adhuc parere recuſent, illos obnoxios ſuſpenſioni Ordinum, Officii, ac Beneficii, & proventuum declarat: ſi vero in dies pervicacia augeatur, tunc Officia, ac Beneficia ipſis adimenda conſtituit. Sixtus V. eoſdem cunctis Dignitatibus, Canonicatibus, Beneficiis ſimplicibus, ac Penſionibus *ipſo facto* privatos *in Conſtit. quæ incipit: cum Sacroſanctum 92. in Bullar. Rom. tom. 2.* decernit: *Sine ulla monitione, citatione, judicii decreto, aut miniſterio ipſo facto privatos declaramus*. Deinde ſuos quidem Familiares hac pœna liberavit, ac cæteros, quorum penſiones aureos ſexaginta non excederent, & ob hanc cauſam quæſtio inſtituta fuit: utrum hæc ſecunda Conſtitutio, quæ primam temperabat eos pariter complecteretur, qui ex ſuis Beneficiis proventum ſexaginta aureis minorem perciperent; tamen Sacra Congregatio Concilii reſpondit, de penſionibus tantum rem haberi, non autem de Beneficiis, quæ primæ Conſtitutioni ſubjecta voluit, quamvis aureos ſexaginta non afferrent. Ita ſancitum fuit die 4. Sept. 1677. ut in *lib. 29. Decreti pag. 147. & 500.*, quod Decretum integre commemorat Synodicon Eccleſiæ Beneventanæ, typis editum an. 1693. juſſu Benedicti XIII. cum illam Eccleſiam adminiſtraret. Hanc Sententiam Romana Tribunalia in ferendis judiciis ſemper ſecuta ſunt.

„ *Quoad vero Sacrarum Veſtium benedictionem, ac eos, ad quos illarum ſpectat benedictio, legenda ſunt quæ ſequuntur ex Notificat. 1. lib. 2 deſumpta hoc modo*: Univerſi Patres, ac Theologi conſentiunt, Chriſtum Dominum noviſſima Cœna, in qua Sacrificium ſui Corporis, & Sanguinis inſtituit, Sacerdotii ordinem, ac dignitatem cunctis Apoſtolis contuliſſe, cum poteſtatem ejſdem conſecrandi per illa verba tradidiſſet: *Hoc facite in meam commemorationem*. Neque ſane hoc in dubium revocari poteſt, cum Tridentina Synodus apertiſſime decernat: *Si quis dixerit, illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſſe, ut ipſi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus, & Sanguinem ſuum; anathema ſit*.

„ Ut omittamus eam controverſiam, quæ inter Theologos agitur de Miſſæ Sacrificio, quod ab Apoſtolis, vertente triduo poſt Salvatoris mortem, celebrari poterat; qua in re unanimi aſſenſu conveniunt, Corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis futurum fuiſſe vita deſtitutum, nec Animam ulla *concomitantiæ* ratione conjunctam; deinde nonnullas alias quæſtiones inſtituunt: an Miſſa per illud triduum peracta rationem ejus Sacrificii habuiſſet, quod Salvator obtulit. Item: an Hoſtiæ tunc conſecratæ, ſi, poſtquam Dominus reſurrexit, ſervatæ fuiſſent, an ipſius Corpus exanime, vel animæ reſtitutum continuiſſent. His omiſſis illud certum eſt, illorum dierum ſpatio Apoſtolos Sacrum non feciſſe; & Viri doctrina, atque eruditione præſtantes inter ſe diſputant, quonam tempore Sacrificium Miſſæ primo iidem Apoſtoli celebraverint.

„ Inter argumenta, quæ *Can. 3. de Sacrificio Miſſæ* a P. Theophilo Raynaudo afferuntur, illud poſtremum non eſt, quod inſcribitur: *de prima Miſſa t. 6*. Poſtquam ibi aſſeruit, Apoſtolos, ob amantiſſimi Præceptoris mortem mœrore pene confectos, &, velut oves, interfecto Paſtore diſperſos, per illud triduum Sacrificio abſtinuiſſe, ipſos deinde, revocato ad vitam Domino, incredibili voluptate excitatos, primum Deo Sacrificium obtuliſſe affirmat, ut ſupremum ipſi cultum perſolverent, vel ut gratias agerent pro redivivo Præceptore, vel ut memoriam acerbiſſimæ ejuſdem paſſionis recolerent, vel denique ut Fideles, ac ſe ipſos ſingulari lætitia recrearent. E contrario Card. Bona *libr. 1. cap. 5. in tractatu Rer. Liturgicarum*, quem nemo ſatis commendaverit, primum Sacrificium in Pentecoſtem uſque prorogatum exiſtimat, cum ſuper eos de Cœlo Paraclitus immiſſus fuit; idque affert argumentum, quod Lex vetus uſque ad Pentecoſtem vim ſuam retinuerit, cum nova nondum ſatis promulgata eſſet, ideoque, *non decebat novum offerri Sacrificium Sacerdotio nondum translato*. Huic quidem Sententiæ congruit Sacrarum Litterarum auctoritas; *Act. Apoſtol. cap. 1.* in quibus Apoſtoli ſimul in Cœnaculo coacti, ante illapſum Paracliti, deſcribuntur: *perſeverantes unanimiter in oratione*; deinde *c. 2. v. 42.* cum dies Pentecoſtes complerentur, & ſub variis linguis in illos Spiritus Sanctus deſcendiſſet, tunc quoque *erant perſeverantes in communicatione fractionis panis, & orationibus*.

„ Hac diſputatione abſoluta de tempore primi Sacrificii, qui res Eccleſiæ magis accurato ſtudio perſequuntur, illud inquirunt, utrum Apoſtoli Sacrum in communi, & quotidiana veſte confecerint, an Sacrificii Religione ducti peculiarem adhibuerint, uti poſtea Novæ Legis Sacerdotes in more poſitum habuerunt. Hugo a S. Victore, & Walfridus Strabo primam opinionem tuentur: Nicolaus autem Alemannus *diſſert. de Parietinis Lateranenſibus* irridet eos, qui aliter ſentire non dubitant, ea potiſſimum ratione adductus, quod tunc Apoſtoli in ſumma egeſtate verſarentur. Ab illo tamen diſſentiunt Waldenſis, Demochares, Baronius, Stapletonus, Sauſſajus, Bona, Raynaudus, qui pari eruditione celebrantur. Quidam etiam ex illis nimia Alemanni confidentia graviter commoventur; ac primum ii concedunt, Chriſtum Dominum uſitatis veſtibus indutum Divinum Sacramentum inſtituiſſe; contendunt tamen Apoſtolos peculiaribus indumentis uſos fuiſſe, cum primum Sacrificium, ac deinceps cætera peregerunt; id enim rei dignitate maxime convenit, quod etiam Judæorum, Ethnicorumque exemplis ante oculos propoſitis ſuadebatur. Et quemadmodum qui Chriſti Fidem ſuſcipiebant, uti ex Apoſtolicis Actibus deprehendimus, bonis omnibus divenditis, pretium Apoſtolis offerebant: hinc a veritate diſſonum non videtur, quod Apoſtoli egenorum calamitatibus facile conſulere poſſent, veſteſque idoneas, & alia ad Sacrificium pro ejus Majeſtate celebrandum ſibi compararent.

Sanctus Paulus Apoſtolus (uti ex Sacris Litteris conjicimus) Troade Aſiæ Civitate, quam decennalis Græcorum obſidio celebrem effecit, ter ſubſtitit. De primo in illam adventu Acta Apoſtolica *cap. 16.*; de ſecundo Paulus ipſe Epiſtola 2. ad Corinthios: de ultimo tandem eadem Acta Apoſtolorum *cap. 20.* palam commemorant. Carpus, cujus nomen die 13. Octob. in Martyrologiis commendatur, Apoſtolum hoſpitio recepit, cum noviſſime ad illam Urbem veniſſet; diſcedens Paulus, *Penulam* forte apud eum reliquit anni ſpatio interjecto, cum ſecundam ad Timotheum Epiſtolam ſcriberet, hæc habet: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum*.

Quod ſi probanda videretur eorum opinio, qui Penulam idem, ac Sacerdotis Caſulam arbitrantur, ſatis conſtaret Apoſtolos ſacris Indumentis, cum rem Divinam facerent, uſos fuiſſe. Præclarus Doctor Guillelmus Eſtius in Commentariis ad eamdem Pauli Epiſtolam Penulæ nomine Libros Veteris Teſtamenti intelligi affirmat, non vero Caſulam, qua nunc Sacerdotes utuntur: *quod vero quidam Penulam interpretantur Veſtem Sacram, quam Latini Planetam vocant, non eſt unde ſolide probetur*. Joſeph Vicecomes e contrario *lib. 2. de Miſſæ apparatu cap. 28.* Caſulam ſub eadem Penula ſignificari contendit. Cardinalis Baronius anno Chriſti 58. *n. 67. 68.* ingenio, ac virtute magnus, cum utramque Sententiam in medium protuliſſet, hæc tradit: *verum ex his duabus recitatis Sententiis, vel de Volumine, vel de ſacra Veſte, alterutram, quam volet lector, ſequatur, ſed magis placet, ut Volumen Sacræ Legis intelligi debeat*. Maximæ diligentiæ vir Cardinalis Bona *præcit. lib. 1. cap. 24. n. 8.* eorum opinionem amplecti videtur, qui Penulam pro quodam Veſtis genere interpretantur. Idem ſenſit Calmet in ſuo *Diction. Hiſtor. Sacræ Script. to. 2.*, & Senator Philippus Bonarotti in animadverſionibus ad quædam vitrea fragmenta figuris diſtincta ex Cœmeteriis Rom. effoſſa, cum ipſe peculiare vitrum accurato ſtudio explanaret, in quo effigies SS. Petri, Pauli, & Laurentii expreſſæ conſpiciuntur, Penulam vulgarem, & brevem pro veſte in itineribus adhibitam fuiſſe comprobat; quæ deinde a Viris illuſtribus adſcita formam quoque mutavit, latioremque ſuſcepit, ita ut ad talos uſque deflueret: Caſulas autem Eccleſiaſticas ab iis poſtremis Penulis tantum originem deſumpſiſſe.

Nos hanc difficilem controverſiam prætermittimus, illudque libere affirmamus, Apoſtolos ſuper Altare rem Divinam feciſſe, uti ex verbis S. Pauli Apoſtoli colligitur. Epiſtola ad Hebræos *cap. 13. v. 10. Habemus Altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui Tabernaculo deſerviunt*; quæ ſane, juxta Doctores Catholicos, referenda ſunt ad Altare, in quo Sacramentum Euchariſtiæ conficitur, & Fidelibus adminiſtratur. Illud quoque aſſerimus, neminem, qui Evangelii Legem ſequatur, inficiari poſſe, quin Chriſtus Dominus in noviſſima Cœna Calicem accipiens Apoſtolis præceperit, ut omnes ex eo ſuum Sanguinem biberent, qui paulo poſt in remiſſionem peccatorum pro ipſis, & pro multis effundi debebat; quæ a Domino percepta Fidelibus inde ſe tradidiſſe Apoſtolus teſtatur 1. ad Corinth. *c. 11. v. 23. Quoniam Dominus Jeſus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: accipite, & manducate, hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & Calicem, poſtquam cœnavit, dicens: Hic Calix novum Teſtamentum eſt in meo Sanguine*; ob eam cauſam Feria V. Majoris Hebdomadæ, quæ ejuſdem Sacrificii inſtitutioni celebrandæ præpoſita eſt ab antiquis Patribus, *Natalis Calicis* nuncupatur. Tunc enim Calix profanus in ſacrum uſum Chriſti Domini poteſtate converſus fuit. En verba S. Eligii Epiſcopi, qui Sæculo VII. ſcripſit, in ſua *Homil. 19. tom. 2.*

„ *edit. 2.*

„ *edit. 2. Biblioth. Patrum: Vocatur hæc dies Cœna Domini, vocatur & Natalis Calicis, quia hac, eademque die Myſticum Paſcha Dominus cum Diſcipulis celebrans, Sacramenta Corporis, & Sanguinis ſui illis, atque per illos nobis tradidit, & ipſe celebrationis initium fecit.* Dicemus etiam, nullo Evangeliſtarum teſtimonio, panem conſecratum in Patena a Chriſto Domino fuiſſe poſitum, de qua, cum S. Jacobus in Liturgia meminerit, ipſius uſus ad Apoſtolorum tempora commode referendus eſt, uti tradit Cardinalis Bona *lib. 1. cap. 25. num. 3. pag. 237. edit. Romana. An Chriſtus conſecratum Panem in Diſco, ſeu Patena poſuerit, non exprimunt Evangeliſtæ, ejus tamen uſum ævi Apoſtolici eſſe Liturgia Jacobi oſtendit.* Dicemus veritati omnino conſentaneum, quod Apoſtoli Sacrum facientes indumentis a communi uſu remotis uterentur. *Habet Religio Divina* (inquit S. Hieronymus ſuper cap. 44. Ezech.) *alterum habitum in miniſterio altaris, alterum uſu, vitaque communi.* Poſtremo dicemus jure, ac merito traditioni Apoſtolicæ concedendam earum veſtium conſuetudinem, quæ in Sacrificio Miſſæ adhibentur, pro quibus fere ſingulis ex quarto Sæculo argumenta ſuppetunt. Tenenda quippe eſt doctrina, quæ a S. Auguſtino præclare traditur *lib. 4. de Baptiſmo c. 24. Quod univerſa tenet Eccleſia, nec a Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum, rectiſſime creditur.*

„ Maxime autem decet, ut Altare, Vaſa, Veſteſque ad Sacrificium neceſſariæ, conſecratione, ac benedictione prius in uſum ſacrum convertantur, uti docet S. Thomas *part. 3. qu. 83. art. 3. in corp. Conſecrationes adhibentur his rebus, quæ veniunt in uſum hujus Sacramenti, tum propter Sacramenti reverentiam, tum ad repræſentandum effectum Sacramenti, qui ex paſſione Chriſti provenit, ſecundum illud Hebr. ult. Jeſus, ut ſanctificaret per ſuum Sanguinem populum &c.* Hinc in Ordine Romano conſecrationem Calicis, & Patenæ cum unctione Chriſmatis, certiſque precibus deſcriptam videmus; legimuſque in Jure Canonico Decretum, quod Hormiſdæ Pontifici adſcribitur, ubi Can. *Nullus, de Conſecrat. diſt.* 1. de Altaris conſecratione ſermo agitur. De Patena, & Calice conſecrando Innocentius III.; de ſacrarum Veſtium benedictione, Canon *Veſtimenta: De Conſecrat. diſt.* 1. apertæ mentionem, ac teſtimonium faciunt; & licet hæreticus Hoſpinianus in ſuo libro *de Origine Dedicationum cap. 34.* hunc ſacrum benedictionis ritum Sæculo tantum IX. invectum aſſerere non dubitaverit; tamen ex Sæculo IV. certiſſima hujuſce rei monumenta proferuntur. Nam, uti refert Sozomenus, cum Imperator Conſtantinus regali munificentia Templum Hieroſolymis condidiſſet: *Epiſcopi Hieroſolymam delati Eccleſiam conſecrarunt, ſimulque ornamenta, & donaria ab Imperatore tranſmiſſa;* quæ ſane pia conſuetudo ex Veteri Teſtamento in novam Eccleſiam prioribus Sæculis dimanavit, uti aſſerit idem Cardinalis Bona *loco citato* per hæc verba: *quem ritum e veteri Teſtamento ad novum profluxiſſe reor.* Id pariter Innocentius III. *loco ſuperius allato* palam indicavit: *Cum conſecratur Altare, cum dedicatur Templum, cum benedicitur Calix; non ſolum ex mandato Legis Divinæ, verum etiam exemplo Beati Sylveſtri, qui, cum conſecrabat Altare, illud Chriſmate perungebat; præcepit enim Deus Moyſi, ut faceret oleum unctionis, de quo ungeret Teſtimonii Tabernaculum, & Arcam Teſtamenti, Menſamque cum Vaſis.*

„ De vetuſtate hujuſmodi conſecrationum, ac benedictionum erudite diſſerit Dominicus Georgius *tom. 1. de Liturgia Romani Pontificis lib. 2. cap. 14.* Veſtis cujuſlibet ſignificatum Sotus plene complectitur *in 4. Sentent. diſt. 13. qu. 2. art. 4.* Accedunt alii plurimi Sacrorum Rituum Interpretes, qui unanimi conſenſione ad Epiſcoporum ditionem pertinere affirmant, non modo Templa dedicare, Altaria, & Vaſa, quæ Sacram unctionem requirunt, ſed etiam veſtium benedictionem, in qua Sacrum Chriſma prætermittitur. Hinc ad ſolum Epiſcopum pertinere, hæc in ſua Diœceſi perficere; nam teſtimonia ex jure prolata id ſatis clare comprobant, ac fuſius auctoritate Anacleti *tom. 3. de Conſecr. Eccleſ. §. 2. n. 32. n. 442. & n. 49.* Engel *eodem tit. §. 1. n. 9.* Schmalzgrueber *eodem tit. lib. 3. tom. 2. pag. 166. nu. 37.* Paſqualigus *de Sacrific. novæ Legis quæſt. 801. num. 1. & ſeqq.* Cardinalis de Lugo *diſp. 20. de Sacramento Euchariſtiæ ſect. 4. num. 91. & num 98.* confirmatur. Illud ſolum in controverſiam vocatur, an Epiſcopus pro benedictione veſtium, licet Sacrum Chriſma non adhibeatur, ſimplici Sacerdoti facultatem impertiri poſſit, quam nonnulli a Summo tantum Pontifice, alii vero etiam ab Epiſcopo tradi poſſe contendunt, uti Paſqualigus *de Sacrific. novæ Legis quæſt. 801.* & Quartus *ad Rubricas Miſſalis ſect. 4. part. 2. tit. 1. dub. 3.* aperte declarant.

„ Ut omnem dubitationem exuamus, & cum amplius viginti annis Sacræ Rituum Congregationi interfuerimus, ac ſupplices Epiſcoporum libellos audiverimus, ut ſimplices Sacerdotes pro hujuſmodi veſtium benedictione deligere ſibi fas eſſet: die 17. Januarii hujus anni nos quoque ad ipſam confugimus, ac delegandi facultatem ſatis amplam obtinuimus, quæ ad quinquennium protrahitur, novoque privilegio diutius prorogari poteſt.

Quamobrem juxta acceptam facultatem, eorum benedictionem, & conſecrationem nobis reſervamus, quæ Sacram unctionem exigunt, uti Sacra Congregatio præcipit, quæ facultatem tantum elargita eſt ſubrogandi alium Sacerdotem pro benedictione illius Supellectilis, quæ Sacro Chriſmate non oblinitur. Ac ut ritus ejuſmodi integre ſervetur non ſolum in Urbe, ſed in Diœceſi, ubi eum neglectum, non ſine magno dolore, percepimus, Vicario noſtro Generali, quatuor Dignitaribus, & Senioribus Canonicis Eccleſiæ noſtræ Metropolitanæ poteſtatem facimus conſecrandi eam Supellectilem, pro qua Sacrum Chriſma neceſſarium non habetur. Idem per nos liceat quinque Dignitatibus, tribuſque etiam Canonicis Senioribus Collegiatæ Sancti Petronii. Item Priori, & quatuor Canonicis Sanctæ Mariæ Majoris, qui omnes non ſuis tantum Eccleſiis, ſed aliis quoque Urbanis, & Suburbanis proſpicere poſſint, dummodo nulli Vicario Foraneo ſubjiciantur. Idem concedimus Archipresbyteris, ac duobus Canonicis Senioribus trium Collegiatarum noſtræ Diœceſis pro ſuis Eccleſiis illorum locorum, in quibus Collegiatæ ipſæ ſitæ ſunt. Tandem hanc facultatem concedimus Commiſſario noſtro Centenſi Vicario Foraneo pro Eccleſiis Centenſibus, cæteriſque, quæ ipſius ditioni adſcribuntur: item cuilibet Vicario Foraneo, qui in Diœceſi verſatur, pro Eccleſiis ſibi ſubjectis; omnibus poſtremo Urbani Parochis pro ſuis Eccleſiis.

Hoc pacto ſatis conſultum putamus, ne deſint ullo tempore, qui in Urbe, ac Diœceſi Vaſa conſecrent, & Indumentis ad rem Divinam neceſſariis benedictionem rite impertiant. Præterea, licet magnus lapidum numerus a nobis conſecratus jam fuerit; tamen ſi novi afferantur, ad eorum conſecrationem nos paratos fatemur: idem quoque præſtabimus, ſi pro Campanis benedicendis, ſacrandiſque occaſio nobis offeratur. Singulis autem notum facimus, ſi in Pervigilio cujuſlibet Feſti, Calicem, aut Patenam deferant conſecrationem in ſequenti die non eſſe defuturam. Cum igitur tot delegati numerentur pro earum rerum benedictione, quæ Sacro Chriſmate non indigent, nullus excuſationis locus Diœceſanis ſupereſt, ſi ea Supellectili ad Sacrificium utantur, quæ benedictionem antea non acceperit. Ritus, & preces pro his benedictionibus adhibendæ, in Rituali, ac Miſſali Romano continentur; alias autem preces, aliumque ritum inducere penitus interdicitur. Inſuper Doctores opinionum varietate inter ſe diſputant, utrum Cingulum, Pluviale, & Pixis etiam benedictione indigeant. Pro Cingulo eam minime neceſſariam quidam judicant, cum Can. *Veſtimenta. De Conſecrat. diſt.* 1. de Veſtibus loquatur, & Cingulo nomen veſtis tribui non debeat. Aliqui pro Pluviali conſuetudinem nullam benedictionis eſſe teſtantur, uti ex Gavanio de Rubrica Miſſalis *part. 1. tit. 19. num. 3. litt. I,* ſatis deprehenditur. Nonnulli quoque inter Recentiores tradiderunt, non opus eſſe, ut pro Pixide benedictio adhibeatur, ſed Vaſculum ligneum intus aptandum ea benedictione ſacratum, quæ Corporali convenit. Attamen Cingulum ſacris Veſtibus omnino neceſſarium eſt, de cujus etiam benedictione in Pontificali Romano *ſub Rubrica ſpecialis benedictio cujuſlibet Indumenti* mentionem habemus. Illud ſolum intereſt diſcrimen, quod in Pontificalibus ante Clementem VIII. Cinctorium, in aliis vero, qui poſteriori tempore excuſi ſunt, Cingulum nuncupatur. Item Pluviale inter Veſtes ſacras adnumeratur, quod in profanos uſus converti nefas eſt, quod etiam Romæ ſacrari conſuevit. Rituali, ac Miſſali Romano benedictio *Tabernaculi, ſeu Vaſculi pro Sacra Euchariſtia conſervanda* expreſſe continetur. Cardinalis autem de Lugo *diſp. 20. ſect. 4. de Sacram. Euchariſt. num 97.* acerrime contra P. Vaſquez diſſerit, qui ritum innuit conſecrandi lignei Vaſculi, de quo ſuperius dictum eſt: *Pater Vaſquez dicit, ex conſuetudine eſſe neceſſarium, ut intra Pixidem, in qua Sacramentum ſervatur, ſit Vas aliquod ex ligno, quod benedictione Corporalis benedictum ſit. Verum hoc eſt vitium commune Scholaſticis, ut conſuetudine judicent ex eo, quod in illa Civitate, aut Provincia, ubi verſantur, fieri viderunt. Scimus quippe conſuetudinem eſſe contrariam, quam ego non ſolum de Roma, ſed de aliis Eccleſiæ Provinciis teſtari poſſum.* Hinc nos, ut magis probabilem, ideoque tenendam eorum Sententiam proponimus, qui pro Cingulo, Pluviali, ac Pixide benedictionem non omittendam fatentur, inter quos Biſſius in ſua Hierurgia *litt. B. ſub nu. 51. §. 8. tom. 1. litt. P. tom. 2. n. 274.* Quartus ad Rubr. Miſſalis *part. 2. tit. 1. ſect. 4. dub. 2.* Paſqualigus de Sacrificio Novæ Legis *quæſt 800. a n. 9. & ſeqq.* aliique numerantur. Illud quoque advertendum eſt, quod non modo pro novis Indumentis benedictio neceſſario requiritur, ſed tunc etiam, cum detrita priſtinam formam amittunt, & ad ſuos uſus apta non ducuntur: ideoque ex iis veſtibus antea ſacratis, nova aliqua perficitur alterius generis; veluti

„ ſi ex

ſi ex pluribus Manipulis Stola, ſive Alba ex multis Amictibus; aut e contrario plures Amictus ex Alba conficiantur. Ita Scriptores, qui ſuper hac re monimenta aliqua reliquerunt.

„ Priuſquam hanc declarationem noſtram abſolvamus, pauca dicenda ſunt de iis, qui præter delegatos a nobis, pro rerum ſacrarum benedictione ſe facultate præditos jure ſuo arbitrantur. Hujuſmodi ſunt Epiſcopi Titulares, qui forte in hac Civitate verſentur, ſeu per illam tranſeant, Præſides Ordinum Regularium, iique Abbates Regulares, quibus Inſignia Pontificalia permiſſa ſunt, quive Sacerdotio initiati, poſtquam a nobis benedictionem acceperint, vel etiam ſine ulla Epiſcopi benedictione tali privilegio decorantur, ut Pontificalibus ornamentis uti, primamque Tonſuram, & Ordines Minores conferre poſſint.

„ Itaque, cum illud certum teneamus injuſſu Sedis Apoſtolicæ benedictionem Veſtium, & Vaſorum conſecrationem ſimplici Sacerdoti committi non poſſe; & cum in reſponſione Sacræ Congreg. nonniſi ii nominentur, quos ſuperius declaravimus; hinc nullum inter delegatos noſtros conſtituimus ex Præſidibus Regularibus, neque ex Abbatibus, quibus inſignia Pontificalia, aliaque ornamenta conveniunt. Et quamvis aliqui contendant, poſſe Abbates ad hujuſmodi benedictionem, & conſecrationem ab Epiſcopo jure ſuo delegari, ut apud Schmalzgrueber *ad tit. Decretal. de Conſecrat. Eccleſiæ, vel Altaris* §. 2. *nu.* 39. quod etiam exemplo confirmant, nempe poſſe Abbates etiam Clericis Sæcularibus primam Tonſuram, & Ordines Minores tradere, ſi litteræ Epiſcopi accedant, quibus id permittatur: id tamen nos minime probamus. Quippe cum Tridentinum Concilium *ſeſſ.* 23. *cap.* 10. *de Reform.* facultatem Abbatum pro conferendis prima Tonſura, & Minoribus Ordinibus certis limitibus concluſerit, & ad Regulares ipſis ſubjectos unice definiverit; hinc ſequitur, eam nullo modo proferri poſſe, vel ad Regularem alterius Ordinis, vel ad Clericum Epiſcopo ſubjectum, licet per litteras ſuorum Præſidum id Abbatibus mandaretur. Ita ſtatuit Congregatio Concilii, ejuſque Decreta a Fagnano fuſe memorantur cap. *Aqua, ſub nu.* 19. *de Conſecrat. Eccleſ. & Altar.* Ita pariter Alexander VII. die 27. Septembris 1659. conſtituit, qui Pontificalium uſum Abbatibus decernens §. 19. *Reliqua Pontificalia* (inquit) *extra loca ipſis Abbatibus ſubjecta, vel pro ſervitio alienæ Eccleſiæ, aut in ſubditos pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum, exercere non valeant, puta Campanarum benedictiones, Calicum, & ſimilium, in quibus Sacra adhibetur unctio, necnon Minorum Ordinum collationes.*

„ Aliter de Epiſcopis Titularibus dicendum eſt; licet enim ægerrime defendi poſſit, ipſis licere in aliena Diœceſi benedictionem Veſtibus impertiri, Altaria, ac Vaſa ſacrare, pro quibus Chriſmatis unctio neceſſaria eſt, eo quod pro re gerenda Pontificiis inſignibus uti debeant, Baculo ſcilicet, ac Mitra, quod quidem Tridentina Synodus *ſeſſ.* 6. *cap.* 5. *de Reform.* apertiſſime cuilibet Epiſcopo interdicit, cum in aliena Diœceſi verſatur, niſi Ordinarii facultas acceſſerit; tamen cum ipſi Epiſcopali dignitate præditi ſint, Vaſa, ac Altaria dedicare, & ſacris Indumentis benedictionem elargiri poterunt, ſi Ordinarius id permittat, eodem pacto, quo de ejuſdem licentia Ordines conferre poſſunt. Ita diſſerit præclare P. Hieronymus Andreuccius Societ. Jeſu in ſuo Tract. de Epiſcopo Titulari in partibus Infidelium.

„ Quare præſtantibus his Sententiis adducti, ratione etiam dignitatis, quam in ipſis Titularibus Epiſcopis omni veneratione proſequimur, nos paratos declaramus, ſi aliqua occaſio ferat, poteſtatem facere, quoties eam requirant, ut Indumenta, Vaſa, & Altaria dedicent, & inſignibus Pontificiis libere utantur.

„ Novimus etiam, quoſdam Regularium Ordinum Præſides id ſibi tribuere, ut non modo pro ſuis Eccleſiis, verum etiam pro alienis Supellectilem benedictione conſecrent: Abbates autem nonnulli Altaria, Calices, ac Patenas dedicare ſe poſſe prædicant, cum in ſuis Eccleſiis, tum in alienis, quæ ad ipſos nulla ratione pertineant. Fuſe de hac re agunt Paſqualigus *de Sacrific. novæ Legis qu.* 803. & Quartus *ad Rubricas Miſſalis part.* 2. *tit.* 1. *ſect.* 4. *dub.* 3. & alii, qui contrarias Sententias tuentur, uti ſolet contingere, cum Scriptores rerum fontes, & originem minime perſcrutantur.

„ Si Regulares Præfecti pro hujuſmodi benedictionibus Apoſtolicæ Sedis privilegia certo obtinuerint, noſtro etiam patrocinio eadem confirmabimus. Verum in Synodo præclariſſimi Deceſſoris noſtri Cardinalis Jacobi Boncompagni *lib.* 4. *cap.* 1. cum de Abbatibus Regularibus agitur, hæc ſtatuuntur: *Pontificalia extra propriam Eccleſiam non exerceant, nec Paramenta benedicant, neque Campanas, aut Calices conſecrent, niſi pro ſua Eccleſia.*

„ In Decreto Alexandri VII. quem ſupra memoravimus, Regularibus Abbatibus pro ſuis tantum Eccleſiis Campanas, & Calices conſecrare permittitur. Idem paragrapho ſuperiori, nempe 18. pro benedictione ſacrarum Veſtium a Pontifice præcipitur: *Eccleſiaſticam Supellectilem pro ſervitio dumtaxat ſuarum Eccleſiarum, vel Monaſteriorum benedicant.* Cum vero Monachi Congregationis Caſſinenſis ad eumdem Pontificem confugiſſent, iis privilegiis ſe præditos affirmantes, quibus eas benedictiones tam pro ſuis, quam pro aliorum Eccleſiis ſe exercere poſſe fatebantur, Sacra Congregatio habita coram eodem Alexandro VII. die 20. Julii anno 1660. hoc reſponſum dedit: *Ad paragraphum decimum nonum, quo vetita eſt Abbatibus benedictio ſacræ Supellectilis pro uſu alienarum Eccleſiarum, aſſerentibus Monachis etiam pro aliena Eccleſia ex Apoſtolico Indulto eis licitum eſſe Eccleſiaſticam Supellectilem benedicere, Sacra Congregatio mandavit exhiberi Indultum authenticum ex Archivio Apoſtolico deſumptum, ac interim abſtineri.* Ignoramus an tale Indultum in lucem unquam productum fuerit: ſi id conſtaret, huic noſtræ declarationi adjungeretur. „

D U B I U M V.

De Ritu Celebrandi ex parte Sacerdotis.

38. DE diſpoſitionibus tam ex parte Animæ, quam ex parte Corporis, requiſitis in Miniſtro celebraturo, & ſumpturo Euchariſtiam, dictum eſt ſupra *tract. præced. cap.* 9. & 10. nunc remanent explicandæ aliæ diſpoſitiones, quæ juxta Rubricarum præſcriptum ſolent requiri. Et primo dubitatur: *An peccet Sacerdos celebrando, Matutinis precibus non recitatis?* Peccare lethaliter docuerunt antiquiores, & graviores Theologi non pauci, quorum viginti numerat Marchinus *de Ordine tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 5. qui id probant ex inveterata conſuetudine in materia gravi, & ex Rubricis Miſſalis, in quibus ſub tit. *de præparat. Sacerdotis celebraturi* habetur: *ut Sacerdotes celebraturi prævia Confeſſione, cum opus fuerit, & ſaltem Matutino cum Laudibus abſoluto, orationi aliquantulum vacent, priuſquam Miſſam celebrent;* quam Sententiam ipſe Marchinus ſub *nu.* 11. dicit in praxi eſſe amplectendam, prout illam amplexi ſunt antiquiores Doctores, qui ſunt majoris auctoritatis.

39. E contra vero nullum eſſe peccatum, ſaltem mortale, docent alii quamplures, quorum triginta refert idem Marchinus *ſupra nu.* 3. ſequitur, pluribus citatis, Barboſa *de poteſt. Epiſc. allegat.* 24. *nu.* 15. *part.* 2. Sylvius *in* 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 2. Anton a Spiritu Sancto *tract.* 7. *diſp.* 5. *ſect.* 3. Tamburinus *lib.* 1. *cap.* 7. §. 2. & alii recentiores magis communiter. Ratio eſt, quia, ut inquit Sylvius, ex ſua inſtitutione preces Matutinæ, & Miſſa nullam habent connexionem; nam Miſſa eſt ad recolendam paſſionem Domini, horariæ vero preces adinventæ ſunt, ut ex eis exhiberetur cultus Deo, ſupplendo pro populo, adeoque nulla apparet connexio, quare unum requiratur ad aliud. Deinde major ſine dubio eſt connexio inter horas ejuſdem Officii, quam inter Matutinum, & Miſſam; ſed antevertere ordinem, recitando Sextam ante Tertiam, non eſt peccatum lethale, quia non variat ſubſtantiam, ſed modum recitationis; ita non erit lethale Miſſam celebrare ante Matutinum. Hæc Sententia eſt ſine dubio valde probabilis, communis inter Recentiores, & ideo etiam tenenda.

40. Nec obſtat conſuetudo, quæ pro contraria Sententia affertur, quia vel nulla eſt obligans ad lethale, vel jam fuit abrogata, cum ſine ullo ſcrupulo hanc Sententiam ſequantur Viri timoratæ conſcientiæ. Rubrica non eſt recepta cum tanta obligatione, quia eſt ſolum doctrinalis, non præceptiva, continet conſilium, non mandatum, & ſolum indicat quid fieri ſolet, & expedit. Diana *part.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 36. *in fin.* Bonacina *qu. ult. punct.* 9. *n.* 7. Antonius a Spiritu S. *ſupra n* 180. Alii dicunt, conſuetudinem, & obligationem procedere de publica recitatione Matutini Officii in Choro, quæ debet præcedere Miſſam Conventualem, quæ a Canonicis cantatur in Choro. Ita cum Ledeſma, & aliis, Antonius a Spiritu S. *ſupra.*

41. *An ſaltem peccet venialiter, qui abſque cauſa Miſſam dicit, non præmiſſa recitatione Matutini?* Affirmat communis Sententia, eo quod faciat contra conſuetudinem receptam, & contra quod diſponit Rubrica, ut indicat P. Cacheranus *lib.* 3. *de Euchariſt. cap.* 4. §. 6. *n.* 112. At ſi Rubrica eſt ſolum doctrinalis, & directiva; ſi nullum datur præceptum, ſed tantum conſilium, ſicut eſt, quod vacet antea Orationi, non poteſt inferri peccatum, nec etiam veniale, ut cum aliis tenet Tamburinus *lib.* 1. *cap.* 7. §. 2. Barboſa *dicta allegat.* 24. *num.* 15. Diana *ſupra reſol.* 36.

Hanc ipſam Quæſtionem inter Theologos adeo agitatam videri hic poteris ex Tract. de Sacrif. Miſſæ lib. 3. *cap.* 13. *ſic deſumptam:* In Rubrica ſub titulo: *De Ritu ſervando in celebratione Miſſæ cap.* 1. præſcribitur, ne Sacerdos Miſſam prius celebret, quam ſaltem *Matutino cum Laudibus abſoluto.* Et in Rubrica *de defectibus in celebrat. Miſſarum occurrentib.* inter defectus, qui occurrunt, recenſetur ille: *Si Celebrans ſaltem Matutinum cum Laudibus non dixerit:* & in Sacerdotali Romano *cap.* 80. *Miſſa privata, ſaltem poſt Matutinum, quacumque hora ab Aurora uſque ad meridiem dici poteſt.*

Super his Rubricis oritur controverſia, utrum qui, quod in iis præſcribitur, non ſervaverit, peccet mortaliter, an vero venialiter: alii in alias abiere Sententias,

„ ſive

ſive quia nonnulli falſum illud ſequuntur principium, Rubricas meras inſtructiones eſſe, & conſilia, ſive quia alii, etſi eam ſequuntur Sententiam, Rubricas habere vim legum, ut tranſgreſſio *ex genere ſuo* ſit peccatum mortale; tamen partim materiam gravem celebrare Miſſam, non dicto Matutino, & Laudibus, partim levem eſſe arbitrantur. Prima igitur opinio eſt eorum, qui putant Sacerdotem celebrando Miſſam, antequam Matutinum, & Laudes recitet, peccare mortaliter; hanc tuetur opinionem S. Antoninus *3. part. tit. 13. cap. 6. Miſſa non debet dici ab eo, qui non dixit Matutinum, licet poſſit audire, alias dicenda eſſet peccatum mortale, quia contra conſuetudinem generalem Eccleſiæ*. Favet huic Sententiæ Innocentii IV. reſponſio in Cauſa, quam ad eum retulit Otho Cardinalis Epiſcopus Tiburtinus, inter Archiepiſcopum Nicoſiæ cum ſuis Suffraganeis Latinis Epiſcopis ex una parte, & Epiſcopos Græcos Regni Cypri ex altera: *Sacerdotes autem dicant Horas Canonicas more ſuo: ſed Miſſam celebrare, priuſquam Officium Matutinale compleverint, non præſumant*. Altera eſt eorum opinio, qui nullum hic, neque mortale, neque veniale peccatum deprehendunt. Tertia eſt eorum, qui nonniſi veniale peccatum committi putant. Clericatus *deciſ. 50. de Sacrif. Miſſæ* primam ſequitur opinionem, & quinque, ac quinquaginta Auctores affert, qui graviter peccare eum exiſtimant, qui perpetuo, & quaſi ex habituali conſuetudine ſemper Miſſam celebret, quin unquam Matutinum, & Laudes recitaverit. Si ſermo ſit de Miſſa Conventuali, videtur peccatum eſſe mortale, eam ante Matutinum, & Laudes celebrare; id enim eſt contra generalem Eccleſiæ conſuetudinem. In Miſſis vero privatis, ſi qua ſit legitima cauſa, puta ſi Princeps, aut Prælatus Miſſam expeteret, videri poſſet a peccato etiam veniali immunis, qui eam celebraret, non recitato Matutino, & Laudibus. Si vero abſit cauſa, perdifficile videtur, ne veniali quidem peccato non eſſe locum, ut obſervat Meratus ad Gavantum *tom. 1. part. 2. pag. 799.* Quod ſi quis, nulla cauſa urgente, perpetuo id faceret, ut videretur quaſi ſtatuiſſe animo, nunquam celebrare, dicto Matutino, & Laudibus, tum cum illis quinque, & quinquaginta Auctoribus, quos Sententiæ ſuæ ſuffragatores affert Clericatus, & ex rationibus ab ipſo adductis concludi poſſet, hujuſmodi Sacerdotem peccare mortaliter. Natalis Alexander *Theol. Dogmat. & Moral. lib. 2. de Sacram. Euchariſt. cap. 8. art. 4.* S. Antonini ſequitur Sententiam, ſed declarat, ſe non reprobare contrariam: profitetur etiam, ſe nullius peccati reum credere, qui gravibus, & neceſſariis charitatis officiis impeditus, puta adminiſtratione Sacramentorum, antequam Matutinum, & Laudes, Miſſam celebraret. Grancolas *in veter. Sacramentar. Eccleſiæ part. 1. pag. 739.* Concilia profert aliquot Provincialia, quæ excommunicationis pœna ſancita vetant, ne quis Sacerdos, non recitatis Matutino, & Laudibus, Miſſam celebret. Ea vero ſanctione nonniſi ille tenetur, qui Synodis illis eſt ſubjectus; neque ea poteſt illud everti, quod ſuperius generatim ſtatuimus, & ad ſingulares circumſtantias accommodavimus.

His etiam adjungi poſſunt, quæ habentur in Notificat. IV. lib. 2. & ſunt, quæ ſequuntur: Quod pertinet ad Horas Canonicas, cum Fideles univerſi, ac præſertim Clerici continuis ad Deum precibus occupari debeant, idque ob naturæ humanæ infirmitatem, hujuſque vitæ negotia perfici nequeat: ſtatis ſaltem horis, laudes Deo canendæ præcipiuntur, ut hoc pacto per integrum diei curſum Deo preces offerre, & nunquam omnino ceſſare videamur, ut apud Martene *tract. de antiqua Eccleſiæ diſciplina in Divinis celebrandis Officiis tom. 4. cap. 1.*

Igitur ſtatutis ab Eccleſia temporibus Horæ Canonicæ perſolvendæ ſunt non ſolum a media nocte in alterius mediæ noctis ſpatium, ſed eo peculiari tempore, quod ſingulis horis recitandis indicitur. Commemorari ſane non poteſt ſine animi terrore, quod a B. Petro Damiano, ac deinde a Cardinali Baronio ad annum 1062. proditur, S. Severinum Colonienſem Epiſcopum Eccleſiæ ſuæ Clerico ſubito ante oculos adſtitiſſe, cum flumen tranſiret, cui ſe Purgatorio addictum, & vehementer cruciatum patefecit: *Quia, inquit, dum in Aula Regia conſtitutus Imperialibus me conſiliis vehementer applicui, Canonicæ Synaxis Officia per diſtincta horarum ſpatia non perſolvi. Mane quippe omnia concervans ſimul, tota die, negotiis ingruentibus, ſecura libertate vacabam. Ob hanc itaque negligentiam horarum, ardoris hujus fero ſupplicium.* Id quidem ab aliquibus in dubium revocatur; certiſſima tamen eſt, ac manifeſta B. Petri Damiani Sententia, qui debitis horis Divino Officio vacandum affirmat, nec immunem culpa, qui præſcripta temporis intervalla negligat, nec ullis negotiis ſatis excuſari, ut Thomaſſinus *de Benefic. part. 1. lib. 2. cap. 84. nu. 2. &* exiſtimat. Sed cum nimiam ſeveritatem haud probemus, cum plurimorum etiam exempla ſuppetant, uti refert Thomaſſinus *loco cit. num. 4.* qui legitimis cauſis impediti, non ſervato horarum intervallo, Divino Officio rite ſatisfecerunt, S. Thomæ Sententiam *quodlibet 5. quæſt. 14. art. 1.* libenter amplectimur: *Conſideranda*, inquit, *eſt intentio ejus, qui prævenit tempus in Matutinis dicendis, vel in quibuſcumque Horis Canonicis. Si enim hoc facit propter laſciviam, ut ſcilicet quietius ſomnolentiæ, & voluptati vacet, non eſt abſque peccato: ſi vero hoc faciat propter neceſſitatem licitarum, & honeſtarum occupationum, puta, ſi Clericus, aut Magiſter debet videre lectiones ſuas de nocte, vel propter aliquid hujuſmodi, licite poteſt ſero dicere Matutinum, & in aliis Horis Canonicis tempus prævenire, ſicut etiam hoc in ſolemnibus Eccleſiis fit; quia melius eſt Deo utrumque reddere, ſcilicet & debitas laudes, & alia honeſta officia, quam quod per unum aliud impediatur.*

Nobis ſatis eſt indicare tempus, quo, juxta Canonum ſanctiones, Matutinum una cum Laudibus perſolvatur; quæ ſane conjunguntur, cum Amalarius in ſuo libro *de Ordine Antiphonarii* tradat, ſe a Magiſtris Romanis reſponſum habuiſſe, nullum inter Matutinum, & Laudes tempus intercedere. Pro ipſorum recitatione ab initio Crepuſculi Matutini ad ortum Solis communi omnium ſuffragio tempus deſignatur. Nomen ipſum Matutini id clare oſtendit, & Auroræ mentio, quæ in Laudibus incidit, rem magis comprobat. In Pervigilio Natalis Domini Matutinum a Laudibus ſejungitur, ante quas Sacrum peragitur; cum enim circa mediam noctem Miſſæ Sacrificium celebrari debeat, nimis ablone Laudes eo tempore canerentur. Triduo ante Paſchæ celebritatem Matutino Laudes adjiciuntur, quod ſimul cum die abſolvitur, ut occaſus Solis juſtitiæ, ac tenebræ Judaici populi ſignificentur, qui Dominum non agnovit, eumque ſupplicio Crucis affecit. Inter Antiquos, qui ita ſentiunt, Amalarius *lib. 4. de Offic. Eccleſiaſt. cap. 21. & 22.* Sic Rupertus *lib. 4. de Offic. Divinis cap. 24. & ſeqq.* Inter Recentiores Cardinalis Bellarminus *tom. 4. Controverſ. lib. 1. cap. 11. de bonis operibus in particulari* adnumeratur.

Ab Auctoribus Theologiæ Moralis diſceptatur, utrum ſine legitima cauſa Matutinum, & Laudes extra præſcriptum tempus recitare valeant. Aliqui S. Thomæ auctoritates, quam ante protulimus, innixi, ſine levi culpa id fieri non poſſe contendunt: alii vero contrariam Sententiam tuentur, ſi id legitima conſuetudine jam firmetur, ut habeas apud Dianam *in ſua Editione coordinata tom. 3. tract. 6. reſolut. 64. & 71. & duabus ſeqq.* Nos igitur univerſos, qui ad Divinum Officium adſtringuntur, plurimum hortamur, ut ſtatis hujus illud perſolvant, neque Matutinum, ac Laudes debito tempore prætermittant &c.

42. Secundo dubitatur *de præparatione ad Miſſam celebrandam*, de qua in prædictis Miſſalis Rubrica habetur: *Orationi aliquantulum vacet, & orationes inferius poſitas pro temporis opportunitate dicat*. Verum ly *pro temporis opportunitate* ſatis indicat, nullum adeſſe præceptum illas preces recitandi, illaſque aſſignari, ut opportunas, non ut neceſſarias; idemque valet de recitatione precum poſt celebratam Miſſam, quarum loco poſſunt aliæ recitari: ſi autem nullam omnino Orationem præparatoriam vocalem, aut mentalem præmitteret, non effugeret culpam venialem, propter irreverentiam, & diſtractionem. Hæc habet Cacheranus *loc. cit.*

Vide quæ de Præparatione Sacerdotis habentur in lib. 1. cap. XII. Tract. de Sacrif. Miſſæ. Sic enim ait: Nunc de Manuum ablutione dicendum. *Exodi cap. 30.* ita Dominus loquutus eſt ad Moyſen: *Facies & labrum æneum cum baſi ſua ad lavandum, poneſque illud inter Tabernaculum Teſtimonii, & Altare, & miſſa aqua, lavabunt in ea Aaron, & Filii ejus manus ſuas, & pedes, quando ingreſſuri ſunt Tabernaculum Teſtimonii, & quando acceſſuri ſunt ad Altare, ut offerant in eo Thymiama Domino*. Ac illud vas ex ſpeculis feminarum, quæ ſtabant ad Tabernaculi portam, factum eſt, ut *Exod. cap. 38. Fecit vas æneum de ſpeculis mulierum, quæ excubabant in oſtio Tabernaculi*. Ubi notandum, ſpecula tum fieri conſueviſſe ex æris, & ſtanni mixtura: *optima apud Majores ſpecula fuerunt, & blandiſſima e ſtanno, & ære mixtis*; verba ſunt Plinii *hiſt. nat. lib. 33. cap. 9.* quo in loco quidam legunt non *blandiſſima*, ſed *Brunduſina*, quæ lectio probanda videtur; nam idem Plinius *lib. 34. cap. 17.* ſcribit: *Specula quoque ex eo laudatiſſima, ut diximus, Brunduſii temperabantur, donec argenteis uti cœpere & ancillæ*. De ablutione manuum, & pedum in Veteri lege, antequam Sacerdotes Altari miniſtrarent, ac de vaſis æneis ex ſpeculis feminarum conflatis, eruditiſſime ſcripſit Lamy in ſuo Opere *de Tabernaculo Fœderis lib. 1. ſect. 7. & de Tabernaculo Moſaico lib. 3.* Eodem autem *lib. 3 ſect. 7.* agit de Thymiamate, quod ex pluribus fiebat odoriferis rebus in pulverem ſolutis.

Divus Thomas *3. part. quæſt. 83 art. 5.* ipſe ſibi objicit videri minime decere, ut Sacerdotes manus lavent antequam ad Altare accedant, cum ejuſmodi Ritus ſit ex Legalibus Veteris Teſtamenti, qui jam exoleverint; ac reſpondet, hunc Ritum non obſervari ab Eccleſia, tanquam cæremoniale Legis Veteris præceptum, ſed ut præceptum novum ex ſola convenientia introductum.

„ Nec

„ *Nec tamen Eccleſia hoc ſervat tanquam cæremoniale veteris Legis præceptum, ſed quaſi ab Eccleſia inſtitutum; ſicut quiddam ſecundum ſe conveniens, & ideo non eodem modo obſervatur, ſicut tunc; prætermittitur enim pedum ablutio, & ſervatur ablutio manuum, quæ poteſt fieri magis in prompta, & quæ ſufficit ad ſignificandam perfectam mundationem; cum enim manus ſit organum organorum, omnia opera attribuuntur manibus; unde in Pſalmo* 23. *dicitur: Lavabo inter innocentes manus meas.*

„ Verus conſuetudo eſt, ut Sacerdotes, antequam Miſſam celebrent, manus lavent. Sanctus enim Joannes Chryſoſtomus *homilia* 20. *de ſimultate* ad populum Antiochenum *num.* 7. arguit, Sacerdoti fas non eſſe immunda anima Miſſam celebrare, quandoquidem illotis manibus id facere non auderet: *Non audes illotis manibus ſacram victimam attrectare, etiamſi mille neceſſitatibus premeris? Ne igitur illota accedas anima: hoc enim multo, quam illud, eſt gravius, & acerbius ſupplicium importat.* Paulinus Tyri Epiſcopus apud Euſebium *lib.* 10. *cap.* 14. narrat, ſe Templum ædificaſſe, & anno 314. dedicaſſe; ea adverſo autem duo lavacra in eorum commodum feciſſe, qui Templum eſſent ingreſſuri. Et S. Paulinus Epiſcopus Nolanus *Epiſt.* 12. ad Severum ea lavacra *Cantharos* appellat. Ad Chriſtianorum conſuetudinem, qui nonniſi lotis manibus Eccleſiam ingredi conſueverant, alludit S. Chryſoſtomus *homil.* 52. *in Matthæum*: *In nonnullis Eccleſiis hunc morem corroboratum videmus, ut diligenter multi ſtudeant, quomodo manibus lotis, mundis indui veſtimentis in Eccleſiam ingrediantur, quomodo autem animam, & mentem ſuam puram offerant Deo, nullam prorſus habeat curam.* Itaque ſi Laici Eccleſiam non introibant, niſi lotis manibus, multo graviore ratione Eccleſiaſtici Viri neque accedebant, nec accedunt ad Altare Miſſam celebraturi ſordidis manibus. Erudite totam hanc rem tractat Martene *de antiquis Eccleſiæ Ritibus in Divin. celebrand. Offic. lib.* 1. *cap.* 4. *art.* 12. *pag.* 484. *pag.* 533. & *pag.* 536. *veter. edit.* & Georgius *lib.* 5. *cap.* 10.

„ Reliquum eſt, ut paucula quædam attingamus de Pſalmis, & Orationibus, quæ Sacerdoti ſunt recitandæ, antequam ſacras induat veſtes. In Pſalterii cujuſdam initio, quod ex editione Romana, & Gallicana in lucem extulit Venerabilis Cardinalis Thomaſius, eſt quædam Pſalmorum diviſio juxta antiquiorem Eccleſiæ Romanæ uſum, & ad finem notantur Pſalmi, quos recitare debet Sacerdos priuſquam ſe ſacris indumentis veſtiat, qui ſunt ſeptem Pſalmi Pœnitentiales; interea vero, dum ſe Sacris Veſtibus induit, Pſalmi ab eo dicendi ſunt 83. *Quam amabilia*, 84. *Benedixiſti*, 85. *Inclina Domine*. 115. *Credidi*, & cum ad Altare pervenerit Pſal. 42. *Judica me Deus.*

„ In Miſſa, quam vulgavit Illyricus, mentio fit Pſalmorum a Sacerdote dicendorum antequam ſe veſtiat. At de ea Miſſa ſciendum eſt, Flaccum Illyricum nefarium Lutheri Sectatorem, quique inter Centuriatores Magdeburgenſes primum obtinuit locum, anno 1557. Argentorati Miſſam ediſſe, quam in vetuſto Manuſcripto Codice repererat. Putavit impius homo, ſe poſſe Catholicam Fidem labefactare, qua in re valde deceptus eſt; nihil enim ad noſtræ Fidei dogmata conſtabilienda ea Miſſa accommodatius: nam per eam confirmantur articuli de invocatione Sanctorum, & Beatæ Virginis, de vera, ac reali Jeſu Chriſti præſentia in Euchariſtiæ Sacramento, de oratione pro Vivis, atque Defunctis, ac de auriculari Confeſſione. Quamobrem Lutheranarum partium homines omni ſtudio curarunt, ut omnia exemplaria ubicumque conquiſita, igni cremarentur. Plura, eaque magni momenti in ea Miſſa obſervarunt Carolus Le Cointe *tom.* 2. *Sacrorum Annalium ad annum* 601. *num.* 20. & Hugo Menardus *ad Sacramentarium S. Gregorii pag.* 380. Eamdem Viennæ in Bibliotheca Cæſaris repertam iterum typis edidit Cardinalis Bona ad calcem operis *Rerum Liturgicarum*. Si cui, quæ de Illyrico, & de Miſſa ab eo edita, breviter narravimus, cupido ſit eorum accuratam magis notitiam habere, adeat Hiſtoriæ Fleury Continuatorem *tom.* 31. *pag.* 600.

43. Tertio dubitatur *de Orationibus recitandis, quando ſe induit ſacris Veſtibus*; quarum omiſſionem eſſe culpam mortalem aſſerunt Navarrus *in Manual. cap.* 25. *num.* 83. & *conſil.* 3. *de celebrat. Miſſæ*, Sylvius *quæſt.* 83. *art.* 6. & Azorius *lib.* 10. *cap.* 29. *quæſt.* 5. Verum exiſtimo, illarum omiſſionem non inducere pluſquam culpam venialem, quia de illis non datur præceptum, ſed quædam inſtructio doctrinalis; & ita tenent Homobonus *de exam. part.* 1. *tract.* 5. *cap.* 15. *num.* 12. Lugus *diſp.* 20. *n.* 16. Diana *part.* 2. *tract.* 14. *reſol.* 41. Bonacina *punct.* 9. *num.* 31. & aliis relatis, Leander *diſp.* 7. *quæſt.* 57. Tambur. *lib.* 1. *cap.* 7. § 1. ubi ægre admittit veniale, quia ſi nullum datur præceptum, ad quid ponere culpam venialem?

44. Quarto dubitatur de Pileolo, *an poſſit adhiberi in Miſſa?* & quidem ſine cauſa, aut ſine Pontificis diſpenſatione non poſſe adhiberi, conſtat ex cap. *Nullus Epiſcopus, diſt.* 1. *de Conſecrat.* quam prohibitionem, utpote de re gravi, obligare ſub mortali tenent communiter Doctores: exiſtente neceſſitate, poterant olim Epiſcopus, & Prælatus, Regularis Generalis, vel Provincialis pro ſuis ſubditis diſpenſare; nunc autem ablata eſt illis talis facultas, & reſervata Summo Pontifici ex Decreto Sacræ Congregationis 31. Januarii, 28. Martii, 24 Aprilis 1626. ut refert Gavantus *in Manual. verbo Miſſæ ritus num.* 14. quod etiam habetur in Miſſali novo reformato illis verbis: *Nemo audeat uti Pileolo in celebratione Miſſarum ſine expreſſa licentia Sedis Apoſtolicæ, non obſtante quacumque contraria conſuetudine*; quare non eſt amplius de hac re dubitandum.

45. Exiſtante neceſſitate, ſi non ſit facilis recurſus ad Pontificem, poterit diſpenſare Epiſcopus, ſicut poteſt in pluribus aliis. Tamburinus *lib.* 1. *cap.* 7. § 4. ubi etiam docet, habentem neceſſitatem, poſſe operto capite celebrare ſine alia diſpenſatione, quando non poteſt adiri Epiſcopus: quod idem habet Lugus *diſp.* 20. *ſect.* 4 *num.* 100. & Marchinus *part.* 3. *cap.* 4. *num* 9. ait, ſe non credere eſſe mortale, ſi abſque diſpenſatione, ſed ex neceſſitate, ſive ex juſta cauſa, puta ob regionis nimiam frigiditatem, vel ob capitis debilitatem, ob ſenectutem, vel ob calvitium, cum Pileolo uſque ad Canonem quis celebret, modo id raro fiat, & diſpenſatio difficulter poſſit peti.

46. Addit Paſqualigus *quæſt.* 829. vigintiquatuor pro ſe citatis Auctoribus, nullam eſſe neceſſariam diſpenſationem, quando cauſa eſt certa, & evidens; nimia nimirum regionis frigiditas, infirmitas, capitis debilitas, ſive quando Celebrans ſine Pileolo ſubiret incommodum conſiderabile, ſive ex hac, ſive ex illa cauſa proveniat; & ſi cauſa ita celebrandi ſit omnibus manifeſta, non ſolum in ſecreto, ſed etiam publice poterit cum Pileolo celebrare. Idem habet Navarrus *lib.* 3. *conſil.* 7. *de celebrat. Miſſæ edit.* 2. Ratio eſſe poteſt, quia caput *Nullus* præſumptionem requirit, tunc autem non temere præſumit ita celebrare, ſed neceſſitate compulſus id facit. Sequitur Tamburinus *ſupra num.* 4. quia non videtur ex ſe gravis irreverentia, tum propter Auctores magni nominis id ſentientes, & infert ex Vaſquio, omnes Sacerdotes, hyeme in Polonia velato capite, uſque ad conſecrationem, Altari adeſſe; & cum in China ſit ſignum reverentiæ opertum caput, licitum erit totam Miſſam celebrare operto capite, licet ad omnem ſcrupulum tollendum aſſerat Paulum V. id ibi indulſiſſe.

„ *Et quoniam ſermo hic occurrit de pileolo; utrum ſcilicet adhiberi poſſit in Miſſa, liceat hic abſque nota nimiæ prolixitatis ea omnia apponere, quæ colligi potuerunt, vel ex Notificationibus, vel aliis in locis, non ſolum de pileolo, de quo dumtaxat hic ſermo inſtitui videtur, verum & de omnibus aliis, quæ vel prohibentur, vel concluduntur in Miſſarum celebratione. Et primum operæ pretium mihi viſum eſt totam fideliter hic tranſcribere Notif.* 8. *lib.* 5. *iiſdem, quibus ſe habet, terminis, & ſunt*: Certiſſimum putamus velato capite Miſſam ſine peccato celebrare non poſſe, quod a jure plane decernitur: *Nullus Epiſcopus* (*de Conſecrat. diſt.* 1.) *Presbyter, Diaconus, ad ſolemnia Miſſarum celebranda præſumat cum baculo introire, aut velato capite Altari aſſiſtere, quoniam & Apoſtolus prohibet, viros velato capite orare in Eccleſia, & qui temere præſumpſerit, communione privetur.* Tunc autem velatum caput arbitramur, cum pileolum, aut comæ fictitiæ in Miſſæ celebratione adhibentur, licet ipſæ breves ſint, & corona clericalis appareat. Cenſemus etiam non licere pileolum, & comas ejuſmodi gerere, dum Sacrum peragitur, niſi facultas a Summo Pontifice comparetur.

„ *Nemo audeat* (Statuit Urbanus VIII.) *uti pileolo in celebratione Miſſæ, ſine expreſſa licentia Sedis Apoſtolicæ, non obſtante quacumque contraria conſuetudine.* Idem prorſus conſtituit Sacrorum Rituum Congregatio die 24. Aprilis 1626. his verbis: *Facultas concedendi* (Merat. in Gavant. *part.* 1. *tom.* 1. *pag.* 352. *num.* 10.) *pileolum in Miſſa ſpectat ad Papam.* Si iidem Scortiæ in ſuo *lib.* 3. *de Miſſa cap.* 4. præſtamus, Gregorius XIII. magna cum difficultate Niceno Epiſcopo hanc facultatem impertivit: humaniores tamen in hac re fuerunt reliqui Pontifices, qui non ſolum Epiſcopis, ſed aliis quoque Sacerdotibus hoc privilegium indulſerunt, ſi valetudinis diſcrimen intercederet: *Sine valetudinis tuæ detrimento celebrare poſſe non ſperes.* Deinde hæc conditio adjicitur: *ſi narrata vera ſint, ſuper quo conſcientiam tuam oneramus.* Ita Sarnell. *to.* 1. *Epiſt. Eccl. Epiſt.* 65. Inſuper præcipitur, ne pileolo Sacerdos utatur *a Præfatione ad peractam Sacram Communionem.* Apud Sinenſes non decet nudum, apertumque caput oſtendere; quamobrem Paulus V. Miſſionariis indulſit, dum Sacrum facerent, uti pileolo, quod tamen ab illo diverſum eſſet, quod familiariter gerere conſueverint. Ita Theophil. Raynaud *tom.* 1. *de pileo, & cæteris capitis tegminibus ſect.* 14. *pag.* 624.

„ Non deeſt inter Tranſalpinos Scriptores, qui affirmet, uſum pileoli in celebratione Miſſæ Sacerdotibus concedi poſſe ab Epiſcopo, ſi legitima cauſa interveniat, eo quod ipſorum civitates minime ſubjiciantur iis, quæ Romæ a Sacris Congregationibus decernuntur. Ita Joveniu. *de Sacram. diſſert.* 5. *de Euchar. Sacrific. quæſt.* 8. *c.* 5. Sed is magnopere errat, atque id ſine ulla ratio-

„ ne

,, ne contendit. Inſuper ſi Canon *Nullus* etiam Epiſcopo interdicit in Sacro peragendo pileolum gerere, ſatis aperte deprehenditur, nullam Epiſcopo facultatem ineſſe, ut id cæteris elargiatur: *An ergo Epiſcopus, cui fuit prohibitum a Papa, ſecum ipſe, & cum aliis diſpenſabit?* Inquit Gavantus *part.* 2. *tit.* 2. *in Rub. de ingreſſu Sacerd. ad Altare*, qui verbis iiſdem utitur, ut contrariam opinionem diluat. Idem Gavantus verum effatum ex jure Canonico deſumptum indicare non prætermittit, quod etiam a Perſico *de præcipuo Sacerd. offic. lib.* 1. *art.* 3. *cap.* 8. *num.* 87. ſtatuitur, nempe Epiſcopo non licere ſeipſum, aut alios ab ea lege diſſolvere, quæ ipſi indicitur.

,, At vero, ſi uſus pileoli abſque Pontificis facultate in Miſſæ celebratione prohibetur, item de comis fictitiis aſſerendum eſt, licet breves ſint, & corona clericalis pateat. Non ignoramus, contrariam Sententiam ab aliquibus defendi, ſi legitima cauſa, & facultas Epiſcopi non deſit, ob eas potiſſimum cauſas, quas Raynaudus *loco cit. ſect.* 2. *pag.* 591. commemorat: *cum unum moraliter faciat cum capite, nec a coma nativa internoſcatur, contra quam accidant in calantina, ſive pileolo.* Paſqualigus *cum de Sacrificio Novæ Legis quæſt.* 832. addit, appoſitas comas, ſi a naturalibus nequaquam diſcrepent, nihil indecorum præſeferre, ſi in celebrando Miſſæ Sacrificio adhibeantur. Quippe conceditur, illas gerere coram Summo Pontifice, ac Regibus, quorum dignitas, ac Majeſtas requirit, ut pileolo caput detegatur. In eadem Sententia Thiers quoque *in tract. fictar. comar. pag.* 373. verſatur; illam tamen veluti falſam, ac nulla ratione corroboratam, poſt accuratum examen, improbavit peculiaris Congreg. Romæ coacta, ut apud Urſayam *lib.* 1. *tit.* 11. §. 4. *n.* 51. *inſtit. Crim.* quæ Legatos Apoſtolicos in frigidiſſimis etiam regionibus immorantes admonuit: *Non eſſe mentem Sanctitatis Suæ, quod Nuntiis Apoſtolicis, aut Epiſcopis liceat licentiam Sacerdotibus concedere, ejuſmodi comas in actu celebrationis geſtandi.* Huic vero Sententiæ potentiores etiam Germaniæ Epiſcopi parere minime detrectarunt. Ita Anaclet. *in Decretal. lib.* 3. *tit.* 1. *de vita & honeſt. Cler.* §. 83. *num.* 93. La Croix *lib.* 2. *part.* 2. *de Sacrific. Miſſæ num.* 411.

,, Cum in hanc Sedem pervenimus, ſatis perſpectum habebamus, vetitum eſſe omnibus, qui Sacris Ordinibus initiantur, & Clericis etiam Beneficio præditis, comas ejuſmodi nullo loco gerere, quod liquido conſtat ex diſſertatione, quam nos ipſi confecimus, ac typis evulgavimus, cum Melphitana Cauſa propoſita fuiſſet in Sacra Congregatione Concilii, ubi Secretarii munere fungebamur: non ignorabamus, ſi Clericis Beneficio ornatis, aut Sacros ad Ordines aſſumptis comas appoſitas omnino interdicat Epiſcopus, ejus auctoritatem a Sacris Congregationibus confirmari, uti Melphitano Epiſcopo contigit, qui Decretum ejuſmodi in lucem ediderat; nam cum in dubium, ac diſceptationem adduceretur, S. Congregationis judicio firmatum id, probatumque fuit die 8. Auguſti 1722. cum nos Secretarium ageremus. Illud pariter cognitum nobis erat, Decretum a Clemente XI. fuiſſe, ne Canonici Beneficiis præditi, cæterique ad Chorum pertinentes, divinis laudibus intereſſent cum ejuſmodi comis, ut *in Bullar. pag.* 593. idque mandatum executioni nos ipſi vidimus in Vaticana Baſilica; ubi per plures annos Theologalem Præbendam obtinuimus. Poſtremo, cum munus geſſimus Canonum Interpretis in Romano Concilio, quod Benedictus XIII. de nobis optime meritus coegit *cap.* 3. *tit.* 16. non quidem latuit, eaſdem fictitias comas quocumque in loco vetitas fuiſſe Clericis. Attamen intelligentes, idem Clericis, ac Sacerdotibus interdictum fuiſſe a Synodo Cardin. Jacobi Boncompagni Deceſſoris noſtri *lib.* 2. *cap.* 1. *Niſi ex cauſa nobis, vel Vicario noſtro cognita indulgendum ad tempus arbitrabimur;* ea de cauſa noluimus, ejuſmodi comas univerſis prohiberi; privilegium illas gerendi conceſſimus iis, qui peterent, & legitimam cauſam afferrent; neque ſecuti ſumus Card. Hieronymi Grimaldi Archiepiſc. Aquiſextienſis Sententiam, cum facultatem geſtandi comas appoſitas alicui Sacerdoti tribuebat: *Viſa atteſtatione Magiſtri Doctoris Medici, quapropter vertiginis, quæ pateris incommoda, unde niſi de opportuno provideatur tibi remedio, etiam mors forte conſequeretur, cæſarie tibi opus eſſe teſtatum fecit.* Ita apud Thiers *loco allato pag.* 373. Illud ſolum indiximus, ut fictitiæ comæ modeſtiam, atque honeſtatem præſeferrent; nihil etiam novi conſtituimus in eos, qui ad Divinas Laudes celebrandas in Chorum conveniunt. Poſtremo declaravimus haud ſitum eſſe in poteſtate noſtra concedere, ut in Sacro conficiendo pileolum, aut comæ fictitiæ deferantur; permiſimus tamen uti capillis in gyrum compoſitis, dum Miſſæ celebrantur, ut in *Inſtit. allata.*

,, Hac tamen lenitate noſtra nullum fructum conſecuti ſumus, quin etiam detrimentum aliquod ex ipſa dimanavit. Ita contingere ſolet iis, qui nummos licet optimos proferunt in iis locis, ubi nullo in pretio habentur. Profecto aliqui comas fictas ſine Epiſcopi facultate ſibi tribuerunt; alii vero, facultate comparata, eas ſibi comas aptarunt, quæ non valetudini ſuffragentur, ſed animi lenitatem oſtendant. Quod tamen gravius eſt, aliqui per dies magis ſolemnes Miſſam privatim, aut ſolemniter etiam, comis ejuſmodi nequaquam depoſitis, celebrarunt, & nunc idem pariter inſtitutum retinere non dubitant. Coronam ſolum patentem exhibent, atque ita fictitias comas cum capillis in gyrum aptatis conſulto permiſcent.

,, Quapropter hanc Eccleſiæ diſciplinam Clero noſtro reſtituere oportet, ne muneri noſtro deeſſe videamur: igitur ſtatuimus, ne ullus Clericus, licet prima ſolum Tonſura, ſeu Beneficio præditus, cæterique omnes Sacris Ordinibus initiati comas fictitias gerant, niſi ſcriptam a nobis, aut Vicario noſtro Generali facultatem antea impetraverint. Parere recuſantes, iiſdem pœnis obnoxios eſſe volumus, quæ in Synodo Deceſſoris noſtri in pervicaces ejuſmodi ſanciuntur. Abrogamus etiam quaſcumque facultates, quæ voce tenus expreſſæ fuerint.

,, Præcipimus etiam, ne fictitiæ comæ aliquid alienum a modeſtia præſeferant; ſi aliter fieri contingat, conceſſam antea facultatem abrogabimus. Si quis hujus modeſtiæ, quam jubemus, exemplum deponat, ea quæ ſubjicimus a Cardinali Hieronymo Grimaldo deſumpta, accurate perpendat, atque imitetur: *Memineris igitur, non indultum hoc eſſe vanitati, ſed neceſſitati conceſſum: quapropter non ſolum monitum te eſſe volumus, ut coronam non erubeſcas, ſed & præcipimus tibi, quatenus qui in Tonſuræ Clericalis ſuſceptione capitis comam depoſuiſti, cæſariem ſic componendam cures, ut & color ætati congruat.* (Quamobrem neque caſtanei, neque flavi capillis ſenibus conveniunt) *& pateant aures, & corona appareat. Nec enim* (ſequitur Decretum) *ea noſtra mens eſt, ut cum in Presbyterali Ordine ſis conſtitutus, & ſimiles, atque graves mores pro ſtatus ratione præferre debeas, juvenile, & mundanum ornamentum, quod & Clericalis Tonſuræ, & Noviſſimorum memoriam imminuat, aut penitus tollat, laicisque ſcandalo ſit, geſtare valeas.*

,, Hæc dicta ſint de comis fictitiis extra Miſſam gerendis; jam quid fieri debeat, cum Sacerdos Sacrum operatur, explicemus: ac primum declaramus, nunquam permiſſum a nobis fuiſſe, ſive a Vicario noſtro Generali, ut eædem comæ in Miſſæ celebratione deferantur. Quinimmo facultatem ejuſmodi petentes, aut ſcripto, aut voce tenus admonuimus, ut eas comas deponerent, cum ad Altare Sacrum facturi accederent. Illud quoque repetimus, quod in Notificatione 14. libr. 2. dictum jam fuit, ſolum Pontificem maximum elargiri poſſe, ut pileolum ad Altare Sacerdos adhibeat. His prius expoſitis, præcipimus ſingulis hujus Diœceſis Sacerdotibus, & exteris pariter, qui in eadem Diœceſi morantur, ne comis fictitiis, dum Sacrum faciunt, utantur, ſive a nobis ipſis, ſive a ſuo Paſtore id privilegium antea conſecuti fuerint, ut legitimam ob cauſam eaſdem comas deferre poſſent. Qui juſſa facere detrectaverit, pœnam *ſuſpenſionis a celebratione ipſo facto* incurret, licet hoc mandatum noſtrum ſemel tantum violaverit. Irregularis pariter *ipſo facto* conſtituitur, ſi poſt indictam ſuſpenſionem, adhuc Miſſæ Sacrificium operari non dubitabit. Aliter de illis judicandum eſt, qui a Sede Apoſtolica facultatem habuerint gerendi comas fictitias, dum rem Divinam conficiunt.

,, Qui nec vafre, nec malitioſe cogitare ſoleat, facile ſibi perſuadebit, nos graviſſimæ huic corruptelæ remedium ſatis accommodatum attuliſſe. Sed aliter ſe res habet; nam plerique nullum diſcrimen ſtatuentes inter has fictitias comas, & capillos, qui in gyrum capiti circumducuntur, comas illas retinuerunt, ac retinent, cum Sacrum ad Altare operantur.

,, Extingui facile poſſet hujus mali ſemen, & origo, ſi circuli ejuſmodi capillorum, qui tolerari conſueverunt in celebratione Miſſæ ob pravum uſum penitus abrogentur. Id vero Concilii Romani auctoritate corroborari poſſet, in quo ſic decernitur: *comamque fictitiam*, vulgo *Parruccam, nunquam adhibeant.* Idem ſapienter advertit P. Meratus *tom.* 1. *part.* 1. *pag.* 317. *In Concilio Romano celebrato an.* 1725. *a Bened. XIII. ſancitum eſt, quod qui ignominiam ſæcularis habitus, & comas capitum pro Chriſti amore depoſuerunt, Veſte, ac Tonſura Clericali congruente ſemper utantur, comamque fictitiam, vulgo* Parrucca, *aut* Cerchietti, *vulgo* Girelli, *nunquam adhibeant.* Quamvis id Concilium, tanquam Provinciale, vi *coactiva* leges inferre nequit huic Civitati, ac Diœceſi, quæ extra Romanam Provinciam ſitæ ſunt, tamen in vi *directiva* normam præbere nobis poteſt, ut obſervanda decernamus in hac Diœceſi, quæ idem Concilium in ſua Provincia conſtituit. In medium quoque proferri poſſent pro circulis capillorum abrogandis omnia, quæ Braſchius *in Promptuar. Synod. cap.* 87. *a nu.* 11. *ad n.* 23. fuſe congeſſit in comas fictitias, & eoſdem capillorum circulos, qui adhiberi ſolent in celebratione Miſſæ, ſive alio quocumque loco. Sed experiri tandem volumus, ſi lenitas aliquam gratiam, fructumque comparare poſſit. Itaque quid nomine circuli capillorum intelligi debeat exponemus, & limites etiam, quos indulgentia noſtra

,, præ-

„ præterire nequeat eorumdem circulorum ratione, clare indicabimus. Illud pariter libere fatemur, ſi quis in his circulis deferendis præſcriptos a nobis fines exceſſerit, in ipſum decernenda fore a nobis, quæ ſuperius recenſuimus in eos, qui retentis fictitiis comis audent Miſſæ Sacrificium peragere.

„ Fictitia coma reticulum eſt tegendo capiti accommodatum, quod faſciolæ circumductæ aſſutum eſt, adſcititiis capillis eidem reticulo adhærentibus, qui caput ipſum operiunt, ac veluti ſi nativi eſſent, in collum defluunt. Neque ſane fictitia coma nuncupari deſinit, eo quod capilli reticulo inhæreant, ipſique breves, & inornati videantur; verum id ſolum comam modeſtam efficit, & Clerico magis conſentaneam. Neque illud fictitiæ comæ adverſatur, ſi capilli etiam nativi retineantur; tunc enim reticulum capillis ſuper impoſitum appellatur. Poſtremo, licet corona Clericalis in medio reticuli late pateat, tamen ratio fictitiæ comæ non omittitur, ſed tunc eidem comæ adjuncta Clericalis corona dicitur. Quinimmo coronæ latitudo nihil omnino ſuffragatur, ut coma illa fictitia non ſit, & nudum caput, apertumque haberi exiſtimetur, dum Sacrum conficitur, ſed aliam quoque pravam conſuetudinem inducit: ſiquidem non licet inconſulto, ac temere coronam ipſam amplificare, ſed leges obſervandæ ſunt, quæ pro Dignitatis, Ordinumque ratione præſcribuntur. Corona Clerici, qui nondum Sacerdotio initiatus fuit, Sacræ Particulæ comparari debet: corona Sacerdotis Divinæ Hoſtiæ ſimilis decernitur: tandem corona Epiſcopi, & Cardinalis ejuſdem Hoſtiæ amplitudinem tantiſper debet excedere. Hæc potiſſimum habentur in Cæremoniali Epiſcoporum, idemque Quartus, Caſtaldus, & Pitonillius docent.

„ Circulus vero capillorum nihil aliud eſt, quam faſciola, cui magna cum induſtria ementiti capilli adnectuntur, ut loco deficientium capillorum ſubrogentur. Nativi autem capilli, qui ſuperſunt, capite apparere debent, & ea ſolum parte, qua ipſi rariores ſunt, vel breviores, alieni ſubſtitui ſolent, quos etiam ſimiles eſſe oportet reliquis capillis, qui faſciolæ aſſuuntur. Hinc ſatis aperte conſtat, eos magno in errore verſari, qui circuli nomen tribuunt illi reticulo, quo totum caput contegitur, & cui ficti capilli ita adhæreſcunt, ut nativi nequaquam perſpiciantur, aut quia ſucciſi fuerint, aut quia ob aliam quamcumque cauſam nulli ſuperſunt capilli, vel ſi aliqui ſuperſunt, aliis ementitis undequaque teguntur; illique ſolum aſſuti reticulo populo ſpectandi exhibentur. Clemens XI. eo loco, quem ſuperius nominavimus, de circulo capillorum, & comis fictitiis, tanquam diverſis rebus ſermonem inſtituit, neque permiſcenda hæc exiſtimat, licet fictitiæ comæ *breviores fuerint, ornatæ, nec modeſtiæ Clericalis modum excedentes*. Idem Pontifex, uti dictum eſt, cum circulis ejuſmodi, aut fictis comis in Chorum convenire prohibet Canonicos omnes, alioſque Clericos Beneficio præditos. Cum igitur nemo unquam Romæ contenderit ad Chorum accedere, comaſque deferre, vel nodulis diſtinctas, vel in humeros defluentes, ſed breves tantum, ac modeſtas, in quibus etiam corona pateret, vel comarum loco circulis uti, quos paulo ante explicavimus, & qui nativis capillis omnino ſimiles forent, & ſolum eam capitis partem occuparent, ubi capilli ipſi deeſſent; cum, inquam, hæc ita ſint, clare dignoſcitur, a Summo Pontifice magnum diſcrimen inter fictitias comas, & circulos capillorum conſtitutum fuiſſe, & illud potiſſimum, quod nos ipſi nuper oſtendimus.

„ Quamobrem iterum decernimus, ne ullus Sacerdos audeat rem Divinam facere, retentis comis fictitiis, ſub pœna *ſuſpenſionis ipſo facto a celebratione Miſſæ*; ob eaſdem cauſas ſuperius expoſitas permittimus circulos capillorum deferri, dum Sacrum peragitur, donec aliter ſtatuamus: quod certiſſime eveniet, ſi pravus aliquis uſus inducatur, vel Sedes Apoſtolica hanc noſtram indulgentiam minime probandam judicaverit. Præcipimus etiam, ut circuli ejuſmodi intra viginti dies ad nos, vel Vicarium noſtrum Generalem deferantur, ut ſcripta a nobis, & obſignata facultas concedatur.

„ Quoniam vero audiendis rebus prorſus inuſitatis diu aſſueti ſumus, jam perſpicimus, magnam Sacerdotum copiam, qui ſimul cum ſuis Tonſoribus ad noſtras Ædes confluant, ut varia nobis morborum genera patefaciant. Alius quidem vultu dejecto, mœrentique teſtabitur, aliquem Sacerdotem capitis morbo laborare, qui ſtomachum moveat; quæ tamen cauſa nequaquam probatur a Sac. Congr. Concilii, ut fictitia coma in celebratione Miſſæ permitti debeat, quemadmodum die 6. Junii anno 1726. ipſa definivit. Alius vero Tonſor fatebitur, alterum Sacerdotem propriis capillis omnino carere, vel ipſos tam breves, hiſpidoſque eſſe, ac inæquales, ut nulla arte circulus effingi, aptarique poſſit: ideoque neceſſario reticulum eſſe concedendum una cum alienis capillis, qui ſi comam fictitiam exhibeant, brevis ea tamen erit, ac modeſtiæ prorſus conſentanea, ita ut circulus capillorum inuſitatus videatur: attamen ejuſmodi concurſum in noſtras Ædes recuſamus, & nullas cauſas excipere volumus.

„ Si quis reipſa, vel falſo morbo aliquo vexantur, ſi, inquam, Sacrum Deo operari velint in hac Civitate, vel Diœceſi, nudo capite, apertoque Divina hæc Myſteria conficiant, vel neceſſariam a Sede Apoſtolica facultatem obtineant, cui nos libentiſſime parebimus. Nemini afferre debet moleſtiam per hos menſes æſtivos aperto capite rem Divinam facere; & nos profecto in hos uſque dies evulgare noſtram hanc Inſtitutionem protraximus, ut qui fictitiam comam, quam tamen capillorum circulum falſo nomine appellabat, in Miſſæ celebratione adhibuit, ſine incommodo, capite detecto, Sacrum faciat, donec a Summo Pontifice facultatem expoſcat. Pro certo tamen ſciat, quod ipſi nequaquam licebit, caput operire, niſi poſtquam a Sede Apoſtolica reſponſum propitium redditum fuerit. Neque ſane querantur indecorum eſſe, ſi populus Sacerdotem videat nudo, raſoque capite celebrantem; nam Fideles potius admirantur honorem, atque obſervantiam Decretis Apoſtolicis exhiberi; & præſertim pietatis ſtudio moventur, cum Monachos raſis omnino capitibus Sacrum facientes inſpiciunt. Poſtremo nemo queri poteſt, ſi illum moneamus pro facultate obtinenda, ad Sedem Apoſtolicam omnium magiſtram eſſe confugiendum. Nos ipſi, cum legitimas ob cauſas idem privilegium neceſſarium haberemus, prius ſane a Pontifice illud petivimus, & ſumma ipſius humanitate conſecuti ſumus. Etenim mitiori Cœlo per annos quadraginta uſi ſumus; deinde hujus Cœli inclementiam, atque aſperitatem dudum perſenſimus cum magno incommodo, quod eo pervenit, ut tuſſim, & convulſiones excitaverit, ut etiam ſanguine copioſe expuere cogeremur. Medicos magis peritos conſuluimus, & nobiſcum tacite perpendimus, an totum illud incommodum vitio tribui nobis deberet, quod tamen dimanaſſe ab aſſidua ſtudiorum exercitatione deprehendimus, quam ab ineunte adoleſcentia ſuſcepimus, licet exiguo, aut nullo fortaſſe cum fructu, eamdemque viam inſiſtimus, quamvis longæva ætate debiles, ac pene confecti videamur. Quare Sacrum facere in Metropolitana Eccleſia optantes, aliiſque in urbanis Templis (quippe alienum a miniſterio noſtro putamus rem Divinam aſſidue in Sacello privatim celebrare) neceſſario uti debuimus fictitia coma, quæ brevis eſſet, & canos præſeferret. Item declaravimus, proprios a nobis capillos retinendos, comamque appoſitam ſtatim, ineunte vere, deponendam, neque perſcrutari, ac comminiſci voluimus, camdem comam potius appellandam circuli nomine, eo quod nativi capilli a nobis conſerventur. Neque tandem illis rationibus uti voluimus, ob quas Cardinales haud cenſentur obnoxii illis Decretis, quæ fictitias comas interdicunt, quamvis etiam nonnulli Cardinales *jure proprio*, non aliena conceſſione rationes eaſdem reipſa probent, & amplectantur. Quapropter ad Altare cum fictitia coma non ante accedendum putavimus, quam facultas a Summo Pontifice nobis traderetur, quemadmodum jam indicavimus.

In Notificatione vero XIV. lib. 2. *ſic omnia recolit, quæ vel permitti, vel abnegari in ipſo Miſſæ Sacrificio poſſe videatur, hiſce verbis*: In Synodo poſtremi Deceſſoris noſtri de Comis fictis agitur, de quibus nihil novi decernendum exiſtimamus. Singulos tantum monemus, ne in Civitate, aut Diœceſi cum hiſce capillis adſcititiis, ſeu cum pileolo ad celebrandum accedant, niſi privilegium, quod per ſolum Pontificem conceditur, ſuper hac re conſequuti antea fuerint. Uſus quidem pileoli legitimas ob cauſas tribuitur; comæ vero fictæ nuſquam permittuntur. Id ſemel præclariſſimo Cardinali per litteras Apoſtolicas conceſſum meminimus. In Canon. *Nullus, de Conſecrat. diſt.* 1. hæc leguntur: *Nullus Epiſcopus, Presbyter, Diaconus ad ſolemnia Miſſarum celebranda præſumat cum baculo introire, aut velato capite Altare Dei aſſiſtere, quoniam & Apoſtolus prohibet, viros velato capite orare in Eccleſia, & qui temere præſumpſerit, communione privetur*. Ex his comæ fictæ, ac pileolus, ut Petrus Le-Brun ſapienter in explicatione precum, & celeb. Miſſæ, *tom.* 1. *pag.* 103. expedit, in celebrando Miſſæ Sacrificio prohibentur. In Miſſali Romano, juſſu Urbani VIII. ad meliorem formam redacto, Decretum ejuſmodi continetur: *Nemo audeat uti pileolo in celebratione Miſſæ ſine expreſſa licentia Sedis Apoſtolicæ, non obſtante quacumque contraria conſuetudine*. Nonnulli ſane Scriptores hæc ignorantes, vel diſſimulantes, eam facultatem in Epiſcopum libere conferunt, ut comas fictas in Sacro faciendo permittere poſſit, ſi neceſſaria cauſa adducatur, & eædem comæ ad modeſtiam ita compoſitæ ſint, ut naturales capilli videantur. Ita Paſqualigus *de Sacrif. Novæ Legis quæſt.* 373. Theophyl. Raynaudus *Oper. Tom.* 3. *de Pileo, & cæteris capitis tegminibus ſect.* 2. §. nunc e contrario. Thiers *in ſuo Tract. Comar. pag.* 373. Nunquam tamen hanc Sententiam Apoſtolica Sedes probavit; nam Innocentius XI. ad Legatos Apoſtolicos, & Epiſcopos litteras dedit, monuitque, nullam ipſis inei-

„ ſe

ſe poteſtatem, ut comas ejuſmodi Presbyteris celebrantibus concederent. Id colligitur ex P. La-Croix, qui *lib. 6. part. 2. n.* 401. ipſas Pontificis litteras indicat. Cum vero Alexander VIII. Pontificatum gereret, peculiaris Congregatio juſſu ipſius Pontificis hanc opinionem ſedulo perpendit, nulloque fundamento innixam declaravit, ut videre eſt apud Urſayam *in Inſtitut. Criminal. lib. 1. tit.* 10. §. 4. *nu.* 51. Quod de Comis adſcititiis, jam de pileolo Scriptorum omnium judicio aſſerendum eſt. Ita Ryſs. *In Hierurgia lit. B. nu.* 109. Gavant. *ad Rubric. Miſſalis part. 1. tit. 2. de ingreſſu Sacerdot. ad Altare lit.* G. Monacellus *in Formul. leg. tom. 4. pag. 32. n.* 14. Diana *in edit. coordinat. tom. 2. tract. 1. reſolut.* 139. *nu.* 2. Plures in hac Civitate, ac Diœceſi, circulo quodam ex capillis confecto ad caput utuntur, ne tempora, dum Sacrum faciunt, frigore perſtringantur: capitis vero partem ubi Clericalis corona deſignatur, nudam relinquunt. Hujuſmodi vero circuli per ultimum Romanum Concilium *tit. 16. cap.* 3. penitus interdicuntur. Cum tamen hæc noſtra Civitas, ac Diœceſis Provinciæ Romanæ terminis haud includatur; & cum poſt idem Concilium circuli ex capillis in Miſſæ celebratione Romæ retineantur: nihil ſuper hac re novi conſtituimus, modo circuli modeſti ſint, & neceſſitati ſolum accommodentur; ſi qui abuti hac humanitate voluerint, eamdem omnino conſuetudinem abrogabimus.

„ Inſuper Sacra Congregatio univerſis Sacerdotibus, licet Protonotariis Apoſtolicis, aut qualibet dignitate, & Canonici titulo præditis, etiam in Eccleſiis Cathedralibus, aut Metropolitanis, anulum in digitis gerere vetat, dum Miſſam celebrant. Decreta per Gavantum *part. 2. tit. 1. de præparat. Sacerdot. celebratur. pag.* 71. *impreſ. Venet. anno* 1690. & in ſuis Deciſion. apud ipſum Verbo *Anulus*, & alios plurimos afferuntur, inter quos Clericatus *in reſolut. Rituum ante ſuam Deciſ. Sacrific. Miſſæ num.* 17. La-Croix *lib. 6. cap. 2. nu.* 403. Theophyl. Pittonillus *in ſuo ſacro Enchyrid. lib. 1. cap. 1. ſect.* 3.

„ Idem nos quoque in Civitate, ac Diœceſi ſingulis Sacerdotibus interdicimus, licet iis honorum titulis, quos modo enumeravimus, ſupra cæteros commendentur. Inſuper ad Sacram Rituum Congregationem delatum fuit, aliquos Parochos, & Ordinum Mendicantium Præfectos, in celebrando Miſſæ Sacrificio adhibere inſtrumentum argenteum cum candela, quod vulgo *Bugia* nuncupatur. Quamobrem die 22. Auguſti anno 1734. has litteras ad nos dedit, quas integras ſubjicimus, obſervandaſque mandamus, ne, licet inviti, ad ſeveritatem in delinquentes pertrahamur.

Eminentiſſime, ac Reverendiſſime Domine Obſervandiſſime.

„ *Cum Sacrorum Rituum Congregationi innotuerit, quemdam in iſta Civitate Bononiæ irrepſiſſe abuſum, quod tum Parochi ejuſdem, tum Superiores Ordinum Mendicantium, nulla dignitate Eccleſiaſtica inſigniti, nulloque juſto titulo fulti, in celebratione Miſſæ, ſive ſolemnis, ſive privatæ inſtrumento argenteo cum Candela, quod* Bugia *nominatur, noviter uti præſumpſere: Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Patres eidem Sacræ Congregationi Præpoſiti Eminentiæ Veſtræ ſcribendum eſſe dixerunt, ut ipſa abuſum prædictum zelo, quo pollet, Eccleſiaſticæ diſciplinæ a Civitate ita omnino tollere, & amovere curet, Parochoſque omnes, & Ordinum Mendicantium, Superiores, adhibitis iis juris remediis, quæ prudentiæ ſuæ opportuna, vel etiam neceſſaria videbuntur, auctoritate ipſius Sacræ Congregationis moneat, coerceat, & ad terminos ſuos reducere non omittat; & E. V. manus humillime exoſculor.*

Romæ 28. Auguſt. 1734.

E. V. Humillimus, atque Addictiſſimus Servus.

A. F. Cardinalis Zondadari Pro-Præf.

N. M. Tedeſchi Archiep. Apam.
Sacrar. Rituum Congreg. Secr.

„ Delatum nobis eſt, poſt has litteras in eam ſententiam plures adductos eſſe, ut Protonotariis Apoſtolicis, qui in litteris haud nominantur, uti liceat eodem inſtrumento cum candela, dum Sacrum in Altari conficiunt. Quare id minime ipſis licere declaramus, cum inter Participantes, ut vocant, non adſcribantur, ſed ſolum inter honorarios, qui more reliquorum Sacerdotum Miſſæ Sacrificium peragere debent. Et ſane, ſi Abbates Regulares, qui benedictionem ab Epiſcopo acceperunt, & inſignibus Pontificalibus utuntur, dum primam Tonſuram, Minoreſque Ordines Regularibus ſibi ſubjectis conferunt, rem divinam privatim, ſicuti cæteri Sacerdotes facere tenentur juxta Decreta Alexandri VII., quæ jam attulimus, quandoquidem de Miſſæ Sacrificio rem habuimus, in quo Pontificalia ornamenta non adhibentur, ſi, inquam, hæc ita ſint, qua ratione Protonotarii Apoſtolici honoris cauſa deſignati, qui carent ejuſmodi privilegiis, nec habent in Miſſæ celebratione uſum Pontificalium, inſtrumentum argenteum cum candela ſibi ad Altare convenire judicabunt, quod Parochis, cæteriſque Sacerdotibus interdicitur? Accedit etiam, quod Sac. Congreg. Rituum, ut apud Marcellum *tom. 4. Fol. 40. nu.* 89. hæc ſtatuit: *Sacra Rituum Congregatio declaravit, non licere illuſtriſſimis Dominis Referendariis utriuſque Signaturæ Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, ac Protonotariis Apoſtolicis honorariis Miſſam celebrantibus in Civitatibus, quarum regimini præficiuntur, uti Ritibus, qui proprii Eminentiſſimorum Cardinalium, & Epiſcoporum videntur; ſed iidem rem Sacram facere tenentur more cæterorum Sacerdotum, prout in privatis Miſſis præſcriptum fuit Abbatibus in Decreto circa uſum Pontificalium Prælatis Epiſcopo inferioribus conceſſorum, emanato ab eadem Sacra Congregatione habita coram fel. mem. Alexandro VII. die 20. Septemb. ann. 1659. & ita ſervari mandavit ab Illuſtriſſimo Gubernatore Civitatis Cæſenæ die 9. Februarii* 1675. An igitur fas erit Sacerdotibus, licet inter Protonotarios Apoſtolicos honoris gratia cooptatis, qui tamen utriuſque Signaturæ Referendarii non ſunt, nec Urbium Præfecti, diverſo modo, ac reliqui Sacerdotes Miſſæ Sacrificium agere, & privilegio uti, quod pluribus aliis dignitate præſtantioribus denegatur?

„ Certum igitur, decretumque eſt, nulli Sacerdoti in Diœceſi, ac Civitate argenteum inſtrumentum, de quo nunc agimus, tribuendum eſſe, niſi qui forte ob veterem profeſſionem, aliaſque legitimas rationes ipſius inſtrumenti uſum retinuerint, Sac. Rituum Congregatione probante die 28. Aug. anno 1714. Nos etiam opportuna Decreta promulgavimus, quæ in tabularium hujus noſtræ Eccleſiæ relata ſunt, ut eidem Sacræ Congregationi morem gereremus. Ipſa quoque non privatis modo Sacerdotibus, ſed etiam Canonicis, & Capituli Dignitatibus præcepit, ne in celebrando Miſſæ Sacrificio ullum adminiſtrum haberent, qui Miſſali aſſiſtat, qui pagellas evolvat, Calicem detergat, vinum, & aquam infundat, ipſumque Calicem, cum opus eſt, tegat, & detegat. Decreta ejuſmodi poſt Synodum, accuratiſſimi Battiſtelli Epiſcopi Fulginatis excuſa fuerunt *pag.* 235. & 236. conſtat tamen, Sacram Congregationem in illos Canonicos, ac Dignitates hæc ſanxiſſe, qui inſtrumento argenteo cum candela uti non poſſunt, quemadmodum alio Decreto Monacellus comprobat *part. 1. tit. 2. formul. 4. ſub num.* 28. nam ſi illud permittatur, *Miniſter etiam de candela*, uti nuncupari ſolet, admittendus neceſſario videtur. Itaque ſub pœnis arbitrio noſtro ſtatuendis nullum ii Miniſtrum adhibeant, dum Sacrum conficiunt, quibus idem inſtrumentum argenteum minime conceditur; qui tamen hoc jure prædit ſunt, licet Miniſtrum ipſis non denegemus, aliqua tamen ſuperſunt, de quibus admoneantur. Ac primum, ipſimet perficiant, quæ ad Sacrum Calicem ſpectant, cum eos Miniſtros aliquando deferant, qui, licet clericalem habitum ſuperinduant, ne Tonſuram quidem acceperunt. Etenim evenire poteſt, ut Calicem contingant, in quo Chriſti Sanguis contineatur; tunc præſertim, cum die Natalis Domini poſt duas priores Miſſas Calix minime detergitur, in quo Chriſti Sanguis ſupereſſe poteſt. Certum vero eſt (licet mitiores recentium Scriptorum opiniones ſequi velimus) Sacerdotibus tantum, ac Diaconis poteſtatem fieri, ut Sacra Vaſa contingant, in quibus Chriſti Corpus, & Sanguis habeantur. Subdiaconis tribuitur, dum Altari miniſtrant, Calicem, & Patenam tangere, ubi Chriſti Corpus, & Sanguis non fuerint. Accolytis autem extra Altaris miniſterium eadem facultas traditur, cum Vaſa Sacra ad Sacrificium neceſſaria præparare ipſi debeant. Tandem diuturna conſuetudine factum eſt, ut Ordinati omnes, & qui ſola Tonſura præditi ſunt, ſi aliqua cauſa intercedat, Sacra Vaſa, dum vacua ſunt, extra Altaris miniſterium contingant. Ita Suarez *in 3. part. D. Thomæ tom. 3. diſp. 81. ſect. 8. §. Tertium exemplum.* Paſqualigus *de Sacrif. Novæ Legis quæſt.* 837. *per totam.* Quartus *ad Rubric. Miſſalis part. 2. tit. 1. dub. 6. lib. 6.* La Croix *p. 2. num.* 357. & *ſeqq.*

„ Poſtremo, ut rite omnia, pacateque fiant, fatemur æquo, libentique animo, nos excipere ſingula privilegia, quæ Abbatibus Regularium ſolemne Sacrum facientibus ab Alexandro VII. per Decreta generalia tradita fuerunt die 17. Septemb. an. 1659. & die 20. Julii anno 1660. quæque poſt Synodum Cardinalis Jacobi Boncompagni impreſſa leguntur. Attamen ægerrime pateremur, ſi in Miſſis Pontificalibus, aut privatis ea negligerent, quæ iiſdem Decretis præſcribuntur. Inter privilegia illud enumeratur in Decretis anno 1659. §. 13. *Pontificales benedictiones cum trina Crucis productione in Miſſis tantum Pontificalibus, necnon Veſperis, & Matutinis Pontificaliter itidem celebratis licere ſibi tantum meminerint.* Illud vero ipſis interdicitur §. 21. *In Miſſis privatis quoad indumenta, cæremonias, Miniſtros, Altaris ornatum, & benedictionis largitionem a ſimplici Sacerdote non diſcrepent.* Procu-

„ ratot

rator Generalis Ordinis Caſſinenſis contra ejuſmodi Decretum, veterem conſuetudinem, & peculiaria quædam privilegia Sacræ Congregationi protulit, quæ tamen die 20. Julii anno 1660. reſpondit: *Servandum eſſe Decretum*, quod Alexandri VII. auctoritate confirmatum fuit. Quare ſedulo caveant Abbates, ut manus dextera, quæ Benedictiones in Sacris ſolemnibus impertiri conſuevit, ſemel tantum populo benedicat, cum privatim Sacrificium celebrant. Id vero non ita difficile videtur, cum ipſis, more Epiſcoporum, ſolemnia facere haud crebro, juxta Pontificis ejuſdem Decreta, permittatur.

„ *Quoad vero Pileoli, ſeu Comæ fictitiæ uſum, multa etiam, multaque eruditionis copia ſuperadduntur in Synodo Diœceſ. lib. 7. cap. 60. quæ fideliter ad uberiorem Eccleſiaſticorum inſtructionem hic exponuntur, ea comprehendemia ſimul, quæ ad plenam hujuſce rei confirmationem, atque explicationem ſcripta extant in Append. ad c. 24. in Tract. de Sacrif. Miſſæ; Hæc autem habentur*: Clericalem modeſtiam dedecere pleriſque Epiſcopis viſa eſt Coma ſuppoſititia, vulgo *Parrucca*, cujus proinde uſum Clericis in ſuis Synodis inhibuere; ita quippe ſtatutum comperimus in Diœceſana Synodo Melitenſi an. 1703. *ſeſſ. 3. cap. 1.* Piſana an. 1708. *cap. 25.* Montis Faliſci an. 1710. *cap. ultim.* Portalegrenſi 1714. *ſeſſ. 3. cap. 1.* aliiſque allegatis a Thiers in Tractatu inſcripto: *Hiſtoire des Perruques*. Licet autem etiam ejuſmodi prohibitiones ſanctioribus Eccleſiæ legibus eſſent accommodatæ, ut mox oſtendetur; nihilominus Clericorum querelas non evaſere, qui nimiam prætexentes earumdem ſeveritatem, eas eludere tentarunt; ſed fruſtra, quoniam Sacra Congregatio Concilii illas ſuſtinuit, ſuiſque corroboravit Decretis; & ſolum aliquando Cenſurarum pœnas in prohibitionis tranſgreſſores ipſo jure illatas, nonnihil cenſuit mitigandas. Sarnellus Epiſcopus Vigilienſis an. 1697. uſum Comæ fictitiæ ſuis Clericis ademit ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda: appellarunt Eccleſiaſtici ad Sedem Apoſtolicam, ſed in Congregatione particulari, habita 20. Maji 1699. edictum approbatum fuit, quoad Clericos conſtitutos in Sacris, aut Beneficium Eccleſiaſticum poſſidentes: quod vero attinet ad Clericos Minorum Ordinum, nullum obtinentes Eccleſiaſticum Beneficium, reſponſum eſt, pœnam eſſe moderandam, ſed, firma remanente prohibitione, in contumaces aliis pœnis animadvertendum, ad normam Sacrorum Canonum, & Sacri Concilii Trid. *cap. 6. ſeſſ. 23. de reformat.* uti habetur *lib. 49. Decret. pag. 206.* & referunt memoratus Epiſcopus Sarnellus *tom. 4. ſuarum Epiſtolarum diſcurſ. de Perruchis cap. 13.* & Monacellus *in formul. legali in append. tom. 1. fol. 359. num. 19. & 20.* Ab hujus particularis Congregationis Sententia ne latum quidem unguem diſcedens Epiſcopus Melphitenſis an. 1721. omnes quidem Clericos a geſtanda coma aſcititia abſtinere juſſit, ſed idem faciens diſcrimen, quod prædicta Sacra Congregatio duxerat obſervandum, Clericos Majorum Ordinum, aut Eccleſiaſtico Beneficio donatos, ab ea deferenda compeſcuit pœna excommunicationis; cæteros vero aliis pœnis arbitrio ſuo irrogandis. De hujuſce Edicti viribus, quod tanquam nimium ſeverum traducebatur, diſputatum fuit in Sacra Congregatione Concilii die 8. Auguſti 1722. cumque nos, qui tunc temporis ejuſdem Sacræ Congregationis Secretarium agebamus, omnia, quæ ad illud fulciendum erant opportuna, deſcripſerimus in conſueto folio, quod pro noſtro munere exaravimus, fuit quoad omnes ſui partes approbatum, uti videre eſt *tom. 2. Theſaur. Reſolut. pag. 206. & ſeq.*

„ Porro, ne quiſpiam deinceps contra ſimilia Decreta, quæ ab Epiſcopis fiunt, muſſitare audeat, ſi Sacræ Congregationis auctoritati, uti par eſſet, non acquieſcat, rationes audiat a nobis in præfata Cauſa Melphitenſi indicatas, propter quas coma fictitia jure, ac merito Eccleſiaſticis interdicitur. Conſueviſſe olim Feminas alienis capillis caput exornare, eruitur ex Martiali, qui pluribus in locis eas carpit, quæ propriam ſenectutem hac ementita arte obtegebant. Sic *lib. 6. Epigr. 12.*

„ *Jurat capillos eſſe, quos emit, ſuos*
„ *Fabula. Numquid illa, Paulle, dejerat?*

Et *lib. 12. Epigr. 23.*

„ *Dentibus, atque Comis, nec te pudet, uteris emptis,*
„ *Quid facies oculo, Lælia? non emitur.*

Ad eumdem morem alluſit Ovidius *lib. 3. de Arte &c.*

„ *Femina procedit denſiſſima crinibus emptis*
„ *Proque ſuis, alios efficit ære ſuos.*

In anthologia pariter occurrit Epigramma Lucilii in quamdam Nicyllam, quæ emerat galericulum atrum, ut, diſſimulata ſenectute, canos ſuos velare poſſet, quod Hadrianus Junius *libell. de Coma cap. 1.* latine ſic reddidit;

„ *Fingere te perhibent quidam, Nicylla, capillos,*
„ *Quos mercata atros ipſa foro extuleras.*

Quare Hieronymus ſcribens ad Marcellam: *nec numerus annorum poteſt dicere quid vetulæ ſint, quæ capillis alienis verticem ſtruunt*. Atque Epiſtola ad Demetriadem, muliebrem cultum deſcribens, ait: *Quando eras in ſæculo, quæ erant ſæculi diligebas, polire faciem purpuriſſimo, & ceruſſa ora depingere, ornare crinem, & alienis capillis turritum verticem ſtruere*; turritum vero verticem vocat, quia ex alienis capillis tutulus efficiebatur, quem Lucanus nominat *turritam frontis coronam*; & Prudentius *in pſychomachia*, feminæ laſcivæ, atque ſuperbæ turritum caput tribuit:

Turritum tortis caput accumularat Crinibus.

In hunc vanum mulierum luxum invehitur Tertullianus *lib. de cultu Femineo*, inquiens: *Si non pudeat enormitatis, pudeat inquinamenti: ne exuvias alieni capitis, forſan immundi, forſan nocentis, & gehennæ deſtinati, ſancto, & chriſtiano capiti ſupparetis*; eumdemque reprehendit Clemens Alexandrinus *Pædagog. lib. 3. cap. 11.* ubi ait: *Alienorum capillorum appoſitiones ſunt omnino rejiciendæ, & externas comas capiti adhibere eſt maxime impium, quæ mortuis pilis cranium induunt. Cui enim manum imponit Presbyter? Cui autem benedicit? Non Mulieri, quæ eſt ornata, ſed alienis capillis, & per ipſos alieno capiti.*

Ex hoc vero, quod Patres hanc fœditatem in ſolis Feminis reprehendant, infert Chriſtianus Lupus *in diſſert. de S. Leonis IX. Actis cap. 15. in fine*, eam tunc omnibus ubique viris fuiſſe incognitam, ac primum in Anglia, ſub Gulielmo II. aut ejus ſucceſſore Henrico I. in fine XI. aut initio XII. Sæculi, cœpiſſe ab iiſdem uſurpari; quod tamen monſtrum addit, diu in ea tantum inſula latitaſſe, nec alias permeaſſe regiones. At Thiers *in Tract. de Perrucchis cap. 1.* pluribus probat, jampridem fictum capillitium ab effeminatis viris adhibitum, quod præ cæteris, quæ idem Auctor ibidem adducit, nobis ſuadet Rufus Feſtus Avienus, Poeta Chriſtianus, Auguſtino coævus, qui carmine decimo Equitem manifeſte deſcribit, cujus caput erat ſuppoſititia coma redimitum, inquiens:

Calvus Eques capiti ſolitus religare capillos,
Atque alias nitido vertice ferre comas.
Hujus ab adverſo Boreæ ſpiramina præſtant
Ridiculum populo conſpiciente caput.
Nam mox dejecto nituit frons nuda galero,
Diſcolor appoſita, quæ fuit ante coma.

Cæterum quidquid ſit de tempore, quo hujus generis tegmen, ab alienis capillis emendicatum, cœperit a viris adhiberi, neminem reperiri putamus, qui credat, illud etiam a Clericis antiquitus uſurpatum: Ecquis ſibi animo fingat, licuiſſe unquam Clericis extraneam comam ſuo capiti ſuperinduere, qui ſacræ militiæ per comæ abſciſſionem adſcribebantur, ita ut idem eſſet Clericum fieri, ac detonderi? uti obſervat Mabillonius *in Præfat. ad Sæculum III. Act. Benedict. part. 1. n. 18. & 19.* quique ſemel detonſi, nunquam deinceps comam alere, ſed ſemper attonſo capite incedere tenebantur, quod conſtat ex Synodo circa annum 450. ſub S. Patritio in Hibernia celebrata *can. 6.* (*collect. Harduin. tom. 1. col. 1791.*) *ex cap. 66.* Martini Bracharenſis (*ejuſd. Collect. tom. 3. col. 398.*) atque ex Concilio Toletano IV. anni 633. can. 41. (*eod. tom. 3. col.* 588.) Quinimmo nulla ratione fingere poſſumus, fuiſſe unquam uſum comæ fictitiæ in Clericis toleratum, cum potius quilibet eorum, qui comam laxare præſumeret, etiam invitus, & reluctans, per Archidiaconum juſſus ſit detonderi a Concilio Agathenſi anni 506. *can. 2. relat. diſt. 23. can. 22.* & ab Alexandro III. *in cap. 7.* de Vita, & Honeſtate Clericorum: *Clerici, qui comam nutriunt (& barbam) etiam inviti a ſuis Archidiaconis tondeantur.*

Adeo porro verum eſt, Clericos a ficto capillitio ad hæc uſque poſtrema tempora abhorruiſſe, ut Synodi tam Provinciales, quam Diœceſanæ, a Tridentino ad præcedentis Sæculi finem coactæ, illis duntaxat inhibuerint capillos intortos, cincinnatos, ſeu calamiſtratos geſtare, nulla ſuppoſititiæ comæ facta mentione. Sic Synodus Provincialis Mediolanenſis prima *part. 2.* (*Act. Eccleſ. Mediolanen. part. 1. pag. 18.*) *Ita ſint abraſo capillo, ut tonſura conſpicua ſit omnibus: comam vero, & barbam ne ſtudioſe nutriant, capillis ſimplicem cultum adhibeant*. Synodus Provincialis Burgenſis anni 1584. *tit. 25. cap. 3. Clerici crines calamiſtratos, ac retortos non habeant*. Diœceſana Synodus Ravennatenſis an. 1607. *tit. de Vita*, & Honeſt. Clericorum *cap. 1. Capillos ne gerant calamiſtratos, nec ſupra frontem eminentiores*. Synodus Lucenſis an. 1625. de Vita, & Honeſt. Clericorum *cap. 2. Comas calamiſtratas, more feminarum ne geſtent*. Synodus Amalphitana an. 1639. *eod. tit. cap. 2. Cincinnos, & Comam ne nutriant.* Ex hoc autem quod tot Synodi de Clericorum honeſtate ſollicitæ, fictitiam comam, quæ certe majorem præſefert vanitatem, quam proprii capilli ſtudioſe concinnati ſilentio præterierint, utique argumentum elicitur, inquit laudatus Thiers, ad probandum, nondum Clericos auſos fuiſſe ab extraneis capillis illum ornatum quærere, quem ex propriis ſuo capiti aptare prohibebantur. Sed cum poſtea eodem muliebri cultu & ipſi delectari cœperint, huic abuſui, contra Clericalem honeſtatem inoleſcenti, obſtitere poſteriores Synodi, quarum nonnullas indicavimus ab eodem Thiers

„ accu-

accurate collectas. Et recte quidem; nam per ficti capillitii uſum Tonſura clericalis, a Sacris Canonibus tantopere commendata prorſus exoleſcit, omneſque Canones eluduntur, quibus a capillis affabre concinnandis Clerici abſtinere jubentur. Ad hæc nulla ratione eſt in Clericis tolerandum, quod etiam Heterodoxus Auctor Martinus Schookius *exercit. 24. de Coma, & Barba raſione*, in omnibus Chriſtianis improbavit inquiens: *Ingenue profiteor, me non videre, quomodo alienæ hæ capitis exuviæ excuſari poſſint, cum omni ævo, apud omnes Nationes eadem exoſæ fuerint.*

Quæ hactenus diximus (*hæc eadem uſque in finem hujus additionis repetita invenies in Append. citat. Tract. de Sacrif. Miſſæ.*) rationabilem, & juri conformem oſtendunt Synodalem Conſtitutionem, Clericis interdicentem uſum comæ ſuppoſititiæ; ſed quoniam non poteſt Legiſlator ſingulos prævidere peculiares caſus, omneſque ſua lege complecti, expedit profecto, ut in ipſamet Conſtitutione, ſeu Edicto, facultatem, qua cæteroquin pollet, ſibi expreſse reſervet, fictum capillitium illis permittendi, qui Medicorum judicio, valetudinis cauſa, eo indigent, quod prudenter factum animadvertimus in Diœceſana Synodo Bononienſi an. 1698. *lib. 3. c. 1.* ubi ſimilis Conſtitutio hac mitigatur limitatione: *Niſi ex cauſa Nobis, vel Vicario noſtro cognita, indulgendam ad tempus arbitrabimur.* Atque in Synodo Aſculana an. 1719. *cap. 20. Niſi ex juſta, & rationabili cauſa diſpenſationem impetraverint.* Caveat tamen Epiſcopus, ne hanc veniam elargiatur, niſi præter cauſam, etiam comam ipſam, quam Clerici geſtare cupiunt, diligenter prius examinaverit; non alia ſiquidem eſt iiſdem, præcipue ſi ſint in Sacris conſtituti, permittenda, niſi quæ nullam præſeferat vanitatem, ſed tanta ſit moderatione, ac modeſtia concinnata, ut omnibus manifeſte appareat, eam ob meram neceſſitatem, non ad luxum, & pompam, ad capitis non ornamentum, ſed tegumentum adhiberi. Cavebit præterea, ne ulli Sacerdoti licentiam concedat, Miſsæ Sacrificium celebrandi cum aſcititia coma; quamvis enim Theophilus Raynaudus *Oper. tom. 13. de pileo, & cæteris capitis tegminibus, ſect. 2. §. Nunc e contrario, circa finem*, & Paſqualigus *de Sacrific. Novæ Legis quæſt. 83.* licere opinentur Sacerdoti Sacris operari cum ficto capillitio, ita ſuo capiti aptato, ut a vera, & naturali coma internoſci nequeat, atque inſuper apud ſæpe citatum Thiers *cap. 20.* extet licentia a Cardinali Hieronymo Grimaldi, Archiepiſcopo Aquenſi, cuidam Sacerdoti conceſsa, Miſsam celebrandi cum coma ſuppoſititia. Attamen certum eſt, Raynaudum, & Paſqualigum falli, ac Cardinalem Grimaldum ſuæ poteſtatis limites prætergreſſum; etenim, ut bene ratiocinatur Reiffenſtuel *ad lib. 3. Decretal. tit. 1. num. 91.* nemo ſanæ mentis inficiari poteſt, per fictum capillitium Sacerdotis caput velari, & cooperiri, in Altari autem, cooperto capite miniſtrare, ne Epiſcopo quidem permittendum, ita ut Zacharias Papa in concilio Romano anno 743. *cap. 13. relat. diſt. 1. can. 57.: Nullus Epiſcopus, Preſbyter, aut Diaconus ad celebrandam Miſſarum ſolemnia præſumat cum baculo introire, aut velato capite Altari Dei aſſiſtere; quoniam, & Apoſtolus prohibet viro, velato capite, orare in Eccleſia: & ſi tamen præſumpſerit, Communione privetur.* Cuilibet vero compertum eſt, non poſse Epiſcopum relaxare legem a Superiore latam, neque alteri illam licentiam impertiri, quam ſibimetipſi concedere nequit. Quocirca ſacra Rituum Congregatio die 31. Januarii 1626. & 24. Aprilis ejuſdem anni apud Gavantum *in Comment. ad Rubric. Miſſal. part. 2. tit. 2.* decrevit: *Nemo audeat uti pileolo in celebratione Miſſarum, ſine expreſſa licentia Sedis Apoſtolicæ, non obſtante quacumque contraria conſuetudine*; cumque in Congregatione particulari ab Alexandro VIII. an. 1690. deputata, fuerit ſpeciatim diſcuſſus articulus, de quo in præſens tractamus: an ſcilicet *pileoli* nomine comprehendatur etiam coma ſuppoſititia, ita ut neque cum hac fas ſit Sacerdoti, ſine diſpenſatione Papæ, Miſsam facere, etiamſi illa ſit decens, & modeſta, qualem Paſqualigus, & Raynaudus permiſerunt; reſponſum fuit, *comprehendi*, ſicut refert Urſaya *inſtit. criminal. lib. 1. tit. 10. §. 4. num. 51.* in cujus quidem Decreti ſequelam Innocentius XII. per ſuos Apoſtolicos Nuntios locorum Ordinarios moneri juſſit, ne quemquam permitterent, ſine Apoſtolicæ Sedis privilegio, cum adulterino capillitio ſacroſanctum peragere Miſsæ Sacrificium, quemadmodum refert citatus Reiffenſtuel. Quæ omnia uberius a Nobis expenſa fuere in citata Diſſertatione pro Sacra Congregatione Concilii exarata, atque jam ſuperius, & hoc loco, expoſitis Notificationibus &c.

47. Quinto dubitatur de Miniſtro, qui reſpondeat, & inſerviat Celebranti, qui adeo neceſsario requiritur, *ut ſine illo Celebrans peccet mortaliter*; quia prohibitum eſt jure Eccleſiaſtico Sacerdotibus ſe ſolis miniſtrare, ut late probant Suarez *diſp. 87. ſect. 2.* & Facundez *præcept. 1. l. 3. c. 21. n. 4.* Imo olim ex antiquiſſimo Canone Soteris Papæ in cap. *Hoc quoque, de Conſec. d. 1.* nullus Sacerdos poterat Miſsam celebrare, niſi duobus præſentibus ſibi reſpondentibus, ut verificarentur: *Dominus vobiſcum*: *Orate Fratres*: & *Ite, miſſa eſt*. Nunc tamen uno præſente poſſe omnes fatentur, quia poteſt totum populum repræſentare, & ipſius nomine reſpondere; illudque Decretum fuit contraria conſuetudine abrogatum.

48. Gravi urgente neceſſitate, puta ad dandum Viaticum moribundo, aut ne ipſe, vel alii Miſſa careant in die Feſto, poterit Sacerdos ſine Miniſtro celebrare, ſibique ipſi miniſtrare, ac reſpondere. Ita Gloſſa communiter recepta in cap. *Quæſivit, de verbor ſignificat.* & in cap. *Hoc quoque, de Conſecrat. diſt. 1.* & tenent Turrecrem. in dicto cap. *Hoc quoque.* Homobonus *de exam. 1. part. tract. 4. cap. 15. quæſt. 146.* Sotus, Graffius, Rodriquez, Azorius, Suarez, Sylvius, Facundez, quos citat, & ſequitur Marchinus *part. 3. cap. 15.* Diana *part. 2. tr. 14. reſol. 43.* & *part. 10. tract. 15. reſol. 26.* Gavantus *part. 2. tit. 2. lit. R.* Leander *diſp. 7. quæſt. 53. & 54.* & alii communiter, quia præceptum Eccleſiæ fundatum in conſuetudine Eccleſiaſtica merito poteſt explicari, ut intelligatur extra caſum neceſſitatis.

49. Miniſter debet eſſe Vir, & non Femina, quia ſic habetur in cap. 1. *de cohabitatione Clericorum, & Mulierum*, ubi dicitur: *Ut nulla Femina præſumat ad Altare accedere, aut Presbytero miniſtrare*; & peccant lethaliter tam Sacerdos admittens, quam Femina miniſtrans, ob periculum incontinentiæ, vel ob irreverentiam, & tranſgreſſionem hujus Canonis, ut notat Marchinus *ſupra*. Nec obſtat, quod Moniales in Choro reſpondeant Sacerdoti celebranti in Miſſis ſolemnibus, quia non miniſtrant proxime, ſed a longe, & mediante Miniſtro, qui de propinquo immediate miniſtrat: quod idem fieri poterit in caſu neceſſitatis. Si Vir neſciat reſpondere, poterit ipſe immediate miniſtrare in Altari, Femina a longe reſpondente, ut, pluribus citatis, docet Leander *ſupra quæſt. 56.* Deficiente Viro, ſatius erit celebrare ſine Miniſtro, quam admittere Feminam ad immediate ſerviendum. Ita Sotus *in 4. diſt. 13. quæſt. 2. art. 5.* Tamburinus *lib. 1. cap. 7. §. 5.* Lugus *de Euchariſt. diſp. 20. ſect. 4. numer. 103.* licet Nugnus, quem refert Diana *part. 2. tract. 14. reſol. 43.* putet, in caſu neceſſitatis Feminam poſſe adhiberi; & non peccare mortaliter cum illa Celebrantem, putavit Silvius: ſed contrarium, ut dixi, tenendum eſt.

Pauca quidem, ſed admodum apta, atque rei, de qua hic agitur, accommodata videntur ea, quæ de Miniſtro, relate ad uſque adhuc aſſerta, exhibentur in Tract. de Sacrif. Miſſæ l. 3. c. 11. hic, quæ ſequuntur: Cum inſtituti noſtri ratio ſit, quæcumque in Miſſa celebranda dicit, aut facit Sacerdos, ſingillatim perſequi, optimum putamus de iis ſtatim verba facere, quæ modo propoſuimus, ne eorum, quæ a Sacerdote vel dicuntur in Miſſa, vel fiunt, ſeries abrumpatur. Itaque a Miniſtro, qui Sacerdoti celebranti inſervit, initio ſumpto, dicimus, quondam Populum adſtantem Sacerdoti celebranti reſpondere conſueviſſe, quod invictis probat argumentis Vicecomes *de antiquis Miſſæ Ritibus lib. 1. cap. 14.* Cum autem id munus reſpondendi in Miſſa privata unius tantummodo Miniſtri eſſe cœperit, ſine eo Miniſtro, ſeu, quod idem eſt, niſi ſit qui Sacerdoti miniſtret, non licet Miſſam celebrari, ut videre eſt in Decretali. *Propoſuit. De Filiis Presbyterorum.* Miniſter maſculus eſto, non femina: quapropter Gelaſius I. *Epiſt. 9. ad Epiſcopos Lucaniæ cap. 26.* acriter pravam illam reprehendit conſuetudinem, qua feminæ in Miſſa miniſtrabant: *Impatienter audivimus, tantum Divinarum rerum ſubiiſſe deſpectum, ut feminæ Sacris Altaribus miniſtrare ferantur, & cuncta, quæ non niſi virorum famulatui deputata ſunt, ſexum, cui non competit, exhibentur.* In pluribus Conciliis, ac præſertim in quarto Mediolanenſi ſub S. Carolo Borromæo præſcribitur, ut qui in Miſſa miniſtrat, *Clericus ſit, & Talari veſte, & Superpelliceo veſtitus.* In Libro tertio, in quo caſus practicos explicabimus, quæſtionem illam pertractabimus: num fieri poſſit, ut Sacerdos celebret Miſſam ſine Miniſtro.

Nunc illud monebimus, Miſſas ſolitarias in Monaſteriis quondam celebrari conſueviſſe, nullo miniſtrante; id vero deinde vetitum eſſe, cum nulla eſſet ratio, cur Sacerdos diceret: *Dominus vobiſcum, & Surſum corda*, Concilium Moguntinum ſub Leone III. *cap. 43.* ita ſtatuit: *Nullus Presbyter, ut nobis videtur, ſolus Miſſam cantare valet recte: quomodo enim dicet*, Dominus vobiſcum, *vel* Surſum corda *admonebit habere, & alia multa his ſimilia, cum alius nemo cum eo ſit?* Atque hac ratione quidam tantopere ſunt commoti, ut dubitaverint, num ſi nullus alius, præter Miniſtrum, adeſſet, celebrari Miſsa poſset, ut apparet ex *Can. 61. De conſecrat. diſt. 1.*

Eſt quoddam B. Petri Damiani Opuſculum ad Eronem, cui titulus: *Dominus vobiſcum*, ubi probat, dici poſse hæc verba etiam nullo præſente; iis enim Eccleſiam ſalutari. Cardinalis Bona *Rer. Liturgicar. lib. 1. cap. 13. num. 4. & ſeq.* putat, Sacerdotem, qui recitandis Horis Canonicis poteſt dicere: *Venite adoremus: Venite exultemus: Oremus: Benedicamus Domino*, poſse etiam ſolum dicere: *Dominus vobiſcum: Orate fratres; Surſum corda.* Quin etiam Solitarios celebrare poſse Miſsam, nullo miniſtrante, dummodo Apoſtolicæ Sedis indulto id eis

„ conceſſum ſit; quod confirmat Natalis Alexander *lib. 2. de Sacram. Euchariſt. art. 4. in regula 1. 2. & 3.* quæ ad praxim pertinent:
„ *Et in eodem Libro 3. cap. 7. habentur hæc, quæ ſequuntur:* Denique, etſi generalis ea regula eſt, non poſſe Miſſam ſine Miniſtro celebrari, juxta Decretalem Alexandri Tertii in cap. *Præpoſuit; de Filiis Præsbyterorum*, ubi legitur: *Non enim ſolus Presbyter Miſſarum ſolemnia, vel alia Divina Officia poteſt ſine Miniſtri ſuffragio celebrare:* tamen poteſt Sacerdos etiam ſine Miniſtro celebrare, ſibique ipſe reſpondere, ſi Viaticum opus ſit Infirmo miniſtrare, ut docet Sylvius 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 5. qui etiam cenſet, Sacerdotem, cui die feſto non ſit copia Miſſæ audiendæ, meliore conſilio Miſſam prætermittere, quam ſine Miniſtro celebrare, quamquam negat, illum peccare, ſi ſine Miniſtro celebret: *In caſu tamen gravis neceſſitatis boni Auctores exiſtimant, Sacerdotem non male facturum, ſi ſolus celebret, ſibique reſpondeat, ac miniſtret, ut ſi alioquin, aut ipſe Sacerdos, aut alius ſit ſine Viatico moriturus. Addunt etiam nonnulli, ſi ſit Feſtum ſolemne, neque Sacerdos poſſit Miſſam audire; ſed mallem eo caſu dicere, ipſum ab auditione Miſſæ excuſari, quam conſulere, ut ſolus celebraret, quamquam nec Celebrantem damnarem.* Gibertus *Conſultat. Canonicarum de Sacramentis conſultat. 7. de Sacrificio Miſſæ* narrat, Sacerdotem quemdam onus habuiſſe quotidie Miſſam celebrandi in Oratorio campeſtri ab hominum frequentia longe remoto; Oratoriumque illud in honorem Sancti Blaſii fuiſſe Deo dicatum, ubi etiam Sacerdos ille panem benedicebat, qui plurimum prodeſſe exiſtimabatur miſeris illis agricolis, qui faucibus laborarent; ibi porro quotidie Sacerdotem illum, cui Miniſtri non eſset copia, ſolum, ſibique reſpondentem, celebrare Miſsam conſueviſse. Quærit igitur Gibertus, an illi licitum id fuerit facere, & Canones quidem affert, qui vetant, ne quiſquam ſine Miniſtro Miſsam celebret; nec caſum, quem alibi attigimus, omittit de Miſſis ſolitariis, ſed concludit denique, Sacerdoti illi licitum non fuiſſe Miſsam celebrare ſine Miniſtro, ſed illum debuiſse ab Epiſcopo facultatem petere celebrandi in alia Eccleſia, ubi Miniſtri ſibi copia eſset, & ſi aliquo impedimento detentus non potuiſset ad locum, qui ſibi deſtinatus eſset, ſeſe conferre, debuiſse a Miſsæ celebratione abſtinere, ne Miſſam ſine Miniſtro celebraret. Suarez *in 3. part. diſp.* 82. *ſect.* 3. qui Miſsam celebret ſine aliqua e Sacris Veſtibus, eum a peccato mortali non excuſat, omnemque excludit parvitatem materiæ; qui tamen vel oblivione captus, vel per imprudentiam aliquod e Sacris Indumentis omiſerit, eum ne venialiter quidem peccare exiſtimat. Cardinalis Gottus *Theolog. tom.* 14. *qu.* 2. *de Sacr. Miſſæ dub.* 4. §. 2. docet, graviter peccaturum Sacerdotem, qui vel Viatici ad infirmum in limine mortis poſitum deferendi gratia, vel ne propulus die Feſto Miſsa careat, Miſsam ſine ſacris Veſtibus celebret. Mitius ſentit de eo, qui gravi premente neceſſitate, puta ad evitandum ſcandalum, & ſuſurrum, qui orietur in populo, ſi ſibi die Feſto Miſsæ non eſset copia, Miſsam celebraret cum Amictu, Alba, & Planeta, omiſſis Stola, vel Manipulo, aut Cingulo benedicto, quæ reperire non potuiſset. Cajetanus Cardinalis *in* 1. 2. *quæſt.* 96. negat, ſine peccato Sacerdotem poſse, omiſſis Veſtibus ſacris, Miſsam celebrare, etiam metu mortis deterritum, idque propter gravem irreverentiam. Eum ſequitur Sylvius 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 6., quod durum videtur Baldello, niſi Eccleſiæ contemptus exiſteret, *t. 1. l. 1. diſp. 15. n. 10.*

DUBIUM VI.

Quales Miſsas teneatur dicere Sacerdos.

50. Regulariter loquendo, Miſsa concordare debet cum Officio illius diei, & quamvis in Rubrica Miſsalis *num.* 3. habeatur, poſse dici Miſsas Votivas pro arbitrio Sacerdotis, quocumque die Officium non eſt duplex; tamen in Rubrica, quæ præponitur Miſſis Votivis de Sanctiſſima Trinitate, & ſequentibus, ſic habetur: *Sequentes Miſſæ Votivæ, licet pro Sacerdotis devotione, quocumque die dici poſſint per hebdomadam, quando Feſtum non occurrit, hoc tamen paſſim, niſi rationabili de cauſa fieri non debet, ſed quoad fieri poteſt Miſſa cum Officio conveniat.* Et in Rubrica præpoſita Miſſis Votivis de Beata Virgine habetur: *Quæ Miſſæ Votivæ dici poſſunt quocumque die, niſi fuerit Dominica, vel Officium duplex;* idemque ob paritatem rationis valere de omnibus Votivis, notat Gavantus *in Rubr. Miſſal. part. 1. tit. 4. litt. O.* Quare non eſt liberum Sacerdoti pro ſuo libito Miſsas votivas dicere, relicta currenti; ſed ſolum pro arbitrio rationabili, & ex cauſa, ſine qua eſse peccatum veniale docet cum aliis Paſqualigus *qu.* 237.

51. Juxta Rubric. regulariter dici non poſsunt Miſsæ Votivæ, vel *de Requiem*, quæ ad Votivas reducuntur, in die Dominico, in feſto duplici, & in iis omnibus diebus, in quibus prohibetur fieri de feſto duplici: ideoque non poſsunt celebrari infra Octavam Epiphaniæ, Paſchatis, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti, ex Decreto Sacræ Congregationis 22. Junii 1670. in Feria quarta Cinerum, in tota Majori Hebdomada, in Vigilia Natalis Domini, & Pentecoſtes; nam his diebus prohibetur etiam feſtum duplex, præterquam infra Octavam Corporis Chriſti, niſi Votiva pro re gravi ſolemniter cantetur, ſeu *de Requiem* præſente corpore, vel pro publica Eccleſiæ cauſa.

52. *An vero peccet lethaliter Sacerdos, qui his diebus, relicta currenti, Miſſam Votivam, vel de Requiem ſine cauſa celebrat?* Affirmant nonnulli apud Dianam *tract. 14. de celebr. Miſſar. reſolut.* 30. ſed melius negant Suarez, Zanardus, Miranda, Hurtado, & Villalobos, quos ſequitur Diana, Leander *q.* 63. Lugus *diſp.* 20. *n.* 105. Antonius a Spiritu S. *diſp. 5. ſect. 7. n.* 223. & Bonacina *q. ult. punct. 7. §. 3. n.* 2. citans Azorium, Reginaldum, Sotum, & alios, loquendo de Miſſis privatis, ſecluſo contemptu, & animo introducendi novum ritum, quia non apparet de hoc latum eſſe grave præceptum; nam Rubricæ, ut tales, tantum ſunt directivæ, ſolumque ſunt præceptivæ, quando continent aliquod, quod alias ex jure, vel conſuetudine graviter jubetur, ut cum Marchino, & Lugo docet Tamburinus *lib. 2. c. 5. §. 1. n.* 3. Ratione alicujus circumſtantiæ poterit eſſe mortale, ut ſi quis in die Reſurrectionis, vel alio ſimili, vellet in veſtimentis nigris Miſſam *de Requiem* celebrare: fieret enim injuria tantæ ſolemnitati.

53. *An ſaltem ſit veniale*, pro certo habet Tambur. *c.* 6. §. 1. *nu.* 6. quia Rubricæ de hac re videntur in praxi receptæ ſub veniali, quia continent magnam convenientiam, & quia aliqualiter turbaretur bonus ordo, niſi excuſet cauſa juſta. Idem ſentiunt Leander *quæſt.* 64. & Gavantus 1. *part. tit. 5. num. 2. in fine*: contrarium docet Suarez *diſp. 83. ſect. 3. §. dico primo*, & Portel. *de dub. Regul. verb. Miſſa num.* 7. quia Rubricæ, cum ſint directivæ, non continent præceptum.

54. Prædictis diebus celebrari non poſſunt Miſſæ *de Requiem*, nec etiam ad Altare privilegiatum, nec pro adimplenda voluntate Teſtatoris, ex Decreto Sacræ Congregationis ſub Alexandro VII. die 5. Auguſti 1662. Cum enim abuſus irrepſiſſet celebrandi Miſſas privatas pro Defunctis, etiam in feſtis duplicibus, contra præſcriptum Rubricarum Miſſalis Romani: *Sacra Congregatio, ut Miſſalis Rubricæ inviolate ſerventur, diſtricte præcipit omnibus, & ſingulis Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus, cujuſcumque Ordinis, Congregationis, Societatis, & Inſtituti, etiam neceſſario exprimendi, ut impoſterum omnino dictam Rubricam ſervent, ita ut Miſſas privatas pro Defunctis, ſeu de Requiem in duplicibus nullatenus celebrare audeant, aut præſumant. Quod ſi ex Benefactorum præſcripto Miſſæ hujuſmodi celebrandæ incidant in feſtum duplex, tunc minime transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio Animabus Suffragia expectantibus detrimento ſit, dicantur de feſto currenti, cum applicatione Sacrificii juxta mentem eorumdem Benefactorum.*

55. In hoc Decreto non comprehenduntur Miſſæ ſolemnes, quæ cantari ſolent præſente Corpore: nec etiam comprehenduntur Anniverſaria, & Miſſæ Defunctorum, relictæ ex diſpoſitione Teſtatorum, quæ recurrente quotannis die ipſorum obitus, etiam in feſto duplici majori incidentia, cantari poſſunt. Sacra Rituum Congregatio die 22. Novemb. 1664. & 23. Septembris 1669. & ſpeciali Decreto declaravit idem Alexander VII. die 22. Januarii 1667 obligationi celebrandi etiam in feſto duplici Miſſam Defunctorum in Altari quomodolibet privilegiato pro Defunctis, ſatisfieri celebrando Miſſam de feſto duplici currente, ſive ex obligatione, ſive ex ſola Fidelium devotione, & Animas in Purgatorio exiſtentes eadem prorſus Indulgentiarum ſuffragia conſequi, perinde ac ſi eſſent celebratæ Miſſæ *de Requiem*, ut ex declaratione ejuſdem Alexandri VII., & alia Clementis IX. die 23. Sept. 1669. tenoris ſequentis: *Et proinde ut Miſſæ, quæ ibidem de feſto currenti, in quo Miſſæ Defunctorum celebrari non poſſunt, ſive ex obligatione, ſive ex ſola Fidelium devotione celebrabuntur, ſuffragentur, ita ut Animæ Chriſtifidelium, pro quibus celebratæ fuerint, indulgentias, per privilegia hujuſmodi conceſſas, conſequantur in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi Miſſæ Defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebratæ fuiſſent, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus.* Hoc idem privilegium conceſſit Innocent. XI. die 4. Maji 1688. pro diebus Dominicis, & infra Octavas Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti, aliiſque anni diebus, quibus, licet a feſto duplici non impediantur, adhuc tamen Miſſæ Defunctorum, juxta ritum, & morem Eccleſiæ, celebrari nequeunt, ut nimirum per Miſſas, quas iiſdem diebus celebrare licet, Animæ in Purgatorio exiſtentes eaſdem conſequantur indulgentias, perinde ac ſi celebratæ fuiſſent Miſſæ Defunctorum, juxta formam privilegiorum dictis Altaribus conceſſorum.

56. Dubitatur: *an qui promiſit celebrare triginta Miſſas, quas vocant Sancti Gregorii, teneatur eas dicere ſine interruptione, & omnes de Requiem?* Negat utrumque Diana *part. 2. tract. 14. reſol.* 32. Homobonus *de exam. part. 1. tr. 4. cap. 14. qu.* 127. &, aliis citatis, Bonacina *quæſt. ult. punct. 7. §. 3. num. 6. & 7.* ſed melius dicendum eſt cum Gavanto 1. *part. tit. 5. lit. D.* non teneri quidem dicere

omnes

omnes *de Requiem*, cum ſaltem in Dominicis intercurrentibus prohibeantur, teneri tamen ſine interruptione illas celebrare, ita ut nullus omnino prætermittatur dies, quo Sacrificium ſive ab eodem Sacerdote, ſive ab altero pro Anima Defuncti non offeratur. Quare ſi diſcontinuantur, valent quidem ad ſatisfactionem pœnarum Defuncti, & ſi ſimul eadem die dicerentur, valerent citius; non tamen in rigore eſſent illæ a Divo Gregorio inſtitutæ, ſiquidem ipſe eas ordinavit continuatas, ut patet ex *lib.* 4. *Dialog. cap.* 55. ubi Pretioſo Abbati ſic ordinavit: *Vade ab hodierna die, diebus triginta continuis, offerre pro eo Sacrificium ſtude, ut nullus omnino prætermittatur dies, quo pro abſolutione illius Hoſtia ſalutaris non offeratur.* Ita etiam tenet Tamburinus *lib.* 2. *cap.* 6. §. 7. qui *num.* 5. notat, per triduum Majoris Hebdomadæ non diſcontinuari præfatas Miſſas, quia Eccleſia conſuevit illo triduo Miſſas non celebrare; nec eſt credibile, Deum eas non acceptare, ut continuas; dum ſervatur ejus Sponſæ Eccleſiæ tam pia conſuetudo.

DUBIUM VII.

An obligatus titulo Stipendii, vel Capellaniæ dicere Miſſam de Requiem pro Defunctis, vel de Beata Virgine, aut Spiritu Sancto, ſatisfaciat dicendo Miſſam currentem?

57. SI occurrat Dominica, vel feſtum duplex, aut dies privilegiata, in qua, juxta Rubricas, non poteſt dici Miſſa Votiva, nec *de Requiem*, ſecundum ea, quæ ſuperius notavimus, non ſolum poteſt, ſed debet Sacerdos celebrare currentem, relicta Votiva, vel *de Requiem* poſtulata; non enim ob privatam devotionem invertere debet ordinem, & Rubricas Miſſalis, ut communiter tradunt Doctores cum Marchio *part.* 2. *cap.* 25. *num.* 3. ubi dicit; hoc eſſe extra omnem controverſiam, & a nemine negari: quare applicando Sacrificium pro Defuncto, vel pro quo tenebatur, ſatisfacit ſuæ obligationi, cum Sacrificium ſit ſemper ejuſdem valoris. Nec per hoc dicetur Sacerdos infidelis, qui ea die non celebrat Miſſam Votivam, vel *de Requiem* promiſſam, ut obſervat Tamburin. *l.* 2. *c.* 6. §. 2. quia male promiſit, & contra ordinationes Eccleſiaſticas, quas debet cuſtodire, adeoque tali promiſſioni non tenetur ſtare: vel quia promiſſio ſemper intelligitur obſervanda ſine legum præjudicio, vel quia celebrando currentem, celebrat Votivam æquivalenter talem.

58. Difficultas eſt, ſi occurrat feſtum ſemiduplex, vel ſimplex, ſeu dies, in qua permittuntur Miſſæ Votivæ: *An tunc ſatisfaciat Sacerdos ſuæ obligationi, celebrando Miſſam currentem, relicta Votiva, vel* de Requiem *poſtulata, aut quam tenebatur celebrare?* Prima Sententia negat ſatisfacere ſuæ obligationi. Moventur, quia ex una parte ceſſat ratio ſuperius adducta, cum ea die, juxta Rubricas, Miſſæ Votivæ permittantur, & ex alia parte urget rationabilis voluntas fundantis Capellaniam, vel dantis Stipendium, qui ex honeſta cauſa, puta ex devotione erga Beatam Virginem, aut alia ſimili, poteſt Miſſam poſtulare Votivam, aut *de Requiem*; maxime quia Miſſa Votiva videtur aptior ad impetrandam gratiam poſtulatam ob ſpeciales Orationes ad hoc ab Eccleſia ordinatas, & Miſſa *de Requiem* magis prodeſſe poteſt Defunctis ob ejus preces, quæ ad Animarum liberationem directe feruntur. Et ita tenent Henriquez, Rodriquez, Angelus, Graffius, Petrus Navarra, Aragonius, Scortia, Perez, Facundez, quos affert Marchinus *dicto cap.* 25. Barboſa *de poteſt. Epiſc. tom.* 2. *allegat.* 24. *n.* 132. Thomas Hurtado *tom. reſol. moral. tract.* 2. *c.* 4. *num.* 113. ubi docet, graviter peccare Sacerdotem, ſi diebus, quibus liberum eſt celebrare Miſſam Votivam, aut *de Requiem*, non ſic celebrat, quando ex Cappellania, vel ex accepto Stipendio tenetur.

59. Secunda Sententia affirmat, Sacerdotem integre ſatisfacere, celebrando Miſſam de Sancto, vel quamcumque occurrentem in Miſſali præſcriptam, omiſſa Votiva petita, maxime ſi ex aliquo pio affectu erga Miſſam diei propriam movetur, vel id facit ad ſervandum Eccleſiæ ritum, quæ præſcribit, ut Miſſa, quantum fieri poteſt, cum Officio concordet. Ratio eſt, quia omnes Miſſæ ſunt æqualis valoris ex opere operato, ut cum Divo Thoma *in* 4. *diſtinct.* 45. *quæſt.* 2. *artic.* 3. *quæſtiunc.* 1. *ad* 3. tenent omnes Theologi. Ex alia parte decentius eſt, univerſali Eccleſiæ præſcripto in celebratione conformari, quam ob voluntatem petentis, privilegio, & permiſſione uti, & hac ratione Panor. cap. *Quidam Laicorum. De Celebrat. Miſſar.* inquit, turpe eſſe Sacerdotibus ad Laicorum petitionem, relinquere Miſſas cum Officio concordantes, propter peculiares ex devotione; & Sylveſter apud Marchinum refert, nullam Miſſam eſſe Defunctis ſalubriorem, addit Tamburinus, & Sanctis, quibus gratificari per Votivas intendimus, gratiorem, quam propriam diei currentis. Quare ſatisfacit Sacerdos celebrando Miſſam currentem, juxta præſcriptum Miſſalis, relicta Votiva petita: & ita tenent cum D. Thoma, Sotus, Suarez, Molſeſius, Filliucius, & alii apud Marchinum, Bonacina *qu. ult. punct.* 7. §. 3. *n.* 4. Homobonus *de exam. part.* 1. *tr.* 4. *c.* 14. *qu.* 126. Gavantus *in Rubr. p.* 3. *tit.* 12. *n.* 20. 22. 24. 25. Sylvius, Azorius, Sa, Villalobos, quos affert, & ſequitur Diana *p.* 2. *tr.* 14. *reſolut.* 31. Leander *diſp.* 7. *quæſt.* 65. & alii magis communiter.

60. Nec obſtat ratio in oppoſitum adducta, quia licet verum ſit, preces, & orationes Miſſæ Votivæ, vel *de Requiem* poſtulatæ, per ſe valde aptas eſſe ad finem intentum impetrandum; tamen æque apræ ſunt, & forte aptiores orationes recitatæ ſequendo Eccleſiæ ritum, nam hujuſmodi orationes ex conformitate cum Eccleſiæ ritibus, ex majori Sacerdotis devotione, & ex interceſſione illius Sancti, cujus Officium ea die celebratur, æqualem, & majorem vim habent impetrandi, quam preces, & orationes petitæ. Nec evadit infidelis Sacerdos non recitando Miſſam Votivam poſtulatam; primo, quia recitat Votivam æquivalenter talem: ſecundo, quia promiſſio cedere debet in utilitatem, & bonum Promiſſarii: cedit autem in majus illius bonum Miſſa recitata ſecundum Rubricas Miſſalis, & ſecundum majorem Celebrantis devotionem, ut cum aliis notat Leander *dicta q.* 65. & Sylveſter *ſupra*.

61. Recte tamen advertit Marchinus *n.* 4. recitandam eſſe Miſſam *de Requiem* in diebus permiſſis, quando ratione Capellaniæ, vel Stipendii accepti, Sacerdos celebrare tenetur in Altari privilegiato pro Defunctis; tunc enim ad conſequendam Indulgentiam in tali Altari, non ſufficit Miſſa diei currentis, ſed requiritur Miſſa *de Requiem*, ut habetur ex declarationibus Sacræ Rituum Congregationis apud Dianam *part.* 4. *tract.* 4. *reſolut.* 233. quod etiam habet *part.* 9. *tract.* 2. *de Altaribus privilegiatis reſol.* 8. In diebus autem Officio duplici, vel de Dominica occupatis, ſufficit Miſſa diei currentis, ex Decreto Alexandri VII., & Clementis IX. ſuperius allato. Cavendum etiam eſt a ſcandalo Laicorum, & Mulierum adſtantium, quæ putant, Sacerdotem non ſtare promiſſis, ſi Miſſam Votivam, vel *de Requiem* petitam non celebrat, ut etjam notat Tamburinus *ſupra* §. 2. *num.* 4.

62. Hic nota cum Tamburino §. 5. *num.* 3. quod, quando in Ordinatione Sacerdotum præſcribitur ipſis ab Epiſcopo Ordinante, ut habetur in Pontificali Romano, ut poſt primam Miſſam celebrent unam de Spiritu Sancto, alteram de Beatiſſima Virgine, tertiam pro Defunctis, non debent illas celebrare in diebus prohibitis, ſed in diebus permiſſis, quia tale præceptum debet intelligi, ſalva obſervantia Rubricarum Miſſalis.

„ *De his omnibus, quæ uſque adhuc Giribal. noſter ap poſite adeo, ac ſapienter peregit circa Miſſarum celebrandarum qualitates; paucis quidem, ſed apprime, omnique, ut res exigit, claritate, ac ordine, differit Sanctiſſimus D. N. Benedictus XIV. in uno tantum ſuæ Notificationis Paragrapho, qui eſt quintus Notific. IV. Lib.* 2. *quem iiſdem penitus terminis repetere haud eſt dedignatus in ſuo Tract. de Sacrif. Miſſæ lib.* 3. *cap.* 23. *ut hic ſequitur*: Non ſemel Presbyteri Sæculares in Eccleſias Regularium ſe conferunt, ubi, cum feſtum duplex eo die per ipſos celebretur, peculiaris Miſſæ forma proponitur, quæ in Romano Miſſali non continetur, quæ licet Sæculari Clero, & Sacerdotibus in illas Eccleſias confluentibus minime permittatur, eam tamen Sacerdos ſibi tribuit, dum in iiſdem Eccleſiis Sacrum Deo operatur, quod ſane vetitum eſt, cum nemo poteſtatem habeat, ut privilegii limites prætergrediatur. Clericatus *in unione earumdem ante ſuas Deciſiones de Sacrificio Miſſæ num.* 16. & Biſſus *litt. M. num.* 216. §. 4. omnia, quæ Sacra Congregatio ſuper hac re conſtituit, plene commemorant. Macrius vero *in notit. Eccleſiaſt. verbo Miſſa* Presbyteros Sæculares uti poſſe Regularium Miſſali cenſet, ſi in ipſorum Eccleſia Romanum haberi nequeat. Attamen, ut Sacri Ritus obſerventur, Præfectos Regularium, qui Miſſali Romano non utuntur, admonemus, ut pro exteris Sacerdotibus illud in Sacrario retineant, ne aliam ac debent, Miſſam celebrent, ſed eam potiſſimum, quæ in Miſſali Romano præſcribitur, ſi in eo propria illius Sancti, de quo celebritas agitur, Miſſa deſignetur; aliter vero de Communi ejuſdem Sancti Miſſam eligant, quæ pariter in Romano Miſſali adnotatur. Ita per Sacram Rituum Congregationem die 19. Novembris anno 1622., ac die 9. Junii anno 1668. ſancitum fuit: *Qui celebrat Miſſam in aliqua Eccleſia Regularium, aut etiam Monialium, in qua ſit de feſto duplici, habente Miſſam propriam, quæ non ſit conceſſa omnibus, Miſſam quidem dicat de feſto, ſed cum Miſſali Romano.* Idem Scriptores fere omnes teſtantur, Gavantus *tom.* 1. *part.* 3. *tit.* 10. *num.* 16. Biſſus *litt. M. n.* 216 §. 4. Tonell. *Sacr. Enchirid. lib.* 1. *cap.* 2. §. 8. Sporer *Theol. Moral. tom.* 3. *part.* 2. *cap.* 6. *ſect.* 4. §. 3. *n.* 430. La Croix *tom.* 2. *l.* 6. *part.* 2. *n.* 373. & 376., quod magis etiam Decreto generali probatur per eamdem Congregationem die 20. Novemb. 1717. promulgato, quod deinde Clemens XI. ſua auctoritate confirmavit; inſertumque eſt Bullario *pag.* 576., in quo ejuſdem Pontificis Conſtitutiones colliguntur: *Licere in poſterum, tum Confeſſario, tum Capellanis, quarumcumque Monialium ſervitio addictis, Miſſas Sanctorum, de quibus ipſæ recitant Officium, celebrare, ſed cum Miſſali Romano, & de Communi, non vero Miſſas proprias eorumdem Sanctorum variis Ordinibus a Sacra Congregatione conceſſas; & ita decrevit, & ſervari mandavit die* 20. *Novembris* 1717. „

„ Ex veteribus teſtamentis deprehendimus, nonnullos pietate ductos præcepiſse, ut Miſsæ Sancti Gregorii pro ipſorum expiatione celebrarentur. Hic mos obſolevit; idque tribuendum eſt Sacrorum Rituum Congregationi, quæ Miſsas ejuſmodi penitus abrogavit. Verum in hac re multi decipiuntur, quos ab errore liberandos exiſtimamus, ut priſca religio, ac pietas reſtauretur. Igitur tradit S. Gregorius *lib. 4. c. 5. de Dialogis*, defuncto quodam Juſto Monacho, ſe Pretioſo pariter Monacho hæc demandaſse; *Vade itaque, ab hodierna die diebus triginta continuis offer pro eo Sacrificium; ſtude, ut nullus prætermittatur dies, quo pro abſolutione illius Hoſtia ſalutaris non offeratur*. Abſoluto Miſsarum numero, Juſtus Monacho Copioſo apparuit, cui ſe Purgatorii cruciatibus ereptum eo tempore nunciavit. *Fratres vero* (inquit S. Greg. *loc. cit.*) *ſollicite computaverunt dies, & ipſe dies extiterat, quo pro eo trigeſima oblatio fuerat impleta*. Hinc Miſsarum uſus dimanavit, quæ a Sancto Gregorio nuncupantur. Illum deinde Cluniacenſe Monaſterium inter ſuas conſuetudines adſcivit, quas Uldericus Regularis Benedictinus *lib. 3. cap.* 29. complexus eſt. Fideles omni Sæculo eamdem conſuetudinem pariter receperunt.

„ Interjecto aliquo tempore triginta Miſsas prorſus ineptas, & rebus haud convenientibus refertas, quidam ſine ulla facultate temere confecit, eaſque a Sancto Gregorio appellavit, quas etiam diligenter expendit Thiers *in ſuo tract. Superſtition. tit.* 2. *lib.* 4. *c.* 4. Sacra igitur Rituum Congregat. eaſdem Miſsas celebrari omnino vetuit, non vero piam conſuetudinem a Sancto Gregorio inductam, ut per triginta dies continuos totidem Sacrificia Deo offerantur pro illius expiatione, qui e vivis decedit. Cavendum tamen eſt, ſi eo dierum ſpatio pro Defunctis Sacrum fieri nequeat, eam Miſsam, quæ tunc ab Eccleſia præſcribitur, pro Defuncto peragendam, cum præſertim S. Gregorius Miſsas, quæ pro Defunctis agi ſolent, minime indixerit. Quod ſi intra trigeſimum dierum numerum poſtremi tres dies Majoris Hebdomadæ occurrant, diebus inſequentibus numerus abſolvatur. Idem per conſuetudines allatas Cluniacenſis Monaſterii indicatur. Inter eruditos, qui de hac re agunt, Patres Bollandiſtæ *tom. 7. Maji in Paralipomenis pag.* 54. *num.* 11. locum habere poſsunt. Inter alios vero, qui ſcripſerunt poſt Decretum Sacræ Congregagationis, Miſsas Sancti Gregorii, ut dictum eſt, prohibentis, Clericatus *de Sacrif. Miſſæ decif.* 14. *num.* 19. adnumeratur, qui reliquos omnes ejuſdem Sententiæ complectitur. Item Gavellus *in opuſc. de Caſibus conſcient. caſu* 16. ac præſertim Benedictus XIII. de nobis optime meritus, qui ſupra cæteros erudite, accurateque hoc argumentum pertravit *ſerm. 20. de Purgatorio*.

„ Sanctus Thomas 4. *diſt.* 45. *quæſt.* 1. *art.* 3. *quæſtiunc.* 1. *ad* 1. docuit, quod *ex parte Sacrificii Miſſæ æqualiter prodeſt Defuncto, de quocumque dicatur: ex parte tamen orationum magis prodeſt illa, in qua ſunt orationes ad hoc determinatæ*. Ob hanc cauſam de quibuſdam piis hominibus traditur, qui Miſſam pro Defunctis quotidie celebrare voluerunt, quemadmodum S. Petrus Damianus teſtatur *opuſc.* 34. *c.* 5. Illis tamen omiſſis, quæ inſtinctu divino, afflatuque facta fuiſſe putandum eſt, atque ideo noſtris oculis cum admiratione ſuſpicienda, non vero imitanda ſubjiciuntur, illis, inquam, omiſſis, certi dies, quibus Miſsa pro Defunctis agi nequit, ab Eccleſia ſtatuuntur, quos hoc loco enumerabimus, ut non pauca impediantur, quæ in Civitate, ac Diœceſi contra has leges committi deprehendimus.

„ Solemnes pro Defunctis Miſſæ haberi poſſunt, cum privatæ pro iiſdem conceduntur: idem permittitur, etiamſi duplex aliquod Officium majus, vel minus agitur, ſi tamen ſolemnia pro Defunctis ſupremis alicujus tabulis inſtituta fuerint, iiſque diebus peragantur quotannis, quibus illi e vita migrarunt; hæc enim Sacrorum Rituum Congregatio ſimul depoſcit: *& quod ſint a Teſtatore præſcriptæ, & quod dies, in qua celebrantur, ſit vere dies illius obitus annua*. Decret. die 22. Novemb. anno 1664. confirmatum die 23. Septemb. an. 1699. Diebus autem Dominicis, aut Feſtis ex præcepto, vel quibus de *Feſto duplici*, nullum Officium inſtitui poteſt, annuæ Miſſæ ejuſmodi pro Defunctis celebrari nequeunt.

„ At vero: *Si quis die Feſto ſit ſepeliendus, Miſſa propria pro Defunctis, præſente Corpore, celebrari poterit*, (Rit. Rom.) *niſi obſtet magna diei ſolemnitas*. Per hæc ſane verba *Duplicia primæ Claſſis* ſecluſa videntur: & Sacra quoque Rituum Congregatio die 5. Julii anno 1698. cum petitum fuiſſet octavo loco: *An in duplicibus primæ Claſſis poſſit cantari Miſſa Defunctorum, præſente Corpore*; reſpondit: *Negative*. Attamen diſputandi locus adhuc ſupereſt: an Sacra Congregatio omnia duplicia primæ claſſis (ita Quartus *ad Rubr. Miſſal. part.* 1. *tit.* 5. *dub.* 1. *n.* 7.) an magis ſolemnia, (ita Paſqualigus *de Sacrificio Novæ Legis tom.* 1. *quæſt.* 285.) complectatur, in quibus, licet præſente Corpore, Sacrum pro Defunctis confici non poteſt. Id ſane judicio noſtro dirimendum non eſt; quare ſolum admonebimus, in Miſſali quidem poſt Miſſam *in die obitus, ſeu depoſitionis Defuncti*, diem pariter tertium, ſeptimum, & trigeſimum cum propria oratione ad expiandas Defunctorum Animas deſignari; tamen illis diebus ejuſmodi Miſsæ tantum celebrari poſſunt, quibus privatim pro Defunctis Sacrum facere licet, non vero illis etiam diebus Feſto aliquo, ut dictum eſt, impeditis, licet *die anniverſario, aut præſente Corpore*, ſolemnia pro Defunctis tunc permittantur.

Juxta Miſsalis Rubricas, *Miſſæ privatæ pro Defunctis quocumque die dici poſſunt, præterquam in Feſtis Duplicibus, & Dominicis diebus*. Item diebus de Feſto duplici nullum Officium inſtitui poteſt, Miſsæ pariter Votivæ, ac pro defunctis omittuntur. Id obſervandum contingit infra Octavas Epiphaniæ Domini, Paſchatis, ac Pentecoſtes. Licet autem infra Octavas Corporis Domini, ac Natalis ejuſdem de *Feſto duplici* celebritas agatur; Sacra tamen Rituum Congregatio annis 1670. ac 1700. vetuit, ne ſolemnia pro Defunctis eo tempore indicerentur. Idem omnino præcipitur, cum Sacroſancta Euchariſtia palam expoſita adoratur.

In Litteris Apoſtolicis, quibus olim Altaria privilegiata declarabantur, cautum non fuit, utrum Miſsa ad eadem Altaria celebranda pro Defunctis ſtatueretur. Hinc locum habuit diſputatio; an pro comparandis Indulgentiis Miſsa pro Defunctis, an alia quælibet requiratur. Hanc poſtremam Sententiam Fagnanus defendit cap. *Quidem, numer.* 13. *& ſeqq. de celebrat. Miſſar.* Diana *in editione coordinata part.* 9. *tract.* 2. *reſolut.* 8. Paſqualigus *de Sacrific. Novæ Legis quæſt.* 732. Tamburin. *in methodo celebran. Miſſæ lib.* 2. *cap.* 7. §. 7. Nunc omnis dubitandi cauſa ſublata videtur, cum iiſdem litteris, quibus Altare privilegiatum conceditur, Miſsa quoque pro Defunctis decernatur. Ita apud Bordon. *de Legatis cap.* 7. *num.* 48. *& ſeq.* Amort *de Cauſis piis tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 47. Aliud tamen inquirendum ſupereſt: an ſi Teſtatores Miſsas ad Altare privilegiatum pro Defunctis quidem præceperint, idem onus impleri valeat diebus per Rubricas, ut ſupra dictum eſt, impeditis. Sac. Rituum Congregatio anno 1662. Sacrum *de Feſto currenti* pro expiatione Defuncti juſſit offerri, ſi tunc celebrandæ pro Defunctis Miſſæ contigerint. Alexander VII. id confirmavit, & ſervandum omnino voluit, licet per Teſtatores ad Altare privilegiatum Miſsæ decernantur. Ex hoc Decreto non ſatis conjicitur, utrum Pontifex Altaria privilegiata, non quidem in perpetuum, ſed ad ſeptennium, & certis ſolum per hebdomadam diebus, complectatur, quæ deinde Clemens IX. complexus eſt. Cum Innocentius XI. Pontificatum gereret, animadverſum fuit, litteras Apoſtolicas Alexandri VII., & Clementis IX. de Miſſis ſolum pro Defunctis agere, quæ ex teſtamento celebrandæ ſunt diebus, ob aliquod Feſtum duplex, impeditis. Hinc propoſitum, ac diligenter examinatum fuit: an, quæ cauta fuerunt Decretis Alexandri VII., & Clementis IX., quoties impedimentum Feſti duplicis obtingit, eadem ſervari deberent reliquis etiam diebus, quibus, licet Feſtum duplex haud celebretur, Miſsæ tamen pro Defunctis prohibentur. Hanc Innocentius Pontifex Sententiam probavit, & an. 1714. Decretum ſuper eadem re promulgatum fuit, quod Clemens XI. confirmavit, uti habetur in Bullario p. 571. & in Miſsali excuſo in Colleg. de Propaganda Fide, aliiſque Miſsalibus.

Cum vero quædam adhuc ſupereſſe poſſint dubia hac in re; ſic clarius, atque majoribus adhuc fundamentis innixus, plenam rei confirmationem, atque quæſtionis totius ſolutionem exhibet in Append. II. *Tract. de Sacrif. Miſſæ ad Cap. ſuperius allatum iis, quæ ſequuntur*. Quæritur a Doctoribus, utrum, ſi in Brevi Beatificationis conceſsa ſit ſtatuta die celebratio Miſsæ in determinata Eccleſia, quæ eſt alicujus Inſtituti Regularis, poſſit eadem die Miſsa celebrari a Sacerdotibus exteris, qui ad eamdem confluunt Eccleſiam? *Affirmative* reſpondet Megalius *in Promptuar. Theolog. tom.* 1. *in Verbo Canonizatio Sanctorum n.* 1. At negans opinio eſt retinenda, non ſolum propter obſervantiam, vel conſuetudinem, ſed etiam propter expreſsa Sacræ congregationis Decreta. Quod enim attinet ad obſervantiam, res expedita eſt. Primo, quia quando Sedes Apoſtolica voluit Indultum extendi ad confluentes, id expreſſit in Decreto aut Litteris Apoſtolicis Indulti, ut patet ex Decreto in Cauſa tunc Beati, nunc Sancti Aloyſii Gonzagæ 7. Auguſti 1621. *Congregatio Sacrorum Rituum, Præpoſito Generali Societatis Jeſu enixe petente, cenſuit concedendum, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro placuerit, ut de Beato Aloyſio Gonzaga die* 21. *Junii, quo ex hac vita migravit ad Cœlum, ab omnibus ejuſdem Societatis Religioſis, ubique terrarum exiſtentibus, juxta Rubricas Breviarii, & Miſſalis Romani, de Communi Confeſſ. non Pontif. Officium recitari, & Miſſa celebrari reſpective valeat, necnon & confluentibus eo die ad eorum Eccleſias Miſſa in illis de eodem Beato, ut ſupra, celebrari. Et ex Brevi Gregorii Papæ XV.* 2. *Octobris* 1621.*; necnon etiam confluentibus eo die ad eorumdem Religioſorum Eccleſias Miſſam in illis de eodem Beato Aloyſio Gonzaga, ut ſupra, celebrare liceat, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, perpetuo concedimus, & in-*

dulge-

dulgemus. Et quia, cum in Brevi Beatificationis Sancti Franciſci Borgiæ conceſsa fuiſset Miſsæ celebratio omnibus Sacerdotibus Societatis Jeſu, qui ubique eſsent, uti legitur *in Conſtit.* 49. Urbani VIII. *Bullarii tom.* 5., prædictum Breve fuit deinde extenſum ad alios Sacerdotes confluentes ad Eccleſias Patrum Societatis Jeſu, & celebrantes Miſſam in ipſis die feſto Sancti Franciſci Borgiæ: *De eorumdem Fratrum conſilio conceſſionem, & indultum, deſuperque confectas litteras hujuſmodi, ad quoſcumque Sacerdotes Sæculares, ſeu cujuſvis Ordinis, Congregationis, ſeu Inſtituti Regulares, ad Eccleſias, ſeu Domos Regulares dictæ Societatis Jeſu accedentes .... eadem auctoritate, tenore præſentium, extendimus, ac concedimus pariter, & indulgemus.* Secundo, quia idipſum factum eſt in conceſſione Officii, & Miſſæ de tribus Martyribus Paulo Micki, Joanne de Goto, & Didaco Quizal: Breve quippe Beatificationis facultatem prædictam concedebat Religioſis Societatis Jeſu, quod deinde fuit extenſum ad omnes Sacerdotes tam Regulares, tum Sæculares, confluentes ad Eccleſias ejuſdem Societatis; uti deſumitur *ex Conſtit.* 83. Urbani Papæ VIII. *Bullarii t.* 5. Quod autem attinet ad Sacræ Congregationis Decreta, res clarior eſſe non poteſt: tum quia die 19. Novembris 1622. Sacra Congregatio ſic cenſuit: *Miſſæ certis Regularibus conceſſæ, non poſſunt ab aliis dici, etiam in ipſorum quidem Regularium Eccleſiis*; ut habetur apud Barboſam *de offic. & poteſt. Paroch. part.* 2. *cap.* 21. *numer.* 34. tum quia in Decretis generalibus, ſupra relatis, anni 1659. ſic cautum fuit: *Miſſæ pariter, quæ fuerint indultæ certis perſonis, nempe Presbyteris Regularibus, vel Sæcularibus alicujus loci, vel Monaſterii, ſeu Presbyteris alicujus Eccleſiæ ſervitio præcipue addictis, a confluentibus Sacerdotibus, quavis Dignitate, etiam Cardinalatus inſignitis, minime celebrentur*. Quia vero congruum non videtur, ut Sacerdotes cæteri confluentes ad Eccleſiam, in qua Miſſa in honorem Beati celebratur, aliam celebrent Miſſam, hac de cauſa conſuetudo inolevit, ut in ipſo Beatificationis Brevi, in quo celebratio Miſſæ conceditur, celebratio ipſa extendatur ad Sacerdotes cæteros, qui ad Eccleſiam confluunt; quemadmodum colligi poteſt ex Brevibus Beatificationum Sanctorum Cajetani, Joannis de Deo, Roſæ Limanæ, Pii Papæ V., Joannis a Cruce, Franciſci Solani, Turribii, Joannis Franciſci Regis, Vincentii a Paulo, Fidelis a Sigmaringa, Beatorumque Petri de Arbues, Martyrum Gorcomienſium, Hyacinthæ de Mareſcottis, & Petri Forerii. Quod ſi in aliqua Regularium Eccleſia Feſtum duplex celebretur in honorem alicujus Sancti, & Regularibus ipſis conceſſa ſit a Sede Apoſtolica Miſſa particularis, non inſerta in Miſſale Romanum; cæteri Sacerdotes indulto non comprehenſi, eademque die accedentes ad ipſam Regularium Eccleſiam, eam Miſſam particularem celebrare non poſſunt, juxta Sacræ Congregationis Decreta apud Clericatum *ante ſuas deciſiones de Sacrific. Miſſæ num.* 16. & apud Biſſum *ad litt. M. num.* 216. §. 4. Attamen ad evitandam ſupradictam incongruentiam, Miſſam quidem de Sancto celebrare poſſunt, ſed de Communi, ac deſumptam ex Miſſali Romano, juxta reſolutiones Sacræ Congregationis Rituum die 19. Novemb. anno 1622. & die 9. Junii 1668. quarum verba ad litteram invenies jam ſupra relata.

DUBIUM VIII.

An Miſſa interrumpi aliquando poſſit?

63. Hic non eſt ſermo de interruptione eſſentiali per conſecrationem panis, & non vini: jam enim diximus ſupra *cap.* 1. *dub.* 5. nunquam, per ſe loquendo, licitum eſſe conſecrare panem, ſine vino, quamvis per accidens poſſit quis, conſecrato pane, excuſari a conſecratione vini, ob periculum vitæ, vel gravis infamiæ; ſicut etiam poteſt, conſecrato pane, & vino, per accidens excuſari a ſumptione illius, quæ eſt pars ſaltem integralis Sacrificii, ut dictum eſt ibidem *dub.* 4. ſed de interruptione, quoad partes accidentales, diſcontinuando unam ab aliis; & quidem non eſſe licitum, Miſſam inchoatam interrumpere ſine cauſa, habetur ex cap. *Illud*. cap *Nihil* 7. *qu.* 1. *ibi*: *Nullus abſque proventa patentis moleſtia Miniſter, vel Sacerdos, cum cœperit, imperfecta Officia præſumat omnino relinquere: ſi quis hæc temerarie præſumpſerit, excommunicationis ſententiam ſuſtinebit*. Et patet ex communi ſenſu Fidelium, rei gravitate, & reverentia tanto Sacrificio debita, ut proinde ſit peccatum de genere ſuo mortale, inchoatam Miſſam non proſequi uſque ad finem.

Hoc idem feliciter admodum, ac maxima auctoritate, Decretorumque vi, oſtenditur in prælaudato Tractatu de Sacrif. Miſſæ l. 3. *c.* 14. *his, quæ hic apponuntur*: Nemini licet, cœpta Miſſa, ab Altari recedere, & alii Sacerdoti committere Miſſam abſolvendam. Apertiſſime id vetat Canon. *Nullus Epiſcopus*. *De Conſecrat. diſtinct.* 1. ubi hæc habentur: *Cum vero ingreſſus fuerit Epiſcopus, aut Presbyter ad Miſſarum ſolemnia celebranda, niſi paſſio aliqua intervenerit, nullo modo audeat, data oratione, recedere, ut ab alio Epiſcopo, vel Presbytero Miſſarum ſolemnia ſuppleantur; ſed qui initium ponit, ſuppleat uſque ad finem, quia ſcriptum eſt: qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*. Et Canon. *Nihil* 7. *quæſt.* 1. *Nullus Sacerdos, cum cœperit, imperfecta Officia præſumat omnino relinquere*. Priore Canone pœna ſuſpenſionis imponitur: *Si quis vero præſumpſerit, præter quod poſuimus, agere, a Sacro Corpore, & Sanguine Domini Noſtri Jeſu Chriſti ſit ſuſpenſus*. Poſteriore, pœna excommunicationis: *Si quis hæc temerarie præſumpſerit, excommunicationis pœnam ſuſtinebit*. Utrum autem impoſitæ ſint hujuſmodi pœnæ *ipſo jure*, an latam eſſe ſententiam oporteat, ut quis in eas incurrat; & utrum iis pœnis ſit locus, quando Sacerdos recedit ab Altari poſt Conſecrationem, an vero etiam ſi recedat ante Conſecrationem, Doctores diſputant. Sacra Congregatio ſemel, atque iterum reſpondit, eas pœnas non eſſe impoſitas *ipſo jure*; nec locum iis eſſe, ſi Sacerdos ante Conſecrationem ab Altari ſine legitima cauſa receſſerit, ut ſi receſſerit ex impatientia, quod ſæpe contigit, ut videre eſt in reſolutione Sacræ Congregationis die 16. Decembris 1719. *lib.* 69. *Decret. pag.* 604. in Cauſa Placentina, & in Juvenacenſi die 3. Decemb. 1735.

64. Plures tamen aſſignantur cauſæ, ex quibus licitum eſt, Miſſam inchoatam interrumpere, aut etiam relinquere. Prima eſt gravis morbus, vel alia gravis corporis neceſſitas ſuperveniens Sacerdoti; tunc enim poterit Miſſam interrumpere, etiam poſt Conſecrationem, & morbo, ſeu neceſſitate ceſſante, Sacrificium proſequi. Quod ſi Sacerdos deficiat, ita ut nullo modo poſſit proſequi Sacrificium, & hoc contingat ante Conſecrationem, Miſſa relinquenda eſt, nec neceſſario continuanda per alium, quia ante Conſecrationem panis Sacrificium non eſt proprie, & ſubſtantialiter inchoatum. Si vero contingat poſt Conſecrationem, tunc perficiendum eſt Sacrificium per alium Sacerdotem, etiam non jejunum, ſi alius inveniri non poſſit, quia majus eſt præceptum perficiendi Sacrificium, & illud non relinquendi imperfectum, quam præceptum celebrandi, & communicandi jejune. Si autem primus Sacerdos non obierit, ſecundus Sacerdos Miſſam perficiens, debet unam partem Hoſtiæ præbere infirmo, & aliam ſumere, ut notat Tambur. *lib.* 2. *cap.* 8. §. 1. *num.* 4.

65. Debet autem Sacerdos perficiens Sacrificium ibi incipere, ubi alius deſiit, ſi ex relatione Miniſtri, aut aliis circumſtantiis ſciri poteſt. Quod ſi non inveniatur Sacerdos, qui illo mane, vel illa die Sacrificium perficiat, hoc præſtari non poteſt a non Sacerdote, qui non habet poteſtatem ſacrificandi, ſed erit Sacramentum honeſte conſervandum, & ſequenti die ſumendum in alia Miſſa, ut docet *ibidem* Tamburinus; & ſi adſit periculum, ne deveniat in manus Hæreticorum, vel alias corrumpatur, ſumi poterit reverenter a Laico, etiam quoad ſpecies vini, maxime ſi deſit etiam Diaconus, vel Subdiaconus, ut cum Suario notat Tamburinus ſupra *num.* 3.

Hoc de re ſapientiſſime, ac firmiſſimis innixus fundamentis diſſerit prælaudatus SS. D. N. uberiores addendo, ubicumque in re tam gravi opus eſt, explicationes, atque doctrinas: ita ut nullum in ſimili caſu ſuperſit dubium Sacerdoti, quid agendum, quidve evitandum ſit, & ad quos potiſſimum tantæ actionis perficiendæ ſpectet onus. Sic enim legitur in prœcitato lib. 3. *cap.* 14. *Tract. de Sacrific. Miſſæ*: Contigit aliquando, & rurſus contingere poteſt, ut Sacerdos, dum Miſſam celebrat, vel nec opinata morte concidat, vel repentino morbo perculſus animo deficiat, & impediatur quominus Sacrificium poſſit perficere; quæritur, quid facto opus ſit in ejuſmodi caſibus? Div. Th. *l. cit.* ait: *Si hoc ante Conſecrationem contingat, non oportere Miſſam ab alio continuari; ſi vero facta ſit Conſecratio Corporis tantum, aut Corporis, & Sanguinis, perficiendam eſſe Miſſam ab alio; neque relinquendam eſſe Sacrificium imperfectum.*

Conſonat Rubrica Miſſalis, quæ ad uberiorem addit explicationem, debere Sacerdotem Miſſam ſupplere, initio inde ſumpto, ubi primus Sacerdos deſierit; ac ſi Sacerdos infirmus adhuc vivat, & Communionis capax ſit, nec alia adſit Hoſtia conſecrata, debere eum, qui Miſſam ſupplet, Hoſtiam dividere, cujus alteram partem ſibi ſumat, alteram infirmo tribuat. Doctrina S. Thomæ, & Rubricæ præſcriptum innititur Can. *Nihil*, 7. *q.* 1. ubi hæc habentur: *Cenſuimus ergo convenire, ut cum a Sacerdotibus Miſſarum tempore Sancta Myſteria conſecrantur, ſi ægritudinis acciderit quilibet eventus, quo cœptum nequeat Conſecrationis expleri Myſterium, ſit liberum Epiſcopo, vel Presbytero alteri Conſecrationem exequi Officii cœpti; non enim aliud ad ſupplementum initiatis Myſteriis competit, quam aut incipientis, aut ſubſequentis completa benedictio Sacerdotis, quia nec perfecta videri poſſunt, niſi perfectionis ordine compleantur.*

Verba textus non videntur obligationem Miſſæ perficiendæ inducere; qui tamen ea bene expendat, & rationem conſideret, perſpiciet, præceptum imponi Miſſæ perficiendæ ſub gravi peccato. Ait quidem textus *libe-*

rum; ſed ea vox non ſignificat poſſe, vel non poſſe, ſed poteſtatem ſupplendi, & perficiendi, etiamſi non una, ſed perſonæ duæ ſint, quæ actum faciant, & perficiant, cum omnes ſimus unum in Chriſto propter Fidei unitatem, ut ait textus: *Cum enim ſimus omnes unum in Chriſto, nihil contrarium diverſitas perſonarum format, ubi efficaciam proſperitatis unitas Fidei repræſentat*. Quilibet vero virtute religionis, & zelo Divini honoris tenetur quidvis facere, ne gravis adverſus Dei honorem, & Sacrificium, inferatur injuria: magna autem eſſet irreverentia, ſi Sacrificium in ſua ſubſtantia cœptum non perficeretur; quæ ſane ratio ſatis perſuadet, gravem, & præciſam eſſe obligationem, ut compleatur Miſſa, quam qui inceperit, is unam, aut utramque ſpeciem conſecraverit. Textus Canonici interpretationem dedit Suarez 3. *part. tom. 3. quæſt.* 83. *art. 6. diſp.* 85. *ſect.* 1. *in fine*; ea autem ratio, quam modo innuimus, communis eſt omnium Caſuiſtarum, ut videre eſt apud Quartum *ad Rubr. Miſſalis part.* 3. *tit.* 10. *ſect.* 1. *num.* 1.

„ Cum igitur cœptum Sacrificium ſupplere, & perficere oporteat; examinandum, quis ille tandem ſit, cui ejuſmodi onus perficiendi incumbat. Certe onus ejuſmodi eſt Sacerdotum, ita ut ſi Sacerdos reperiri non poſſet, & adeſſet Laicus, quantumvis paratus, & bene diſpoſitus ad ſuſcipiendam Euchariſtiam, non poſſet ſumere Hoſtiam conſecratam, multoque minus Sanguinem; nam eo caſu Hoſtia, & Calix in Tabernaculo eſſent condenda, ut bene oſtendit Sotus *in 4. Sentent. diſtinct.* 14. *quæſt.* 1. *art.* 6. §. *Circa hoc notandum*. Ex Sacerdotibus vero, primum illi hoc onus incumbit, qui adeſt; deinde ei, qui abeſt; primum ei, qui nullo, deinde ei, qui aliquo detinetur impedimento, ut fuſe differit Paſqualigus *de Sacrificio Novæ Legis quæſt.* 331. *& ſeq.*

„ Inter impeditos numerandus eſt Sacerdos, jejunus qui non ſit; ſed tenetur Sacrificium perficere, ſi nullus alius exiſtat, qui ſuppleat; quemadmodum ipſa Rubrica Miſſalis præſcribit; *Miſſa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille deſiit, & in caſu neceſſitatis etiam per non jejunum*; nam major vis eſt præcepti ſive Divini, ſive Naturalis, quo jubentur Sacerdotes ſervare integritatem Sacrificii, quam præcepti Eccleſiaſtici de jejunio, ut etiam ſtatuit Concilium Tolctanum VII. Can. 2. & bene obſervavit Vvitaſſe *par. 2. de Sacram. Euchariſt. quæſt.* 9. *art.* 1. *quæſito* 5. Canon II. Concilii Toletani VII. refertur a Gratiano *in Can. Nihil.* 7. *quæſt.* 1, quem textum ſimul, & id, quod ipſa præcipit Rubrica, cum expendiſſet Sylvius 3. *part. qu.* 80. *art.* 8. hæc ſcribit; *Si Sacerdos, ſubita ægritudine correptus, non poteſt inchoatam Miſſam perficere, nec reperitur alius jejunus, non jejunus poteſt illud abſolvere, & communicare, ſi vel una ſpecies erat per alterum conſecrata*.

„ Inter impeditos cenſendus eſt etiam Sacerdos, qui non eſt in gratia. Ac de eo duo ſunt, quæ quæruntur: primum, an teneatur Conleſſarium quærere; cui peccata confiteatur, & ſiquidem eum non repererit, debeat Contritionis actum elicere, ut poſſit Miſſam perficere; alterum, utrum ſi Conleſſarium non reperiat, atque actum Contritionis elicere fruſtra connitatur, poſſit tamen Miſſam ſupplere. Sotus, qui putat, nullam eſſe obligationem Miſſæ continuandæ, ait, nullo Sacerdotem, qui peccato gravi alligatur, urgeri præcepto vel ſeſe expiandi per Sacramentalem Confeſſionem, vel actum Contritionis eliciendi, non quod ei ad Altare liceat accedere, & Miſſam perficere, quin ſeſe peccatis expiaverit, ſed quia nullo tenetur præcepto Miſſæ continuandæ. Nos vero, qui cenſemus omnino perficiendam eſſe Miſſam, contrariæ opinioni ſubſcribimus, quæ ſtatuit, Sacerdotem, qui peccato mortali implicitum animum gerat, teneri Confeſſarium quærere, & ſi non reperiat, Contritionis actum elicere, ut Miſſam ſuppleat, ut videre eſt apud Paſqualigum *de Sacrif. Miſſæ quæſt.* 332. Idem Paſqualigus *eadem quæſtione* ulterius progreditur, ac propugnat, debere Miſſam continuare etiam illum Sacerdotem, qui gravi peccato commaculatum habeat animum, & cum ſibi Confeſſarii copia non ſit, fruſtra ſtuduit Contritionis actum elicere; non enim voluntariam inhabilitatem ejus eſſe, ſed involuntariam. Nos vero Sententiæ P. Soti ſubſcribimus, qui loco citato ſcribere non dubitavit; *Faciamus non adeſſe niſi Sacerdotem concubinarium, qui exiſtit in peccato mortali, qui procul dubio, ſi in peccato Sacramentum ſumeret, mortaliter peccaret. Quare nullatenus tenetur in peccato ſumere, quia ad peccandum nemo obligatur*. Itaque, niſi quis alius reperiatur Sacerdos, qui ante Meridiem poſſit Miſſam perficere, putamus poſſe Hoſtiam, & Calicem condi in Tabernaculo, ut poſtero die Sacerdos, qui Miſſam celebret, ea ſumat ante ablutionem.

„ Rubrica etiam ita præſcribit: *Si Sacerdos ante Conſecrationem graviter infirmetur, vel in Syncopen inciderit, aut moriatur, prætermittitur Miſſa*. Ex quibus verbis illud eruitur, quod ſi Sacerdos, aut morbo corripitur, aut moritur, etiamſi Canonem inceperit, Miſſa prætermittenda eſt, nec ab alio Sacerdote ſupplenda; non enim perfici debet Miſſa, niſi quando Sacrificium ſubſtantialiter inceptum ſit; præſertim quia in Rubrica ſequuntur illa: *Si autem ſemiprolata forma Corporis obiit Sacerdos, quia non eſt facta Conſecratio, non eſt neceſſe, ut Miſſa per alium ſuppleatur*. Non enim prima verba formæ prolata ſatis ſunt, ut Sacrificium dici poſſit ſubſtantialiter incœptum, ut bene ſuper hac re diſputat Paſqualigus *quæſt.* 324. Quod ſi Sacerdos obierit poſt Conſecrationem Corporis, antequam integram protulerit formam Conſecrationis Sanguinis, Rubrica præcipit, ut alius Sacerdos Miſſam perficiat, vel ſuper eumdem Calicem proferens integram formam, ſumpto initio ab illis verbis: *Simili modo poſtquam cœnatum eſt*; vel proferens integram formam ſuper alium Calicem iis, quæ opus ſunt, inſtructum; dein ſumat Hoſtiam, quam primus Sacerdos conſecraverit, & Sanguinem, quem ipſemet conſecerit, ſubindeque ſemiconſecratum Calicem bibat, quem Sacerdos morbo correptus ſemiconſecratum reliquit: *Si vero obierit ſemiprolata forma Sanguinis, tunc alter proſequatur Miſſam, ſuper eumdem Calicem repetat integram formam ab eo loco*. Simili modo poſtquam cœnatum eſt; *vel poſſet ſuper alium Calicem præparatum integram formam proferre, & Hoſtiam primi Sacerdotis, & Sanguinem a ſe conſecratum ſumere, ac deinde Calicem relictum ſemiconſecratum*.

Quibus verbis e medio tollitur controverſia a quibuſdam excitata, qui contendebant, oportere Sacerdotem, qui ſupplet, non ſolum Vinum, ſed etiam Hoſtiam conſecrare, ſi Sacerdos, qui Miſſam incepit, obeat poſt Conſecrationem Panis, & poſt non integre prolatam formam Conſecrationis Vini. D. Thomas *in 4. Sentent. diſt.* 8. *quæſt.* 2. *art.* 4. in eam videtur opinionem eſſe propenſus, quæ ſtatuit, in eo caſu Sacerdotem debere Vinum conſecrare, deinde Hoſtiam jam ab illo primo Sacerdote conſecratam ſumere, & Vinum quod ipſe conſecrarit. Sed tamen nihil detrahit S. Doctor de probabilitate contrariæ ſententiæ in obſequium fortaſſe Innocenti III., qui *lib. IV. de Miſteriis Miſſæ cap.* 22. dubium exiſtimavit, validane, an non, eſſet Conſecratio unius ſpeciei ſine Conſecratione alterius. Angelici Doctoris verba hæc ſunt: *Si Sacerdos impeditur, ut cœptum Miſſarum Officium explere non poſſit, alius Sacerdos debet explere, quod ille inchoavit &c. Nec aliquid per hoc derogatur unitati Sacramenti, quia omnes unum ſumus in Chriſto propter Fidei unitatem. Secundum tamen Innocentium conſultius eſt, ut illa Hoſtia jam conſecrata ſeorſum poſita ſuper aliam deinceps, totum officium iteretur*. Et cum D. Thoma conſentiunt tum Rubrica, tum communiter Doctores omnes, Suarez *in 3. part. t.* 3. *quæſt.* 83. *art.* 6. *diſp.* 85. §. *Tertia Regula*; Franciſcus de Lugo *lib.* 5. *de Sacramentis cap.* 10. *quæſt.* 3. *n.* 48. Quartus *ad Rubricas Miſſalis part.* 3. *tit.* 10. *num.* 3. *ſect.* 1. *dub.* 3. §. *Colligitur ſecundo*. Paſqualigus *de Sacrificio Novæ Legis quæſt.* 324. §. *Secundo colligitur*, & ſane ratio eſt optima; nam ubi agitur de ſupplemento, nihil aliud opus eſt ſupplere, quam quod defuerit in Sacrificio.

Res hæc diſcuſſa etiam fuit in Conventu Cleri Patavini anno 1708., præſertim in eo, qui habitus eſt Menſe Julio ejuſdem anni, cum ſecundus examinaretur caſus. In eam porro abiit ſententiam, quam ſupra amplexi ſumus, ſcilicet oportere ſolum Calicem conſecrare, ſi forte Sacerdos, qui celebrabat, poſt conſecrationem panis repentino morbo perculſus eſt, nec rurſus aliam ab eo, qui ſupplet, Hoſtiam eſſe conſecrandam. Addit autem ibidem, quod cum præſcribat Rubrica: *Miſſam explendam eſſe ab eo loco, ubi prior Sacerdos deſiit*, niſi certum, & exploratum habeatur, Hoſtiam eſſe conſecratam, non ſatis eſt proferre formam Conſecrationis, ſed incipiendum ab iis verbis: *qui pridie quam pateretur*; tametſi negari non poſſit, conſultius eſſe ab initio Canonis incipere. In conſecratione autem Calicis ſit Sacerdos e vita ſublatus fuerit antequam integram formam protulerit, monet, incipiendum eſſe ab illo loco: *Simili modo*, quemadmodum etiam jubet Rubrica. Si denique conſtet, utramque ſpeciem fuiſſe conſecratam, ſed incertum quanam in parte Milsæ Sacerdos morbo fuerit correptus, debere eum ait, qui ſupplet, incipere ab iis verbis: *Unde & Memores Domine*. „

66. Secunda eſt, quando Sacerdos recordatur, ſe non eſſe jejunum, ſe eſſe excommunicatum, ſeu irregularem; tunc enim, ſi Canon nondum ſit inceptus, & abſit ſcandalum, debet ab Altari recedere; ut etiam de non jejuno diximus *tract. præcedenti dub.* 2. *cap.* 10. ubi etiam vidimus, poſſe excuſari, ſi proſequatur, & perficiat ob timorem ſcandali, aut infamiæ; quod omnino præſtare debet, & perficere, ſi jam ſit facta Conſecratio, etiamſi ſit excommunicatus, & irregularis, præmiſſo actu contritionis, quia facta Conſecratione, Sacrificium eſt ſubſtantialiter inchoatum.

Cum obiter ſolummodo a Noſtro, in ſua cæteroquin peritiſſimus Provincia, Giribaldi agatur de naturali jejunio: haud inopportunum erit, ea omnia, hoc loco, apponere, quæ de eodem inter Theologos agitantur, & a SS. D. N. Benedicto XIV. ſimul in unum ad faciliorem, pleniorem que Eccleſiaſticorum intel-

intelligentiam, cum facili, atque clara omnium, quæ hac in re accidere poſſent, dubiorum ſolutione, collecta fuerant, & in Tract. de Euchar. dub. 2. in hoc ipſo volumine rurſus prælibata aliquo modo fuere. Neceſſarium quippe admodum videtur ea, a quibus præſertim celebrari quotidie debet, nullimode eſſe ignoranda, quæ ad licitam ſpectant celebrationem, in re potiſſimum, de qua Catholicæ Eccleſiæ tanta eſt cura ob reverentiam tanti illius Myſterii, quod omnium maximum merito nuncupatur. Hæc autem primum habentur in lib. 3. cap. 12. Tract. de Sacrificio Miſſæ.

„ Porro reliqua perſequamur, quæ ad Miſſam licite celebrandam requiruntur. Nemo neſcius eſt, Sanctos Apoſtolos tunc jejunos non fuiſſe, cum Sacram Euchariſtiam acceperunt; (*liquido apparet, quando primum acceperunt Diſcipuli Corpus, & Sanguinem Domini, non eos accepiſſe jejunos*) tamen ob tanti Sacramenti reverentiam, ab Apoſtolicis uſque temporibus ſtatutum fuit, ſemperque in Eccleſia obſervatum, nequiſquam niſi jejunus Euchariſtiam ſumeret: *Numquid tamen propterea calumniandum eſt toti Eccleſiæ, quod a jejunis ſemper accipitur? Et hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Chriſtiani prius Dominicum Corpus intraret, quam cæteri cibi; nam ideo per univerſum Orbem mos iſte ſervatur.* Verba ſunt D. Auguſtini relata in Cap. *Liquido. De Conſecrat. diſtinct.* 2. propterea ad Miſſam celebrandam opus eſt Sacerdoti, ut jejunus ſit. Jejunium vero illud ſatis eſt, quod inter mediam noctem, & horam illam interjicitur, qua Sacerdos celebrat Miſſam. Obſervatione dignum eſt, quod ineuute Sæculo XI., cum nondum conſuetudo invaluiſſet, ut per horologia nocturnæ horæ indicarentur, ſtatuit Synodus Seligenſtadienſis, ne quiſquam, qui bibiſſet poſt galli cantum, Miſſam celebraret, tum per æſtatem, tum etiam per hyemem, etiamſi hyberno tempore galli cantus mediam noctem non recte indicet, idque ob reverentiam erga tantum Myſterium. Vide Longueval *tom. 7 pag. 168.*

„ Poteſt autem Sacerdos celebrare, licet, cibo ante mediam noctem ſumpto, non dormierit, nec cibum concoxerit, dummodo inde non extiterit aliqua perturbatio; nam ſi mens turbata ſit, Sacerdoti a celebranda Miſſa eſt abſtinendum, juxta D. Thomæ doctrinam 3. *part. quæſt.* 80. *art.* 8. *ad* 5. *Nec refert, utrum poſt cibum, vel potum aſſumptum dormierit, aut etiam digeſtus ſit, quantum ad rationem præcepti: refert autem, quantum ad perturbationem mentis, quam patiuntur homines propter inſomnietatem, vel indigeſtionem; ex quibus, ſi mens multum perturbetur, homo redditur ineptus ad ſumptionem hujus Sacramenti.* Cum hac doctrina conſentit Rubrica Miſſalis; nam quod Alexander III. in cap. *Si conſtiterit. De Accuſationibus*, approbaverit Sacerdotem quemdam ab Eccleſia illi commendata fuiſſe amotum, non ea tantum cauſa fuit, quod nullo capto ſomno Miſſam celebraſſet, ſed quod nondum vinum obdormiviſſet, atque adhuc ebrius celebraſſet, quod ex ea Pontificis Epiſtola colligitur, quemadmodum advertit Natalis Alexaoder *Theolog. Dogmat. & Moral. lib.* 2. *de Sacram. Euchar. cap.* 5. §. 2. *nu.* 3. & conſentit Theophilus Raynaudus *tom.* 16. *pag.* 14. *num.* 33.

„ Naturale appellatur hujuſmodi jejunium. Paſqualigus *in Praxi Jejun. deciſ.* 440. in eam videtur eſſe opinionem propenſus, ut in jejunio naturali locus eſſe poſſit parvitati materiæ, itaut nonniſi venialiter peccet, qui poſt mediam noctem ſciens prudens pauxillulum comederit, & poſtero die ad Communionem ſuſcipiendam accedat, aut Miſſam celebret. Mirati vehementer ſumus cum Paſqualigo concordare Gibertum *Conſultat. Canonicar. de Sacramentis conſult.* 14. *de Euchariſt.* Singularem hanc Sententiam plerique omnes rejiciunt, ut videre eſt in Collat. 16. Lucionenſi *quæſt.* 6. *pag.* 590. *& ſeq. tom.* 5. & apud Quartum *ad Rubricas Miſſalis part.* 3. *tit.* 9. *ſect.* 1. *dub.* 1. *& dub.* 4. Sane Rubrica Miſſalis ita præſcribit: *Si quis non eſt jejunus poſt mediam noctem, etiam poſt ſumptionem ſolius aquæ, vel alterius potus, aut cibi, per modum etiam medicinæ, & in quantacumque parva quantitate, non poteſt communicare, nec celebrare.* Et in Can. *Nihil* 7. *quæſt.* 1. ita ſtatuitur: *Nullus poſt cibum, potumve, quantumlibet minimum ſumptum, Miſſas facere præſumat &c. Si quis hæc temerarie præſumpſerit, excommunicationis ſententiam ſuſtinebit.* Præterea docet S. Thomas 3. *part. quæſt.* 80. *art.* 8. *ad quartum: Neque poſt aſſumptionem aquæ, vel potus, vel etiam medicinæ, in quantacumque parva quantitate, licet hoc Sacramentum accipere: nec refert utrum aliquid hujuſmodi nutriat, aut non nutriat, aut per ſe, aut cum aliis.* Quænam igitur eſſe poteſt ratio, quamobrem admittatur in naturali jejunio parvitas materiæ, cum præſertim Canon, etiam in caſu parvitatis materiæ, excommunicationis pœnam irroget, quæ pœna nonniſi peccato gravi infligitur? Graviter autem peccare eum, qui vel minimum cibi, vel potus ſumpſerit poſt mediam noctem, & die ſequenti communicet, communi ſenſu omnes Fideles exiſtimant.

„ Excluſa ab hoc præcepto parvitate materiæ, ſunt qui putant, Sacerdotem, & multo magis eum, qui Animarum curam habet, poſſe die Nativitatis Chriſti Domini, ſi in prima Miſſa ablutionem imprudens ſumpſerit duas reliquas celebrare. Hanc qui tuentur Sententiam, doctrinæ Divi Thomæ, paulo ante a nobis allatæ, ſe dicunt inniti, qui docet, Sacerdotem, cui poſt Conſecrationem in mentem veniat, ſe non eſſe jejunum, debere Miſſam perficere; neque ſilent ſcandalum, quod oriretur in Populo, ſi Sacerdos duas reliquas Miſſas prætermitteret. Sed eum valde confidentem eſſe oportet, qui S. Thomæ doctrinam, quæ eſt de eo, qui Miſſam inceperit, ad eum extendat, qui duas vult celebrare: ac jejunii naturalis hoſtem jure illum exiſtimaveris, qui affirmet, vitandi ſcandali cauſa poſſe Sacerdotem, ſumpta ablutione, jam non jejunum, ſecundam celebrare Miſſam, & tertiam. Nemo enim eſſe poteſt, qui ſcandalum patiatur, gnarus Sacerdotem ideo reliquas duas Miſſas non celebrare, quod imprudens in prima Miſſa jejunium fregerit, ut bene monet Pontas *loc. cit. caſ.* III. Innoc. III. in cap. *Ex parte, de celebrat. Miſſar.* præcipit, ut Sacerdos poſt Communionem ſumat ablutionem, niſi tamen alia ſit ei Miſſa celebranda, quam non debet celebrare, ſi in prima Miſſa ablutionem hauſerit: *Semper Sacerdos vino* (manus) *perfundere debet, poſtquam totum acceperit Euchariſtiæ Sacramentum, niſi eadem die aliam Miſſam deberet celebrare, ne ſi forte vinum perfuſionis acciperet, celebrationem aliam impediret.*

„ Statuendum igitur, id non licere; neque, quod ſupra dictum eſt, in jejunio naturali parvitati materiæ eſſe locum. Illud tantummodo detur, non frangi naturale jejunium, ſi exiguæ aliquot cibi reliquiæ dentibus, vel gutturi hærentes, poſt mediam noctem forte deglutiantur; quia tunc non cibi, ſed ſalivæ modum, & rationem habent: vel ſi cui mane, dum ſibi os lavat, per imprudentiam gutta aliqua aquæ in ſtomachum prolabatur. *Si reliquiæ cibi remanentes* (ſunt verba Rubricæ Miſſalis) *in ore transglutiantur, non impediunt communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, ſed per modum ſalivæ. Idem dicendum, ſi lavando os deglutiatur ſtilla aquæ præter intentionem.*

„ Hæc Rubrica nititur Doctrinæ S. Thomæ, cujus ea ſunt verba 3. *part. quæſt.* 80. *art.* 8. *ad quartum: Reliquiæ tamen cibi remanentes in ore, ſi caſualiter transglutiantur, non impediunt ſumptionem hujus Sacramenti, quia non trajiciuntur per modum cibi, ſed per modum ſalivæ. Et eadem ratio eſt de reliquiis aquæ, vel vini, quibus os abluitur, dummodo non trajiciantur in magna quantitate, ſed permixtæ ſalivæ, quod vitari non poteſt.* Et cum eo ſentit S. Antoninus 3. *part. tit.* 13. *cap.* 6. §. 8. Digna ſunt, quæ obſerventur ea Rubricæ verba; *cum non transglutiantur per modum cibi, ſed per modum ſalivæ*; eaque D. Thomæ verba etiam conſideranda, *ſi caſualiter transglutiantur.* Cardinalis de Lugo *de Sacram. Euchariſt. diſput.* 15. *ſect.* 2. *num.* 36. *docet*: Jejunium ſolvere, qui e dentibus lingua aliquid extraheret reliquiarum, nec expueret, ſed voluntarie deglutiret; quæ opinio ſane melius cum ea reverentia congruit, quam tantum Sacramentum poſtulat, & cum D. Thomæ doctrina. Neque tamen deſunt, qui negent, hoc modo frangi naturale jejunium, ea ratione, quia id, quod deglutitur, eſt antecedentis cœnæ complementum, non nova comeſtio: qui vero, antequam ſe ſomno dederit, aliquid ſacchari ſibi in os injiceret, quod paulatim liqueſcens in ſtomachum delaberetur, is profecto jejunium ſolveret. Vide Quartum ad *Rubricas Miſſal. part.* 3. *tit.* 9. *ſect.* 1. *difficult.* 2. Contra, jejunium non frangeret, qui lingua aliquid deguſtaret, ut ſaporem probaret, nec deglutiret, ſed ſtatim expueret, ut docet S. Antoninus 3 *part. tit.* 13. *cap.* 7. §. 8. *De his etiam, quæ ſumuntur per modum guſtationis, ſicut Tabernarii & Coci faciunt, qui cibum, & potum ſupra linguam ponunt ad probandum, & ſtatim projiciunt, videtur, quod non impediat Communionem &c. Ex decentia tamen debet quis a talibus abſtinere, qui vult communicare.* Sylvius 3. *part. qu.* 80. *art.* 8 ea omnia, quæ ſupra diximus, confirmat; ac de eo, qui aliquid deguſtet probandi ſaporis gratia, hæc ſcribit: *Idem judicium eſt* (ſcilicet non rumpere jejunium) *de vino, vel de condimento, quod ad percipiendum ſaporem guſtatur, & ſtatim expuitur: quamvis enim contingat aliquid ejus permixtum ſalivæ cum ea deglutiri, non ſolvit jejunium: ſolvitur tamen, ſi ex propoſito ſumeretur, etiamſi is, qui ſumpſiſſet, mox evomeret, quia eſſet vera comeſtio, vel bibitio, ſcilicet, trajectio cibi, vel potus in ſtomachum propria, & per ſe, actione vitali. Si vero ſolum intraſſet in aſperam arteriam, & ſtatim expueretur, hoc non eſſet deglutire, neque pertineret ad comeſtionem, cum ex eo non nutritio, ſed potius ſuffocatio ſequi nata ſit; & propterea non ſolveret jejunium.*

„ Diſputant Theologi Caſuiſtæ, an poſſint Euchariſtiam ſumere, qui ſunt in dubio, num fregerint jejunium. Quidam inſpiciendum docent cujuſmodi illa ſit dubitatio: nam ſi quis certo ſciat ſe comediſſe, ſed dubitet, an poſt mediam noctem comederit, non poteſt Sacramentum

ſumere, vel Miſſam celebrare: ſecus vero, ſi non dubitet de tempore, ſed duntaxat, num comederit. Alii ajunt, in neutro caſu licere Euchariſtiam ſumere, vel celebrare: contra in utroque caſu nonnulli arbitrantur licere. Harum opinionum ſua cuique eſt ratio; neque id inficiari poſſumus; ſed illud prætermittere nolumus harum opinionum examini locum eſſe, poſtquam ſumpta ſit Euchariſtia, non vero ubi ſuſcipienda ſit: puta, ſi quis Sacramentum acceperit, aut Miſſam celebraverit, deinde ſuam ipſius conſcientiam explorando in eam incidat dubitationem, comederit, nécne, vel utrum comederit media nocte jam exacta; hoc caſu eſt locus examini, quænam ex iis opinionibus vera ſit. Ubi vero nec Euchariſtiam ſumpſerit, nec Miſſam celebraverit, ſed in eo ſit, ut communicet, vel celebret, ſi ſubeat dubitatio, an comederit, vel, an media nox prætergreſſa fuerit, quando comedit, tunc in utroque caſu a ſumendo Sacramento, & Miſſa celebranda debet abſtinere: ut optime rem hanc decidit Patavinus Clerus in reſolutionibus anni 1708. *De Sacram. Euchar. quæſit.* 2. *num.* 13.

„ Sed quid dicendum de Sacerdote, qui conſcius ſe non eſſe jejunum, ad Miſſam acceſſitur celebrandam, ut infirmo Viaticum poſſit miniſtrari? Sive licebit Miſſam celebrare? Quæſtioni propoſitæ fidenter reſpondendum, negando: neque enim infirmus præcepto urgetur ad Euchariſtiam ſuſcipiendam, quando illi Euchariſtiæ copia deſit. Deeſſe autem illi Sacramenti copiam, in hoc caſu omnino poſſumus dicere, quo eam non poteſt cum debita Sacramento reverentia ſuſcipere, & juxta Ritum Eccleſiæ. Quod ſi quis objiciat, poſſe Sacerdotem gravis peccati reum ſine prævia Confeſſione Miſſam celebrare, ſolo elicito contritionis actu, ut poſſit infirmo præberi Viaticum; reſpondemus, præcepto ſe expiandi per Sacramentalem Confeſſionem tunc Sacerdotem obligari, cum ei ſit copia Confeſſarii, & iisdem præcepto percipiendi Euchariſtiam teneri infirmum, cum eam poteſt ſuſcipere eo modo, quo decet; præceptum vero jejunii indiſcriminatim obligat Sacerdotem, niſi ſi Pontifex eum diſpenſaverit ob graviſſimam cauſam vitandi ſcandalum, quod jure naturæ vitandum ſit, ut poſt Biel, Navarrum, Paludanum, & Victoriam, oſtendit Sylvius 3. *part. quæſt.* 80. *art.* 8. & cum eo conſentit Cabaſſutius *Jur. Canon. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 15.

„ *Verum cum celebris præterea agitari ſoleat inter Theologos quæſtio circa naturale jejunium, utrum ſcilicet Tabaci uſu illud violetur (qua de re actum jam eſt apud Auctorem noſtrum, & in hoc Volumine tract.* 4. *cap.* 10. *dub.* 2.) *tota ipſa tibi hoc loco traditur, & clarius expoſita, atque uberius declarata in Synodo Diœceſana lib.* 8. *cap.* 6; *quam poſtmodum iisdem repetitam terminis invenies in Appendice IX. ad Tract. de Sacrific. Miſſæ: Ita quippe legitur.*

„ In ſuperius citato Concilio Provinciali Mexicano habito anno 1585. (quod Cardinalis de Aguirre *in Præfat. tom.* 4. *num.* 16. a Sede Apoſtolica approbatum affirmat) *lib.* 3. *tit.* 15. §. 13. (*tom* 4 *Conciliorum Hiſpaniæ ejuſdem Cardinalis de Aguirre pag.* 356.) ita cautum legitur: *Ob reverentiam, quæ Euchariſtiæ percipiendæ exhibenda eſt, præcipitur, ne ullus Sacerdos ante Miſſæ celebrationem, aut quævis alia perſona ante Communionem, quidquam Tabaci, Picietive, aut ſimilium, medicamenti cauſa, per modum fumalis evaporationis, aut alio quovis modo percipiat.* Haud abſimile edictum anno 1640. promulgavit Cardinalis de Borgia Archiepiſcopus Hiſpalenſis, quo ſub pœna excommunicationis *latæ ſententiæ* juſſi ſunt Sacerdotes a Tabaci uſu abſtinere, una ante Miſſæ celebrationem, altera poſt eamdem celebrationem hora.

„ His ſuffulti auctoritatibus Clericatus *de Sacramento Euchariſt. deciſ.* 54. *n.* 12. *caſ.* 2. Natalis Alexander *in Theolog. Dogmatica, & Moral. tom.* 1. *in append.* 1. *variar. Epiſtolar. Epiſt.* 45. Sarnellus Epiſcopus *tom.* 6. *Epiſtol. Eccleſiaſtic. Epiſt.* 30. Hurtado *reſolut. moral. tom.* 2. *tract.* 11. *cap. ultim.* docuerunt, oportere, ac decere, ut Epiſcopi in ſuis Synodis edicant, ut a nemine ante Miſſæ celebrationem, aut Sanctiſſimæ Euchariſtiæ perceptionem, Tabaci folium mandatur, quod a pleriſque fit ad ſputa & phlegmata ea ore projicienda, aut illius fumus attrahatur, vel in pulverem redactum naribus ingeratur; quia valde indecens illis viſum eſt, ut quis, ore, & naribus Tabaco conſpurcatis, ejuſque redolens graveolentiam, ad Sanctiſſimam accedat Euchariſtiam. Fuerunt præterea, qui Tabaci uſum ante acceſſum ad Sacram Communionem jam omnibus ab Eccleſia vetitum putarunt; eo quod etiam illius fumus in os injectus, & pulvis naribus attractus, jejunium frangat naturale: ita quippe opinati ſunt Alphonſus de Leone *in quæſtionib. moral. de Chocolate part.* 3. §. 4. *num.* 10. *& ſeqq.* & Lezana *tom.* 3. *verb. Euchariſtia, num.* 10. ſed iſtorum opinio confutata eſt a Paſqualigo *in praxi jejunii deciſ.* 483. Diana *in edit. coordin. tom.* 2. *tract.* 2. *reſolut.* 121. Hurtado *citat. loco num.* 393. & Cardinal. de Lugo *reſponſ. moral. lib.* 1. *dub* 9. Siquidem nec Tabaci fumus, nec pulvis naribus ingeſtus, eſt vera comeſtio, aut potatio, quibus duntaxat naturale jejunium ſolvitur.

Aliqua tamen difficultas adhuc remanet, de Tabaci folii maſticatione, qua naturale jejunium violari, ſi aliquid ſucci ex illo expreſſi in ſtomachum trajiciatur tanquam certum aſſerit citat. de Leone, cui etiam Paſqualigus, & Diana conſentiunt, dummodo non fortuito, & præter intentionem id contingat. Sed addit Hecquet *in ſuo tract. de diſpenſat. Quadrageſim. tom.* 2. *part.* 3. *cap.* 18. nunquam fortuito, ſed neceſſario id evenire; ſiquidem, qui Tabaci folium dentibus conterit, idipſum animo intendit, ut ſcilicet illius ſucco ſtomachus a pituita, & phlegmate abſtergatur. Ex adverſo autem Zacchias *quæſt. Medicolegal. lib.* 9. *tit.* 7. *quæſt. unica num.* 33. citatus Cardinalis de Lugo *num.* 5. *& ſeqq.* eoque teſte, plures Theologi Neapolitani ab ipſo interrogati cenſent, nulla ratione per Tabaci maſticationem frangi jejunium naturale, quia ejus ſuccus, quamquam in ſtomachum dilabatur, non eſt aptus ad nutriendum, ſed duntaxat ad ſtomachi fibras irritandas.

Verum quidquid ſit de hac quæſtione, quam in medio relinquimus, de ſolo agentes Tabaci fumo, aut pulvere naribus attracto, illud idem hic repetimus, quod jam alio loco prænotavimus; nimirum nequaquam hodie expedire, ut illius uſus ſub cenſurarum pœna interdicatur; etenim quamquam olim quamdam præſeferret turpitudinem, atque indecentiam, propter quam Innocentius X., & Innocentius XI. excommunicatione percalerunt quotquot Tabacum ſumere auderent intra Vaticanam Baſilicam: atque Urbanus VIII. ſub eadem pœna, idem antea fieri vetuerat intra Eccleſias Diœceſis Hiſpalenſis: hodie tamen a communi conſuetudine ſit adeo cohoneſtatus, ut nulli prorſus ſcandalum præbeat, aut admirationem cauſet; quod bene perpendit Lazarus Benedictus Miglioruccius *Inſtitut. Jur. Canonicar. tom.* 5. *pag.* 187. Nimium profecto ſeverum ſe præberet Epiſcopus, ſi Mexicanæ, aliarumque ſimilium Synodorum veſtigiis inſiſtens, aut omnibus ante Sacræ Euchariſtiæ perceptionem, aut ſolis Sacerdotibus ante Miſſæ celebrationem, Tabacum interdiceret, adjecta præſertim in tranſgreſſores cenſurarum pœna. Quapropter cum Nos in Minoribus conſtituti, Sacræ Congregationis Concilii Secretarii munus obiremus, ſemper Epiſcopis auctores fuimus, ut ejuſmodi Conſtitutionem, jam aliquando formatam, a ſuis Synodis ſubtraherent, ne nimii rigoris notam incurrerent, aditumque aperirent ſubditorum querelis ad Sacram Congreg. Concilii deferendis; quod multo magis iisdem conſulendum ducimus, poſtquam ſan. mem. Benedicti XIII. exploratum habens, a Tabaci uſu omnem nunc abeſſe inhoneſtatem, atque indecentiam, illum ſumere permiſit intra Vaticanam Baſilicam.

67. Tertia, ſi ſuperveniat excommunicatus vitandus; tunc enim prius admonendus eſt, ut exeat e Templo, & illo recuſante, poteſt etiam vi expelli; & ſi non ſufficiat, Sacerdos ante Conſecrationem debet ab Altari recedere: ſi vero jam ſit facta Conſecratio, debet Miſſam proſequi uſque ad conſumptionem Calicis, quo ſumpto, debet ab Altari recedere, & cætera in Sacriſtia proſequi, & perficere. Ita Layman *lib.* 2. *tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 6. Tambur. *lib.* 2. *cap.* 7. §. 4. Henriquez *lib.* 9. *cap.* 10. *num.* 5. Palaus *part.* 11. *num.* 4.

68. Quarta cauſa, ſi ſuperveniat violatio Eccleſiæ; tunc enim ſi Eccleſia ſit ſolum benedicta, & habeat cæremoniale, tenetur ſub veniali Sacerdos prius Eccleſiam reconciliare, & poſtea Miſſam proſequi: ſi vero Eccleſia ſit conſecrata, vel non habeat cæremoniale, tunc debet ab Altari recedere, ſi hoc contingat ante Conſecrationem, ſecus poſt Conſecrationem. Ita Suarez, Lugus, & Tamburinus ſupra *cap.* 7. §. 5. ubi advertit, reconciliationem Eccleſiæ violatæ eſſe ſatis prolixam, & ſic poſſe Sacerdotem abſolute recedere ab Altari ante Conſecrationem.

69. Quinta, ſpiritualis neceſſitas proximi; puta, ſi baptizandus ſit Infans in periculo mortis exiſtens, quem caſu Mater in Eccleſia peperit, nec alia ratione poteſt ei Baptiſmum conferri, quam per Sacerdotem celebrantem. Ita Henriquez, Sotus, Poſſevinus, Sylveſter, & alii, quos citat, & ſequitur Bonacina *quæſt. ult. punct.* 10. *nu.* 24. Idem valet de neceſſitate miniſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ pariter morituro, ſi non ſit alius Sacerdos, qui poſſit illum abſolvere, & ſi infirmus ſit in eadem Eccleſia, poteſt Celebrans Miſſam aliquantiſper interrumpere, & Viaticum ei miniſtrare; ſi vero infirmus longe diſtet ab Eccleſia, non erit Miſſa interrumpenda pro miniſtrando Viatico, & Extrema Unctione infirmo jam confeſſo, quia illa non ſunt Sacramenta neceſſitatis. Ita cum aliis Antonius a Spiritu Sancto *diſp.* 5. *ſect.* 6. *num.* 216.

70. Sexta cauſa interrumpendi Miſſam, eſt adventus Viri Principis, Prælati, aut Perſonæ illuſtris, neque ſit alius Sacerdos, qui celebret, tunc poterit Miſſa inchoata relinqui, ſi oblatio nondum facta eſt, & iterum a principio inchoari, ut cum Gavanto, & Leandro notavimus *ſupra cap.* 7. *dub.* 2. & docent Henriquez, Navarrus, Azorius, Scortia, quos affert, & ſequitur Layman *de Sacrific. Miſſæ cap.* 2. *num.* 7. Hoc tamen non approbat Antonius a Spiritu

San-

„ Sancto *num.* 218. nec adventum Prælati putat cauſam ſufficientem ad iterum Miſſam incipiendam, quia Prælatus in tali caſu deobligatur ab integra Miſſa audienda, etiamſi ſit dies feſtus.

71. Septima cauſa interruptionis eſt Prædicatio ad Populum, Ordinatio, Communio Populi, publicatio Edictorum; ſed hæc proprie Miſſam non interrumpunt, ſed tantiſper differunt.

„ *Cum in hoc dubio nonnulla ab Auctore noſtro ſapientiſſime recenſeantur impedimenta, quæ ad licitam Miſſæ celebrationem occurrere poſſunt, & quorum cauſa poteſt Miſſa quandoquidem interrumpi; optimum fuit mihi viſum totum, atque integrum caput hoc loco apponere, quod in Tract. de Sacrific. Miſſæ extat n.* 11. *lib.* 3. *ubi clariſſimis rationibus demonſtratur, quam neceſſarium ſit ad hanc licitam Miſſarum celebrationem animam Celebrantis ab omni eſſe mundam peccato, quod & maximum impedimentum reputari debet, hoc modo,*

„ Jam vero de eo, quod liceat in Miſſa celebranda, dicendum eſt; ac primo, Sacerdotem eſſe oportet in gratia, & ab omni lethali peccato expiatum. De eo, quod liceat loquimur: nam ſi ſermo ſit de validitate, Sacerdos valide profecto conſecrat, etiamſi lethalis criminis reus ſit, excommunicatus, vel hæreticus, vel ſchiſmaticus, aut etiam degradatus; quod definivit Concilium Conſtantienſe *ſeſſ.* 8. *cap.* 15. adverſus Vvicleffum, & Joannem Hus, qui dicebant: *Sacerdos, ſi eſt in peccato mortali, non conſecrat;* & contra Vvaldenſes, qui propugnabant: *Sacerdotes rite, & legitime ſecundum formam Eccleſiæ ordinatos, quibuslibet tamen criminibus preſſos, non poſſe Eccleſiaſtica conficere Sacramenta.* Probat id D. Thomas 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 5.; conſiderat enim, Sacerdotem non propria virtute Sacramentum conficere, ſed tanquam Chriſti Miniſtrum, ex cujus perſona conſecrat; nec deſinere Servum eſſe Chriſti, ſi malus ſit: ſiquidem Chriſtus Servos habet & bonos, & malos. Idem probat de Sacerdotibus ſchiſmaticis, hæreticis, excommunicatis, & ſuſpenſis eadem *quæſt. art.* 8. atque idem docet de degradatis; poteſtas enim conſecrandi pendet a Charactere, qui indelebilis eſt. Videatur Collatio 9. Lucionenſis *quæſt.* 2. *tom.* 5. ubi accuratiſſime tractatur hoc argumentum.

„ Itaque hi quidem omnes indigni Sacerdotes valide conſecrant, ſed illicite; nec quiſquam eſt, qui neſciat, eos nefario ſcelere horribilis ſacrilegii ſeſe alligare. Illud diſputant Theologi, unumne duntaxat peccatum perpetrent, ut nonnulli arbitrantur, propterea quod utriuſque ſpeciei Conſecratio, oblatio, conſumptio, re quidem ipſa diſtinguantur, moraliter vero unum ſint, & divina inſtitutione ordinentur ad unum totum conſtituendum, ſcilicet Sacrificium Miſſæ, ut exiſtimat Azorius *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 31. *quæſt.* 11. an vero plura peccata committant, ut probabilius contendit Suarez *diſput.* 67. *ſect.* 1. §. *Quæret aliquis*; duo enim præcepta inter ſe admodum diſtincta violantur: alterum ſuſcipiendi digne Sacramentum, quod præceptum commune eſt omnium Fidelium: alterum fideliter, & prudenter diſpenſandi, quod præceptum ad Miniſtrum pertinet. Biel *Lect.* 7. ſuper Canone Miſſæ duo peccata diſtincta putat Sacerdotem committere, qui mortalis peccati reus Miſſam celebret: *Peccat duobus mortalibus peccatis diſtinctis: uno, quia indigne conſecrat; alio, quia indigne manducat &c. quia manducare, & conſecrare ſunt duo actus diſtincti, & in qualibet indigna executione committitur peccatum mortale.*

„ Sancta Tridentina Synodus *ſeſſ.* 13. *cap.* 7. de Euchariſtia, poſtquam tremenda illa Apoſtoli verba præmiſit: *Qui manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini*; & illa: *Probet autem ſe ipſum homo*, vetat, ne quis, niſi Sacramentali Confeſſione expiatus, etiamſi contritus ſibi videatur, ad celebrandam Miſſam accedat: *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione, ad Sacram Euchariſtiam accedere debeat.* Atque idem ait Can. 11. *Statuit, atque declarat ipſa Sancta Synodus, illis, quos conſcientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia Confeſſoris, neceſſario præmittendam eſſe Confeſſionem Sacramentalem.*

„ Item Sacrum Concilium declarat, obligationem, qua Laici, ſi ſibi lethalis culpæ conſcii ſint, tenentur præcedenti Confeſſione ſe expiare, ad Sacerdotes etiam extendi, qui ex officio debent Miſſam celebrare; ac ſolum Sacerdotibus permittit celebrare, prævio tantum actu contritionis, abſque Sacramentali Confeſſione, dummodo tamen gravis neceſſitas urgeat, nec copia ſit Confeſſoris; ſed præſcribit, ut Sacerdos, qui ita celebraverit, quamprimum confiteatur; inquit enim citato cap. 7. *Quod a Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc Sancta Synodus perpetuo ſervandum eſſe decrevit, modo non deſit illis copia Confeſſoris. Quod ſi, neceſſitate urgente, Sacerdos abſque prævia Confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur.*

Commemorat autem Sancta Synodus Eccleſiaſticam conſuetudinem, ut ſi quis ſibi peccati mortalis conſcius communicare velit; quantumvis ſibi videatur contritus, Confeſſionem præmittat Communioni, non ut innuat, id ab Eccleſiaſtico jure provenire, ſed ut oſtendat, conſuetudinem, & traditiones ita eſſe Divinum illud præceptum interpretatas, de quo loquitur Apoſtolus: *Probet autem ſe ipſum homo*, ut bene advertit Sotus *in* 4. *Sent. diſt.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 4. *Adnotandum eſt Eccleſiaſticam conſuetudinem non in medium afferri tanquam potiſſimum, & primum fundamentum hujus ritus, quaſi ſit de jure tantum Eccleſiaſtico, ſed quaſi declaratoriam Divini præcepti, quod Paulus inſinuat; ex illo enim ſic intellecto præcepto mos univerſalis Eccleſiæ ortus eſt, in qua nemo ad Sacroſanctam Communionem abſque prævia Confeſſione accedere fuit auſus.* Paullo ante diximus, Sacerdotem, qui gravi neceſſitate ad celebrandum impellitur, ſi deſit Sacerdos, cui confiteatur, per actum contritionis ſe parare debere, & quamprimum confiteri; temeraria enim ea eſt propoſitio, quæ ſtatuit, ſatis eſſe attritionem, etiam quæ talis cognoſcitur; ſcilicet neceſſaria eſt contritio, aut ſaltem attritio, quam Sacerdos ſine culpa probabiliter exiſtimaverit contritionem. Videatur Perſicus *de Sacerdotis officio libr.* 1. *dub.* 11. & *dub.* 12. Alii interpretantur, conſilium eſſe, non præceptum, ut Sacerdos quamprimum confiteatur; ſed eam propoſitionem proſcripſit Alexander VII., quæ eſt inter damnatas trigeſima octava: *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti Sacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, eſt conſilium, non præceptum.* Nonnemo vocem illam *quamprimum* intelligendam dixit, cum primum Sacerdos ruſus celebraturus confitebitur, quæ eſt propoſitio trigeſima nona inter eas, quas idem Pontifex condemnavit: *Illa particula*, quamprimum, *intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur.*

Urgentem autem neceſſitatem, qua poteſtas ſit Sacerdoti ſine prævia Confeſſione accedendi ad Altare, eam eſſe putant Auctores, ſi Sacerdos Miſſam omittens, aut cæteris offenſioni eſſet, aut infamiam incurreret; ſi Populus die Feſto Miſſam audire non poſſet; ſi Particula conſecranda eſſet, ut deferri poſſet Viaticum ad moribundum. Sylveſter verbo *Euchariſtia* 2. *q.* 7. vult, eam eſſe urgentem neceſſitatem, *ſi nuper deceſſit anima indigens Sacrificio probabiliter, aut ſi imminet Solemnitas magna, in qua valde utile ſit animæ celebrare*: quod tamen rejicit Suarez *diſp.* 66. *ſect.* 4 §. *Alii caſus*; & doctus Clerus Patavinus in ſuis reſolutionibus anni 1708. quas typis vulgavit Zaccherius, ut videre eſt *pag.* 9.; e naturali enim, vel divino præcepto celebrandi, fluere debet urgens neceſſitas. At ſi eam cenſeamus urgentem neceſſitatem, quoties Suffragiis adjuvanda ſit Anima Defuncti, cum tam multæ in Purgatorio animæ detineantur, quibus Suffragia opus ſunt, facile quilibet Sacerdos ſine prævia Sacramentali Confeſſione poterit celebrare, ac paullatim Tridentini Concilii præceptum de non celebrando ſine Confeſſione, niſi deſit Confeſſarii copia, aut gravis neceſſitas urgeat, ad nihilum redigetur. Biel *Lect.* 7. ſuper Canone Miſſæ tres conſiderat caſus, quibus poteſt quis Euchariſtiam ſuſcipere, ſolo contritionis actu elicito, ſine prævia Confeſſione. Primus eſt, ſi Sacerdos eo die non celebrans offenſioni eſſet, & ſcandalo. Alter, ſi aliquis vel inſtituto, vel conſuetudine omnium ſibi æqualium ad communicandum adigitur. Tertius eſt, ſi Curam Animarum habens celebrare debeat, ut moribundo deferre poſſit Euchariſtiam. In his tribus qui verſetur caſibus, eum putat, ſolo contritionis actu elicito, cum propoſito confitendi, poſſe ſine Sacramentali Confeſſione celebrare, vel Sacramentum percipere, dummodo Confeſſarii copia deſit.

Nemo eſt, qui neſciat, Regulares Præſidibus ſuis, quos communi nomine Superiores vocant, in foro Sacramentali eſſe ſubjectos; Superiores autem auctoritate abſolvendi ſibi ſubjectos plerumque non uti, niſi in caſibus reſervatis; aut ſi quis ex iis cupiat apud Superiorem peccata confiteri; ac propterea Religioſis aliquibus munus demandare excipiendi Sodalium Religioſorum Confeſſiones. Accidit interdum, ut Religioſus aliquis vel in itinere ſit, vel in aliquo moretur loco cum bona Superiorum venia, puta quadrageſimali tempore, cum ſacras habet Conciones, ubi copia non eſt Confeſſarii ſui Ordinis. Hic porro videtur in ea verſari neceſſitate, ſi quod gravius peccatum commiſerit, ut vel omittat celebrationem Miſſæ, quæ omiſſio aliquando ſcandalum parere poteſt, vel celebret Miſſam ſine prævia Confeſſione, elicito tamen contritionis actu; hoc enim in caſu illi revera deeſt copia Confeſſarii. Suarez *tom.* 4. *de Religione tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 17. ait, Religioſo Viro in itinere negari non poſſe facultatem confitendi peccata alicui Sacerdoti, qui non ſit ejuſdem Ordinis.

Plures Religioſi Ordines eo gaudent privilegio, ut videre eſt apud Clericatum de *Pœnitentia deciſ.* 39. *nu.* 4.

„ Veti-

„ Vetitum id erat Cappuccinis, qui & privilegio carebant, & Conſtitutione quadam Capituli generalis impediebantur. Nos autem, cum comperiſſemus: in quantis nonnunquam verſarentur anguſtiis, ubi primum ad Summam Apoſtolatus dignitatem evecti ſumus, litteris noſtris ſub forma Brevis die 30. Martii 1742. cuilibet eorum, ſive Sacerdoti, ſive Converſis, dum extra Clauſtra morantur cum bona venia, & in locis, ubi non alius quiſquam ex eorum Ordine reperiatur, facultatem conceſſimus confitendi peccata, & abſolutionem accipiendi a quocumque Sacerdote, qui vel Sæcularis a ſuo Ordinario, vel Regularis a ſuo Superiore ad Confeſſiones audiendas ſit approbatus: quam facultatem etiam ad caſus extendimus juxta Conſtitutionem Ordinis reſervatos, & ad Cenſuras, in quas inciderint; addita obligatione tamen, ubi primum potuerint, coram Superiore ſeſe ſiſtendi, & novam ab illis, caſibus, & cenſuris abſolutionem impetrandi. Sane ejuſmodi onus ſeſe ſiſtendi coram Superiore, & confitendi iterum caſus reſervatos, in quos inciderint, quoſque jam alii Confeſſario confeſſi fuerint, num illis imponeremus, diu multumque dubitavimus, firma enim regula eſt, non poſſe quemquam obligari ad iterationem Confeſſionis eorum peccatorum, quæ jam confeſſus fuerit, & quorum abſolutionem reportaverit, ut videre eſt in Extravag. Benedicti XI. *Inter cunctas de Privilegiis*, & docet Sanctus Thomas *q. quodlibetali art. 22. ad primum*. Sed omnem ex animo noſtro difficultatem illud exemit, quod reputavimus, Religioſis perfectionem profitentibus poſſe onus illud imponi. Et ſane multorum Ordinum Religioſorum Conſtitutiones præſcribunt certis quibuſdam temporibus Confeſſionem generalem; & celebris illa eſt Carthuſianorum Conſtitutio, quæ jubebat, Monachos quotannis ea peccata Abbati confiteri, quæ jam aliis Confeſſariis confeſſi fuiſſent. Vide Suarez *loc. cit. num.* 10. & Cardin. de Lugo *de Pœnitent. diſp. 15. ſect. 6. n. 93. & ſeq.*

„ Antequam materiam hanc dimittamus, duos alios caſus juvabit exponere. Primus eſt, ſi Sacerdos, cœpta jam Miſſa, recordetur, ſe peccatum mortale commiſiſſe, neque eo ſe per Sacramentalem Confeſſionem expiaſſe; ſive etiam illi in memoriam veniat, ſe non eſſe jejunum, vel aliqua eſſe cenſura implicatum, quæ forte ſibi animo exciderat. Sanctus Thomas *3. part. quæſt. 83. art. 6. ad ſecundum* docet, ſi Sacerdoti in memoriam hæc ſubeant ante Conſecrationem, recedendum illi ab Altari, ſi tamen abſit metus ſcandali: *Si ante Conſecrationem alicujus prædictorum ſit memor, tutius reputarem (maxime in caſu manducationis, & excommunicationis) quod Miſſam inceptam deſereret, niſi grave ſcandalum timeretur*. Quod ſi ejuſmodi memoria tangatur poſt Conſecrationem, omnino eum debere, ait, Sacrificium perficere: *& ideo ſi Sacerdos poſt Conſecrationem inceptam recordetur, ſe aliquid comediſſe, vel bibiſſe, nihilominus debet perficere Sacrificium, & ſumere Sacramentum*: idque ait procedere, etiamſi recordetur, ſe vel grave delictum perpetraſſe, vel in aliquam Cenſuram incidiſſe, elicito contritionis actu: *Similiter ſi recordetur, ſe peccatum aliquod commiſiſſe, debet pœnitere cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi, & ſic non indigne, ſed fructuoſe ſumet Sacramentum. Et eadem ratio eſt, ſi meminerit ſe excommunicationi cuicumque ſubjacere: debet enim aſſumere cum propoſito humiliter abſolutionem petendi, & ſic per inviſibilem Pontificem Jeſum Chriſtum abſolutionem conſequetur, quantum ad hunc effectum, quod peragat Divina Myſteria*. Ex hac D. Thomæ doctrina manavit Rubrica Miſſalis, quæ ſic habet: *Si in ipſa celebratione Miſſæ Sacerdos recordetur, ſe eſſe in peccato mortali, conteratur cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi. Si recordetur, ſe eſſe excommunicatum, vel ſuſpenſum, aut locum eſſe interdictum, ſimiliter conteratur cum propoſito petendi abſolutionem. Ante Conſecrationem autem in ſupradictis caſibus, ſi non timetur ſcandalum, debet Miſſam inceptam deſerere*. Quærit Sotus, an Sacerdos, qui in Miſſæ principio recordetur, ſe peccatum grave commiſiſſe, atque eo ita ſit irretitus, ut ejus pœnitere non poſſit, debeat Miſſam dimittere, etiamſi intelligat ſcandalum oriturum? & reſpondet; illum debere omnino, quodcumque timeatur ſcandalum, Miſſam dimittere: *Si autem eſt in culpa lethali, etiamſi in Introitu Miſſæ, quando eſt in Altari ſit memor, ſatis eſt contritione, & propoſito confitendi, ut poſſit inceptum perficere. Quod ſi autem illa culpa adeo illi cordi inhæreat, ut pœnitere nequeat, cujus certe ſi memor fuiſſet antea, non cogitaſſet celebrare: Reſpondetur, quod omnino potius debet dare ſummum ſcandalum, quam ſumere Sacramentum in peccato: quia ſic illud eſt intrinſece malum, ut nulla de cauſa excuſari poſſit: & ideo, ſi non eum pœnitet, poſtquam in ſua eſt poteſtate, neceſſaria conſequentia peccabit tam ſumendo, quam relinquendo, maxime ſi eſt jam conſecratum*. Ita Sotus *in 4. ſentent. diſtinct. 13. quæſt. 2. art. 6.* Diximus ſupra cum D. Thoma, Sacerdotem, qui peccati mortalis recordetur ante Conſecrationem, debere Miſſam dimittere, niſi timeat ſcandalum; itaque quæritur, an dici poſſit oriri ſcandalum, ſi Sacerdos Miſſam in remoto aliquo loco celebraret, vel in privato Oratorio, vel ubi nullus adeſſet Miſſæ, niſi *Miniſter*. *Pontas Dictionar. Caſuum conſcien. verbo Miſſa caſ. 22.* ait, etiam in hoc caſu futurum ſcandalum Miniſtri, idque ſatis eſſe, ut, contritionis actu elicito, poſſit Sacerdos Miſſam perficere. Sed Clerus Patavinus *in citatis deciſionibus ann. 1707. quæſito 2. Menſis Maji* contrariam tuetur ſententiam, præſertim ſi Miniſter puer ſit, vel Celebrantis ſervus, aut amicus.

Alter caſus eſt, num Sacerdos eodem die, quo commiſit lethale peccatum, & per Sacramentalem Confeſſionem ſe expiavit, poſſit accedere ad Altare, etiamſi nulla neceſſitate urgeatur; an vero ob reverentiam teneatur Miſſæ celebrationem in poſterum diem differre. Diximus, etiamſi nulla neceſſitate urgeatur; ſi enim neceſſitas urgeat, puta ſi eo die Miſſæ celebrationem omittendo pareret ſcandalum, nemo eſt qui neget, poſſe illum celebrare juxta D. Thomæ doctrinam *in 4. ſentent. diſt. 9. q. 1. art. 4. qu. 2.* ubi ait: *Non eſt conſulendum, quod ſtatim poſt peccatum mortale, etiam contritus, & confeſſus, ad Euchariſtiam accedat; ſed deberet, niſi magna neceſſitas urgeat, per aliquod tempus propter reverentiam abſtinere*. Quæſtio igitur eſt de Sacerdote, quem nulla cogat neceſſitas ad Miſſam celebrandam. Cardinalis Toletus eximius Theologus affirmare negat *in lib. 2. cap. 1. numer. 13. Aliquando non ſufficit Confeſſio ad celebrandum: cum enim peccatum parvo tempore anteceſſit, non debet celebrare, ſed expectare diem alium: unde qui ſe accuſant, quod nocte proxima peccatum carnis commiſerunt, quamvis cum dolore accedant, & abſolvantur, ſunt tamen a celebratione arcendi*. Cum eo ſentit Covarruvias egregius Canoniſta in Clementina *Si Furioſus, part. 3. cap. 7.* ubi ait, *ex contraria ſententia ſequi, poſſe Sacerdotem, qui nocte præterita dormierit cum femina, ſtatim celebrare, præmiſſa Confeſſione, & Contritione, quod impium cenſeri ſolet, & jure cenſetur*.

Similis eſt caſus de eo, cui præter voluntatem, & citra peccatum pollutio contigit; decet enim ipſum Euchariſtia ſe abſtinere, ſi quod turpe phantaſma illi animo adhuc obverſetur, ſi mentem diſtractam gerat, & ſi nulla cauſa ſit, quamobrem debeat celebrare, ut videre eſt apud Sylvium *3. part. q. 80. art.* 8. Innocentius III. in cap. *cum olim* de Clericis Conjugatis non improbat in Eccleſia Græca conſuetudinem, ut Clerici in Minoribus Ordinibus conſtituti uxorem ducant, eamque apud ſe habeant, etiam poſtquam ad Majores Ordines, & ad Sacerdotium promoti ſunt, ut Clemens VIII. in inſtructione ſuper aliquibus Græcorum Ritibus, quæ incipit *Presbyteri Græci*, ita ait: *Presbyter Græcus conjugatus ante Sacrum Sacrificium, ſeu Sanctam Miſſam celebrandam, vel per hebdomadam, vel per triduum abſtineat ab uxore*. Ex quo colligitur, ſi Sacerdoti Græco non permittitur Miſſam celebrare, ſi nocte proxima cum uxore concubuerit, multo minus licere aliis Sacerdotibus, niſi gravis urgeat cauſa, celebrare Miſſam, ſi præcedenti nocte peccatum aliquod grave commiſerint, etiamſi per Sacramentalem Confeſſionem peccatum illud expiaverint.

D. Thomas *3. part. qu. 80. art. 7.* repetit hanc materiam, & ait, ſolum peccatum impedimentum eſſe neceſſarium, quominus quis ad Euchariſtiam ſuſcipiendam accedat; per contritionem autem, & Sacramentalem Confeſſionem deleri quidem reatum culpæ, non tamen corporis immunditiam; ac propterea decere, ut qui peccatum aliquod carnis paullo ante commiſerit, ſe ab accipiendo Sacramento abſtineat. Et Sotus *in 4. ſentent. diſt. 12. quæſt. 5. art. 7.* poſt allatam D. Thomæ doctrinam concludit, reum fore irreverentiæ culpabilis, quæ etiam ad peccatum mortale poſſet pertingere, Sacerdotem illum, qui præcedenti nocte, peccato carnis commiſſo, etſi confeſſus, Miſſam celebraret, ſi qui Miſſæ adeſſent, qui ejus peccati eſſent conſcii: & addit, id non in peccatis carnis tantummodo, ſed etiam in reliquis peccatis procedere: *Hæc propoſitio non eſt ſingularis de pollutione, ſed generalis de quocumque peccato; tanta enim eſſet irreverentia homicidam cruentis manibus, aut blaſphemum polluto ore illico ad Euchariſtiam accedere: tametſi Veneris ſordes peculiarem quamdam indecentiam ad Sacramentum præ aliis ſceleribus afferant*. Et Sylvius *in 7. articulum, quæſt. 80. 3. part.* D. Thomæ bene factum arbitratur, atque optime conſultum putat, ſi quis Miſſam celebrare omittat eo die, quo delictum aliquod commiſerit, etiamſi confeſſus fuerit, & in craſtinum differat: & conſentit Rubrica Miſſalis, ubi agit de defectibus ex diſpoſitione corporis. Videantur Natalis Alexander *Theolog. Dogmat. & Moral. lib. 2. de Sacram. Euchariſt. cap. 5. artic. 2. §. 2. num.* 11. Habert *Theologiæ Dogm. & Moral. de Euchariſt. cap. 20. num. 3. pag. 571. edit. Venetæ*. Has omnes Sententias amplexus eſt Patavinus Clerus an. 1708. *lib. 1. caſ. 1. Menſis Februar. in ſæpius citato Opere* P. Zuccherii, & in *Speculo Monachorum* auctore Arnulpho Mo-

„ nacho

nacho inter opera D. Bernardi nuperrimæ editionis *to.* 2. *pag.* 818. ſeveriora hæc traducuntur a Celebrante Miſſam ad Inſervientem: *Si per noctem illuſio tibi acciderit, ne contriſteris, ſed in craſtinum confitere, & aliquo te invitante, ut Miſſæ inſervias, caute coram omnibus te excuſa.* Abulenſis *in cap.* 5. *Matthæi q.* 226. ait, Diabolum interdum, ut pium hominem a ſumenda Euchariſtia, vel a Miſſa retrahat celebranda, per ſimplicem vaſorum ſeminalium motum, quin ullam excitet tentationem, pollutionem illi provicere. Idem ante Abulenſem dixerat Abbas Theonas apud Caſſianum: *abſque ullo quidem carnis pruritu, mentiſque conſenſu, nec per illuſionem phantaſmatis alicujus, ſed tamen ſimplici fluxus illius egeſtione nos polluit, ut a Sacroſancta Communione deterreat.* Et D. Thomas *citat. art.* 7. docet, non idcirco omittendam Communionem, aut Celebrationem Miſſæ. Conſonat Cardinalis Turrecremata in Can. *Teſtamentum, diſt.* 6. ubi hæc ſcribit: *Si in nobis cauſa non præceſſerit, imo magis cauſa contraria, & hoc frequenter accidit, & præcipue in diebus, in quibus communicari debet, ſignum eſt, quod Diabolus homini fructum Euchariſtiæ recipiendæ auferre conatur: unde in tali caſu conſultum fuit cuidam Monacho, ut in collationibus Patrum legitur, quod communicaret; & ſic Diabolus videns, ſe non poſſe conſequi intentum, ab illuſione ceſſavit.*

„ *De iis omnibus, cauſa quorum Miſſa interrumpi aliquando poteſt, lege adhuc quæ ſequuntur in prælaudato Tractatu lib.* 3. *c.* 14., *& quæ hic ſic fideliter tibi, ſtudioſe Lector, tranſcribuntur.* Præter caſum mortis, aut inopinati morbi, ex quo, qui celebrat Miſſam perficere non poteſt, alii etiam afferuntur in Rubricis, alii ab Auctoribus, in quibus cœpta Miſſa vel imperfecta relinquitur, vel intermittitur. In Rubricis caſus proponitur Templi, quod vel violatur, vel polluitur, dum Sacerdos celebrat Miſſam. Alius etiam caſus proponitur, cum Sacerdoti celebranti nunciatur prope eſſe hoſtes, a quibus immineat Sacerdoti cædis periculum, vel alluvionem, vel Templi, ſeu Oratorii ruinam imminere. Jubent Rubricæ, ſi Templum violetur, vel polluatur ante Canonem, Miſſam intermitti; ſi vero poſt Canonem, perfici: in caſu vero vel hoſtium irruentium, vel imminentis alluvionis, vel ruinæ; ajunt, relinquendam eſſe Miſſam, niſi facta ſit Conſecratio; poſt Conſecrationem vero Sacerdotem debere, cæteris omiſſis, Corpus, & Sanguinem ſumere. Videantur Suarez *in* 3. *part. to.* 3. *quæſt.* 83. *art.* 6. *diſp.* 85. *ſect.* 1. §. *Quarto accidere poteſt.* Sylvius *in* 3. *part. Divi Thomæ qu.* 83. *art.* 6. *quæſito* 2. Cardinalis Toletus *Inſtruct. Sacerdot. lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 9. Quartus *ad Rubricas Miſſalis part.* 2. *tit.* 3. *ſect.* 2. *dub.* 6. Pontas *in Diction. Caſ. Conſcient. verbo Miſſa, caſu* 23. Collat. Lucionen. XVI. *quæſt.* 3. *tom.* 5. qui Auctores nihil amplius afferunt, quam quod præſcribit Rubrica; monent tamen, Sacerdotem, ſi non poſſit ſumere Sacramentum, ut ſecum illud tectum aſportet clanculum, qui caſus ſane videtur commentitius; minus enim opus eſt temporis abſumendo Sacramento, cæteris omnibus, vel precibus, vel cæremoniis omiſſis, quam contegendo, & ea, qua æquum eſt, decentia aſportando.

„ Ille vero caſus non eſt profecto commentitius, ſi Sacerdoti, qui conſecravit Hoſtiam, tempus non ſuppetat Sanguinis conſecrandi; ac quæri poteſt: an ille, etſi periculo prematur vel ingruentium hoſtium, vel imminentis ruinæ, debeat conſecratam Hoſtiam ſumere, & abire; an vero teneatur conſecrare etiam Sanguinem, eumque ſumere, ne Sacrificium imperfectum remaneat. Durum videtur Quarto, Sacerdotem in ejuſmodi occaſione teneri etiam Calicem conſecrare; neque enim Sacerdos voluit imperfectum facere Sacrificium, quod quidem eſſet intrinſecus, & per ſe malum, ſed principio quidem in animo habuit Sacrificium perficere, quamvis gravi, & inopinato impedimento detentus non potuerit complere. Cum eo conſentit Cardinalis Toletus *loco citato*, qui tamen monet, Sacerdotem teneri Miſſam continuare, etiam vitæ periculum ſubeundo, ſive conſecraverit, ſive non conſecraverit, ſi quis Chriſtianæ Religionis hoſtis in ejus contemptum mortem Sacerdoti minitaretur, niſi Miſſam relinqueret. Suarez *in* 3. *part. D. Thomæ tom.* 3. *qu.* 74. *art.* 2. *diſp.* 43. *ſect.* 4. §. *Dico ergo primo*, diſerte ait, Sacerdotem, qui Hoſtiam conſecraverit, nec ipſi tempus ſuppetat vini conſecrandi, poſſe, ſeſe ut ſubripiat a periculo mortis, Hoſtiam ſumere; dummodo tamen nullum ſcandalum oriturum ſit, nec Religio in contemptum cadat: in his enim circumſtantiis vult, Sacerdotem teneri Miſſam continuare, & Sanguinem conſecrare, non modo ex præcepto integritatis Sacrificii, ſed etiam ex obligatione profitendæ Fidei, & vitandi ſcandali. Abbas Uſpergenſis narrat, ſceleſtum hominem Cincium Præfectum Romæ nocte Nativitatis Chriſti Domini Baſilicam Liberianam ingreſſum, ut erat Henrici Regis fautor, Sanctum Pontificem Gregorium VII. Miſſam cum Clero celebrantem in capite percuſſiſſe; attamen magnum illum Pontificem, licet ita male multatum, ab Altari non receſſiſſe, niſi, quam incœperat, Miſſa peracta: *Prius tamen Miſſa ad Altare percantata, quam prius incœperat, ſed nondum finierat.* Quod tamen aliter narrat Paulus Bernriedrenſis *cap.* 49. *& ſeq.* qui refert, non potuiſſe S. Pontificem Miſſam explere, vi a Satellitibus ab Altari abreptum: *Percuſſum graviter in fronte, graviterque vulneratum, de Miſſa, nondum finita, violentis manibus abſtraxerunt.*

Si quis ſuperveniat excommunicatus, non qui toleretur, ſed qui jam talis declaratus ſit, vel notorius Clerici percuſſor, cum coram eo Miſſa celebrari non poſſit, quod diſerte prohibetur in Can. *Is qui, de Sent. Excommunicat. in* 6. & Miſſa jam incœpta ſit, admonendus excommunicatus, ut Eccleſia abeat; ac ſi fieri poteſt, etiam pellendus, quod expreſſe jubet Clemen. II. *de Sentent. Excommunicat.* & ſi quidem ejici non poſſit, aut nondum perventum eſt ad Canonem, ſeu, ut quidam volunt, ad Conſecrationem, tunc relinquenda eſt Miſſa; aut eo perventum eſt, & continuanda eſt Miſſa, ut docet Sotus *in* 4. *Sentent. diſt.* 22. *q.* 1. *art.* 4. *Hic autem interroget quis forte, quid, ſi, dum Sacerdos celebrat, hujuſmodi excommunicatus ingrederetur Eccleſiam, faciendum eſſet? Reſpondetur: ceſſandum eſſe, quouſque exeat: quod ſi exire noluerit, expellatur, ſine ſcandalo tamen, & percuſſione; ſi tamen id fieri non potuerit, & Canon non fuerit inceptus, ceſſandum omnino. Imo forſan, ut Innocentius inſinuat in cap.* Nuper: *niſi Conſecratio incœpta fuerit, ceſſandum eſt, quia illic incipit Sacrificium: facta autem Conſecratione, neceſſe eſt uſque ad ſumptionem procedere, quia ſtrictius præceptum eſt integritatis Sacramenti, quam Excommunicatos excludendi.* Facta autem Communione, reliquum Miſſæ, ſi excommunicatus non abierit, continuandum eſt in Sacriſtia, aut in alio decenti loco, ut communiter docent Auctores, quemadmodum videre eſt apud Suarez *de Cenſuris diſp.* 2. *ſect.* 1. *num.* 16.

Quædam etiam laudabiliter fiunt, & fieri debent incœptæ Miſſæ interruptiones: ut cum, lecto Evangelio, fit Concio, vel cum inter Miſſarum ſolemnia quædam Populo edicenda ſunt, ex præſcripto Canonum. Sylvius 3. *part. q.* 83. *art.* 6. *quæſit.* 3. ait, poſſe Miſſam intermitti, ſi occaſio ferat, moriturus ut infans baptizetur: *Ex cauſa etiam legitima poteſt Miſſam interrumpi, ſeu diſcontinuari notabiliter, velut ad baptizandum infantem moribundum.* Caſum etiam addit, cum quis ſine Confeſſione eſſet moriturus: *Vel ad excipiendam Confeſſionem infirmi, quorum ille alioquin ſine Baptiſmo, iſte ſine Sacramento Pœnitentiæ eſſet moriturus*: & cum Extrema Unctio opus eſſet infirmo, cui nullum aliud Sacramentum adminiſtrari poſſet: *Idem judicium eſt, ſi Extrema Unctio foret adminiſtranda infirmo, qui aliud Sacramentum non poteſt recipere*: idemque iterat in Reſolutionibus verbo *Miſſæ interruptio*; quæ omnia cæteri omnes admittunt, ut videre eſt in citatis Collationibus Lucionenſibus. De ejuſmodi caſibus practice tractat Quartus *ad Rubricas Miſſalis part.* 2. *tit.* 3. *ſect.* 3. *cap.* 3. qui, ſi gravis urgeat neceſſitas adminiſtrandi ea Sacramenta, docet, Miſſam ſive ante, ſive poſt Conſecrationem, poſſe interrumpi; & ſi quidem facta ſit Conſecratio, debere Sacerdotem diligentiſſime curare, ut Sacramentum cuſtodiatur, niſi forte conſultum melius exiſtimaverit illud in Tabernaculo occludere, & poſtquam redierit, Miſſam inde, ubi eam intermiſerat, repetere.

Diſputant nonnulli, an Sacerdos, qui pervenerit ad Offertorium, poſſit incœptam Miſſam rurſus ab initio repetere, ſi aliter Miſſa careret, vel Populus, vel Princeps, aut Prælatus aliquis dignitate præſtans, nec alia eſſet Miſſa, quam quæ incœpta eſt. Azorius *Inſtit. Moral. tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 32. *qu.* 3. putat, intermitti poſſe Miſſam, & a principio repeti, ſi id Vir primarius poſtulet. Negant alii, propterea quod exiſtimant, id præſeferre irreverentiam quamdam erga Sacrificium: proinde optime obſervat Pontas *loco cit. caſ.* 24. ſi primam opinionem ſequi placeat, ſuperveniente Cardinali, aut Epiſcopo, aut Principe Civitatis, ſeu Oppidi, ubi celebratur Miſſa, ad nullam aliam quamlibet perſonam id eſſe trahendum; graves enim hinc orirentur, & in Perſonis, & in Eccleſiis, turbæ, & ſcandala. Natalis Alexander *Theolog. Dogmat. & Moral. lib.* 2. *de Sacram. Euchariſt. cap.* 7. *art.* 4. omnia, quæ hactenus attulimus de intermittenda Miſſa, admittit capita, deinde proponit: *An Miſſa poſſit interrumpi, ſi Epiſcopus, aut eo maior, vel Princeps aliquis adveniat, qui Miſſam die Feſto audire non potuerunt, niſi Sacerdos, qui eam incœpit, & Evangelium forte, ac Symbolum recitavit, illam ab introitu incipiat*; & reſpondet negando: *quia ordo Sacrificii potior eſſe debet, quam hominum, quavis dignitate conſpicuorum, commoda, tum quia via pateret abuſui*; & provocat ad Mediolanenſe Concilium, ubi vetitum eſt: *Neve ob eamdem cauſam* (quæ ea eſt, quam ſupra innuerat Natalis Alexander) *Miſſa inchoata* (Sacerdotes) *ſubſiſtant, aut ejus initium repetant.*

D U-

DUBIUM IX.

Nihil Addendum, vel Omittendum in Miſſa.

72. SAcerdos, dum celebrat, obſervare tenetur ritum in Miſſali Romano reformato præſcriptum ex Trident. *ſeſſ. 22. de obſervandis in celebrat. Miſſ.*, & ex præcepto Pii V. in principio Miſſalis relato. Quare peccat mortaliter, qui voluntarie addit, vel omittit aliquid ex iis, quæ præſcribuntur. Sic Suarez, Ledeſma, Filliucius, Villalobos, quos affert, & ſequitur Ant. a Spiritu S. *diſp. 5. q. 5.* licet ex parvitate materiæ poſſit peccare ſolum venialiter, vel etiam aliquando a culpa excuſari ex naturali inadvertentia, & oblivione. Quænam autem omiſſio ſit cenſenda gravis, vel levis in celebratione Miſſæ, non omnes conveniunt, & judicandum relinquitur judicio viri prudentis, & timoratæ conſcientiæ, ut docet Nugnus *in 3. part. qu. 83. art. 4. dub. 2. concl. 2.* addens, quod cum hæc res ſecundum ſe ſit graviſſima, cavendum eſt, ne voluntarie aliquid omittatur, præcipue in Canone, ubi facilius committitur peccatum mortale aliquid omittendo.

73. Qui omitteret *Gloriam*, vel *Credo*, quando debet dici, an peccaret mortaliter dubitat Nugnus *loc. cit. ad 3.* Alii tamen abſolute negant, ut Suarez, Filliucius, Marchinus, Granado, Lugus, quos affert Garzia *punct. 2. n. 7.* Antonius a Spiritu Sancto *nu. 191.* quia cum ſit materia levis, peccatum ſolum erit veniale. Idem etiam tenet, pluribus citatis, Leander *diſp. 7. quæſt. 58.* Idem valet de omiſſione aliarum orationum, quæ non in omnibus Miſſis recitantur, ſed in aliquibus, quia ſine illis, ſicut etiam ſine *Gloria*, vel *Credo*, Miſſa ſæpe integra conſiſtit.

74. E contra vero, qui relinqueret *Epiſtolam*, aut *Evangelium*, peccaret mortaliter, etiam ſecluſo ſcandalo, & contemptu, quia ſine illis non ſolet Miſſa celebrari, ut docet Diana *part. 10. tr. 15. & 5. Miſcel. reſol. 42.* Si tamen in Miſſa ſolemni Sacerdos non dicat privatim Epiſtolam, aut Evangelium a Subdiacono, & Diacono poſtea cantandum, excuſatur a mortali, quia non omittitur abſolute Evangelium in illa Miſſa. Ita Lugus, & alii, quos ſequitur Diana *part. 5. tract. 5. reſol. 45. & tract. 13. reſol. 95. & iterum part. 9. tr. 6. reſol. 19.*, &, aliis citatis, Leander *ſupra q. 60.* & idem affirmat eſſe dicendum de *Gloria*, *de Credo*, *de Prophetiis Sabbathi Sancti*, *de Paſſione Domini*, & de ſimilibus ob paritatem rationis. Tambur. *lib. 1. cap. 5. §. 2.* Qui ex oblivione naturali omitteret *Gloriam*, *Credo*, vel aliquam commemorationem, & illius recordaretur in progreſſu Miſſæ, non tenetur illa repetere, quia diſſonum potius eſſet, & ſcandaloſum; commemoratio addi poſſet inter ſecretas, ſi illius recordaretur, ut notat Leander *quæſt. 59.*

75. *An vero ſit peccatum mortale omittere in Canone unum, aut alterum nomen alicujus Sancti?* Affirmant aliqui, ſed contrarium tenent Doctores communiter dicentes, ſolum eſſe veniale, quia materia eſt levis. Ita Suarez, Granados, Filliucius, Ledeſma, Dicaſtilio, & alii, quos citat, & ſequitur Leander *q. 61.* Diana *part. 10. tr. 16. & 6. Miſcell. reſol. 36.* ubi contra Bernard. *de Sacram. diſp. 6. ſect. 4. num. 9.* docet, eſſe peccatum mortale relinquere in Canone octo, aut decem nomina Sanctorum, non autem relinquere tantum duo, vel tria: eſſe tantum veniale relinquere ea, quæ tempore Paſchæ, aut alterius Feſtivitatis interponuntur in *Communicantes*, vel in *Hanc igitur oblationem*, docent Filliucius, Leander, & alii, quos ſequitur Diana *part. 10. tr. 15. reſol. 42.* Antonius a Spiritu S. *n. 191.*

76. Quamvis Sacerdos teneatur obſervare omnes cæremonias præſcriptas, ſi tamen aliquam omitteret ex levioribus, puta Crucem aliquam, manuum elevationem, pectoris tonſionem, & hujuſmodi, ſi hoc faciat ſine contemptu, peccat ſolum venialiter. Ita, pluribus citatis, Diana *part. 5. tr. 5. reſol. 45.* Si tamen omitteret mixtionem aquæ cum vino, fractionem Hoſtiæ, vel miſſionem particulæ illius in Calicem, elevationem Hoſtiæ, & Calicis, & alia ſimilia, peccaret mortaliter propter ſpecialem ſignificationem harum cæremoniarum. Ita Palaus *tract. 22. diſp. unica punct. 11.* Filliucius *n. 159.* Peccaret item mortaliter, ſi ad mutandum ritum Miſſæ adderet aliquam Orationem v.g. *Pater*, & *Ave*, vel *Pſalmum David*; ita DD. communiter: ſi vero hoc faceret, dum ſecrete orat tanquam perſona particularis, peccaret ſolum venialiter. Ita Tambur. *c. 5. §. 3. n. 2.* Peccaret etiam mortaliter Sacerdos Regularis, qui in Canone Miſſæ pro nomine Epiſcopi, poneret nomen ſui Generalis, quia ita declaratum fuiſſe a Sacra Congreg. teſtatur Diana *part. 1. tr. 14. reſol. 14.* licet Tambur. ſupra *n. 6.* probabiliter exiſtimet eſſe ſolum veniale. In Canone non licet addere nomina Sanctorum, etiam Patroni loci. Tambur. *ibidem num. 9.*

77. De illis, qui duplicem adhibent pallam, alteram quidem pro cooperiendo Calice, ut moris eſt, alteram vero ad recipiendam Sacram Hoſtiam ſupra Corporale, Gavant. *in Rubr. Miſſal. part. 2. tit. 1. num. 1. lit. M.* ſic habet: *Qui duplicem adhibent pallam, alteram pro Calice, alteram pro Hoſtia, approbante, ut ajunt, Summo Pontifice, non ſunt reprehendendi, non tamen ſunt imitandi ab aliis, ſine Pontificia facultate; eſſet enim additio Ritus, quæ eſt a S. Pio V. prohibita.*

Nihil in hujuſce dubii concluſione aptius, nihilque utilius addi potuiſſe mihi certe viſum fuit, præter ea, quæ in Tractatu, toties citato, de Sacrif. Miſſæ leguntur lib. 3. c. 24. eademque iiſdem prorſus terminis repetita in Notificatione alias laudata poſita num. 14. lib. 2. §. 6. in his quippe generaliter oſtenditur, quod hic particulariter proponit noſter Auctor: ſi etenim ipſe probat, evitandas omnes, & quaſcumque vel inadvertentias, vel obliviones in celebrando, propter quas aliquid vel adjungatur, vel omittatur, quod a Rubricis minime præſcribitur: in his, quæ modo adjiciuntur, potiſſimum demonſtratur, qua pietate, ac religione in tanto hoc Miniſterio gerere ſeſe debeant Celebrantes, tali modo.

Quemadmodum lætitia maxima perfuſi ſumus, cum multos Sacerdotes Regulares, ac Sæculares vidimus, ſumma pietate Sacrum facere, & in ipſo peragendo debitum tempus inſumere; ita profecto graviſſimum dolorem accepimus, cum aliquos nos ipſi deprehendimus, qui adeo feſtinanter, indecore, linguaque præcipiti rem Divinam conficiebant, ut quæ tunc legerent, nullo modo percipere potuerimus. Plurimi ſane inter Sacerdotes non exiguam temporis partem mane conterunt in foro, vel inanibus colloquiis, vel etiam negotiis, ipſorum dignitati parum accommodatis, donec celebrandi tempus acceſſerit: tunc ad Sacrarium properant, & ſacris Veſtibus induti, vix limen Altaris contigerunt, fere intra momentum, Miſſa jam abſoluta, Sacrarium repetunt, depoſitiſque ſacris Indumentis, ad forum, publicaſque officinas revertuntur. Utinam hæc falſa eſſent! Populus in quaſdam Eccleſias magna frequentia convenit eam ob cauſam, quod ibi Miſſarum Sacrificia breviſſimo temporis ſpatio conficiuntur; perpauci in alia Templa confluunt, in quibus non eadem celeritate Miſſas agi ſuſpicantur. Illud quoque non ſine quodam horrore a probiſſimis viris audivimus, aliquos Sacerdotes, ut cæteris omnibus, ad celebrandum in privatis Nobilium Sacellis Sacrificium, præferrentur, pro quodam merito protuliſſe, quod citiſſime rem Divinam expedirent. Illud igitur certiſſimum eſt, non deeſſe, qui Sacrum negligentiſſime faciunt, verba cum feſtinatione proferentes, intempeſtive, quæ agenda ſunt, properantes, vel ea ſimul cum verbis conjungentes, cum tamen verba pronuncianda non ſint, niſi quilibet actus prius abſolvatur. Ad Altare tamen exiguo tempore, adeoque incompoſite detinentur, ut nullam animo religionem, nullam verbis, ac precibus, quæ ad Sacrificium pertinent, attentionem habere procul dubio videantur. Sacerdotibus ejuſmodi illud aptiſſime convenire poteſt, quod olim Tertullianus, cum diverſam rem pertractaret, poſtulavit: *Sacrificat, an inſultat?*

Si eodem pietatis ſtudio, quo famulus Dei Joannes Abulenſis, incenderemur, ſingulis hebdomadæ diebus libentiſſime Eccleſias mane percurreremus, ejuſque exemplum ſequeremur: cum ille, uti P. Segneri commemorat, in ſua Paſtorali Inſtitutione *cap. 14. §. 1.* Miſſæ Sacrificio adeſſet, in quo Sacerdos Chriſti Corpus tanquam ofellam manibus verſabat, ad Altare acceſſit, ut decidentem candelam ſuo loco reſtitueret, & voce quidem demiſſa, vultu tamen inflammato, ad Sacerdotem converſus, dum Hoſtiam e manibus deponeret: *Age*, inquit, *decenter cum hoc Puero, nam optimos habet Parentes.* Quibus verbis adeo commotus fuit Sacerdos, ut ad meliorem deinde frugem traductus fuerit. Quoniam vero imperfecti nos ipſi ſumus, & Sacrum, qua par eſt, religione, ac diligentia minime facimus, ita ut ſupremo die per Divinum Judicem nos vehementer arguendos merito timeamus: hinc aliqua ſolum afferemus, quibus nos ipſi, ac reliqui Sacerdotes, quibus opus eſt, recte inſtituantur; deinde, noſtra interpoſita auctoritate, nonnulla prohibenda duximus, quæ pravum exemplum ſimul, & horrorem piis Fidelibus excitabunt.

In Miſſalis Rubrica hæc leguntur: *Sacerdos autem maxime curare debet, ut ea, quæ clara voce dicenda ſunt, diſtincte, & apposite proferat; non admodum feſtinanter, ut advertere poſſit, quæ legit, nec nimis moroſe, ne audientes tædio afficiat.* Cardinalis etiam Bona, in eo libello, quo Sacerdotem pro Sacro rite faciendo inſtituit, §. 3. hæc tradit: *Omnia verba, quæ ſive elata, ſive ſubmiſſa voce proferentur, clare, diſtincte, ferventer, & abſque ulla feſtinatione pronunciabis; nihil interim mente revolvens, quantumvis bonum, & ſanctum videatur, quod a propria, & litterali verborum ſignificatione alienum ſit, ut te menti Eccleſiæ conformes, quæ omnes Miſſæ preces, lectiones, & ſententias magno cum delectu ad Sacerdotis, & adſtantium inſtructionem, & devotionem ſelegit.* Scriptores autem, juxta Rubricam, temporis ſpatium, quod in Miſſæ celebratione impenditur, duplex conſtituunt; videlicet interius, & exterius. Primum quidem in recta, integraque verborum pronunciatione, in precibus, cæteriſque rebus, quæ a Sacris Ritibus perſcribuntur, attente, decenterque abſolvendis, collocatur; alterum vero illud eſt, quod pietati Sacerdotis liberum relinquitur. Admonent tamen, ut hanc ſecundam prolixitatem, quo poſſunt ſtudio, ſin-

„ ſinguli evitent, ne faſtidium populo afferatur; primam vero non ſine gravi culpa committi poſſe fatentur. De illa ſane ſermonem habebat Sanctus Philippus Nerius, in ejus Vita a Baccio ſcripta, *lib.* 1. *cap.* 19. *numer.* 9. cum Sacerdotes, qui in Sacro peragendo cæleſti voluptate ſupra modum cumularentur, hortari ſolebat, ut diceret: *Non palam has delicias, ſed clam in cubiculo magis optarem*. Hoc pacto innuebat Sacrum religioſe quidem fieri debere; cavendum tamen, ne tædio populus afficiatur: in cubiculo autem pietati habenas laxandas eſſe. Itaque, ſi ſpatium temporis interius, quod requiritur in iis omnibus rite perficiendis, quæ modo explicavimus, ſedulo perpendatur, non ita brevi tempore, ut multi exiſtimant, Sacrum expediri poteſt, ſed ex unanimi Scriptorum opinione ad tertiam horæ partem ſaltem debet pertingere, neque horæ dimidium excedere, Ita Quartus *in Comment. ad Rubr. Miſſ. Rom. part.* 1. *tit.* 16. *dub.* 6. Gobat *in Theolog. experiment. tractat.* 3. *caſ.* 23. *n.* 812. *& ſeq.* Biſſ. *in ſua Hierurgia tom.* 1. *lit.* B. *verbo Brevis, num.* 135. Coton. *in ſuis controverſiis lib.* 2. *controv.* 5. *n.* 104. Clericat. *in ſuis Diſcord. Forenſ. Crimin. diſcord.* 49. Roncaglia *in ſua Theolog. Moral. tract.* 18. *cap.* 3. *q.* 2. *reſp.* 2.

„ Hæc Sententia pariter continetur in illa inſtitutione, quæ in Appendice poſtremi Romani Concilii excuſſa fuit *pag.* 246. Igitur parvi faciendi ſunt inepti quorumdam ſermones, qui nulla pietate præditi pravam conſuetudinem tueri contendunt, ob quam nulla habita honoris ratione, rem Divinam conficiunt, & præcipiti lingua omnia perturbant. Jactant igitur in Populum, Miſſas prolixas faſtidium gignere; Agnum Paſchalem, qui Chriſtum Dominum exprimebat, ea Lege fuiſſe Judæis propoſitum, ut comederent feſtinanter. *Exod. cap.* 12. Sanctum Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum in Sacro peragendo valde expeditum; poſtremo ſatis eſſe, ſi omnia legantur, & nihil eorum, quæ præſcripta ſunt, omittatur: nullo autem pacto conſtitui debere tempus, quod Sacro abſolvendo inſumatur. Attamen in primis, ſi quis tempus, quod ſuperius expoſuimus, impendere negligat, numquam ſatis attente, ac decenter percurrere, atque agere poteſt univerſa, quæ in Rubricis continentur, quemadmodum docet Gobatus *in Theolog. experiment. tr.* 2. *cap.* 23. *ſect.* 3. *nu.* 814., cum illam conditionem *breviter*, in celebranda Miſſa neceſſariam, his verbis explanat: *Breviter, ac non feſtinanter, perinde ac ſi eſſet a tergo, qui ſcutica urgeret &c. breviter, id eſt circa dimidiam horam; vix enim breviori ſpatio poſſunt omnia in communibus Miſſis peragi cum debito decore, ac devotione, cum tamen ſit neceſſario tanta mora tribuenda Sacrificio, quanta neceſſaria eſt ad rite, ac devote omnia peragenda &c. Nec facile quis mihi perſuadebit, ſe communiter cum ſenſu pietatis, & ſine multis imperfectionibus, intra horæ quadrantem finire Sacrum*. Inſuper nihil dicendæ ſunt injuſtæ illorum querimoniæ, ac faſtidium, qui Miſſæ Sacrificium celerrime abſolutum expeterent. Plurimi enim numerantur, qui pietate inſignes, ob ejuſmodi brevitatem graviter animo commoventur, eoſque Sacerdotes ſummopere commendant, qui pie, & eo temporis ſpatio, quod ſupra definitum fuit, Sacrum conficiunt. Præ cæteris tradit Cardinalis Baronius ad annum Chriſti 418. *ſub n.* 35. S. Auguſtinum inter alia mala, quæ vehementer arguere ſolebat, illud præſertim quorumdam excitiſſe, *qui queruntur de prolixitate Miſſarum*. Qui illam Exodi auctoritatem afferunt, *comedetis feſtinanter*, ut pravam conſuetudinem corroborent, Sacras Litteras nefarie interpretantur. Pater quidem Theophilus Raynaudus *to.* 6. *ſuor. Oper. pag.* 10. *num.* 19. *& ſeq.* hanc Sententiam ita explicat: *Eſto vero, admitti poſſit vulgaris notio feſtinationis illius pro celeri, & prompta comeſtione, nihil tamen inde ad rem præſentem; nam quoad ſignificationem tranſitus, quam celerrimi, Ægyptiis urgentibus, breviſſime confecti, neceſſaria erat ea feſtinatio in Sacrificio Agni conſumendo, quæ ratio properandi ceſſat in hoc negotio*. Errant quoque apertiſſime, qui ad excuſandam Miſſæ brevitatem S. Thomæ Cantuarienſis exemplo utuntur. Petrus enim Rugerius, ſeu Gregorius XI., qui illius vitam ſcripſit, quam deinde Chriſtianus Lupus in lucem promulgavit, *tom.* 10. *c.* 11. *ultimæ edit. ipſius Operum Venet. impreſſorum*, hæc ita tradit: *Comedebat itaque feſtinanter, propter emiſſiones per Angelos malos, perniciosum ſcilicet variarum cogitationum ſuperventum in Sacramentali Dominici Corporis perceptione; non tardus, non moroſus, non nova, præterquam quæ in Canone conſtituta ſunt, adjungens: verum ea præſertim hora profundiſſimas, tanquam ex intimis pietatis viſceribus, lacrymas profundebat, & ſingultus, tanquam attacta Chriſti vulnera, tota intima cordis excutiens viſcera, & effundens*. Quare exemplum S. Thomæ, quod graviſſimi Scriptoris auctoritate firmatum commemoravimus, illis procul dubio adverſatur, qui in Miſſæ Sacrificio brevitatem, ac negligentiam tutantur. Ipſorum oculis ſubjici potius deberet exemplum Rogerii Salesburienſis Epiſcopi, qui miſere vitam abſolvit, uti refert Guillelmus Neubricenſis, cum Sacrum nimis feſtinanter, & ſine debita pietate celebraret, qua arte ſibi gratiam Henrici I. Angliæ Regis conciliaverat. Inſuper inter cætera, quæ in Concilio Conſtantienſi contra Joannem XII. prolata ſunt, illud quoque locum habuit, *quod Miſſam raro, currenter, ſine devotione celebraret*. Ita Lupus *eodem loco pag.* 373. tradit *to.* 9. Non ſemel etiam improviſa morte aliqui Sacerdotes oppreſſi fuerunt, quod probiſſimi homines divino ſane judicio contigiſſe putaverunt ob indignam feſtinationem, qua rem Divinam conficiebant; quemadmodum Pius Settala Dertonenſis Epiſcopus teſtatur in Opere, cui titulus: *Myſteria, & Senſus Myſtici Sacrificii cap.* 50. *num.* 14.

„ Tandem, quo poſſumus majori ſtudio, juxta infirmitatem noſtram, Sacerdotes obteſtamur, ut, quæ nos huc uſque declaravimus, ſedulo perpendant. Idem nos ipſi diligenter præſtabimus, ut, quæ olim negligenter commiſimus, in Miſſæ celebratione corrigamus, parato, mœrentique per pœnitentiam animo ad Sacrum faciendum accedamus, ita ut per exteriora pietas interior judicetur, rectumque populus exemplum a nobis deſumat. Quæ legenda ſunt, clara voce exprimantur, omnis linguæ feſtinatio prorſus impediatur; quidquid vel agendum, vel ore proferendum eſt, cum ſeria mentis conſideratione jungatur; & tunc *tertiæ partis*, vel etiam *dimidiæ horæ ſpatium*, pro Miſſæ Sacrificio conſtitutum, nimis prolixum non videbitur. Deo juvante, fore confidimus, ut Sacerdotes univerſi ſibi, pro muneris ratione, ac dignitate, ſatisfaciant; nec in forum, aut publicas urbis officinas in poſterum ſimul conveniant, ut vanis rebus detineantur, ac deinde ex foro ad Sacrarium properantes, Miſſæ Sacrificium inſtituant. Hoc etiam Tridentina Synodus præcepit Epiſcopis, ut in Sacrificio Miſſæ diligenter, accurateque omnem irreverentiam impediant, *quæ ab impietate vix ſejuncta eſſe poteſt*. (*Seſſ.* 22. *de Sacrificio Miſſæ in Decreto de obſervandis, & evitandis in celebr. Miſſæ*.) Clemens XI. in iis litteris, quas die 16. Martii anno 1703. ad univerſos Epiſcopos dedit, eamdem rem plurimum his verbis commendavit: *Majori ſuper omnem dicendi modum diligentia, ac ſtudio curare debes, ut Miſſæ Sacrificium, quo nihil ſanctius, nihil divinius excogitari poteſt, per ſolos Presbyteros celebretur, non tantum ea morum puritate, quæ ipſos decet, qui ſingulis diebus Deo Patri cæleſte holocauſtum offerunt unigeniti Filii, qui noſtram immortalitatem induit, verum etiam, ut ſacras cæremonias in Rubricis præſcriptas ſedulo, pieque obſervent; id enim neceſſario requiritur, ne Sacerdos inter homines, Deumque poſitus ad ipſius iracundiam ſedandam, ſi negligenter, immodeſteque ſuo munere fungatur, Deum magis irritet*. „

DUBIUM X.

De defectibus in Miſſa contingentibus.

78. Defectus in Miſſa contingentes, alii ſunt ſubſtantiales, alii accidentales: ſubſtantiales ſunt illi, qui contingunt circa materiam, formam, & intentionem, quæ ſunt partes ſubſtantiales, ſine quibus non ſubſiſtit, nec perficitur Sacrificium: accidentales ſunt illi, cum quibus ſubſiſtere poteſt eſſentia; & ſubſtantia Sacrificii; & quidem omnes defectus tam ſubſtantiales, quam accidentales in Sacrificio contingentes ſuppleri debent, quantum fieri poteſt, de quibus late diſſeritur in *Rubr. Miſſal.* & ab aliis Doctoribus cum D. Thoma 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 6. cum hoc tamen diſcrimine, quod ſubſtantiales ſunt omnino corrigendi, ſive ante, ſive poſt Conſecrationem, qui illos advertit; non ſic accidentales, ut breviter diſcurrendo per ſingulos dicam.

79. Defectus ſubſtantialis primo contingit circa materiam, ſi hoſtia non ſit triticea, aut pro vino infuſa ſit aqua, acetum, aliuſve liquor diſtinctus a vino; tunc enim indubitatum eſt apud omnes Doctores, errorem eſſe corrigendum, apponendo materiam debitam, quæ debet offerri, & conſecrari: Sed non omnes conveniunt circa modum, quo debeat ſe gerere Sacerdos, ſi poſt ſumptionem Hoſtiæ advertat in Calice non fuiſſe vinum, ſed aquam: an nimirum debeat ſolum vinum conſecrare, vel etiam novam hoſtiam. Prima Sententia docet debere conſecrare etiam novam Hoſtiam ſimul cum Calice, & eodem modo Sacrum perficere, ac ſi nullam antea materiam conſecraſſet, vel ſumpſiſſet, incipiendo conſecrationem Hoſtiæ ab illis verbis: *Qui pridie, quam pateretur*; Calicem vero, incipiendo ab illis verbis: *Simili modo*, & utramque debere ſumere, quamvis non jejunus, quia hic modus præſcribitur *in Rubrica quarta Miſſalis de defectu vini*, vel ſi Miſſa celebretur in loco publico, ubi plures adſint, ad evitandum ſcandalum poterit apponere vinum cum aqua, & facta oblatione conſecrare, ac ſtatim ſumere, & proſequi cætera: quod idem habet D. Thomas 3. *p. q.* 83. *art.* 6. *ad* 4.

80. Secunda Sententia docet, non eſſe neceſſariam novam Conſecrationem Hoſtiæ, ſed tantummodo vini, quia nulla ſufficienti ratione probatur, novam Hoſtiam neceſſario conſecrandam eſſe, cum una jam fuerit conſecrata, quæ ſufficit ad Sacrificium, & tantummodo defuerit Conſecra-

tio vini, quæ ſolum debet ſuppleri ad perficiendum Sacrificium. Ita cum communi Sententia tenent Suarez, Coninch, Reginaldus, Henriquez, Rodriquez, Bartolomæus ab Angelo, Nugnus, Sotus, Azorius, quos refert, & ſequitur Bonacina *q. ult. punct.* 10. *n.* 5. ſequitur Palaus *punct.* 11. Diana cum aliis *p.* 3. *tr.* 14. *reſol.* 60. Layman *lib.* 5. *tr.* 5. *c.* 7. qui utramque Sententiam in praxi probabilem indicat. Tambur. *c.* 8. §. 5.

81. Modus autem ſe gerendi in nova Conſecratione, ut fiat ſine ſcandalo, & admiratione Populi, talis præſcribitur a Doctoribus relatis a Bonacina ſupra *n.* 4. Sacerdos debet accedere ad cornu Altaris ſimulando ſe velle purificationem accipere, deinde poſito vino in Calice cum aqua conſueta accedat ad medium Altaris, ibique conſecret, incipiendo ab illis verbis, *Simili modo*, & abſque elevatione ſubjungit, *Unde nos memores, Domine, offerimus*, & ſtatim ſumat; imo Suarez, Coninch, & alii putant ſufficere, ut conſecret, & ſtatim ſumat, quia in Conſecratione videtur contineri oblatio, quatenus Hoſtia conſecratur per ordinem ad Deum. Si Sacerdos errorem materiæ cognoſcat in ipſa ſumptione, non debet aquam, vel acetum expuere, ſed illud deglutire, ne generetur ſcandalum; nam præceptum jejunii non obligat in hoc caſu, ut alibi diximus. Quod ſi vinum haberi non poteſt pro nova Conſecratione, vel nonniſi cum magno ſcandalo, poterit Sacrificium perficere in una tantum ſpecie, nam præceptum affirmativum conſecrandi ſub utraque ſpecie non obligat in tali eventu, ut cum Azor., Henriquez, Tabiena, & aliis notat Bon. *n.* 3. & diximus *tr. præc. c.* 10. *dub.* 4.

82. Si poſt Conſecrationem advertat Sacerdos, vinum eſſe veneno infectum, reponendum eſt in alio Calice, & aliud vinum cum aqua denuo conſecrandum, & finita Miſſa Sanguis repoſitus in panno lineo, vel ſtupa tandiu ſervetur, donec ſpecies vini fuerint deſſicatæ, & tunc ſtupa comburatur, & combuſtio in Sacrarium projiciatur, ut habetur *in Miſſali reformat.* §. 10. *de defectibus in miniſterio ipſo contingentibus*, quod idem faciendum eſt, quando contingat, Sacramentum putrefieri, aut ab animali comedi; debet enim comburi, & cineres in Sacrarium mitti: idem valet ſi Sacerdos evomat, nec ſpecies poſſint ſeparari, debet vomitus comburi, & cineres in Sacrarium mitti; quæ omnia videri poſſunt in Rubrica Miſſalis.

83. Secundo contingit error ſubſtantialis, ſi Sacerdos, proferendo verba Conſecrationis, non habeat intentionem conſecrandi, aut formam non integre proferat; quo caſu tenetur, cum primum advertit, errorem corrigere, quia non daretur vera Conſecratio, nec verum Sacrificium, & proponeretur populo adorandum, quod conſecratum non eſt, ut per ſe patet. Quænam intentio requiratur, & quænam verba ſint de neceſſitate formæ, dictum eſt ſuo loco.

84. Defectus accidentalis in materia contingeret, ſi appoſitus eſſet panis fermentatus non azymus, vel quia non eſt appoſita aqua cum vino, in quo caſu, ſi Sacerdos errorem advertat ante Conſecrationem, debet illum corrigere, ſi poſt Conſecrationem, ſuppleri nullo modo poteſt, ſed ſolum per pœnitentiam emendari. Si Hoſtia cadat e manibus Sacerdotis intra Calicem, poſſe Miſſam perfici abſque alia iteratione, quia nihil deficit, quod ad ſubſtantiam pertineat, docet cum aliis Bonacina *q. ult. punct.* 10. *n.* 17.: ſi Hoſtia diſcumpareat, aut vinum effundatur, ita ut nihil illius colligi poſſit, debet ſine dubio alia materia conſecrari, quando hoc contingit poſt Conſecrationem. Si aranea, vel aliud Animal decidat in Calicem, & Sacerdos non poſſit ſine nauſea utrumque ſumere, debet extractum Animal comburi, illiuſque cineres in Sacrarium mitti. Si, ſumendo Sanguinem, particula remanſerit in Calice, digito poteſt illam ad labium Calicis adducere, & ſumere, vel, quod decentius eſt, infundere vinum, & ſumere etiam ſi opus fuerit bis, vel ter abſque timore frangendi jejunium, ut docet Tambur. *cap.* 8. §. 8. *num.* 7.

85. Dubitatur: *an ſi Sacerdos in aliquo caſu non habeat Hoſtiam, ſed tantum particulam, poſſit cum illa celebrare?*

Reſp. Affirmative ſecluſo ſcandalo, cum nullum adſit præceptum de conſecranda Hoſtia majore, vel minore, cum utrobique Sacrificium æque perficiatur, ut docet Tamb. ſup. *n.* 16. Ita etiam tenet Diana *par.* 5. *tr.* 13. *reſol.* 80. *&* *part.* 6 *tr.* 7. *reſol.* 17. Antonius a Spiritu S. *diſp.* 5. *ſect.* 4. ubi cum Diana notat etiam in publico dici poſſe Miſſam cum prædicta Particula, ut populus in die Feſto Miſſam audiat, & ad hoc teneri Sacerdotem, monito populo de defectu, ne ſcandalizetur.

86. Dubitatur 2. *an ſi Sacerdos ultimam Miſſam celebrans oblitus ſit conſecrare Hoſtiam exponendam poſt prandium in Oratione quadraginta horarum, vel alio ſimili caſu, poſſit ſumere particulam ex Sacrario, ex præconſecratis, ſive a ſe, ſive ab alio Sacerdote, & Hoſtiam a ſe conſecratam conſervare ad effectum publice poſtea illam exponendi?* Affirmant Henriquez *lib.* 9. *c.* 9. *n.* 2. Bonac. *q. ult. punct.* 2. *n.* 5. Facundez *præcept.* 1. *lib.* 3. *c.* 4. *n.* 26. nec improbat Diana *part.* 5. *tr.* 13. *reſol.* 96. quia licet ad eſſentiam Sacrificii requiratur Conſecratio, & Conſumptio, non eſt tamen neceſſe, ut de eadem Hoſtia utrumque verificetur, ſed ſatis eſt, ſi nova Hoſtia conſecretur, & alia præconſecrata conſumetur; ſicut non eſt neceſſe, quod unus, & idem Sacerdos Miſſam perficiat; nam de facto, ſi poſt Conſecrationem ſtatim moriatur, debet alter Miſſam perficere, & ex utroque Celebrante fit unus Miniſter, & unum Sacrificium eſſentiale.

87. Contrarium probabilius tenent Lugus *diſp.* 19 *n.* 56. aſſerens, Henriquez, & Facundez in hac quæſtione parum Theologice locutos fuiſſe. Præpoſit. *q.* 83. *art.* 1. *dub.* 7. *n.* 50. Bartholom. a S. Fauſto *de Sacram. Euchar. lib.* 2. *q.* 29. cum aliis relatis per Dianam *part.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 96. quia illa Hoſtia de novo conſecrata pertinet ad idem Sacrificium, quod Sacerdos conſumere, & perficere debet, quod non fit ſumendo Hoſtiam ab alio Sacerdote conſecratam: & confirm. ex eo, quod injungitur Sacerdoti, ut ſi forte Hoſtia a ſe conſecrata diſpareat, vel deprehendatur venenata, debeat aliam Hoſtiam conſecrare, & ſumere ad perficiendum Sacrificium, quod non eſſet neceſſe, ſi ſufficeret ſumere de particulis in alia Miſſa conſecratis. Nec valet paritas de Sacerdote perficiente Sacrificium ab alio inceptum, & deficiente poſt Conſecrationem; nam poteſt conſiſtere unitas Sacrificii, etſi ſubſtituatur alius Sacerdos, non vero ſi mutetur Hoſtia: ſiquidem unitas Sacrificii non deſumitur ab unitate Miniſtri, & Sacerdotis Sacrificantis, qui ſe habet per modum cauſæ extrinſecæ, & poteſt eadem die pluries ſacrificare, ſed ab unitate Hoſtiæ, quæ eſt veluti victima, qua variata variatur unitas Sacrificii, & inde, cum ſimus in re gravi, peccaret mortaliter Sacerdos reſervans Hoſtiam a ſe conſecratam, & aliam conſumens.

88. Quod ſi Sacerdos conſecrando Hoſtiam conſuetam, conſecraret etiam unam, vel plures Particulas, poſſet licite ſumere Particulam tunc a ſe conſecratam, & reponere Hoſtiam grandiorem, in quo conveniunt Auctores utriuſque ſententiæ, nam perficitur Sacrificium, tam in Hoſtia grandi, quam parva, ut docent Antonius a Spiritu S. *ſupra ſect.* 4. Averſa *q.* 11. *ſect.* 2. Sylvius *in* 3. *p. q.* 82. & Jacobus Marchantius *in reſol. paſtor tr.* 4. *c.* 5. *q.* 3. ubi non laudat quemdam Parochum, qui unam Hoſtiam parvam conſecravit, & non habens majorem Hoſtiam, quam præconſecratam reconditam in Sacrario, eam populo in elevatione exhibuit, cum in Miſſa debeat exhiberi populo adoranda Hoſtia in illo Sacrificio conſecrata, & oblata; melius utique ſe geſſiſſet, ſi majori illi Hoſtiæ alteram parvam a ſe conſecratam in illo Sacrificio ſimul adjunxiſſet, exhibendo utramque populo adorandam, quod tamen neceſſarium non putat Tambur. *de Sacriſ. Miſſæ lib.* 2. *c.* 8. *num.* 22. dicens, nullum eſſe inconveniens, ſi Hoſtiam parvam adorandam non proponat, cum nullum urgeat præceptum, vel obligans conſuetudo oſtendendi eamdem Hoſtiam adorandam, quæ in eadem Miſſa conſecrata fuit, etiamſi ſemper hoc ſit obſervandum. Reprehenſibilis utique fuit alter Parochus, qui Particulam conſecratam adjunxit Hoſtiæ majori non conſecratæ, quam expoſuit in Oſtenſorio, & hoc propter periculum Idololatriæ, quamvis materialis; nam Fideles adorant illud, quod expoſitum eſt per modum unius, quod nullo modo licet, ut bene advertit Tamburinus.

„ *Neque hac in re deeſt nobis erudita nihilo ſecius, quam clara, miroque ordine contexta eorum omnium confirmatio, atque (ſi ita licet) ampliatio, quæ in hoc ultimo dubio, circa defectus, qui in Miſſæ potiſſimum celebratione occurrere quandoque poſſunt, proponuntur. Adeundum itaque Caput* 15. *lib.* 3. *Tract. toties citati, ubi opportune plures adhuc in hanc rem congeruntur doctrinæ, quæ ſic ad pleniorem omnium inſtitutionem hic traduntur.*

„ Jam vero de defectibus dicendum, qui in Miſſa celebranda poſſunt occurrere, ac de remediis, quæ occaſio poſtulat, ut adhibeantur. Itaque defectus poſſunt occurrere vel in pane tantum, qui conſecrandus eſt, vel in vino duntaxat, quod itidem conſecrari debet, vel in aqua, quæ vino immiſcenda eſt, ſi non propter validam, ſaltem propter licitam Calicis Conſecrationem, juxta ea, quæ ſupra dicta ſunt, & juxta id, quod ſtatuit Tridentina Synodus *ſeſſ.* 22. *c.* 7. *de Sacrif. Miſſæ, & Can.* 9. *ejuſdem Seſſionis*. Poteſt defectus occurrere in pane, puta ſi Hoſtia conſecranda vel corrupta ſit, vel non ſit e frumento. Quod ſi accidat, Rubrica regulas proponit, quas oportet adhibere: aut enim Sacerdos ante Conſecrationem ejuſmodi comperit defectum, nec aliud quidquam opus eſt facto, quam ut aliam Hoſtiam triticeam, & incorruptam capiat, eamque ſaltem mente offerat, & Miſſam continuet: *Si Celebrans ante Conſecrationem adverterit, Hoſtiam eſſe corruptam, aut non eſſe triticeam, remota illa Hoſtia, aliam ponat, & facta oblatione, ſaltem mente concepta, proſequatur ab eo loco, ubi deſivit.* Aut Sacerdos id advertit poſt Conſecrationem, atque etiam poſtquam eam ore ſumpſit, & in eo caſu debet aliam Hoſtiam ſumere, offerre, & conſecrare, incipiens ab illis verbis: *Qui pridie quam pateretur*. Quod ſi primam illam Hoſtiam non abſumpſerit, eam abſumat poſt ſumptum Corpus, & Sanguinem; ſi vero priorem Hoſtiam abſumpſerit, ne prætermittat ſecundam Hoſtiam ſumere, quam valide conſecravit: major enim vis eſt præcepti de perficiendo Sacrificio, quam de jejunio: *Si id advertit poſt Conſecrationem, etiam poſt illius Hoſtiæ ſumptionem, poſita alia, faciat oblationem ut ſupra, & a Conſecratione incipiat, ſcilicet ab illis verbis*: Qui pridie quam pateretur, *& illam priorem ſi non ſumpſit, ſumat poſt ſum-*

„ ptio-

„ *ptionem Corporis, & Sanguinis, vel alii ſumendam tradat, vel alicubi reverenter conſervet. Si autem ſumpſerat, nihilominus ſumat eam, quam conſecravit, quia præceptum de perfectione Sacramenti majoris eſt ponderis, quam quod a jejunis ſumatur.* Aut denique Sacerdos poſt ſumptionem Sanguinis advertit, Hoſtiam, vel non fuiſſe triticeam, vel fuiſſe corruptam, & tum oportet novum parare panem, & vinum cum aqua, utrumque, ut ſupra, offerre, & utrumque conſecrare, ſumpto initio ab illis verbis: *Qui pridie quam pateretur*; & panem, & vinum ita conſecratum ſumere, ac Miſſam proſequi. *Quod ſi hoc contingat poſt ſumptionem Sanguinis, apponi debet rurſus novus panis, & vinum cum aqua, & facta prius oblatione, ut ſupra, Sacerdos conſecret, incipiendo ab illis verbis: Qui pridie: ac ſtatim ſumat utrumque, & proſequatur Miſſam, ne Sacramentum remaneat imperfectum, & ut debitus ſervetur ordo.*

„ Sed quamquam apertiſſime Rubrica præcipiat, quid facto opus ſit, nonnemo tamen exiſtimat, cum poſt ſumptionem Sanguinis Sacerdos adverterit, panem non eſſe ex idonea materia, vel eſſe corruptum, ſatis eſſe ſi novum conſecret panem, quin novum conſecret vinum; agi enim de Sacrificio ſupplendo; ad ſupplendum autem ſatis eſſe præſtare, quod defuit. Nos vero non ita fidenti animo ſumus, ut a Rubrica recedamus: Duabus de cauſis decernit Rubrica, apponendum eſſe novum panem, & vinum novum; quarum altera eſt, *ne Sacramentum remaneat imperfectum*: altera, ut *debitus ſervetur ordo*. Si non denuo panis, & vinum, ſed novus dumtaxat panis apponeretur, conſecraretur, & ſumeretur, quis aſſereret, debitum ordinem fuiſſe ſervatum? ordo enim poſtulat, prius ut conſecretur panis; deinde vinum. Quod ſi non apponatur novus panis, & vinum novum, ſed panis duntaxat, Sanguis prius conſecratus erit, quam Corpus; & Sanguis prius, quam Corpus itidem ſumptus erit, ut bene obſervat Suarez *in 3. part. tom. 3. q. 83. art. 6. diſp. 85. ſect. 1. §. Atque ex his conſtat.*

„ Poteſt etiam in vino defectus occurrere, puta ſi acetum in Calicem pro vino infuſum ſit, ſeu quivis alius liquor, qui conſecrari non poſſit. Si quidem Sacerdos id ante Sanguinis Conſecrationem adverterit, novum vinum ſibi jubeat afferri, idque offerat, & conſecret, incipiens ab illis verbis: *Simili modo. Debet ſtatim apponere novum vinum cum aqua, & facta oblatione, ut ſupra, conſecrare, incipiendo ab illis verbis: Simili modo.* Hæc ſunt verba Rubricæ, quæ jubet idem fieri, ſi Sacerdos defectum adverterit, poſtquam Conſecrationis verba ſuper indebitam, & ineptam materiam protulerit. Sed difficultas in eo verſatur, ſi id Sacerdos adverterit *poſt ſumptionem Corporis, vel poſt ſumptionem materiæ ineptæ*. Diſputant enim Theologi, num Sacerdos novam Hoſtiam, novumque vinum debeat conſecrare, incipiendo ab illis verbis: *Qui pridie*; an vero ſatis ſit, ſi novum ſibi vinum apponi jubeat, & conſecret, incipiens ab illis verbis: *Simili modo*. Atque ut probe intelligatur, quid illud ſit, de quo diſputant, advertendum eſt, eos, qui ſentiunt, Sacerdotem, qui *poſt ſumptionem Sanguinis*, vel *poſt ſumptionem materiæ ineptæ*, ejuſmodi defectum compererit, debere novam Hoſtiam, novumque vinum conſecrare, nec ſatis eſſe, ſi novum conſecret vinum, incipiendo ab illis verbis: *Simili modo*, omne ſententiæ ſuæ robur ponere in iis precibus, quæ poſt illa verba: *Simili modo*, conſequuntur, quæ preces ſupponunt præſentiam utriuſque ſpeciei conſecratæ: *Panem ſanctum vitæ æternæ, & Calicem ſalutis perpetuæ*; & paulo poſt: *Corpus, & Sanguinem ſumpſerimus*: quibus addi poſſunt etiam quædam actiones, puta ſigna Crucis, quæ Sacerdos ducit ſuper Calicem dicens: *Per ipſum* &c., & particulæ ex Hoſtia detractæ in Calicem ipſum injectio per ea verba: *Hæc commixtio* &c. Nec quidquam roboris habet ea reſponſio, ſcilicet, cum Sacerdos vini defectum adverterit, non proxime poſt Conſecrationem, ſed prope ſumptionem, jam eſſe facta Crucis ſigna ad illa verba: *Per ipſum* &c., & particulam Hoſtiæ immiſſam eſſe in Calicem. Nam præterquamquod hujuſmodi reſponſio locum non habet, ubi Sacerdos vini defectum advertit proxime poſt Conſecrationem panis; id omne, quod antea factum eſt, legitimum haberi non poteſt: Crucis enim ſigna ducta ſunt cum Hoſtia valide conſecrata ſuper Calicis materiam invalide conſecratam. Signa autem omittere non videtur bene conſultum.

„ Divus Thomas, cui, ut ſupra dictum eſt, videtur eſſe ſatis, Sacerdote morte prærepto poſt Conſecrationem Hoſtiæ, ſi Sacerdos, qui ſupplet, Calicem conſecret, Miſſamque proſequatur; in caſu, de quo nunc agimus, cum Sacerdos vini defectum advertit poſt ſumptionem materiæ in præ, quæ continebatur in Calice, diſerte docet, non ſatis eſſe novum vinum conſecrare, ſed opus eſſe novam quoque conſecrare Hoſtiam. Ejus verba ſunt *3. part. qu. 83. art. 6. ad quartum: Si vero hoc perceperit* (ineptam ſcilicet materiam in Calicem eſſe immiſſam) *poſt ſumptionem Corporis, aliam Hoſtiam apponere debet iterum conſecrandam ſimul cum Sanguine; quod ideo dico, quia ſi diceret ſola verba Conſecrationis Sanguinis, non ſervaretur debitus ordo conſecrandi; & ſicut dicitur in Canone Toletani Concilii, perfecta videri non poſſunt Sacrificia, niſi perfecto ordine compleantur. Si vero inciperet a Conſecratione Sanguinis, & repeteret omnia verba conſequentia, non competeret, niſi adeſſet Hoſtia conſecrata; cum in verbis illic occurrant quædam dicenda, & fienda non ſolum circa Sanguinem, ſed etiam circa Corpus. Et debet in fine iterum ſumere Hoſtiam conſecratam, & Sanguinem, non obſtante etiamſi prius ſumpſerit aquam, quæ erat in Calice: quia præceptum de perfectione, vel de perceptione hujus Sacramenti majoris eſt ponderis, quam præceptum, quod hoc Sacramentum a jejunis ſumatur.*

„ Scotus, qui non attingit caſum, dum defectus occurrit in pane, caſum tamen tractat, cum defectus occurrit in vino; ac docet, novam non eſſe Hoſtiam conſecrandam, ſed ſatis eſſe, ſi novum vinum conſecretur: nullum enim eſſe textum, rationem nullam, quamobrem nova Hoſtia conſecranda ſit, & ſatis proviſum, ſi ſuppleatur, quod deeſt; vinum autem duntaxat id eſſe, quod deeſt. Ita *in 4. ſent. diſt. 8. q. 3.*, ſuæque Sententiæ multos ſectatores habet. Conſentit Suarez *l. cit. ſect. 1. §. Sed circa hanc regulam*; & conſentiunt alii, quos refert Paſqualigus *de Sacrificio Novæ Legis q. 299.* Favet huic Sententiæ Epiſtola Divi Bernardi 69., quam ſupra retulimus, nec tamen ulli ex prædictis Scriptoribus commemorarunt. Panem conſecraverat, quod ſupra narravimus, Guido Abbas trium Fontium, cum poſtea advertit non fuiſſe vinum a Miniſtro infuſum in Calicem. Ea re perculſus eſt Guido; ac nihil quidquam aliud quod conſilii caperet, ipſi in mentem venit, quam ut, infuſo vino in Calicem, illuc particulam conſecratæ Hoſtiæ immitteret, eamque una cum vino hauſto deglutiret. Factum quidem non improbavit Sanctus Bernardus, non quod ad hunc modum conſecrari vinum exiſtimaverit, ſed quod certe ſanctificatum crediderit. Sed tamen non prætermiſit Sanctus Doctor innuere, potuiſſe novum vinum conſecrari, incipiendo ab illis verbis: *Simili modo*. Verba illius Epiſtolæ ſunt hæc: *Vinum fudiſti in Calicem ſuper Hoſtiæ ſacratæ particulam: laudamus, nec ſub tanto articulo melius fieri potuiſſe putamus, arbitrantes, liquorem, etſi non ex Conſecratione propria atque ſolemni in Sanguinem Chriſti mutatum, ſacrum tamen fuiſſe ex contactu Corporis Sacri &c. Ego autem pro mea fatuo ſenſu, ſi mihi idem contigiſſet, quod tibi, vellem ad remedium mali unum e duobus egiſſe; aut ipſum, quod feciſti, aut certe ab illo loco, ubi dicitur: Simili modo poſtquam cœnatum eſt, verba ſacra iteraſſe, & ſic compleſſe, quod reſtabat de Sacrificio.*

„ Sotus D. Thomæ fidus diſcipulus *in 4. ſent. diſt. 13. qu. 2. art. 6.* obſervat, multa conſequi abſurda, niſi Sacerdos qui defectum vini adverterit vel poſt conſumptionem Hoſtiæ valide conſecratæ, vel etiam poſt ſumptionem materiæ ineptæ, quæ erat in Calice, novam Hoſtiam accipiat, eamque ſimul cum novo vino conſecret: aut enim vult Sanguinem duntaxat conſecrare, & ſtatim ſumere, omnibus illis ſignis Crucis & verbis prætermiſſis, quæ fiunt & dicuntur a Conſecratione Calicis uſque ad ſumptionem; aut ea omnia vult iterare. Si prætermittenda patet; cum ea Crucis ſigna & verba jam antea facta & dicta ſint, commemoratis Corpore & Sanguine, nemo non videt, quidquid dictum geſtumve ſit, non fuiſſe legitimum, ideoque iterandum. Si vero ſigna & verba, ut æquum eſſe videtur, iterare velit, cum non amplius præſens ſit Hoſtia conſecrata, cujus tamen itidem & Calicis ſit mentio: *Panem ſanctum vitæ æternæ, & Calicem ſalutis perpetuæ*, &, *Quotquot ex hac Altaris participatione Sacroſanctum Filii tui Corpus & Sanguinem ſumpſerimus*, quod denuo geritur, aut dicitur, itidem illegitimum eſt, niſi alia ſit Hoſtia ſimul cum novo vino conſecranda: *Si tamen hoc perceperit poſt ſumptionem Corporis, debet Sacerdos aliam apponere Hoſtiam iterum conſecrandam ſimul cum Sanguine. Et ratio eſt, quia vel ſufficeret tunc Sanguinem conſecrare, & iterum ſumere, prætermiſſis ſignis & verbis, quæ fiunt a Conſecratione Calicis uſque ad ſumptionem, & hoc non; quia cum in illis tum mentio fiat Sanguinis, quam Corporis, ſequitur, ut quæ illuc uſque facta fuerunt, non fuerint legitima, atque iterum ſint repetenda. Sin autem repetantur omnia, tum quia Hoſtia nulla eſt, pari ratione non fient legitime, quia fieri debent ſimul ſuper Corpus, & Sanguinem, ut vere dicatur, Panem ſanctum vitæ æternæ, & Calicem ſalutis perpetuæ, &, Quotquot ex hac Altaris participatione ſacroſanctum Filii tui Corpus, & Sanguinem ſumpſerimus.*

„ In hunc modum, Sotus paraphraſi quadam S. Thomæ doctrinam exponit, quam innuit etiam S. Antoninus *3. part. tit. 16. cap. 6. §. 1.* Addit porro Sotus, novam hoſtiam ſimul cum novo vino apponere, & conſecrare, rem eſſe quidem facilem ei, qui coram uno, vel duobus Miſſam celebret, non tamen ſi publice celebret, vel coram aliquo inter Primores viros; quo in caſu recte poſſet novum infundere vinum, conſecrare, & ſumere, id-

„ que

que ad evitandum ſcandalum; *His tamen non obſtantibus, licet, ubi homo privatim coram uno, vel duobus celebrat, conſultius ſit D. Thomæ opinionem ſervari; tamen ubi in publico, & præſertim coram aliquo Magnate celebraretur, ad evitandum ſcandalum, & turbationem populi, forte non eſſet abſurdum, ut Sacerdos ſecrete fingens lotionem ſumere, vinum tunc infunderet, & conſecraret, & ſumeret; nam ſcandalum excuſaret, præſertim cum jam facta fuerint ſigna ſuper Hoſtiam, licet non legitime ſuper Calicem.*

„ Quæ explicatio magno excepta eſt plauſu, ut videre eſt apud Azorium *to. 1. Inſtit. moral. lib.* 10. *c.* 23. *§. Secunda opinio*. Et Rubrica Miſſalis, quæ tempore S. Pii V. D. Thomæ opinionem fuerat amplexa. *Si hoc advertat poſt ſumptionem Corporis, vel hujuſmodi aquæ apponat aliam Hoſtiam iterum conſecrandam, & vinum cum aqua in Calice, offerat utrumque, & conſecret, & ſumat, quamvis non ſit jejunus*, eamdem tempore Clementis VIII. doctrinam retinuit, ea tamen addita Soti explicatione: *Vel ſi Miſſa celebretur in loco publico, ubi plures adſint, ad evitandum ſcandalum, poterit apponere vinum cum aqua, & facta oblatione, ut ſupra, conſecrare, & ſtatim ſumere, ac proſequi cætera*: ea vero verba, *ſtatim ſumere*, oſtendunt, omittendas eſſe preces, quæ præſentem Hoſtiam indicant, quæque multos impulerunt ut docerent, non ſatis eſſe, vinum duntaxat denuo apponere, ſed novam Hoſtiam, novumque vinum apponi oportere. Sylveſter doctrinæ D. Thomæ ſectator, qui ſcripſit ante Clementis VIII. tempora, in Summa verbo *Euchariſtia*, ſecundo, nu. 14. ſine dubitatione ulla docet, Sacerdotem, qui poſt ſumptionem Hoſtiæ defectum vini adverterit, debere novam Hoſtiam, itemque novum vinum apponere, & conſecrare, iiſdem adductus, quas ſupra attulimus, rationibus e D. Thoma depromptis. Verum Sylvius D. Thomæ item aſſecla, qui poſt Clementis VIII. tempora ſcripſit, 3. *part. qu.* 80. *art.* 8. alterum ab altero caſum diſtinguit, ut conſtat ex his verbis: *Si Sacerdos poſt ſumptionem aquæ advertat, Calici non infuſum fuiſſe vinum, ſed aquam; tunc etiamſi hoc advertat poſt ſumptionem hujuſmodi aquæ, ſi Miſſa celebretur in loco publico, ubi plures adſint, ad evitandum ſcandalum, poterit apponere vinum cum aqua, &, facta oblatione, conſecrare, & ſtatim ſumere, ac proſequi cætera* &c. *Si autem Sacerdos ſecreto celebraret, ubi nullum foret ſcandali periculum, apponenda eſſet alia Hoſtia, & vinum cum aqua, quæ primum offerri, tum conſecrari, ac deinde ſumi deberet*: & addit, in priori caſu incipiendum eſſe ab illis verbis: *Simili modo*, & proſequendum uſque ad ea; *Hæc & memores*; in poſteriori autem ab illis: *Qui pridie quam pateretur.*

„ Poſſunt etiam defectus occurrere in pane, & vino, puta ſi panis non eſſet triticeus, & vinum vel non eſſet e genimine vitis, aut eſſet acetum; quod ſi accidat, alia via eſt ineunda. Nam ſi Sacerdos id advertit ante Conſecrationem, afferri ſibi jubeat materias idoneas, quæ ſi non reperiantur, Miſſam omittat: ſi vero id advertit poſt prolata Conſecrationis verba, quia invalida eſt Conſecratio, omittat pariter Miſſam; nihil enim egit, nec quidquam propterea eſt, quod ſuppleri oporteat, ut bene obſervat Averſa *quæſt.* 10. *ſect.* 16. §. 4. Si autem id adverterit poſt ſumptionem utriuſque materiæ invalide conſecratæ, cum jam jejunus non ſit, neque neceſſitate urgeatur ad Miſſam celebrandam, recitet ad vitandum ſcandalum Orationes, quæ Communionem conſequuntur, omiſſis iis verbis, quæ Sacramenti perceptionem ſignificant, ac facta Benedictione ad Populum, legat Evangelium S. Joannis, ut docet Quartus *ad Rubricas Miſſalis par.* 3. *ſect.* 2. *dub.* 4. Sed id quia Sacerdoti multum negotii faceſſeret, & magis magiſque augeretur confuſio, conſultius eſſet Miſſam omittere, niſi forte multitudo adeſſet Miſſæ audiendæ: quo caſu poſſet ſubmiſſa voce Sacerdos preces aliquas recitare, quæ ad illam partem Miſſæ non pertinerent, & Benedictionem populo impertiri, quæ immixta extraneis precibus non amplius eſſet pars Miſſæ, ut recte advertit Paſqualigus *de Sacrificio Miſſæ quæſt.* 300.

„ Denique defectus poteſt occurrere in aqua duntaxat, quæ in Calicem infuſa non ſit; atque id ſi advertat Sacerdos ante Conſecrationem Calicis, ſtatim eam in Calicem infundat; ſi vero id advertat poſt Conſecrationem, nihil amplius opus eſt facto, & Miſſam proſequatur; aqua enim non eſt *de neceſſitate*, nec pertinet ad eſſentiam Sacrificii. Ita ſtatuunt Rubricæ Miſſalis; ita docet S. Thomas 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 6. *ad quartum*, & poſt D. Thomam Sotus in 4. *ſentent. diſt.* 13. *qu.* 1. *art.* 6. §. *Quarto contingit*, Gabriel Biel *Lect.* 88. *ſuper Canone verſ. Si vero deprehenderit*, Perſicus *de Sacerdotis Officio l.* 1. *dub.* 7. *num.* 64.

„ Monet Cardinalis Gottus *loc. cit. quæſt.* 1. *de Sacrificio Miſſæ dub.* 4. §. 3. *in fine*, Sacerdotibus attente legendum D. Thomam, ut promptum habeant remedium in ſingulis, qui ſibi caſus in Miſſa poſſunt occurrere, adhibendum. Ejuſmodi nos probantes conſilium, quæ docet facienda in quibuſdam aliis caſibus S. Doctor, hinc abeſſe non patimur, ipſiuſque verba afferemus 3. *part. qu.* 83. *art.* 6. *ad tertium*. *Si muſca, vel aranea in Calicem ante Conſecrationem ceciderit, aut etiam venenum deprehenderit eſſe immiſſum, debet effundi, & abluto Calice, denuo aliud vinum poni conſecrandum. Si vero aliquid horum poſt Conſecrationem acciderit, debet animal caute capi, & diligenter lavari, & comburi, & ablutio cum cineribus in Sacrarium mitti. Si vero venenum ibi deprehenderit eſſe immiſſum, nullo modo debet ſumere, nec alii dare, ne Calix vitæ vertatur in mortem, ſed debet diligenter in aliquo vaſculo ad hoc apto cum reliquiis conſervari: & ne Sacramentum remaneat imperfectum, debet aliud vinum apponere in Calicem, & denuo reſumere a Conſecratione Sanguinis, & Sacrificium perficere.*

Conſentit S. Antoninus 3. *part. tit.* 16. *c.* 6. §. 3. *circa medium*; & idem præſcribunt Rubricæ Miſſalis. *Si poſt Conſecrationem ceciderit muſca, vel aliquid ſimile, & fiat nauſea Sacerdoti, extrahat eam, & lavet cum vino, finita Miſſa comburat, & combuſtio, ac lotio hujuſmodi in Sacrarium projiciatur. Si autem non fuerit ei nauſea, nec ullum periculum timeat, ſumat cum Sanguine*. In caſu vero infuſi veneni Rubrica diſtinguit, ac jubet, Sacerdotem, id ſi ante Conſecrationem deprehenderit, in locum decentem venenatum vinum projicere; ſi vero id adverterit poſt Conſecrationem, novum vinum debet Sacerdos conſecrare, venenatam autem ſpeciem in alium Calicem lino, vel ſtuppa oppletum infundere; ubi tamdiu ſervanda eſt venenata ſpecies, donec exſiccetur; ſtuppa vero comburatur, & cineres in Sacrarium demittantur: *Si aliquod venenoſum ceciderit in calicem, vel quod provocaret vomitum, vinum conſecratum reponendum eſt in alio Calice, & aliud vinum cum aqua apponendum denuo conſecrandum, & finita Miſſa, Sanguis repoſitus in panno lineo, vel ſtuppa tamdiu ſervetur, donec ſpecies vini fuerint deſiccatæ, & tunc ſtuppa comburatur, & combuſtio in Sacrarium projiciatur*. S. Gregorius Turonenſis Hiſtoriæ *lib.* 3. *cap.* 31. ſcribit, diabolum in hæreticorum myſteriis poteſtatem habere; in noſtris autem ne venenum quidem nocere: quod cujuſmodi ſit, & quo ſenſu intelligendum, quæritur, & reſpondetur, S. Gregorium ad eos reſpicere, qui in Hoſtia, ſeu in Calice hauſto veneno, ne antidotum quidem voluerunt ſuſcipere, Dei miſericordia freti, qui eos a veneno ſervavit incolumes. Sed hæc exempla ſunt, quæ demirari poſſumus magis, quam imitari: neque enim tentandus eſt Deus, multique ſanctitate præclari viri, cum ſe vel in Hoſtia, vel in Calice venenum ſuſcepiſſe deprehendiſſent, ea, quæ opus ſunt, adhibuere remedia. Vide Lupum ad Concilium Florentinum ſub Victore II *tom.* 4. *pag.* 4 *primæ editionis*.

Si cui fortaſſe mirum videatur, docere D. Thomam, ſi Sacerdos poſt Conſecrationem deprehendat eſſe aquam in Calice, non ſatis eſſe eum novum vinum apponere, ſed etiam debere novam Hoſtiam accipere, & utrumque conſecrare: in caſu vero, quo Sacerdos poſt Conſecrationem Calicis advertat, venenum vino immixtum, ſatis eſſe novum vinum conſecrare, nec aliam conſecrare Hoſtiam; is mirari deſinat, omnemque ſibi eximat difficultatem, ſi conſideret in primo caſu ſupponi validam fuiſſe Conſecrationem panis, & invalidam Conſecrationem vini; in poſteriori caſu utramque ſpeciem ſupponi valide conſecratam, ac proinde in primo caſu opus eſſe Crucis ſigna, & verba iterare, quod fieri non poteſt, niſi nova Hoſtia conſecretur; illis autem ſignis, & verbis iterandis nihil opus eſſe in ſecundo caſu, in quo, cum utraque ſpecies valide conſecrata fuerit, ſigna, & verba ſuum ſignificatum obtinuerunt: quæ doctrina eſt Soti in 4. *ſent. diſt.* 13. *quæſt.* 1. *art.* 6. *Quod ſi arguas: in ſolutione proxima dictum eſt, quod ſi venenum in Calice deprehendatur etiam ſumpto Corpore, ſatis eſt vinum iterum conſecrare, & ſtatim ſumere: ergo pari modo, dum reperitur eſſe meram aquam. Negatur conſequentia, quia ubi erat venenum, erat legitima Conſecratio: quare verba, & Cruces non erant repetenda, quia legitime fuerant facta. Ubi vero eſt mera aqua, nunquam fuit Sanguis cum Corpore. Scotus ait, ſatis tunc eſſe vinum tantum conſecrare, & ſumere ſine ſignis, & verbis; quia illa non ſunt de eſſentia Sacramenti. Reſpondetur autem, quod licet non ſint de eſſentia, ſunt tamen de præcepto Eccleſiæ, & plurimum habeant ſignificationis, & myſterii: & ideo dum commode ſervari poſſunt, ſervanda ſunt.*

Quidam alii caſus practici habentur explicati in Rubricis, ut ſi ante Conſecrationem, vel ante Oblationem Hoſtia deprehendatur fracta, ſi Hoſtia vel e Sacerdotis manu, frigore rigente, vel ob ejus imprudentiam delabatur in Calicem; ſi per hyemem Sanguis reperiatur in Calice gelu concretus; ſi Sacerdos Sanctiſſimam Euchariſtiam evomuerit; quibus caſibus ſuum cuique conſilium eſt, quod capi oportet, ut videre licet in Rubricis, quo Lectores remittimus. Nunc vero eos defectus perſequemur, qui occurrere poſſunt in forma Con-

„ ſecra-

ſecrationis, & in applicatione Sacrificii, & quid in unoquoque caſu remedii ſit adhibendum, docebimus. Sed antequam eo veniamus, ſedulo illud monendos cenſemus, qui hæc legerint, quemadmodum laudabile conſilium eſt proſpicere caſibus, qui in Miſſæ Sacrificio poſſunt occurrere, & animo præparatum habere, quid in illis facto opus ſit, præſertim in iis, quæ ad panem, & vinum, & ad ſpecies Sacramentales pertinent, quod egregie præſtiterunt Rubricæ; ita periculoſiſſimum eſſe, caſus ſibi comminiſci, & de iis longos inſtituere ſermones; res enim eſt graviſſima, quæque feneſtram impiorum irriſionibus in tremendum Myſterium aperit. Satis ea ſunt, quæ ſcripſimus; iiſque reſponſionibus quiſque acquieſcat, quibus viri doctiſſimi excitatas ab impiis difficultates ſuſtulerunt. Origenes in Matthæum eos increpat, qui Chriſti Corpus in os noſtrum immiſſum inde exire putabant, unde cæteri corporales cibi. Fuere, qui Græcis, ut eorum diſciplinam impugnarent per quadrageſimam non conſecrantium, Stercoraniſtarum errorem exprobrarunt, quaſi exiſtiment Græci, ſumpto pane conſecrato rumpi jejunium: perſpectum eſt enim, ideirco eos in diebus jejunii præſanctificatum panem ſumere, nec panem conſecrare, quia magnum feſtum eſt Sacrificium facere, ſummumque in Eccleſia gaudium ſignificat, quod tempore luctus, & triſtitiæ minime convenire arbitrantur. Vide Grancolas *in Veter. Sacramentar. Eccleſiæ p. 2. edit. Pariſien. ann.* 1699. *pag.* 195. ubi agit de Stercoraniſtarum errore. Sed hæc hactenus. Vir probus, & pius contentus eſto verbis Innocentii III. *l. 4. Myſter. Miſſæ c. 16. Ne ſciat ultra, quam oportet; ſed ſapiat ad ſobrietatem.* Nunc vero ad ea quæ propoſuimus deveniamus.

Quod attinet ad formam, repetendo ea, quæ ſupra dicta ſunt, formam videlicet Conſecrationis panis in illis verbis conſiſtere, *Hoc eſt Corpus meum*, & formam Conſecrationis Calicis in illis: *Hic eſt Calix ſanguinis mei*, dicimus cum Theologis, ſi Sacerdos vocem illam *enim*, quæ in utriuſque ſpeciei Conſecratione profertur, omittat, eum non quidem invalide, ſed illicite conſecrare; ſi quidem illam ſciens, & prudens omitteret, ea enim vox continuat verba Conſecrationis cum præcedentibus verbis, & ex antiqua Romanæ Eccleſiæ conſuetudine in Conſecrationis formam injecta eſt, juxta D. Thomæ doctrinam 3. *part. quæſt.* 78. *art.* 2. *ad quintum*. Idem dicendum de voce *eſt*: ea enim ſubintelligi poteſt, quantum ad Conſecrationis validitatem pertinet. Si loco vocis *Hoc*, dicatur *Iſtud*, valida quidem, ſed illicita erit Conſecratio; ſecus vero ſi diceretur *illud*; non ſolum enim illicita eſſet Conſecratio, ſed etiam invalida: nam *iſtud* rem præſentem ſignificat, ſecus vero *illud*. Item invalida eſſet Conſecratio, ſi quis diceret, *Hic eſt Corpus meum*, ut *Hic* eſſet adverbium; non enim exprimeretur Tranſubſtantiatio; ſecus autem ſi per Grammaticæ errorem diceretur *Hic* pro *Hoc*. Supra diſputavimus, an verba, quæ conſequuntur ea, *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, uſque ad illa, *Hæc quotieſcumque feceritis &c.* pertineant ad eſſentiam, ac nos propenſius declaravimus in eorum ſententiam, qui ſtatuunt, eſſentiam conſiſtere in illis, *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, cætera ad integritatem pertinere. Si quis autem Sacerdos proferat verba, *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, ac cæteris omiſſis, continuet orationem cum illis, *Hæc quotieſcumque &c.* certiſſimum quidem eſt, illum graviſſimum peccatum committere; non eſt autem ita exploratum, propter gravem, quæ adhuc viget inter Theologos controverſiam, conſecrata ne ſit, an non, vini ſpecies. Quapropter Natalis Alexander *Theologiæ Dog. & Moral. lib. 2. de Sacram. Eucharist. cap.* 1. *art.* 4. *regula* 3. docet, ſuper novum vinum iteranda fore *ſub conditione* Conſecrationis verba omnia, & ſingula, ut ſunt in Canone Miſſæ; cæterum religioſa veneratione Sacerdoti ſumendam eſſe ſpeciem, ſuper quam protulerit ſola verba, *Hic eſt Calix Sanguinis mei*; majus enim eſſe periculum in contemptu, & abjectione ſpeciei conſecratæ, quam in veneratione ſpeciei non conſecratæ, quæ tamen bona fide conſecrata exiſtimatur.

D. Thomas 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 6. *ad quintum*, ut omnes evellat ſcrupulos, qui interdum Sacerdotis animo oboriuntur, cum ſcilicet dubitat, an aliquid omiſerit, monet eum qui attente perſequitur animo ea, quæ dicit, etiamſi non recordetur ſe dixiſſe, quæ dicenda ſunt, ne turbetur animo, ſed Miſſam proſequatur. Monet etiam illum, ſi probabiliter ſciat, ſe aliquid omiſiſſe, ut idem faciat; dummodo quod ſibi videtur omiſiſſe, non ſit *de neceſſitate Sacramenti*: quod ſi exploratum ſibi fiat, ſe aliquid eorum omiſiſſe, quæ ſunt *de neceſſitate Sacramenti*, cujuſmodi eſt forma Conſecrationis, debet illud proferre, ac reliqua omnia juxta ordinem iterare, ne Sacrificii ordo immutetur. Et Suarez 3. *p. t.* 3. *q.* 83. *art.* 6. *diſp.* 8. *ſect.* 1. omnem hanc doctrinam in hæc verba ſatis bene compegit, *Si omiſſum eſt aliquod verbum eſſentiale, vel talis facta mutatio, quæ neceſſarium formæ ſenſum abſtulerit, iteranda eſt Conſecratio, vel in utraque forma, ſi in ambabus talis defectus acciderit, vel ſolum in una, ſi in ea tantum inventus fuerit defectus*.

ADDITIO
AD TRACTATUM QUINTUM
DE SACRIFICIO MISSÆ.

SED jam totius hujus Tractatus ſit finis. Nunc ſolum reſtat, ut, ſi adhuc de Miſſæ Sacrificio, quæ fieri potuit claritate, actum eſt, nonnulla ibidem etiam dicantur de iis, quæ in ipſo Sacro vel ſumendo, vel cæteris adminiſtrando ſunt neceſſario obſervanda: cum potiſſimum, atque in primis neceſſarium hoc unum ſit habendum, ut ea omnia de medio tollantur dubia, quorum cauſa evenire aliquando poſſet, ut vel non ſancte, ſicuti par eſt, tam Sancta tractarentur, vel anxius animus, & in pluribus æſtuans difficultatibus, ſeſe nullimode, vel abſque Adſtantium ſcandalo, vel abſque Myſterii tanti irreverentia expedire nequiret. Omiſſis itaque, aliiſque ſervatis (ſunt quippe extenſa nimis, nimiſque, & præter propoſitum, hujus Voluminis augerent magnitudinem) quæ de ſingulis Miſſæ partibus per totum Librum ſecundum prælaudati Tractatus de Sacrificio Miſſæ, in viginti quatuor Capitibus comprehenſa, & pluribus, & mirificis conſperſa eruditionibus, traduntur: in iis ſolummodo inſiſtimus, quæ proximiora ad praxim ipſius Sacrificii ſeſe habent. Sufficiat ergo pro complemento, & quaſi coronide totius hujus Tractatus, quæ extant in Capitibus 17. 18. 19. 20. citati Tractatus, in quibus multa, atque ea neceſſaria ſingulis edocentur Sacerdotes ad tam ſublime Miniſterium vocati, quæ infallibiliter cum in conſummando, tum in adminiſtrando Sacro ipſo ſunt ſervanda. Et primum quoad caſus, qui Sacerdoti poſſunt occurrere, cum vel in Miſſa, vel extra Miſſam, Euchariſtiam ſuſcipit, hæc habentur citato c. 17. l. 3.

Notum eſt, ante ſumptionem frangi Hoſtiam in duas partes, & inde abrumpi a Sacerdote particulam, quæ in Sanguinem immittitur. In ea porro quæſtione, in qua quæritur, utrum ea particula abrumpenda ſit ex inferiore, an ex ſuperiore Hoſtiæ parte, opinio tuta, & recepta in praxi eſt, abrumpendam eſſe particulam ex inferiore parte Hoſtiæ, ut in fractione minima fragmenta, ſi quæ extiterint, in Calicem decidant, ut bene advertunt Niger *in additionibus ad Ruiz part.* 2. *§.* 8. *cap.* 12. & Gavantus *ad Rubricas Miſſalis part.* 2. *tit.* 10. *cap.* 2. Frequenter accidit, ut, Sanguine hauſto, particula remaneat fundo Calicis adhæreſcens. Rubrica autem utrum velint Sacerdotibus præſcribit, ut vel digito particulam trahant uſque ad oram Calicis, eamque ſumant ante purificationem, vel novum vinum infundant, quod cum particula ſumant; qui poſterior modus videtur decentior, & uſurpatur frequentius; etſi enim poteſt contingere, ut Sacerdos guttam aliquam vini hauriat, antequam particulam deglutiat, & rumpatur naturale jejunium; tamen Sacerdos jejunus ad Altare acceſſit, nec niſi coactus reverentia erga Sacramentum, & obligatione illud perficiendi eo modo utitur ad extrahendam particulam e fundo Calicis, ut obſervant Averſa *de Euchariſtia q.* 8. *ſect.* 9. Cardinalis de Lugo *de Euchariſtia diſp.* 15. *ſect.* 4. *nu.* 78. Quartus *ad Rubricas Miſſalis part.* 2. *tit.* 10. *ſect.* 1. *numer.* 7.

Nemo etiam eſt qui neſciat, Sacerdotem, ſumpta Hoſtia, antequam bibat Sanguinem, cum Patena diligenter fragmenta, ſi quæ ſint ſuper Corporale, colligere, & pollice, & indice Patenam abſtergere, tum ipſos quoque digitos, ne quod iis fragmentum hærens remaneat; idque præſcribit Rubrica. Poteſt accidere, & aliquando ſane contigit; ut Sacerdos, ſumpta purificatione, advertat, aliqua eſſe fragmenta in Corporali, vel in Patena, quæritur, quid hac in re Sacerdotem facere oporteat? Cardinalis Cajetanus *Quodlibet* 1. 17. *q.* 17. ubi expreſſe de hac re agit, docet, Sacerdoti ea fragmenta eſſe abſumenda. Conſentit Sotus cum Cajetano *in* 4. *ſent. diſt.* 12. *q.* 1. *art.* 7. *in fin. Quia totum reputatur unum Sacramentum, nec cenſetur perfectum, quouſque omnes reliquiæ abſumantur.* Nec quidquam ex eo commovetur, quod Sacerdos jejunus non ſit; communis enim mos eſt, ut Sacerdos, ſi forte palato particula ſibi hæreat, paullulum vini abſorbeat, quod probabiliter citius trajicitur in ſtomachum, quam particula. Atque idem Sotus addit, hanc doctrinam locum habere, ubi de parvis fragmentis agatur; ſecus vero ſi notabilis eſſet Hoſtiæ pars,

Digitized by Google

quam docet non eſſe abſumendam, ſed in Tabernaculo condendam: *Quare, ſi magnam partem Hoſtiæ in linteolis poſt lotionem inveniret, conſilium eſſet, eam in Pyxide reſervare in craſtinum.*

Sed ut rem hanc dilucide pertractemus, diſtinguendi ſunt caſus; nam aut remanſere fragmenta minima, vel non ita parva, aut integra ſuperfuit Hoſtia; qui caſus neque commentitius eſt, nec impoſſibilis; non enim ſemel tantum contigit, ut Sacerdos Hoſtiam unam exiſtimans ſe conſecraſſe, deprehenderit, ſe conſecraſſe duas, idque poſtquam alteram ſumpſit, & Sanguinem, atque etiam ipſam ablutionem. Si fragmenta remanſerint, ſive parva, ſive magna, etiamſi id adverterit poſt ſumptam ablutionem, ea Sacerdos abſumat, ut docet Sylvius 3. *p. quæſt.* 80. *art.* 8. ubi ait: *Quando reliquiæ Sacramenti poſt ablutionem reperiuntur in Altari, illæ ſive parvæ ſint, ſive magnæ, ſumi poſſunt a Celebrante, quia ad idem Sacrificium ſpectant, & tota Sacerdotis actio habetur tanquam integra*: atque idem docet de fragmentis, quæ remanent, poſtquam Euchariſtiam in fine Miſſæ adſtantibus miniſtraverit: *Eadem ratione, ſi poſt finem Miſſæ manet in Altari, communicans Fideles, quidam exiſtimant, quod illis communicatis, poſſit eas particulas ex iſto Sacrificio reſtantes ſumere, quæ non poſſunt commode ſervari.* Cum qua Sylvii doctrina conſentit Rubrica his verbis; *Quod ſi deprehendat poſt ſumptionem Corporis, & Sanguinis, aut etiam poſt ablutionem, reliquias alias relictas conſecratas, eas ſumat, ſive parvæ ſint, ſive magnæ, quia ad idem Sacrificium ſpectant.* Si vero non fragmenta remanſerint, ſed integra Hoſtia, conſecrata una cum ea, quam Sacerdos jam conſumpſerit, diſtinguendum eſt: aut enim deprehendit Hoſtiam conſecratam antequam Corpus, & Sanguinem ſumpſerit, & utramque Hoſtiam debet ſumere, ut præſcribit Rubrica: *Si Sacerdos, putans ſe tenere unam Hoſtiam, poſt Conſecrationem invenerit eſſe duas ſimul junctas, in ſumptione ſumat utramque*, aut id advertit, ſumpto jam Corpore, & Sanguine, atque etiam ablutione, & tunc Hoſtiam condere debet in Tabernaculo; aut id ſi facere non poſſit, eam in Corporali decenter coopertam relinquat, a Sacerdote, qui poſtea Miſſam celebraverit, ſumendam; aut eam immittat in Calicem, vel ponat in Patena, ut condi poſſit in Tabernaculo, vel ab alio Sacerdote ſumi. Quod ſi nihil horum illi facere liceat, eam ſumat: *Si vero ſit relicta Hoſtia, debet in Tabernaculo reſervari, aut in Patena, vel Corporali Sacerdoti poſtea celebraturo ſumenda relinqui. Quod ſi non habeat, quomodo honeſte conſervetur, poteſt eam ipſemet ſumere, quamvis ablutionem ſumpſerit.* Conſentit Rubrica Miſſalis: *Si vero relicta ſit Hoſtia integra, eam in Tabernaculo cum aliis reponat: ſi hoc fieri nequit, ſequenti Sacerdoti ibi celebraturo in Altari ſuper Corporali decenter opertam ſumendam una cum altera, quam eſt conſecraturus, relinquat; vel ſi neutrum horum fieri poſſit, in ipſo Calice, ſeu Patena decenter conſervet, quouſque vel in Tabernaculo reponatur, vel ab altero ſumatur. Quod ſi non habeat quomodo honeſte conſervetur, poteſt eam ipſe ſumere.* Atque hæc de fragmentis, & de Hoſtia integra; quid autem de parvi moduli Hoſtiis, quæ integræ ſint? Veniuntne ſub nomine fragmentorum, an ſub nomine Hoſtiæ? Eorum probamus opinionem; qui ſtatuunt, eas Hoſtiæ nomine contineri; ita ut ſi parvi moduli Hoſtia remaneat, non adhibenda ſit regula, quam tradidimus de fragmentis, ſed ea, quam propoſuimus de Hoſtia integra, & conſecrata, quam Sacerdos deprehendit poſt Conſecrationem, ſumpta jam altera, & Sanguine, atque ipſa etiam ablutione. Vide Quartum *ad Rubricas Miſſalis p.* 2. *tit.* 10. *ſect.* 2. *dub.* 3.

Caſus hactenus expoſiti pertinent ad Sacerdotem, qui advertat, fragmenta, ſeu Hoſtiam ſupereſſe, antequam abeat ab Altari, ubi Miſsam celebrat. Quid ſi advertat, cum jam receſſit ab Altari, & jam ad Sacriſtiam venit? Ea abſumere fragmenta non videtur bene conſultum; Sacrificium enim jam perfectum eſt; præſertim ſi Sacerdos id adverterit poſtquam Sacris ſe exuerit Veſtibus. Conſultius eſſet ea in Tabernaculo condere, aut Sacerdoti poſtea Miſsam celebraturo ſumenda reſervare; ſed hujuſmodi remedium interdum non licebit adhibere, vel quod in loco, in quo celebravit Sacerdos, nullum ſit Tabernaculum (nam ſacra fragmenta, vel Hoſtiam deferre ad Templum, ubi ſit Tabernaculum, excitare poſset rumuſculos in populo), vel quia nemo præſto ſit Sacerdos Miſsam celebraturus. Quid igitur opus eſt facto? Pontas *Diction. Caſuum conſcient. verbo Miſſa caſ.* 4. docet, Hoſtiam, vel fragmenta Sacerdoti eſse abſumenda, ſi quod ſit irreverentiæ periculum in iis vel reſervandis, vel ad Tabernaculum transferendis. Caſum hunc expendit Patavinus Clerus in Reſolutionibus Moralibus anni 1708. *dub.* 2. *caſ.* 1. menſis Decembris, ut videre eſt apud Zuccherium in ejus ſæpe citato opere. Prudenter ſapiens ille Clerus, ut ſolet, caſum hunc reſolvit, hac adhibita diſtinctione; Aut Sacerdos id adverterit, poſtquam rediit in Sacriſtiam, ac nondum ſacras exuit Veſtes, & tunc ſumere debet, quod ex Sacrificio ſuperfuit. *Sumptio* (ſunt ipſius Reſolutionis verba) *harum reliquiarum poſt Miſſam relictarum eſt complementum ipſius actionis, & Sacrificii, quod moraliter cenſetur durare, donec concurrant hæc duo, & quod adſint talia fragmenta ex ipſo inadvertenter relicta, & nondum ſacris Veſtibus Sacerdos exutus ſit, dummodo non ſtudioſe, aut aliquo impedimento detentus, diu diſtulerit eas exuere, ſed unico contextu, uti fieri ſolet, ab Altari ad Sacriſtiam recta perrexerit, & ibi ſacra menſa reliquias, Paramenta Miſſæ depoſiturus, inveniat.* Aut id advertit Sacerdos poſtquam ſacris ſe Veſtibus exuit, & tunc, ſi in Templo ſit Tabernaculum, aut Sacerdos aliquis exiſtat, qui Miſsam celebraturus ſit, quicquid ſuperfuit e Sacrificio reliquiarum, in Tabernaculo eſt recondendum, aut decenter reſervandum, ut ab eo, qui Miſsam celebrabit, abſumetur. Si vero Tabernaculum ibi non ſit, nec ullus Sacerdos Miſsam celebraturus, quidquid e Sacrificio ſuperfuit, abſumendum eſt; idque etiam faciendum, licet ibi ſit Tabernaculum, ſi prudentum virorum judicio periculoſum eſset a Sacriſtia ad Altare Sacramentum aſportare.

Favet huic reſolutioni vetus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ diſciplina; quæ commemoratur ab Evagrio *l.* 4. *c.* 36. ubi tradit, abſoluta Populi Communione, ſi multum conſecrati panis ſuperfuiſset, morem fuiſse, ut e Schola innocentes pueri accerſerentur, quibus ille panis diſpertiebatur comedendus; qui mos etiam tempore Nicephori retinebatur, ut videre eſt *Hiſtor. Eccl. lib.* 17. *cap.* 25. & in Gallias etiam traductus eſt, ut colligitur ex Can. 6. Concilii II. Matiſconenſis. Si enim ad arcendum omne periculum irreverentiæ, Euchariſtia, quæ ſuperfuiſset, ab innocentibus pueris ſumebatur, multo potiori ratione reliquias Sacrificii ſumere poterit Sacerdos, licet ſacris depoſitis Veſtibus, ubi, niſi abſumerentur, periculum eſset irreverentiæ.

Ut in Corporali, & in Patena Hoſtiæ fragmenta; ita in Calicis cuppa hærere poſsunt guttæ vini in eum immiſſi; idque fieri poteſt, ut Sacerdos advertat, ſumpta jam purificatione. Quid igitur facere oportet? Si guttæ hæreant extrinſecus Cuppæ Calicis; habendæ ſunt tanquam non conſecratæ, & purificatorio abſtergendæ; ſi vero intrinſecus adhærentes reperiantur, etſi quidam putant habendas eſse tanquam non conſecratas, & extergi poſſe purificatorio, utpote ſeparatis a Sanguine, qui fuit in fundo Calicis, nec cum eo facientes unum quid; tamen tutius eſt: eas conſiderare tanquam conſecratas, atque abſumere per ſecundam purificationem, ut ſentit Pontas *l. c. caſ.* 5. & Boucat *t.* 5. *Theol. p.* 4. *pag.* 97. *caſ.* 3.

Poſt Miſsam aliquando fit Proceſſio Sanctiſſimi Sacramenti. Itaque ſi Sacerdos ad Altare recordetur, Hoſtiam, quæ eſt in Tabernaculo, quæque in Proceſſione geſtanda eſt, ante duos, exempli cauſa, menſes fuiſse conſecratam, ac propterea eſse renovandam, quæritur, an poſſit eam, quæ eſt in Tabernaculo, ſumere, & Hoſtiam recens a ſe conſecratam recondere in Tabernaculo in Proceſſione geſtandam? & negando reſpondetur cum Sylvio 3. *p. qu.* 83. *art.* 4. *Peccaret autem graviter Sacerdos, qui Hoſtiam, ſeu formulam unicam in ſua Miſſa conſecratam ſervaret pro Proceſſione, & ejus loco ſumeret veterem: quia ſic agens non participaret de utraque ſpecie tunc conſecrata, ac per conſequens non integre compleret Sacrificium.* Textus eſt apertiſſimus in Can. *Relatum, de Conſecr. diſt.* 2. ubi habetur, non ſolum de hoc Sacramento, ſed etiam de hoc Sacrificio Sacerdotem in Miſsa fieri debere participem: *Nam quale erit illud Sacrificium, cui nec ipſe Sacrificans particeps eſſe cognoſcitur?* Quid autem Celebranti faciendum ſit, dum verſatur in ejuſmodi caſibus, docet idem Sylvius *q.* 76. *art.* 1. *quæſt.* 2. *Obſervandum, quod dum Sacerdos celebrando renovat Sacram Hoſtiam, non poteſt reſervare eam, quam conſecrat, & illam ſolam ſumere, quæ prius conſecrata fuerat, & reſervata, ſed debet conſecrare duas, quarum unam reſervet, aliam ſumat; quia Celebrans ſemper tenetur ſumere utramque ſpeciem tunc conſecratam, eo quod ſumptio maxime ad integritatem Sacrificii pertineat.* Vide Pontas *loc. cit. caſ.* 16. & Cardinalem de Lugo *diſp.* 19. *de Sacram. Euch. ſect.* 5. *n.* 76. ubi imperitos increpat Sacerdotes, qui ſecus faciunt. Et ſane cum Rubrica Miſſalis jubeat, ſi in pane jam conſecrato venenum deprehendatur, novam conſecrari Hoſtiam, quiſque intelligit, haud ita bene per Rubricam fore conſultum, ſi liceret ſumere Hoſtiam in alia Miſsa conſecratam, Debuiſset enim in Rubrica præſcribere (ſi liceret Sacerdoti Hoſtiam ab alio Sacerdote conſecratam ſumere) non ut abſolute alia apponeretur Hoſtia; ſed ut inſpiceretur Tabernaculum, ſi forte ibi eſset Hoſtia jam conſecrata, & ſumeretur.

Et quoniam de Proceſſione Sanctiſſimæ Euchariſtiæ incidit mentio, proponitur caſus de Sacerdote, qui Miſſam celebrans non habet Hoſtiam juſtæ magnitudinis, ſed Hoſtiam parvi moduli; quæritur autem, an conſecrata ejuſmodi parvæ formulæ Hoſtia, poſſit Sacerdos, ne nova re populum ſuſpendat, ad elevationem populo oſtendere Hoſtiam juſtæ magnitudinis, quæ aſservatur geſtanda in Proceſſione? Placet quibuſdam, ut utraque Hoſtia tum magna, tum parva ſimul junctæ eleventur. Sed conſultius eſt, ut Sacerdos populum inſtruat, doceatque, cum neceſſitas urgeat celebrandi Miſſam, nec ſuppetat niſi parvæ formæ Hoſtia, licere eam conſecrare, ſe in hoc caſu verſari; idque omnibus prædictum velle, ne quiſquam miretur, ſi ad elevationem videat oſtendi parvam Hoſtiam. Qua prævia inſtructione, omnis removetur occaſio ſuſurri, qui ſuboriri poſset in populo, ſi Sacerdos priori illo modo vellet uti: opus enim illi eſset Tabernaculum inopportune aperire, & ab Oſtenſorio Hoſtiam amovere; quod ipſe

quo-

quoque animadvertit Patavinus Clerus *dub. 2. caſ. 2. menſis Novembris anno* 1708. apud Zaccherium *in citat. Opere*.

De Sacerdotibus extra Miſſam Euchariſtiam ſuſcipientibus perpauca ſunt dicenda; nam duo tantum quæri ſolent; quorum primum eſt, an extra Miſſam poſſint ſuis manibus ſe ipſi communicare; alterum, an Sacram percipientes Euchariſtiam a Sacerdote celebrante Stolam e collo deferre debeant? Docet Sylvius, Sacerdotem, qui celebrare non poſſit, ſi nullus alius Sacerdos ſit, qui Euchariſtiam illi exhibeat, poſſe ſuis manibus ſe communicare, dummodo abſit ſcandalum, & præcipua quædam ratio ſit, quamobrem Sacramentum percipiat. Idem docent Gonet. *t. 5. de Euchariſtia diſp.* 10. *n.* 19. Clericatus *de Sacram. Euchar. deciſ.* 19. Coton. *l. 2. de Sacramentis controv. 4. de Euchar. num.* 156. *& ſeq.* Card. de Lugo *de Sacram. Euch. diſp.* 18. *ſect.* 1. *num.* 28. *& ſeq.* ubi *num* 35. inter juſtas cauſas ponit etiam, ne in ſolemni aliqua Feſtivitate careat Euchariſtia, & conſentit Quartus *ad Rubricas Miſſalis p. 2. tit.* 10. *ſect. 3. dub.* 1. ſub titulo: *An poſſit quis aliquando communicare ſe ipſam.* De Cleri Communione Feria quinta in Cœna Domini ſcripſimus Inſtitutione 18. Tom. 2. ubi fuſe diſſeruimus de obligatione Sacerdotum ſuſcipiendi a Sacerdote celebrante Euchariſtiam in ea Eccleſia, cui ſunt addicti, Stolam habentes e collo pendentem. Et Rituale Romanum titulo *de ordine miniſtrandi Sacram Euchar.* ita præcipit: *Sacerdotes vero cum Stola communicent.* Ex quo ſatis intelligitur, Sacerdotem, qui Miſſam non celebrat, & vult Euchariſtiam ſuſcipere ab alio Sacerdote, Stolam debere induere; quod nunc uſurpant probi, piique Sacerdotes, ut videre eſt apud Clericatum *loc. cit. in expoſitione caſus Prudentialis num.* 32. *& ſeq.*

De Sacerdote, qui in Miſſa Adſtantes communicat.

Nunc de Sacerdote dicendum, qui Adſtantes in Miſſa communicat; deinde caſus attingemus, cum Euchariſtiam miniſtrat extra Miſſam. Rubricæ Miſſalis præſcribunt ad primum Offertorium, ut Sacerdos, ſublata Patena cum Hoſtia, recitet orationem, *Suſcipe Sancte Pater*, & ſi quæ ſint aliæ Hoſtiæ parvæ formæ, quæ populo ſint diſtribuendæ, ponantur non ſuper Patenam, ſed ſuper Corporale, ſeu in Pyxide, quam Sacerdos aperiat, intentionem habens eas etiam Hoſtias offerendi, ac deinde Pyxidem occludat. Caſtaldus *in Praxi lib. 2. ſect. 4. c. 7.* ſingillatim minima quæque perſequitur, quæ in hoc caſu facienda ſunt, quæ huc redeunt, ut hæ quoque parvi moduli Hoſtiæ, quæ vera ſunt materia Sacrificii, offerantur, ponanturque aut ſuper Corporale, aut in Pyxide, nunquam tamen ſuper Patenam, præſertim ſi multæ ſint, ne forte a Patena, cum in Offertorio elevatur, delabantur; Pixis vero, antequam fiat prima Oblatio, ſuper Corporale locari debet proxime poſt Calicem, eaſque Sacerdos offerendi, & conſecrandi intentionem habere debet; vis enim Oblationis, & Conſecrationis tota, ut alibi diximus, in intentione conſiſtit.

Quibus præmiſſis, ſi forte Sacerdoti ante primam Oblationem materiæ conſecrandæ Pyxis afferatur Hoſtiarum parvæ formæ plena, quæ populo ſint diſtribuendæ, ut ejuſmodi Hoſtiæ a Sacerdote offerantur, & conſecrentur, quæritur, an qui Sacerdos Pyxidem non aperuerit, intentionem tamen habuerit eas Hoſtias offerendi, & ſuo tempore conſecrandi, valide eas conſecraverit? Reſpondetur affirmando, validam fuiſſe Conſecrationem, non tamen licitam; ſiquidem Sacerdos vel per negligentiam, vel per ignorationem earum rerum, quæ ad ejus miniſterium pertinent, omiſit Pyxidem aperire ante Oblationem, & Conſecrationem. Et quod ad validitatem pertinet, eo res redit, ut examinemus, an materia conſecranda præſens fuiſſe dici poſſit. Sed de hoc dubitari non poteſt; nam præſens fuit moraliter; ad præſentiam vero moralem non opus eſt, ut tota materia conſpicua ſit, ut cum plures conſecrantur particulæ, quarum Sacerdos ſingulas non videt, ut advertit Genet *Theol. Mor. t. 3. caſ. 6. ſuper Sacrificio Miſſæ*. Eodem modo caſum hunc decidit Sambuvius *t. 4. poſtremæ editionis caſu* 168. qui notat, Sacerdotem ſaltem virtualem habuiſſe intentionem, quæ ſufficit ad validitatem; nam prope Calicem poſuit Pyxidem; etiamſi eam poſtea non aperierit: neque actu de particulis cogitaverit, quæ in ea continebantur, quando verba conſecrationis protulit.

De præſentia morali materiæ neceſſaria ad validitatem Conſecrationis Theologi diſputant, & docent, moralem præſentiam cognoſci, cum verificari poſſunt verba illa formæ *hoc*, vel *hic*; ex quo negant, poſſe conſecrari materiam, quæ poſita eſſet poſt tergum Sacerdotis, vel quæ abeſſet, ſed menti Sacerdotis eſſet præſens, vel quæ haud ita parum, ſed longe a Conſecrante abeſſet, vel quæ ſejungeretur a Conſecrante per corpus interjectum, quod revera ſeparat, veluti paries, aut quid ſimile. D. Thomas *in 4. Sent. diſt. 11. q. 2. art. 1.* hæc docet; *Non dico, quod Sacerdos poſſet conſecrare totum panem, qui eſt in Civitate ſimul, vel qui eſt in Foro, quia ipſa forma pronominis demonſtrativo utens oſtendit, quod materia conſecranda debet eſſe coram Sacerdote. Unde Sacerdos exiſtens in domo ſua non poſſet conſecrare panem, qui eſt in Altari. Quod etiam non poteſt de toto pane, qui eſt in Foro, neque de toto vino, quod eſt in Cellario, ſed quantacumque ſit quantitas panis, & vini, quæ coram Sacerdote proponitur, credo quod poſſit conſecrari ab ipſo.* Conſentiunt cum Divo Thoma cæteri Theologi. Eſtius *in 4. diſt. 8. p. 6. Requiritur*, inquit, *ut materia ſit præſens Conſecranti: præſens, inquam, humano more, quo videlicet id præſens dicitur, quod velut in uſum humanum aſſumendum demonſtrari poſſit, dicendo: hic eſt.* Sylvius *in 3. p. q. 74. art. 2. Habenda*, inquit, *tamen eſt ratio conſuetudinis humanæ, & judicandum id eſſe præſens, quod more, & uſu hominum, ſeu judicio prudentis viri taliter eſt poſitum, ut pronominis demonſtrativi prolatione poſſit demonſtrari.* Et Philippus Gamachæus *in 3. p. q. 74. c. 4.* huic principio innixus refellit noſtrorum temporum Hæreticos, qui calumniantur, juxta noſtram doctrinam poſſe Sacerdotem panem omnem conſecrare, qui venalis proſtet in Foro; *Itaque ex ſuperioribus refellitur impia hæreticorum calumnia, Sacerdotem ex mente Catholicorum conſecrare ſimul poſſe omnes panes, qui ſunt in Foro, refellitur, inquam, manifeſte, non enim homo in Foro exiſtens habet moraliter omnia illa ſibi propinqua, & præſentia, quæcumque in Foro ſunt, alioquin nec opus ei eſſet ire de loco ad locum, ut, quod quærit, inveniret.*

Major occurrit difficultas in duobus aliis caſibus, quorum primus eſt: an Sacerdoti particulas conſecrandas, & populo diſtribuendas, Præfatione Miſſæ jam incœpta, ſibi allatas liceat conſecrare? Alter eſt; cum Sacerdos Æditui declaravit in Sacriſtia, ſe particulas populo diſtribuendas conſecraturum, & Æditiuus Pixidem attulerit, cum Sacerdos legeret Evangelium, eamque poſuerit ad partem Epiſtolæ, neque id Sacerdos adverterit, quæritur: an particulæ cenſendæ ſint conſecratæ, & populo diſtribuendæ?

Quod attinet ad primum caſum, ſcribunt Auctores, poſſe particulas conſecrari, etiamſi allatæ fuerint poſt primam oblationem, dummodo earum mente fiat oblatio. Quidam affirmant, accipi poſſe particulas conſecrandas, antequam incœpta ſit Præfatio. Alii idem ſentiunt de particulis, quæ afferuntur ante Conſecrationem. Sed communis Sententia eſt; & plerorumque firmata conſenſu, non poſſe particulas conſecrari cum Canon recitari incœperit, etiamſi ageretur de conſecranda particula, quæ afferenda eſſet pro Viatico ad infirmum; eo enim caſu parva quædam detrahi poſſet particula ex Hoſtia Miſſæ, & reſervari pro infirmo. Si particulæ conſecrandæ ſint, ut populo diſtribuantur, prius offerendæ ſunt, ut diximus, ſaltem mente: cumque earum facienda ſit oblatio, cum offertur Hoſtia Miſſæ, facile quivis intelligit, Miſſæ ordinem perverti, ſi particulæ accipiantur conſecrandæ, Præfatione incœpta; id porro, ſi quando faciendum eſt, fieri non debet ſine legitima cauſa, cujuſmodi ea eſſet, ſi magna multitudo parata ad recipiendam Euchariſtiam Sacramento careret. Ita Tamburinus *in methodo celebrandi l. 2. c. 5. §. 2. num.* 8., cujus doctrinam amplexus eſt Clerus Patavinus in reſolutione primi caſus menſis Februarii anni 1708. apud Zaccherium.

Quod ad ſecundum caſum attinet de Pyxide, quæ ponitur ad partem Epiſtolæ, interea dum Sacerdos legit Evangelium, neque id advertit; ubi quæritur, an ex verbis, quæ profert Sacerdos ſuper Hoſtiam, cenſendæ ſint conſecratæ etiam particulæ, quæ ſunt in Pyxide, memoria repetendum eſt, Conſecrationem eſſe faciendam ſuper Petra Sacra, ac Sacerdotem valide quidem, ſed illicite conſecrare particulas poſitas extra Petram Sacram; ſiquidem eas conſecrandi intentionem haberet. Itaque eo res redit, ut videamus, an præſumi poſſit, Sacerdotem habuiſſe intentionem particulas conſecrandi. Quidam negant, poſſe præſumi, Sacerdotem voluiſſe illicite conſecrare materiam locatam extra Petram Sacram, ut videre eſt apud Dianam *Edit. Coord. tom. 2. lib. 1. reſol.* 118. *& ſeq.* Alii contra haud ita durum videtur præſumere eam intentionem conſecrandi; etſi enim illicita eſt intentio conſecrandi materiam, quam Sacerdos novit eſſe extra Petram Sacram, non tamen illicita eſt intentio conſecrandi materiam omnem, quæ præſens eſt, etiamſi incaute in eo loco poſita non fuerit, quo eam locatam oportuit. Atque ea eſt Gamachæi Doctoris Sorbonici Sententia *3. part. quæſt. 74. art.* 4. Verum cum Innocentius XI. propoſitionem illam condemnaverit: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore*, quantumcumque ponderis ei ſententiæ tribuas, quæ ſtatuit, eas particulas eſſe conſecratas, ac populo eas poſſe diſtribui, nihil aliud aſſequare, quam ut probes, eam Sententiam eſſe *ſpeculative* probabilem, quod non ſatis eſt in hac re, in qua debemus tutiore uti Sententia. Quapropter concludendum eſt, particulas non eſſe populo diſtribuendas, ſed aſſervandas, ut in alia Miſſa conſecrentur, quod prudenter advertit Patavinus Clerus in appendice ad Reſolutiones caſuum anni 1708.

Caſus proponitur ejus, qui undecim parvæ formæ Hoſtias coram ſe habeat, & decem duntaxat conſecrare

intendat, neque tamen determinet decem illas, quas velit conſecrare; hic Rubrica advertit deeſſe intentionem, nullamque ex illis Hoſtiis cenſendam eſſe conſecratam; *Si quis habeat coram ſe undecim Hoſtias, & intendat conſecrare ſolum decem, non determinans, quas decem intendit, in his caſibus non conſecrat, quia requiritur intentio*. Quod ſi Sacerdos, Hoſtias, quæ undecim ſunt, putat eſſe decem, ſed conſecrare intendit materiam omnem, quæ ſibi præſens ſit, tunc omnes undecim Hoſtiæ conſecratæ eſſe cenſentur, ut ait Rubrica: *Secus ſi putant quidem eſſe decem, tamen omnes voluit conſecrare, quas coram ſe habebat; nam tunc omnes erunt conſecratæ*. Quamobrem Rubrica Sacerdotem ſedulo monet, ut ſemper intentionem habeat conſecrandi omnes particulas, quas coram ſe habet: *Atque ita ille Sacerdos talem intentionem ſemper deberet habere, ſcilicet conſecrandi eas omnes, quas ante ſe ad conſecrandum poſitas habet*. Doctrinam hujus Rubricæ citat, & ſequitur Natalis Alexander *Theol. Dogm. & Moral. l. 2. de Sacram. Euchar. art. 3. regula 6.* & conſonat Senonenſe Concilium anni 1524. ubi ita decernitur: *Sacerdos plures Hoſtias conſecraturus, intentionem conſecrandi referat ſuper omnes, non ſe referendo ad certum numerum Hoſtiarum*. Idem dicendum eſt, cum Sacerdos inſcius duas conſecrat Hoſtias, putans ſe unam tantummodo conſecrare; nam ſi eam intentionem habet, quam habere debet, conſecrandi quidquid habet in manibus, ambas conſecrat. Sed ſi eam intentionem habeat, quam quidem non habere oportet, illam tantum Hoſtiam conſecrandi, quam oculis videt, tunc illa tantum Hoſtia conſecratur. Vide Salmaticenſes *t. 1. Curſu Morali tra. 5. de Sacram. Euch. c. 4. punct. 7. n.* 128.

Quam ſupra attulimus, Rubrica parum probata fuit P. Serry in Vindiciis Ambroſii Catharini *c. 14. num. 2.* nam ex ea eruitur argumentum adverſus ejus opinionem, quæ decernit, ſatis eſſe ad validitatem Sacramenti ſeriam intentionem externam, etiamſi deſit interna, faciendi quod facit Eccleſia; quæ quidem interna intentio tantum deeſt, ad validitatem Conſecrationis decem particularum, cum Sacerdos decem conſecrat, non determinans ex undecim ante ſe poſitis, quas conſecrare intendat. Quapropter reſpondet, Rubricas non eſſe definitiones Eccleſiæ, ſed regulas e Theologorum Moralium ſcriptis depromptas; nec mirandum, poſitam fuiſſe in Rubricis opinionem in Scholis magis receptam; omnes autem undecim Hoſtias, ſupra quas ſerio Sacerdos formam Conſecrationis protulerit, ex Catharini ſententia conſecratas eſſe cenſeri oportere, etiamſi intentionem habuerit decem tantum conſecrandi. Rubricam denique poſſe ita intelligi, ut non cenſeantur conſecratæ, ſi externo aliquo ſigno Sacerdos declaraverit, ſe non plures, quam decem conſecrare velle. Sed non eſt noſtrum hujuſmodi tricis implicari, qui ſuperius ſtatuimus, ut par erat, neceſſitatem internæ intentionis ad validitatem Sacramenti. Atque ad ea, quæ docuimus, confirmanda, pulcram Durandi doctrinam afferemus expoſitam in Sacerdotali Romano *c.* 54. Caſum proponit Durandus Sacerdotis, qui decem Hoſtias conſecrare vult, ſed intendit omnem materiam, quam coram ſe habet, conſecrare, omnes undecim Hoſtias conſecratas eſſe, propterea quod Conſecratio ab intentione, non ab opinione pendeat. Quod ſi Sacerdos non plures, quam decem intendat conſecrare, ſive ſciat, ſive neſciat, Hoſtias eſſe undecim, decem eſſe conſecratas, ſiquidem determinatam habuerit intentionem conſecrandi decem determinatas, & non undecimam: nullam vero conſecratam eſse, niſi undecimam intentionem ſeparaverit ab aliis decem.

Ne autem a propoſito recedamus de Communione Adſtantium, quibus Euchariſtiam præbeat Sacerdos celebrans Miſſam, quæritur utrum diſtribuere debeat Euchariſtiam, ſtatim ac ipſe eam ſumpſit, an vero abſoluta Miſsa? Rubrica Miſſalis præſcribit, ut non in fine Miſsæ, ſed proxime poſt Communionem Sacerdotis fiat Communio Adſtantium. Conſonat Rituale Romanum, dummodo non aliqua interveniat cauſa, quamobrem ad finem Miſsæ eadem Communio differenda ſit; *Communio autem populi intra Miſſam ſtatim poſt Communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet, niſi quandoque ex rationabili cauſa poſt miſſam ſit facienda; cum orationes, quæ poſt Communionem in Miſſa dicuntur, non ſolum ad Sacerdotem, ſed etiam ad alios communicandos ſpectent*. Eſt autem apud Auctores rationabilis, & juſta cauſa, ſi plurimi adeſsent Miſsæ, & ſuſpicari poſſemus, ne aliqui eorum tædio caperentur finem Miſsæ expectantes; qui finis longe abeſse poſset, ſi multi ad Euchariſtiam ſuſcipiendam accederent. Ita Gavantus *ad Rubr. Miſſalis part. 2. tit. 10.* Quartus *ad eumdem locum pag.* 315. Clericatus *de Sacram. Euch. deciſ.* 20. Baruffaldus *in notis ad Rituale Romanum tit. 24. § 19. n. 78. & ſeq.* Eſt igitur regula, ut Communio fiat Adſtantium poſt Communionem Sacerdotis; cujus regulæ limitatio eſt, ſi juſta interveniat cauſa eam differendi ad finem Miſsæ. Ex quo apparet, eos errare, qui nullo diſcrimine poſt finem Miſsæ Sacram præbent Euchariſtiam, ut bene advertit Cardinalis Brancatius *in Opuſculo de ſacro Viatico pag.* 157. ubi hæc ſcribit, *Damnandi noſtra ſententia videntur Sacerdotes, qui contra Ritualis præſcriptum in tit. de Communione, præbent abſque neceſſitate populo Euchariſtiam in fine Miſſæ: privant enim Fideles iis precibus, quas poſt Communionem Eccleſia recitari jubet, quæque non ſolum ad Celebrantem, ſed etiam ad cæteros Communicantes aperte ſpectare noſcuntur*. Conſentit Natalis Alexander *Theol. Dogm. & Moral. l. 2. de Sacram. Euch. c. 4. regula 6.* & Thiers *t. 1. tra. de Superſtitione c. 2. n. 8. & ſeq.* Macrus *in Vocabulario Eccl. verbo* Communio: *Reprehenſione*, inquit, *digni ſunt ii Sacerdotes, qui Populi Communionem ad finem Miſſæ differunt: hujuſmodi enim abuſus eſt Rubricæ manifeſto contrarius: iis enim precibus privant Fideles: quæ dicuntur non ſolum pro Celebrante, ſed etiam pro cæteris Communicantibus, ut monemur Rituali Romano*. Legi poteſt Catechiſmus Montis Peſſulani *pag.* 633. & Pouget *t. 2. Inſt. Catholicar. pag.* 886. qui eorum Epiſcoporum zelum collaudant, qui vehementer Sacerdotes hortantur, ut Communionem Adſtantibus præbeant, poſtquam ipſi communicaverint, nec ad finem Miſsæ differant. Quibus & ipſi nos aſsentimur; & in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis habetur, *Hoc inſtitutum Parochus ſervare ſtudeat, ut, quod antiquiſſimi juris eſt, intra Miſſarum ſolemnia poſt Sanguinis ſumptionem præbeat Sacram Euchariſtiam*, dummodo tamen, quod ſupra dictum eſt, admittatur, poſse Communionem ad Miſsæ finem differri, ſi magna vis hominum communicare velit, ut obſervat etiam Le Brun *t. 1. pag.* 641.

Decreto Sacræ Rituum Congregationis anno 1701, vetitum fuit ex Gavanti ſententia, ne cuiquam adſtantium in Miſſis Defunctorum Euchariſtia præberetur, cujus ea ratio fuit, quod Sacerdos in fine Miſsæ Communicatis intra Miſſam dat benedictionem, quæ cum non detur in Miſſis Defunctorum, ſatis movit, ut decerneretur, non eſse dandam Communionem adſtantibus a Sacerdote Defunctorum Miſsam celebrante. Sed ea re iterum ſubjecta examini in eadem Congregatione die 21. Martii anno 1711. cui nos adſuimus Promotoris Fidei munus obeuntes, Cardinalis Ferrarius graves difficultates voto ſuo expoſuit, quæ in illo Decreto occurrebant, ut Sacra Congregatio vetuerit, ne Decretum illud anni 1701. vulgaretur, aut ejus exemplar aliquod ederetur; quamobrem non eſt, quod tuto quiſquam eo Decreto uti poſſit. Idcirco Cardinalis Fliſcus Epiſcopus Genuenſis, qui Secretarii Sacræ Rituum Congregationis munus obierat, in Directorio ſuæ Diœceſis typis edito anno 1715. ita ſcripſit; *Propoſito dubio in Sacrorum Rituum Congregatione, an liceat in Miſſis Defunctorum Fidelibus Sacram Communionem miniſtrare, eadem Sacrorum Rituum Congregatio de anno 1701. reſpondit, negative. Verum quia prædicti Decreti copiam extra dari prohibuit dicta Sacra Congregatio ex notis motivis, & cum conſtet ex perſonis de fide dignis, & ex atteſtatione plurimorum ſacrarum Cæremoniarum Magiſtrorum Romæ degentium, ibi prædictum Decretum non obſervari: ideo ne Fideles tam ſalutari, & fructifero Sacramento priventur, & attentis præfata ſuſpenſione, & prædictis atteſtationibus, declaratur, quod in Miſſis Defunctorum Sacra Communio licite miniſtretur*.

Et ſane cum Tridentina Synodus *ſeſſ. 22. c. 6.* nullo diſcrimine poſito inter Miſsas Vivorum, & Defunctorum declaret, ſe vehementer optare, ut Adſtantes Sacramentaliter communicent; & in Canone, qui recitatur, etiam in Miſſis Defunctorum, dicat Sacerdos: *ut quotquot ex hac Altaris participatione ſacroſanctum Filii tui Corpus, & Sanguinem ſumpſerimus &c. Hæc commixtio, & conſecratio &c. fiat accipientibus nobis in vitam æternam &c.*; cumque in Miſſis Defunctorum recitetur Poſtcommunio, & in ipſis Rubricis Miſsalis Defunctorum Urbanus VIII. eam addiderit; *Si qui ſunt communicandi, eos communicet, antequam ſe purificet*, quis negaverit, poſse, & debere Miſsæ Defunctorum Adſtantibus Euchariſtiam miniſtrari, etiamſi Communicantibus dari non poſſit benedictio? Quibus profecto uberrima benedictio eſt, auctorem omnium benedictionum in ſe excepiſse.

Quæſtionem hanc egregii duo Scriptores Romæ nuperrime pertractarunt: quorum alter Abbas Benvenuti Canonicus Lateranenſis anno 1726. Opuſculum edidit, cui titulus; *Sacerdos ad Altare celebrans in Miſſa privata*, ubi caſum hunc proponit: *An Fideles queant communicare in Miſſis Defunctorum?* & reſpondet ex modo allatis rationibus affirmando, dummodo tamen iis exhibeatur Euchariſtia, quæ conſecrata ſit in Miſsa, quam Sacerdos celebrat, non quæ ab alio Sacerdote conſecrata ſit in alia Miſsa, & in Tabernaculo, ſeu in Pyxide recondita; tunc enim ſupponit Communicatis dandam eſse benedictionem, quæ dari non poteſt in nigris Indumentis, & in Miſſis Defunctorum. Alter eſt Meratus in egregio Opere ad Gavantum *p. 1. t. 1. pag. 602. & ſeq.* ubi ex iiſdem, aliiſque rationibus demonſtrat; in Miſsa Defunctorum poſse Sacram Adſtantibus Euchariſtiam diſtribui, nullumque Decretum eſse Sacræ Rituum Congregationis, cujus habenda ratio ſit. Declarat tamen, ſe neſcire, cur in Miſsa Defunctorum diſtribui poſſit Adſtantibus Euchariſtia, quæ in eadem Miſsa conſecrata ſit, non tamen quæ in alia Miſsa ab alio Sacerdote conſecrata ſit, & in Tabernaculo, ſive in Pyxide recondita; inter utrumque enim caſum nullam eſse diſparitatem, novamque omnino eſse ejuſmodi diſtinctionem nullo fundamento ſuffultam. Videatur idem Auctor *loc. cit.* cum quo concludendum eſt, poſse in Miſſis Defunctorum Euchariſtiam, ſive in eadem, ſive in alia Miſsa conſecratam, diſtribui, dummodo id nec fiat ante, vel poſt

Miſ-

Miſſam, ſed intra eandem Miſſam poſt ipſius Sacerdotis Communionem; præſcribit enim Rituale Romanum, ut extra Miſſam miniſtretur Euchariſtia cum Superpelliceo, & Stola coloris, qui Officio ejus diei, vel coloris albi, ut alii qui cenſent, qui color convenit Sacramento Euchariſtiæ: *Cum requiratur* (ſunt verba Merati) *ſemper vel color conveniens diei, ut præſcribit Rituale Romanum, vel color albus valde conveniens Sacramento Euchariſtiæ, ut multi cenſent Doctores.*

Tractationem hanc de Euchariſtia adminiſtranda abſolvamus duobus proponendis quæſitis. Primum eſt, an adminiſtrari poſſit in Miſſa, quæ celebratur poſt mediam noctem Nativitatis Domini, an Feria ſexta in Paraſceve, an Sabbatho Sancto. Alterum eſt, an adminiſtrari poſſit in privatarum domorum Oratoriis. In Baſilica Vaticana, in cujus Canonicorum numero plures annos fuimus, e manibus Sacerdotis celebrantis nocte Nativitatis Domini recipiunt Euchariſtiam non modo Diaconus, & Subdiaconus, ſed etiam omnes Canonici, & Beneficiati, cæterique omnes e Clero, qui non ſunt Sacerdotes. Sed parendum eſt Sacræ Rituum Congregationis Decretis, quæ vetant, ne ea nocte aliæ duæ Miſſæ celebrentur, neque Adſtantibus Euchariſtia tribuatur, propter gravia, quæ inde oriebantur, abſurda. Vide Clericatum *deciſ. 13. caſ. 1. de Sacram. Euch.* Decreta autem ſunt: *Cum ſuperioribus diebus conſulta hac Sac. Rituum Congregatione, an eſſet permittendum celebrare in media nocte Nativitatis Domini poſt Miſſam decantatam ſucceſſive alias duas Miſſas, & in eis Sacram Communionem exhibere Fidelibus illam depoſcentibus? Reſpondit, non eſſe permittendum, ſed omnibus utrumque prohibendam. Nihilominus nonnulli Regulares aſſerentes hoc licere, ſupplicarunt audiri; & Sacrorum Rituum Congregatio, ipſis auditis cum Procuratoribus, & Advocatis, ad relationem Eminentiſſimi Palotti ſtetit in decretis, & reſpondit, iterum prohibendum tam Sacerdotibus celebrare volentibus, quam conſluentibus in media nocte ad Eccleſiam, & Communionem depoſcentibus. Ita decrevit, & ſervari mandavit die 7. Decembris anno 1641.* Hoc Decretum relatum eſt in Indice Decretorum *n. 282. typis edito poſt p. 2. t. 1. Operis P. Merati*, quem Indicem valde accuratum concinnavit Auctor adhibitis Regeſtis Sac. Rit. Congregationis. Item Meratus *loc. cit. pag. 853. n. 13.* pluribus aliis auctoritatibus, & Decretis allatis id ipſum probat.

Feria ſexta in Paraſceve, ne cuiquam, exceptis Infirmis, Euchariſtia tribuatur, vetitum eſt Decreto Sacræ Congregationis Rituum die 19. Februarii 1622. quod tamen Decretum in Regeſtis non reperiri teſtatur idem Meratus *loc. cit. pag. 1122. n. 78.* Certum tamen eſt, nonniſi Infirmis eo die tribuendam Euchariſtiam, etiamſi in illum diem caderet Feſtivitas Annuntiationis Beatæ Virginis, ut *loco cit.* obſervat idem Auctor. Celebre tamen eſt Decretum Congregationis Concilii de quotidiana Communione, paſſim edito in pluribus libris, quod emanavit die 12. Februarii 1679. quo mandatur Ordinariis, *ut curent, ut circa Communionem in Feria ſexta in Paraſceve Miſſalis Rubricæ, & Eccleſiæ Romanæ uſus ſervetur.* Quod quidem abunde probat, prohibitam eo die Communionem, tum quia Rubrica Miſſalis jubet in Miſſa Feriæ quintæ in Cœna Domini aſſervari aliquot particulas pro infirmis, *ſi opus fuerit*, ex quo intelligitur, non aſſervari pro ſanis; tum quia juxta Romanam conſuetudinem Feria ſexta non tribuitur Euchariſtia, ut bene obſervat Eminentiſſimus Cardinalis Petra ad Conſtitutionem 20. Eugenii IV. *tom. 4. n. 81.* Quod autem attinet ad Sabbathum Sanctum, etſi Clericatus *deciſ. 15. de Sacram. Euchar.* conatur probare, nihil eſſe, quo prohibeatur Euchariſtiam eo die miniſtrari; communem tamen exiſtimamus ſervandam eſſe conſuetudinem, nullis, niſi infirmis, Euchariſtiam miniſtrandi. Quamobrem Macrus in *Vocabulario Eccleſiaſtico verbo* Communio: *In Miſſa*, inquit, *Sabbathi Sancti non dicitur ea Antiphona, quæ appellatur Communio, quia non fiebat Populi Communio, quæ ne nunc quidem facienda eſſet, quapropter abuſum puto earum Eccleſiarum, ubi Sabbatho Sancto miniſtratur Euchariſtia: pluris enim facienda eſt Eccleſia, quam privata Fidelium devotio.* De altero quæſito, an Sacerdos in privato alicujus domus Oratorio poſſit Euchariſtiam miniſtrare, jamdiu, & cum Edicto 14. t. 2. demonſtravimus ex communi ſententia, opus eſſe ſpeciali licentia Ordinarii.

De uſu miniſtrandi Euchariſtiam extra Miſſam.

Thiers *de Superſtitione t. 3. c. 2. num.* 8. etſi candide fatetur, tempore Miſſæ miniſtrandam Euchariſtiam poſt Sacerdotis Communionem; tamen nimium ſuperſtitioſe ſacræ antiquitati eum addictum putat; qui Euchariſtiam adminiſtrari non poſſe arbitraretur extra Miſſam. Uſus adminiſtrandi Euchariſtiam extra Miſſam cœpit Hieroſolymæ a Sancti Cyrilli temporibus; confluente enim magna advenarum multitudine ſacram depoſcentium Euchariſtiam, in Eccleſia Orientali fieri minime poterat, ut quoties diſtribuendum eſſet Sacramentum, Miſſa celebraretur, ut oſtendit Mabillonius *in Liturg. Gallicana lib. 1. cap. 9. num. 25. & in Commentar. ad Ord. Roman. n. 9.* Ab Eccleſia Orientali in Occidentalem ea conſuetudo manavit: nec ſane poteſt improbari: publice enim id fieri videmus, & Rituale Romanum tit. *de Ordine miniſtrandi Sacram Communionem*, regulas proponit ſervandas in adminiſtratione Sacramenti extra Miſſam; inter quas ea eſt regula, quam ſuperius attigimus, ut Sacerdos indutus ſit Superpelliceo, & Stola ejus coloris, qui conveniens ſit Officio ejus diei. Et Sanctus Carolus Borromæus primo Concilio Provinciali *p. 1.* jubet, Sacerdotem indui Stola alba, Stola vero rubra, ubi ſervatur Ambroſianus Ritus: *Superpelliceo, & Stola alba, & ubi Ritus Ambroſianus eſt, rubra utatur.*

De Sacerdote extra Miſſam Euchariſtiam miniſtrante proponitur ea etiam quæſtio: an Sacramentum miniſtrans in peccato mortali lethaliter peccet: & quamvis nonnemo contendat, eum non committere peccatum mortale, quia neque Sacramentum conficit, nec quemquam ſanctificat, ſed tantum applicat Sacramentum, ut gratiam operetur, ut videre eſt apud Dianam *Edit. Coord. tom. 1. tract. 2. reſol.* 5. retinenda tamen eſt contraria ſententia, quæ propter ſummam, quæ tanto debetur Sacramento, reverentiam ſtatuit, reum eſſe gravis peccati Sacerdotem miniſtrantem in peccato mortali Euchariſtiam; quia, ut eruitur ex Can. *Ultimo* 15. *q.* 8. *Mali bona adminiſtrando ſe lædunt & unde aliis commodum exhibent, unde ſibi diſpendium præbent.* Et ſane haud magno mentis opus eſt acumine, ut quis videat quantopere peccet, quantamque irreverentiam declaret quiſquis Deo inviſus audet Sanctiſſimum Chriſti Corpus temeratis manibus contrectare, ut optime advertit Card. de Lugo *de Sacramentis in communi diſp.* 8. *n.* 155. Divus Thomas 3. *p. q.* 64. *art.* 6. proponit quæſtionem: *Utrum mali miniſtrantes Sacramenta peccent?* & in hunc modum reſpondet; *Dicendum &c. quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei, & contaminationem Sacramentorum, quantum eſt ex parte ipſius miniſtrantis, licet Sacramenta ſecundum ſe ipſa incontaminabilia ſint: conſequens eſt, quod tale peccatum ex genere ſuo ſit mortale.* In reſponſione autem ad tertium illum duntaxat excuſat a novo peccato, qui, urgente neceſſitate, adminiſtrat in peccato mortali Sacramentum Baptiſmi: *Sic enim patet, quod non exhiberet ſe Miniſtrum Eccleſiæ, ſed ſubveniret neceſſitatem patienti: ſecus autem eſt in aliis Sacramentis, quæ non ſunt tantæ neceſſitatis, ſicut Baptiſmus.* Idem *qu.* 82. *art.* 9. quærens: an liceat a Schiſmaticis Sacerdotibus, excommunicatis, aut peccatoribus Communionem ſuſcipere, vel eorum Miſſæ adeſſe: docet, hujuſmodi Sacerdotes non eo modo, quo æquum eſt, ſua poteſtate uti, eaque abutentes peccatum committere; eum autem, qui cum alterius peccato communicat, ejuſdem peccati participem fieri: ſibi deinde objicit, Sacerdotes, licet peccatores, vere Sacramentum conficere; & reſpondet, quod ſi refugimus ab iis Sacramentum ſuſcipere, vel eorum Miſſæ adeſſe, *non refugimus Dei Sacramenta, quin potius ea veneramur (unde Hoſtia a talibus Sacerdotibus conſecrata, eſt adoranda, & ſi reſervetur, licite poteſt ſumi a Sacerdote legitimo) ſed refugimus, culpam indigne miniſtrantium.*

Culpam igitur, eamque lethalem agnoſcit Divus Thomas in eo, qui gravis peccati ſibi conſcius Sacram Euchariſtiam miniſtrat; quod confirmat etiam *in 4. Sent. diſt. 24. q. 1. art. 3. quæſt. 5. ad ſecundam*, ubi hæc ſcribit: *Eſt de jure naturali, ut homo Sancta ſancte tractet.* Quamobrem legitur in Levitico: *Mundamini, qui fertis vaſa Domini.* Sylvius *in 3. part. quæſt. 64. art. 6.* ſuo more egregie de hac re diſputat, & *q.* 1. ſtatuit: *primo*, eum, qui Sacramentum aliquod ſolemniter in peccato mortali adminiſtret, peccare mortaliter, utpote qui operetur tanquam Miniſter, & magnam committat irreverentiam. *Secundo*, eum, qui, premente neceſſitate, privatim aliquem baptizet, etiamſi in peccato mortali ſit, nonniſi venialiter peccare, qui non operetur ut Miniſter *ex officio*, ſed neceſſitati occurrat. *Tertio*, qui in peccato quodvis aliud adminiſtret Sacramentum, graviter peccare; nec a neceſſitate excuſari, dum operatur tanquam publicus Eccleſiæ Miniſter. *Quarto*, graviter peccare, qui Euchariſtiam in peccato mortali miniſtret; neque enim Sacerdotis eſt tantum eam conſecrare, ſed etiam diſtribuere. *Quinto*, in hoc caſu non duo committi peccata, alterum commiſſionis, ſcilicet irreverentiæ, alterum omiſſionis, ſcilicet pœnitentiæ, ſed unum tantum grave peccatum ſacrilegii committi; pœnitentia enim tum non cadit *per ſe* ſub præcepto, ſed ratione præcepti Religionis, quo jubemur digne tractare Sacramenta; quamobrem in omiſſione pœnitentiæ non reperitur præcipua malitia. Aliam controverſiam tractant rerum moralium Scriptores, an tot peccata mortalia perpetret Sacerdos, quot ii ſunt, quibus adminiſtrat in peccato Euchariſtiam, an vero unum tantum peccatum committat, licet pluribus Sacramentum diſtribuat. Quidam putant unum tantum peccatum committi; omnes enim ejuſmodi actus ejuſdem eſſe generis, & continuari ſine ulla morali interruptione. Alii contra ſtatuunt, tot peccata mortalia committi, quot ſunt

ii, quibus Sacerdos exhibet Sacramentum: ajunt enim, actus, licet continuatos, ejus tamen eſſe naturæ, ut ad unum definitum terminum referantur, in quo integre ſinguli perficiuntur; atque exemplum afferunt fornicationis, quæ ſi bis, aut ter, etiam per actus continuatos cum eadem perſona committitur, tot peccata perpetrantur, quot fornicationes, ob eamdem, quam ſupra innuimus, rationem.

Sacerdos extra Miſſam Euchariſtiam miniſtrans interdum eam exhibet per modum Viatici; de quo argumento quædam breviter perſtringemus. Olim ſi moribundus ſanctam non poſſet Particulam deglutire, mos erat, ut in ejus ſolatium vel particula non conſecrata deferretur, vel etiam conſecrata, ut eam ipſe adoraret, non tamen ſumeret. Narrat Cæſarius *lib. 9. illuſtrium Miraculorum cap. 43.* Mauritium Pariſienſem Epiſcopum Viaticum vehementer flagitaſſe; cumque dubitaretur, ſatiſne illi ſana eſſet mens, delatam illi eſſe a Sacerdote particulam non conſecratam, qua viſa; Mauritium exclamaſſe, *Tolle, tolle, non eſt Dominus Deus*: Sacerdotem propterea ad Eccleſiam reverſum, conſecratam inde particulam ad eum attuliſſe, quam ſumma animi pietate ipſe Mauritius accepit. D. Antoninus *in Chron. 3. p. t. 18. c. 1.* narrat, Hugonem de S. Victore gravi morbo implicitum, Viaticum poſtulaſſe; cumque periculum eſſet de vomitu, allata ad eum particula non conſecrata, in Hugonem ſubodoratum dixiſſe: *Quid eſt quod facere voluiſtis fratres mei? Quare me decipere voluiſtis? iſtud non eſt corpus Domini mei*; allata deinde ſibi particula conſecrata, cum agnoviſſet, ſe illam non poſſe ſumere, dixiſſe: *Aſcendat Filius ad Patrem ſuum, & ſervus ad Dominum ſuum*, ſtatimque particulam ab omnium oculis evanuiſſe, illum autem extremum ſpiritum exhalaſſe. Nunc vero nil quidquam tale faciendum, ut videre eſt apud Thiers *loco cit. num. 18.* Vetuit autem S. Pius V. ne ad moribundos, qui non poſſunt Euchariſtiam deglutire, ſacra particula deferatur, ut videre eſt apud Macrum *in Vocabular. Eccleſ. verbo Euchariſtia*; & in Regeſtis Sacræ Congregationis Concilii extant hæc verba: *Non licet Sanctam Euchariſtiam ad ægrotantes deferre, qui morbi gravitate impediti eam ſumere non poſſunt, ſed venerationis gratia ſolent eam deoſculari. Et ſi forte alique in loco talis eſt conſuetudo, ea prorſus eſt tollenda, quod Pius V. prohibuit.* Quibus autem rationibus id vetitum fuerit, eæ videantur apud Cardinalem de Lugo *Reſponſ. Moral. l. 1. dub. 11.* qui illud etiam monet, in Eccleſia Latina Laicis non licere Sanctam Euchariſtiam tangere, niſi lingua, & ore, dum eam ſuſcipiunt; vanamque, & inanem appellat cum S. Bonaventura quorumdam Sacerdotum devotionem, qui poſt Conſecrationis verba ſtatim Sanctam Euchariſtiam deoſculabantur, eique poſt elevationem iterum oſculum dabant, ut videre eſt apud Thiers *tract. de Superſt. t. 1. c. 2. n. 5.* In quibuſdam tamen Eccleſiæ Belgicæ Ritualibus admittitur, non quidem, ut ad eum Viaticum deferatur adorandum, quem conſtat illud non poſſe ſuſcipere; ſed ad ægrotum, qui ſi forte reperiatur non poſſe Sacramentum ſuſcipere, poſſit Parochus Pyxidem aperire, atque illi Euchariſtiam oſtendere, quam æger adoret, non tamen deoſculetur. Van-Eſpen *Jur. Eccl. p. 2. tit. 4. c. 4. n. 14.*

Alia orta eſt dubitatio, an moribundo, qui Euchariſtiam ſub ſpecie panis deglutire non poſſet, liceret eam præbere ſub ſpecie vini, ſeu ſub ſpecie panis vino conſecrato intincti; qui reſpondebat licere, Concilio Toletano XI. habito anno 675. Sententiam ſuam fulcire poterat; ea enim Synodus Can. 11. ſtatuit, ſi æger ſacram non poſſit particulam deglutire; ut ei præbeatur Euchariſtia ſub ſpecie vini. Sunt etiam alia monumenta Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, ex quibus intelligitur, Euchariſtiam exhibitam fuiſſe ſub ſpecie panis vino conſecrato intincti, ut oſtendunt Martene *lib. 1. de Sacr. Eccl. Ritibus c. 4. art. 10. n. 13.* Card. Bona *l. 2. Rer. Liturgicar. c. 18. n. 3.* & Mabillonius *1. Præfat. in Sæculum III. Ordinis Benedictini n. 75. obſerv. 10.* Vera tamen opinio eſt, id fieri non poſſe; præceptum enim ſuſcipiendi Viaticum non obligat, cum illud gravibus de cauſis ab Eccleſia negatur, compertum autem eſt, Eccleſiam uſum Calicis Laicis, & Sacerdotibus Miſſam non celebrantibus prohibuiſſe, non modo propter plures irreverentias, quæ identidem committebantur, ſed etiam propter hæreſim eorum, qui garriebant, ſub ſpecie panis non contineri Corpus Chriſti vel præceptum eſſe Chriſti, ut Euchariſtia ſub utraque ſpecie ſumatur. Ita reſpondent Suarez *in 3. p. t. 3. diſp. 71. ſect. 3. circa finem.* Cardinalis de Lugo *Reſponſ. Moral. lib. 1. dub. 10. n. 2. & 8.* Clericatus *deciſ. 14. caſ. 2. n. 16. & ſeq. de Sacram. Euch.* Pax Jordanus *t. 1. l. 3. tit. 3. n. 34.* monet, in ejuſmodi caſu poſſe moribundo ſacram exhiberi particulam aqua, vel vino non conſecrato intinctam, ut eam æger poſſit deglutire; lex enim de naturali jejunio ſervando eum non obligat, qui Viaticum ſumit. Nec ſane ad hujus Auctoris Sententiam confirmandam deſunt ex Eccleſiaſtica Hiſtoria argumenta; Euſebius enim *l. 6. Eccl. Hiſt. c. 44.* narrat, Serapionem quemdam decrepita ætate ſenem in limine mortis conſtitutum, puerum miſiſſe Sacerdotem accerſitum, qui ſibi Euchariſtiam afferret: illum autem Sacerdotem, quod ægritudine impediretur, puero Euchariſtiam tradidiſſe, eique imperaſſe, ut aqua madefactam in os ægri injiceret: *In aqua intinctam ſeni in os inſtillaret, qua ille paullatim abſorpta, continuo animam exhalavit*: verba ſunt Euſebii ex verſione Valeſii; & Sanctus Uldaricus *l. 3. antiquarum conſuetudinum Cluniacenſium c. 28. t. 4. Spicilegii* teſtatur, conſueviſſe Monachis infirmis præberi Euchariſtiam ſub ſpecie panis vino non conſecrato intincti.

Alia, quæ in Sacra Euchariſtia adminiſtranda obſervari debent.

Plura alia ſunt ſcitu digna, quæ ad Sacram Euchariſtiam pertinent miniſtrandam. Primum eſt, non licere ad falſam confovendam devotionem, uni vel plures particulas, vel majoris moduli Hoſtiam præbere. *Epiſcopi, Parochi, ſeu Confeſſarii inſuper admoneant, nulli tradendas plures Euchariſtiæ, formas, ſeu particulas, neque grandiores, ſed conſuetas*: verba ſunt Decreti Sac. Congregationis Concilii de quotidiana Communione, quod approbavit Ven. Dei Servus Innocentius XI. die 12. Februarii 1679. atque ad hanc rem mirifice faciunt verba Canonis: *Ubi pars, diſt. 2. de Conſecr. Ubi pars eſt Corporis, eſt & totum. Eadem ratio eſt in Corpore Domini, quæ in Manna, quod in ejus figura præceſſit, de quo dicitur; Qui plus collegerat, non habuit amplius: neque qui minus paraverat, invenit minus. Non eſt omnino quantitas viſibilis in hoc æſtimando Myſterio, ſed virtus Sacramenti ſpiritualis.* Conſentit S. Thomas *3. p. q. 79. art. 7. ad tertium.* Legendus eſt etiam Thiers *t. 2. tra. de ſuperſtit. edit. 3. l. 3. c. 2. n. 14.* qui multis rationibus, & auctoritatibus morem illum improbat; qui in illuſtrioribus Galliarum Monaſteriis quarumdam Sanctimonialium invaluerat, ut majoris devotionis gratia plures acciperent particulas; quam conſuetudinem teſtatur ſibi licuiſſe omnino abolere.

Alterum eſt, olim juxta veterem diſciplinam licuiſſe, ad aliquod delictum detegendum, ei, qui ſuſpicione ejuſmodi premeretur, Euchariſtiam offerre, ut videre eſt in veteri purgatione vulgari *per aquam frigidam*; in qua purgatione, antequam in aquam dejicerentur ii, qui alicujus delicti laborarent infamia, Miſſa a Sacerdote celebrabatur (*Miſſam judicii* appellabant). Sacerdos autem, priuſquam eos communicaret, admonebat, ne Sacramentum ſuſciperent, ſi objecti criminis ſibi eſſent conſcii; quod ſi tacerent, communicabat illis verbis: *Corpus hoc, & Sanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit tibi ad probationem hodie*, ut videre eſt apud Baluzium *t. 2. Capitular. Regum Franciæ, inter veteres formulas Exorciſmorum c. 2.* Verum cum cæteris omnibus vulgaribus purgationibus ea etiam, de qua loquimur, a Sacris Canonibus eſt ſublata; non enim hoc Sacramentum Chriſtus inſtituit, ut ſontium reatus reperiretur; neque id fieri poteſt, quin ipſe tentetur Deus; præterquam quod occaſio offertur Sacramentum indigne ſuſcipiendi iis, qui ne ſontes deprehendantur, Sacram Euchariſtiam ſumere non perhorreſcant. Neque enim omnes eſſent S. Gregorio VII. ſimiles, qui, teſte Lamberto, cum coram Henrico Rege Miſſam celebraret, poſſetque multorum teſtimoniis objecta ſibi criminationes diluere, ait: *Ego tamen, ne humano potius, quam divino niti videar teſtimonio, ut ſatisfactionis compendio omnem omnibus ſcandoli ſcrupulum de medio auferam, ecce Corpus Dominicum, quod ſumpturus ero, in experimentum mihi hodie fiat innocentiæ meæ, ut omnipotens Deus ſuo me hodie judicio vel abſolvat objecti criminis ſuſpicione, ſi innocens ſum, vel ſubitanea interimat morte, ſi reus.* Neque itidem omnes ſunt, cujuſmodi fuit Henricus Rex, qui invitatus ad ſuſcipiendam Euchariſtiam, ut, ſi innocens eſſet, hac ratione ſe a criminationibus, quibus premebatur, liberaret, cum ipſe ſibi male conſcius eſſet, oblatam renuit conditionem, cauſatus nullam hujuſmodi purgationi vim futuram, quod abeſſent accuſatores, oravitque Pontificem, ut rem omnem Concilio Generali committeret, in quo accuſatores adeſſent; quemadmodum factum eſt. Eſtius *in 4. Sent. diſt. 9. §. 4.* in fine ita ait: *Ejuſmodi diſpenſatio non ſit ſine tentatione Dei: item per hoc manifeſte datur occaſio indignæ ſumptionis Euchariſtiæ, dum ille, qui crimen commiſit, nolens ſe prodere, cum cæteris accedit ad Menſam Domini.*

Sed materiam hanc optime tractavit Vaſquez *t. 3. in 3. p. D. Thomæ diſp. 210. cap. 1. 2. & 3.* duos enim expendit Canones, quos refert Gratianus *in cauſa 2. quæſt. 5.* eorum alter eſt Can. *Si Epiſcopo*, alter Can. *Sæpe*, quibus admittitur purgatio per Euchariſtiam, aitque, nuſquam eos textus aliis Canonibus poſteriori tempore conditis emendatos reperiri. Itaque declarat, rationem illam ſibi non probari, qua freti nonnulli licere negant ejuſmodi purgationem adhibere. Ea enim ratio huc redit, quod vel per ipſam tentatur Deus, vel nefas eſt illi Euchariſtiam tribuere, quem gravi adſtrictum crimine ſuſpicamur. Verum cum nullum petatur ſignum, quo potentiæ divinæ periculum fiat, idcirco omne abeſt peccatum tentationis Dei: & quemadmodum vetitum non eſt, ab eo, qui de gravi ſit ſuſpectus crimine, jusjurandum exigere, (is enim, qui jusjurandum defert, veritatem explorat, ac præſumit, eum, cui defertur, verum malle dicere, quam perjurio ſe adſtringere; hic porro etiamſi pejeret, culpa non poteſt in eum conferri, qui

jura-

juramentum exegerit) ita qui ei offert Euchariſtiam, qui de commiſſo gravi crimine ſit ſuſpectus, nullum videtur peccatum in ſe admittere, cum eam offerat veritatis comperiendæ gratia; credit enim; atque etiam credere debet, eum, qui ſibi male conſcius ſit, Euchariſtiam non ſuſcepturum. Quod ſi quis gravi crimine obſtrictus, ne peccatum ſuum palam faciat, Euchariſtiam ſuſceperit, ei culpa omnis tribuenda eſt, nec qui offerat, ullo modo culpandus. Deniquè concludit Vaſquez, licet ejuſmodi ſuis ſpeculationibus videatur ineſſe aliquid veritatis, non tamen licere hoc tempore eam purgationem offerre, quæ jam exoleverit; neque enim in conſuetudinem revocandum, quod uſu fuerit abrogatum, per Text. in cap. *Ex tuarum, de purgatione Canonica*.

Tertium eſt, non licere Hoſtiam non conſecratam pro conſecrata peccatori offerre, qui paratus ſit Sacramentum in peccato ſuſcipere, præſertim propter periculum idololatriæ, cui obnoxius eſt tum qui Euchariſtiam ſuſcipit, tum alii, qui adſunt. Celebris eſt Innocentii III. Decretalis in cap. *de Homine, de Celebr. Miſſarum*, ubi hæc habentur: *Cum ergo falſa ſint abjicienda remedia, quæ veris ſunt periculis graviora, licet is, qui pro ſui criminis conſcientia reputat ſe indignum, peccet graviter, ſi ſe ingerat irreverenter ad illud; gravius tamen videtur offendere, qui ſic fraudulenter illud præſumpſerit ſimulare: cum ille in ſolius Miſericordis Dei manum incidat; iſte vero non ſolum Deo, cui non veretur illudere, ſed populo, quem decipit, ſe adſtringat*, Idem docet D. Thomas 3. *p. q.* 80. *art.* 6. *ad ſecundum*, & *Quodlibet*. 5. *q.* 6. *art.* 2. *ad tertium*, ubi hæc ſcribit: *Stultus eſſet Medicus, qui cum majori ſuo periculo minus periculum infirmi vellet impedire, puta ſi vellet ipſe venenum bibere, ne infirmus biberet vinum. Multo autem magis peccat Sacerdos fictionem faciens in Sacramento Chriſti, quam peccator indigne ſumens: unde ſtultus eſſet Sacerdos, ſi, ut vitaret peccatum ſubditi, ipſe gravius peccaret fictionem faciens in Sacramento veritatis*. Vigeſimanona eſt propoſitio inter eas, quas condemnavit Vener. Dei Servus Innocentius XI.; *Urgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi*; quo Pontificis Decreto ſublata eſt omnis cavillandi ratio eorum, qui quoquo modo ſententiam ſuam tueri nitebantur, poſſe non conſecratam particulam exhiberi pro conſecrata peccatori homini, ne publica aſpergeretur infamia; ut videre eſt apud Vivam *in Commentario ad eam propoſit. condemnatam*.

Cæterum certæ, ac firmæ præſtitutæ ſunt regulæ, quas adhiberi oportet, ubi publici peccatores Euchariſtiam poſtulant. Has proponit D. Thomas 3. *p. q.* 80 *art.* 6. Vel enim peccator manifeſtus eſt, eique Sacerdos Euchariſtiam negare debet, ſive ille Sacramentum publice petat, ſive privatim. Manifeſtus autem peccator ille cenſendus eſt; de cujus gravibus ſceleribus compertum eſt vel ex ſententia Judicis, vel ex illius confeſſione in judicio, vel ipſius facti evidentia, quæ omnino diſſimulari non poſſit. Vel peccator occultus eſt, qui ſi publice Euchariſtiam petat, exhibendum eſt ei Sacramentum, ne reſpergatur infamia; ſi vero eam privatim poſtulet vel a Parocho, vel ab alio Sacerdote, deneganda eſt illi Euchariſtia, admonenduſque, ne eam publice petat. Videatur Sylvius *in* 3. *part. quæſt.* 80. *art.* 6. *q.* 1. & 2. ubi caſum proponit Sacerdotis, qui ex Sacramentali Confeſſione peccatum occultum compertum habet, quæritque, an peccatorem privatim poſtulantem Sacramentum a Communione poſſit rejicere, atque explicans ea, quæ ſcripſerunt D. Thomas, Durandus, aliique *in* 4. *ſent. diſt.* 9. docet, Sacerdotem non poſſe peccatorem ejuſmodi rejicere, niſi alia cauſa ſit præter peccatum in Sacramentali Confeſſione cognitum. Huc referri poteſt Decretalis in cap. *Si Sacerdos, de Officio Judic. Ordinarii*, ubi hæc de Judice præſcribuntur: *Si ille, cui damnum illatum eſt, petierit juſtitiam, poteſt excommunicare auctorem damni, licet etiam ei confeſſus ſit: ſed tamen non nominatim poteſt eum removere a Communione: licet ſciat, eum eſſe reum, quia non ut Judex ſcit, ſed ut Deus*.

In quibuſdam olim Regnis ſontibus reis, morti deditis, propter aliquod perpetratum ſcelus, Euchariſtia, etiam eam poſtulantibus, negabatur. Ea conſuetudo fortaſſe ex Concilio Illiberitano traxit originem; *Placuit, inter eos, ut qui poſt Fidem Baptiſmi ſalutaris, adulta ætate ad Templum Idoli idolatraturus acceſſerit, & fecerit, quod eſt crimen principale, nec in fine eum Communionem ſuſcipere*. Mendoza in notis ad illud Concilium apud Card. de Aguirre *tom.* 1. *Concil. Hiſpaniæ pag.* 340. textum illum docet, intelligendum eſſe de Euchariſtia, multaque alia congerit Statuta Canonum, præſertim Eccleſia Hiſpaniæ, & contendit, nunquam, quantumvis ſceleſto peccatori negatam fuiſſe in mortis articulo ſacramentalem abſolutionem, Euchariſtiam vero negatam fuiſſe peccatoribus ejuſmodi etiam petentibus. Juveninus *de Sacramentis diſſert.* 4. *de Euchar. q.* 6. ait, in Gallia, & Hiſpania Euchariſtiam negari iis, qui capite ſunt damnati, multaſque affert rationes ad hanc diſciplinam tuendam. Apud Indos miſeris hiſce hominibus exhibetur Euchariſtia, ut conſtat ex primo Concilio Limano ſub S. Turribio anno 1582. habito, quod approbavit Apoſtolica Sedes, ut videre eſt *c.* 22. Apud Cardinalem de Aguirre *tom.* 4. *Conc. Hiſpan. pag.* 238. *Ii, qui propter facinora commiſſa capitis damnati ſunt, pridie quam ad patibula a Magiſtratu ducantur, Communione Chriſti Corporis muniantur, quo patienter, & cum ſalute animæ pœnas corpori debitas ferant*. Nobis eorum Regnorum conſuetudinem neque probare eſt animus, neque refellere. Illud non diſſimulamus, egregiis pluribus viris eam minime probari, ut videre eſt in Quodlibeto Joannis Molani edito poſt Tractatum *de Picturis, & Imaginibus ſacris*. Apud Italos, & Germanos capite plectendis præbetur Euchariſtia, dummodo pœnitentiam ſuorum peccatorum præſeferant, Euchariſtiam petant, eaque non indigni ab iis exiſtimentur, quorum eſt de ea re judicare: atque ejuſmodi conſuetudinem, ubi ea invaluit, retinendam putamus cum Merbeſio *in* 3. *p. Summæ Chriſtianæ q.* 17. De ea re ſcripſit etiam Grancolas *in vet. Eccleſiæ Sacramentario p.* 1. *pag.* 290. eam enim, ait, eſſe apud Gallos conſuetudinem, ut capite plectendi Euchariſtia priventur. Et Comiti Stabuli Sancti Pauli morti jam addicto anno 1475. poſtquam Sacramentali ſe Confeſſione expiaſſet, flagitanti Euchariſtiam, ac repulſam paſſo, pro Sacramento panem benedictum oblatum narrat. Robertus Pullus Cardinalis, qui vixit ætate S. Bernardi, *in lib. Sent. cap.* 53. contendit, non eſſe morte plectendis adminiſtrandam Euchariſtiam, neque dedecorandam, aut privandam jure liberandi damnatos, cum enim illud jus Eccleſiæ materiali competat, multo magis debetur Euchariſtiæ. Sed hanc rationem evertit Gloſſa in Can. *Quæſitum* 13. *q.* 2. quæ ait: *Corpus Chriſti eſt cibus animæ, & non corporis: ergo animam liberat, & non corpus*. In Mechlinienſi quadam Synodo anno 1607. ita ſtatutum eſt: *Ultimo quoque ſupplicio afficiendis tempeſtive de Sacra Euchariſtia provideatur*. Expendenda illa vox *tempeſtive*, ut Communionem inter, & mortem ſpatium aliquod temporis interjiciatur, quo ſpecies Euchariſticæ conſumantur.

Non prius Operi huic noſtro finem imponemus, quam Sacerdotes ſedulo moneamus, ut omni ſtudio, & diligentia caveant, Miſſam celebrando, & Euchariſtiam miniſtrando, ne qua particula, aut conſecrati vini gutta in Altari, aut in terra decidat. Quod ſi forte contigerit, regulas ſervent, quæ præſcribuntur in Rubricis: pœnæ in eum, cujus negligentia gutta Sanguinis extra Calicem efflueret, ſtatuuntur in Can. *Si per negligentiam, de Conſecr. diſt.* 2. Etſi autem pœnæ illæ obſoleverunt, tamen Eccleſiæ moderatoribus reſervata eſt facultas alias infligendi, ne impune ſit iis, qui in tanto Myſterio negligentes ſint. Contigit aliquando, ut ſacra particula, vel ejus fragmenta in feminæ pectus delaberetur: quo caſu decet, ut non Sacerdos, ſed ipſa femina particulam, vel fragmentum quærat, & ſuis ipſa manibus ſibi in os injiciat. Ita docet Quattus *ad Rubricas Miſſalis p.* 3. *tit.* 10. *num.* 15. in text. Rubricæ *dub.* 1.

TRACTATUS SEXTUS
DE
VIRTUTE PŒNITENTIÆ.

POEnitentia ſpiritualis vitæ reparatrix, & malorum omnium a peccato illatorum ſalutare remedium eſt; hac enim vitia noſtra curantur adeo feliciter, ut in priſtinam ſanitatem, Dei amicitiam, filiorum libertatem, Jus Regni, & ſpem ſalutis revocemur. Ex Virtute facta eſt Sacramentum a Chriſto Domino, per quod ſui Sanguinis meritum applicatur peccantibus, ut non excuſanti, ſed ultro aperienti peccata dimittat; quia tamen prius Virtus eſt, quam Sacramentum, ſiquidem in omni ſtatu ſemper extitit, omnibuſque Sæculis, ex quo peccatum graſſari cœpit, fuit neceſſaria, taliſque foret in præſens, etiamſi non eſſet Sacramentum; ideo prius conſideranda eſt natura, & quidditas illius Virtutis, deinde quidditas Sacramenti.

CAPUT I.

De quidditate Virtutis Pœnitentiæ.

DUBIUM I.

An Pœnitentia ſit Virtus?

POEnitentiæ nomen derivatur a *Pœna*, ut *pœnitere*, idem ſit quod *pœnam tenere*, & Pœnitentia ſit *pœna tenenda*, ut interpretatur Auguſt. *lib. de vera, & falſa Pœnitent. cap.* 19. Inde non importat ſolam animi reſipiſcentiam, peccati cognitionem, & nudum propoſitum vitæ novæ inchoandæ, ſed importat etiam retractationem præcedentium culparum, illarumque dolorem, & punitionem, ut peccator in ſe puniat, ulciſcendo id, quod commiſit peccando, ut tradunt communiter Patres, qui Pœnitentiæ ſemper adjungunt dolorem, & macerationem; unde etiam *cap.* 1. *diſt.* 3. *de Pœnit.* ex D. Ambroſio dicitur, quod *Pœnitentia eſt mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere*, Nazianz. orat. 39 Pœnitentiam vocat *Baptiſmum lacrymarum, & Baptiſmum laborioſum*. Auguſtinus 7. de Trinitate cap. 4. illam vocat *Crucifixionem interioris hominis*: & Epiſt. 108. *Pœnitentia*, inquit, *eſt pœna quotidiana, qua pectus tundimus, dicentes; dimitte nobis debita noſtra*.

2. Hæc Pœnitentia dupliciter ſumi poteſt: primo, pro ipſo dolore & actuali deteſtatione peccati: ſecundo, pro habitu & virtute hominem inclinante ad ſatisfaciendum Deo pro peccato. Primo modo definiri poteſt deteſtatio, & dolor animi de peccato, quatenus de offenſa, & injuria Dei intentione eam abolendi, & compenſandi: quæ definitio ſumitur ex D. Thoma 3. *part. quæſt.* 85. *art.* 3. *& art.* 1. *ad tertium*. Alio modo definitur, *Virtus ſupernaturalis inclinans hominem ad ſatisfaciendum Deo pro injuria, & offenſa illi facta, & ad conſervandum jus divinum illæſum*: pro cujus explicatione videndum eſt, *an Pœnitentia ſit virtus, qualis, quodve illius objectum*, de quibus ſucceſſive dicam.

3. Reſp. Pœnitentia, per quam peccata deteſtamur, eſt vera, & ſimpliciter virtus, ipſiuſque actus eſt virtuoſus, honeſtus, & laudabilis. Hæc ultima pars videtur definita in Tridentin. *ſeſſ.* 14. *capit.* 4. *& can.* 5. ubi tanquam hæretica rejicitur Sententia dicentium, per Contritionem fieri hominem hypocritam, & magis peccatorem: & probatur, quia in Scriptura paſſim commendatur pœnitentia, & dolor de peccatis, imo etiam præcipitur Matth. 4. *Pœnitentiam agite*, & cap. 9. *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam*. Lucæ 13. *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis*. Sed præceptum non eſt, niſi de actibus laudabilibus ad virtutem ſpectantibus, ſiquidem Legislator intendit facere homines ſtudioſos, & virtute præditos, 2. *Ethicor. c.* 3. ergo actus Pœnitentiæ eſt virtuoſus, honeſtus, & laudabilis, eſtque meritorius, & Deo acceptus.

4. Probatur prima pars; *Virtus ex Philoſopho* 2. *Ethicor. cap.* 6. *eſt habitus in materia debita difficili cum deliberatione, & electione operans id, quod eſt rectæ rationi conforme*; at pœnitentia eſt hujuſmodi, nam rationi conſentaneum eſt deteſtari peccata, pœnitere de commiſſis, ſatisfacere Deo offenſo, compenſare divinam injuriam, & ſimilia, quibus pœnitentia ſolet explicari; peccatum, ut emendabile, eſt materia debita ad eligendum, ſicut eſt materia debita ad deteſtandum, ut eſt offenſa Dei: quod ſit in materia difficili, per ſe patet, quia fugere, & odiſſe ea, quæ maxime delectant, quæ carni, & ſanguini ſunt grata, non poteſt non habere difficultatem, & quotidiana conſtat experientia. Verſatur etiam inter duo extrema, ut eſt gaudium de peccatis proprium illorum, qui lætantur cum male fecerint, & triſtitiam deſperationis, qualis fuit illa Cain, & Judæ; ergo Pœnitentia, quæ aſſumit moderatum dolorem de peccatis a ſe commiſſis, ad effectum illa deſtruendi, & emendandi, eſt vera virtus. Talis vocatur a Patribus D. Gregor. *Epiſtol.* 36. *lib.* 9., & D. Chryſoſt. *homil.* 23. *in Matth.* dicente: *Non eſt aliquod peccatum, quod non cedat pœnitentiæ virtuti*. Deinde habitus inclinans ad actus honeſtos, laudabiles, & virtuoſos, eſt vera virtus: talis eſt habitus pœnitentiæ; ergo eſt vera virtus.

5. Dicens; omnis virtus debet eſſe per ordinem ad bonum, nec debet præexigere contrarium ipſius; at pœnitentia dicitur per ordinem ad malum, ſcilicet peccatum, quod reſpicit, quodque ſupponit in ſubjecto; ergo non eſt virtus. Conf. quia ex Ariſtot. 4. *Ethicor. cap.* 7. *&* 9. ideo verecundia non eſt virtus, quia cum ſit de turpi facto, illud præſupponit in habente: ergo, ſi pœnitentia præſupponit peccatum in ſubjecto, non poteſt eſſe virtus, omiſſis aliis reſponſionibus.

6. Reſp. ex virtutibus alias verſari circa bonum proſequendum, alias vero circa malum avertendum, & fugiendum; hujuſmodi eſt pœnitentia, quæ in malo deſtruendo tanquam medicina quædam verſatur, ſicut juſtitia vindicativa verſatur circa malum ulciſcendum, & fugiendum, & licet verſari circa malum per actum amoris, & proſecutionis non ſit actus virtutis, bene tamen verſari circa malum per actum averſionis, fugæ, ſiquidem odiſſe malum, illudque avertere, & fugere bonum eſt, honeſtum, laudabile, & conforme rationi. Nulla virtus ſimul compatitur in eodem ſubjecto præſentiam ſui contrarii, non eſt tamen contra rationem virtutis, ut ejus contrarium in ſubjecto præceſſerit, cum ex vitioſo quis poſſit fieri virtuoſus.

7. Ad confirm. dico, verecundiam non eſſe actum voluntatis electivum, ſed paſſionem quamdam appetitus ſenſitivi cum quadam corporis mutatione, nimirum cum rubore; nam quis erubeſcit, etiam invitus, quando deprehenditur in turpi facto, & ſic non poteſt eſſe virtus, quæ ſpectat ad electionem voluntatis. Nec dicas, pœnitentiam pariter eſſe paſſionem appetitus ſenſitivi cum immutatione, & alteratione corporis, ut patet ex triſtitia, & fletu pœnitentis; contra enim dico, dolorem ſenſibilem, qui eſt paſſio appetitus ſenſitivi cum immutatione corporis, non eſſe actum virtutis, quamvis poſſit eſſe materia virtutis, ſicut aliæ paſſiones dicuntur eſſe materia virtutis, in quantum poſſunt redigi ad debitam mediocritatem; bene tamen ſi ſumatur dolor pro actu voluntatis liberæ, & ex electione dolentis de peccatis commiſſis, cum debito modo, & fine præſcripto a recta ratione.

DUBIUM II.

An Pœnitentia ſit virtus ſpecialis, diſtincta ab aliis virtutibus.

8. CErtum eſt, Pœnitentiam ſumi poſſe generaliter pro quacumque virtute, ſeu pro aggregatione, & collectione omnium virtutum, ea ratione, qua juſtitia ſumitur aliquando generaliter pro omnibus virtutibus, juxta illud Matth. 3. *Sic decet nos implere omnem juſtitiam*, ideſt, omnem virtutem. Cum enim pœnitentia non ſit, niſi dolor de peccatis commiſſis propter ejus turpitudinem, cum propoſito ea amplius non committendi, dari poteſt dolor,

dolor, & deteſtatio peccati propter motivum cujuſcumque virtutis, ideſt quælibet virtus poteſt averſari peccatum ſibi oppoſitum in propria materia; puta caſtitas deteſtari poteſt peccatum libidinis, ut contrarium temperantiæ, fortitudo poteſt odiſſe malitiam timiditatis ſibi oppoſitam, & ſic de reliquis virtutibus, quarum unaquæque ſicut proſequitur, & amat propriam honeſtatem, ita ex amore illius averſatur, & fugit turpitudinem oppoſitam. Hac ratione quælibet virtus pœnitentia dici poteſt, ſed generalis, omnibuſque, & ſingulis virtutibus attribui poteſt nomen, & munus pœnitentiæ, ſed tantum circa particulare objectum, quod contrariatur propriæ honeſtati talis virtutis.

9. Difficultas eſt: *an detur aliqua ſpecialis virtus pœnitentiæ contradiſtincta ab omnibus aliis, quæ ſub ſpeciali motivo ſibi proprio habeat dolere de peccatis; an vero ſit ſolum virtus illa generalis tranſcendens in omnibus incluſa, & ex omnibus aggregata, quatenus, ut dixi, quælibet virtus, prout peccatum ſuo objecto contrarium deteſtatur, & refugit, pœnitentia denominetur.* Aſſerunt nonnulli, Pœnitentiam non eſſe ſpecialem virtutem, ſed ad omnes, & ſingulas reduci, prout quælibet habet pœnitere de peccatis commiſſis in propria materia. Oppoſitum tenet D. Thomas 3. *part. quæſt.* 85. *art.* 2. dicens; *Specialem rationem hujus virtutis eſſe operari ad deſtructionem peccati præteriti in quantum eſt offenſa Dei, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis.* Cum Divo Thoma ſentiunt Doctores communiter, Sylvius, Gonet, Valentia, Suarez, Averſa, Arriaga, quos citat, & ſequitur Madernus *de Pœnit. quæſt.* 1. *art.* 2. & alii, quos refert Bonacina *diſp.* 5. *quæſt.* 3. *punct.* 1. cum quibus

10. Reſpond. ultra virtutem generalem pœnitentiæ in omnibus virtutibus incluſam, & ex omnibus aggregatam, datur alia virtus ſpecialis pœnitentiæ diſtincta ab omnibus aliis, quæ ſub proprio, & ſpeciali motivo habet dolere, & deteſtari omne peccatum. Ratio eſt, quia ſi pœnitentia non eſt, niſi virtus generalis, & tranſcendens, in omnibus incluſa, & ex omnibus aggregata, non deberet deteſtari peccata, niſi ex motivo ſingularum virtutum, quibus illa opponuntur; ſed datur virtus pœnitentiæ, quæ non deteſtatur peccatum ex motivo ſingularum virtutum, ſed ex alio motivo particulari ſibi proprio; ergo ultra pœnitentiam generalem debet admitti pœnitentia, quæ ſit virtus ſpecialis ab omnibus aliis diſtincta. Prob. minor. In unoquoque peccato non ſolum conſiderari poteſt turpitudo contra particularem virtutem, inobedientia contra legem, ingratitudo contra benefactorem, aut quod ſit malum quoddam Dei, vel malum peccantis, quem privat æterna gloria, ſub quibus rationibus odio habetur a pœnitentia generali, ſed etiam conſideratur ratio offenſæ, quod ſit injuria, & contemptus Dei, & ſub hac ratione non conſideratur, nec odio habetur ab ulla alia virtute, quam a pœnitentia ſpeciali; ergo debet admitti virtus ſpecialis pœnitentiæ contradiſtincta a reliquis, cum ex diverſitate objecti formalis diverſificentur virtutes.

11. Conf. illa virtus eſt ſpecialis diſtincta ab aliis, quæ habet ſuum objectum formale contradiſtinctum ab objecto reliquarum virtutum; ſed pœnitentia habet objectum formale diſtinctum a reliquis: nulla enim alia virtus habet deteſtari peccatum, quatenus eſt injuria, & offenſa Dei, intentione illam delendi per convenientem ſatisfactionem, ſed ex alio particulari motivo, quatenus eſt contra temperantiam, contra fortitudinem, contra Deum ſumme dilectum; ergo Pœnitentia eſt virtus ſpecialis ab aliis diſtincta.

12. Dices: Pœnitentia contrariatur omni vitio, & omni peccato; ergo eſt omnis virtus, ſeu virtus generalis ex omnibus aggregata: virtus enim particularis, & ſpecialis, ſicut habet determinatum objectum, a quo ſpecificatur, ita etiam habet determinatum malum, cui opponitur. Prob. anteced. Contrarium non expellitur, niſi a contrario; ſed pœnitentia expellit omne peccatum; ergo omni peccato contrariatur, & ſic eſt omnis virtus, ſeu virtus generalis; ad omnes quippe virtutes pertinet odiſſe peccatum, unicuique autem odiſſe proprium, & de illo diſplicere.

13. Reſp. diſt. anteced. Pœnitentia contrariatur omni vitio, & peccato, ſub quacumque ſpeciali ratione, nego: ſub una ratione, in qua omnia peccata conveniunt, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Ad probat. data majore, diſtinguo minorem: Pœnitentia expellit omne peccatum per oppoſitionem, quam habet cum omni particulari ratione, nego minorem, per oppoſitionem, quam habet cum ratione ſibi propria, in qua omnia peccata conveniunt, concedo minorem, & nego conſeq. Non poteſt virtus aliqua particularis ſe extendere ad objectum aliarum virtutum ſub illo particulari reſpectu, & formali ratione, ſub qua ab aliis reſpiciuntur; bene tamen ſub aliqua alia ratione ſibi propria, quod paſſim evenit in Scientiis, quarum una conſiderat objectum alterius ſub diverſa ratione formali; ſic idem corpus, quod conſideratur a Mathematica ut quantum, a Phyſica ut naturale, ſeu ut mobile, conſideratur etiam a Medicina ut ſanabile, & Metaphyſica conſiderat omne ens, non quidem ſub rationibus conſideratis ab aliis Scientiis, ſed ſub ſpeciali ratione ſibi propria. Similiter Pœnitentia reſpicit objecta aliarum virtutum ſub ſpeciali ratione, prout nimirum lædunt jus divinum, quod reparat læſum, vel conſervat illæſum; pariformiter Pœnitentia contrariatur omni vitio, ſub ſpeciali motivo ſibi proprio, quatenus omnia vitia, & peccata conveniunt ſub ratione læſionis divini juris.

14. Dices 2. Pœnitentia deteſtatur peccatum, ut offenſivum Dei; ſed hoc eſt proprium munus Charitatis; ergo Pœnitentia non diſtinguitur a Charitate. Prob. minor. Nullus deteſtatur ſeparationem ab alio, niſi qui diligit conjunctionem cum illo; ſed Charitas maxime diligit conjunctionem cum Deo; ergo deteſtatur ſeparationem ab illo, & per conſequens peccatum, quod eſt offenſivum, & ſeparativum a Deo. Deinde contritio eſt actus proprius Pœnitentiæ, & tamen elicitur a Charitate; ergo quia Pœnitentia non diſtinguitur a Charitate.

15. Reſp. Pœnitentiam ſimul, & Charitatem averſari peccatum, ut offenſivum Dei, ſed ſub diverſa ratione formali; nam Charitas, quæ maxime amat unionem cum ſummo Bono, averſatur peccatum tanquam contrarium ſummo Bono, a quo ſeparat; Pœnitentia vero illud deteſtatur, tanquam læſivum divini juris, quod conſervare intendit illæſum, & compenſare per convenientem ſatisfactionem, ſi fuerit læſum. Contritio, prout eſt dolor de peccatis, poteſt elici tam a Pœnitentia ſpeciali, quam a Charitate, ſed ſub diverſa ratione formali; nam Contritio, quæ elicitur a Charitate, dolet de peccato, prout eſt offenſa Dei ſumme dilecti; prout vero elicitur a Pœnitentia, eſt dolor de peccato, prout eſt injuria Dei, ipſiuſque juris læſivum.

DUBIUM III.

Qualis Virtus ſit Pœnitentia?

16. Duo poſſunt controverti: *an Pœnitentia ſit Virtus Theologica, vel Moralis, & an ſit ad aliquam ex iſtis tanquam pars reducenda.* Theologica Virtus illa dicitur, cujus objectum formale immediatum eſt aliqua perfectio increata Dei, talis eſt Fides, cujus objectum motivum eſt prima veritas revelans, talis eſt Spes, quæ immediate verſatur circa Deum ſumme bonum, ut poſſidendum, talis eſt etiam Charitas, quæ amat Deum propter infinitam ipſius bonitatem. Virtus autem Moralis non verſatur immediate circa Deum, ſed circa honeſtatem actus creati, quam immediate intendit: & pro diverſa honeſtate, quam quælibet intendit, inter ſe diverſificantur virtutes morales.

17. Partes alicujus virutis ſunt in triplici genere; nam aliquæ dicuntur partes integrales, quomodo manus, & pes ſunt partes integrales hominis, & declinare a malo, & facere bonum, dicuntur a Divo Thoma 2. 2. *quæſt.* 79 partes integrales juſtitiæ in communi ſumptæ; aliæ ſunt partes ſubjectivæ, & aliæ potentiales: partes ſubjectivæ alicujus virtutis ſunt illæ, quibus convenit tota quidditas, & definitio virtutis, ideſt quæ ſunt ſub illa virtute tanquam veræ ſpecies ſub genere, ſic diſtributiva, & commutativa ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 61. ſunt partes ſubjectivæ juſtitiæ. Partes potentiales dicuntur illæ, quibus non convenit tota ratio, & definitio virtutis, ſed aliqua tantum proprietas, & ſimilitudo, ideſt quæ in aliquo conveniunt cum tali virtute, & in aliquo differunt a perfecta ratione illius; quomodo Religio, Pietas, Obſervantia, & Liberalitas, dicuntur partes potentiales juſtitiæ, ſiquidem imitantur juſtitiam, cum ſint ad alterum, & differunt in eo, quod vel non reſpiciunt jus ſtrictum, vel illud non adæquant, ut habet Divus Thomas 2. 2. *quæſt.* 80.

18. Reſpondeo primo: Pœnitentia non eſt virtus Theologica, neque ad ullam virtutem Theologicam pertinet. Ita communiter cum Suarez *diſp.* 7. *ſect.* 1. *concl.* 4. & videtur poſſe deduci ex illo 1. Corinth. 14. *Nunc autem manent tria hæc, Fides, Spes, Charitas*, ex quo deducunt Theologi, tres tantum eſſe Virtutes Theologicas, inter quas non eſt Pœnitentia. Ratio deinde ſumitur ex diverſitate, quæ inter virtutem Theologicam, & Moralem intercedit; nam virtus Theologica habere debet Deum pro objecto immediato, aut formali motivo; ſed hujuſmodi non eſt Pęnitentia, cujus objectum immediatum ſunt peccata, ut compenſanda mediis actibus ſatisfactoriis, ſeu actio Creaturæ, qua jus divinum per peccatum læſum compenſatur; ergo non eſt virtus Theologica: & licet habeat Deum pro objecto remoto, & fine cui exhibetur ſatisfactio; hoc tamen non ſufficit ad conſtituendam virtutem Theologicam, ut conſtat in virtute Religionis, quæ licet Deo offerat cultum propter ipſius excellentiam, quia tamen non reſpicit immediate divinam excellentiam, ſed honeſtatem cultus Deo debiti propter excellentiam, non eſt virtus Theologica, ſed Moralis. Deinde Pęnitentia non poteſt eſſe virtus Theologica, niſi in quantum reducitur ad Charitatem, ſed diſtinguitur a Charitate; ſiquidem iſta inclinat ad amandum Deum, vel proximum propter Deum; Pęnitentia vero non inclinat ad amandum Deum, ſed ad dolendum, & deteſtandum peccatum, & ſic diſtinguitur a Charitate.

19. Dices: virtus Moralis, prout a Theologica diſtinguitur, verſari debet inter duo extrema vitioſa, unum

per

per exceſſum, & alterum per defectum; ſic Liberalitas mediat inter prodigalitatem, quæ eſt vitium per exceſſum, & avaritiam, quæ eſt vitium per defectum; ſed Pœnitentia non habet medium, ſeu non mediat inter duo extrema vitioſa, quia licet aſſignetur impœnitentia, quæ eſt extremum vitioſum per defectum, non aſſignatur tamen alterum extremum per exceſſum, cum numquam poſſit ſufficienter odio haberi peccatum; ergo Pœnitentia non eſt virtus Moralis.

20. Reſpond. virtutem Moralem non diſtingui a Theologica primario per hoc, quod illa mediet inter extrema vitioſa, non iſta, ſed per hoc, quod illa immediate verſetur circa Deum, non illa, quæ immediate reſpicit aliquid creatum. Ex virtutibus deinde moralibus aliæ ordinant hominem ad ſe ipſum ſecundum interiores paſſiones, ut Liberalitas, Temperantia, & Fortitudo, & aliæ, quæ ordinantur ad moderandas paſſiones, & illæ, cum reſpiciant medium rationis, verſantur circa extrema vitioſa: Juſtitia vero, cum non ordinetur ad moderandas paſſiones, ſed ponat æqualitatem in rebus, & actionibus externis, non habet medium rationis, ſed per medium rei, & ſic non debet verſari inter extrema formaliter vitioſa; inde Pœnitentia, quæ reducitur ad juſtitiam, non habet medium rationis, ſed medium rei; licet imperfecte, in quantum non reddit Deo æqualem compenſationem, ſed eam, quam poteſt. Adde, Pœnitentiam verſari inter extrema, quæ ſi non formaliter objective, ſaltem ſubjective ſunt vitioſa, cujuſmodi eſt gaudium de peccatis, & triſtitia deſperationis, ſeu deſperatio, & pœnitentia indiſcreta.

21. Reſp. 2. Pœnitentia reducitur ad juſtitiam commutativam, cujus eſt pars, non quidem ſubjectiva, ſed potentialis. Ita S. Doctor *diſt.* 14. *quæſt.* 1. *art.* 1. *quæſtiunc.* 5. Ricardus, Capreolus, Argentinus, Sotus, Baonez, Nazarius, Vaſquez, Valentia, Gonet, & alii, quos citat, & ſequitur Franc. a Jeſu Maria *tract.* 6. *cap.* 1. *dub.* 2. Ratio eſt, quia Pœnitentia tota conſiſtit in quadam compenſatione offenſæ licet imperfecta; ſed proprium eſt juſtitiæ commutativæ recompenſare unum cum alio, meritum cum præmio, laborem cum ſtudio, & ſatisfactionem cum offenſa; ergo Pœnitentia pertinet ad juſtitiam commutativam.

22. Quod vero ſit pars ſolum potentialis, non ſubjectiva, patet ex prænotatis; nam pars ſubjectiva alicujus virtutis dicitur illa, quæ retinet totam naturam, quidditatem, & perfectionem talis virtutis, eſtque ſub illa tanquam vera ſpecies ſub genere; ſicut pars potentialis eſt illa, quæ imitatur virtutem, cum qua ſimilitudinem habet, ſed deficit a perfecta ratione illius: at Pœnitentia imitatur juſtitiam commutativam, & deficit a perfecta ratione illius, quia deficit a ratione æqualitatis; nam jus divinum læſum per offenſam eſt inadæquabile, ſeu irreparabile ad æqualitatem per hominis ſatisfactionem: ita quod nunquam poſſit purus homo reddere Deo æquale; & inde Pœnitentia, quæ reddit Deo ſatisfactionem imperfectam, non poteſt eſſe pars ſubjectiva, ſed potentialis juſtitiæ commutativæ.

23. Dices, tam bona eſt Contritio, quam mala fuit Offenſa, quia illa reddit Deo rationem ultimi finis, quam abſtulit peccatum; ergo per illam redditur Deo æquale, & ſic pœnitentia eſt pars ſubjectiva juſtitiæ commutativæ. Deinde in humanis, qui non poteſt ſolvere totum debitum, ſolvendo partem exercet actum juſtitiæ commutativæ; ergo eumdem etiam exercet Pœnitentia, exhibendo ſatisfactionem, quam poteſt.

Reſpondeo, Contritionem, & actum dilectionis Dei habere tantam bonitatem quaſi phyſicam, & moralem præciſe ſumptam, quantam habet malitiam peccatum, non tamen eumdem habere valorem in ratione ſatisfactionis; ſiquidem æſtimabilitas moralis alicujus actus in ordine ad ſatisfaciendum deſumitur a dignitate Perſonæ ſatisfacientis, ſicut gravitas offenſæ deſumitur a dignitate Perſonæ offenſæ: nulla autem perſona creata tantæ poteſt eſſe dignitatis, quantæ eſt Deus offenſus, & ſic nulla poteſt illi ad æqualitatem ſatisfacere. In humanis ſolvendo, quis partem debiti exercet actum rigoroſæ juſtitiæ, quia debitum eſt diviſibile, & poteſt per partes compenſari; at debitum offenſæ, cum ſit indiviſibile, non poteſt extingui per partes, unde quælibet ſatisfactio remanet ſemper inæqualis, & ſic nunquam poteſt eſſe actus rigoroſæ juſtitiæ.

D U B I U M IV.

Quodnam ſit objectum formale virtutis Pœnitentiæ.

24. Quamvis plures ſoleant aſſignari ſententiæ circa formale objectum Pœnitentiæ virtutis, ut eſt operari ad deſtructionem peccati in quantum eſt offenſa Dei, reſarcire divinam injuriam, jus divinum læſum reparare, compenſare, & ſatisfacere pro offenſa Dei, ponere æqualitatem cum Divino jure; diſſidium tamen non poteſt eſſe, niſi de nomine, & modo loquendi, quia operatio ordinata ad deſtructionem peccati in quantum eſt offenſa Dei, habet reſarcire divinam injuriam, jus læſum reparare, & ponere æqualitatem cum divino jure. Inde conveniunt pœnitentiam habere pro objecto formali honeſtatem operandi ad deſtructionem, emendationem, & compenſationem peccati commiſſi; honeſtum ſiquidem eſt, & bonum ſatisfacere pro offenſa: cum enim ex offenſa reſultet jus, ſeu titulus in offenſo repetendi, ſeu exigendi ſatisfactionem, reparationem, & compenſationem, in offendente reſultat obligatio ſatisfaciendi, Pœnitentia intendit illud bonum compenſationis, & honeſtatem reparandi jus illud læſum. Deus enim, cum jus habeat, ne a nobis offendatur, & dehonoretur, ſi hoc jus violatur per peccatum, habet titulum exigendi ſatisfactionem, & compenſationem, & in peccatore oritur obligatio ſatisfaciendi, pœnitentia habet reparare, & reſarcire jus læſum, tantumdem obſequii tribuendo, quanto fuit illius dignitas per peccatum læſa. Igitur

25. Reſp. objectum formale virtutis Pœnitentiæ eſt divinum jus læſum per offenſam, ut reparabile per ſatisfactionem, & compenſationem, ſeu, ut alii loquuntur, eſt bonum æqualitatis cum divino jure. Ita communiter cum D. Thoma, Suarez *tom* 4. *in* 3. *part. diſp.* 2. *ſect.* 3. Coninch *diſp.* 1. *dub.* 4. Gonet *diſp.* 2. *art.* 2. *num.* 38. Sylvius *qu.* 85. *art.* 2. Filliucius *tract.* 6. *cap.* 1. *nu.* 13. Ratio eſt, quia Pœnitentia eſt quædam juſtitia, ſeu pars potentialis juſtitiæ commutativæ, cujus proprium munus eſt intendere, & ſervare æqualitatem juris, illudque læſum compenſare, & reſarcire non ſolum in aliis rebus, ſed etiam in materia honoris per exhibitionem condignæ ſatisfactionis; at per peccatum læditur jus divinum; ergo Pœnitentia habet pro motivo formali jus divinum ſervare illæſum, illudque læſum compenſare, & reſarcire. Conf. quia poſſibilis eſt virtus, cujus objectum formale ſit bonum æqualitatis, ſeu compenſationis offenſæ Dei, cum talis æqualitas, & compenſatio facienda, ſit objectum honeſtum, laudabile, & ſufficiens ad ſpecificandam virtutem; ſed ſpectare non poteſt, niſi ad Pœnitentiam, cujus proprium eſt deteſtari peccatum; ergo Pœnitentia habet pro objecto formali talem honeſtatem compenſationis, & ſatisfactionis.

26. Prob. 2. Pœnitentia, cum ſit virtus ſpecialis, debet deteſtari peccatum ex ſpeciali motivo diſtincto a motivo reliquarum virtutum; ſed hujuſmodi eſſe non poteſt, niſi bonum æqualitatis, & compenſationis: quidquid enim aliud aſſignaveris, aut ſpectabit ad charitatem, aut religionem, aut aliam virtutem; ergo ſola æqualitas cum divino jure poteſt ſpecificare Pœnitentiam, illamque diſtinguere a reliquis virtutibus. Prob. minor: peccatum ex multiplici capite poteſt odio haberi, primo propter oppoſitionem, quam habet cum honeſtate virtutis oppoſitæ, puta intemperantia poteſt odio haberi propter turpitudinem oppoſitam temperantiæ, deinde propter oppoſitionem, quam habet cum divina bonitate, cui opponitur omne malum morale, vel propter oppoſitionem, quam habet cum divina beneficentia, cui redditur malum pro bono, vel denique propter oppoſitionem magis univerſalem, quam habet cum Deo, quatenus eſt quidam contemptus, dehonoratio, & offenſa ipſius, violatque jus, quod habet Deus, ne dehonoretur, ne poſtponatur Creaturis, ne offendatur, ne adimatur illi ratio ultimi finis; non minus enim jus habet Deus, ne dehonoretur, & offendatur, quam habeat quilibet homo; at deteſtari peccatum propter turpitudinem oppoſitam honeſtati virtutis ſpectat ad virtutem, cui opponitur, ut proinde non ſit motivum Pœnitentiæ ſpecialis, ſed generalis, quæ complectitur omnes virtutes: deteſtari peccatum propter oppoſitionem, quam habet cum divina bonitate, ſpectat ad Charitatem, quæ proſequitur talem bonitatem: odiſſe peccatum ex motivo divinæ beneficentiæ ſpectat ad Religionem, vel gratitudinem; odiſſe vero peccatum, quatenus eſt contemptus, & offenſa Dei, ſpectat ad Pœnitentiam, quæ tali odio reparat honorem Dei, jus læſum reintegrat, & reponit æqualitatem; ergo motivum formale Pœnitentiæ non poteſt eſſe, niſi tale bonum compenſationis, & æqualitatis cum divino jure.

D U B I U M V.

Quodnam ſit Objectum Materiale virtutis Pœnitentiæ?

27. Objectum materiale, circa quod virtus Pœnitentiæ immediate verſari poteſt per ſuos actus, duplex aſſignari poteſt, aliud fugæ terminans actus averſativos, aliud proſecutionis terminans actus proſecutivos; & de utroque quæri poteſt; *quodnam illud ſit, quod averſatur, aut proſequitur Pœnitentia*. Et quidem peccatum, quod vel ſolum, vel maxime per Pœnitentiam deteſtamur, multiplex eſt; nam aliud eſt actuale, aliud habituale, aliud perſonale, aliud originale, aliud proprium, aliud alienum, aliud commiſſum, aliud committendum, de quibus omnibus procedit difficultas.

28. Reſp. primo objectum materiale proximum, quod Pœnitentia averſatur, & in quod fertur per actum odii, & fugæ, non eſt niſi peccatum: ita communiſſime cum D. Thoma 3. *p. q.* 85. *art.* 1. Ratio facile patet conſideranti motivum formale Pœnitentiæ, quod eſt compenſare offenſam Deo factam, juſque divinum læſum reparare. Nam illud eſſe debet objectum materiale proximum, quod Pœnitentia averſatur, quod opponitur, & deſtruit honeſtatem formalem, quam proſequitur; ſed peccatum eſt illud,

quod

quod opponitur, & deſtruit honeſtatem, quam ſervare intendit Pœnitentia: ſiquidem jus divinum, aut compenſandum, aut ſervandum illæſum, eſt id, quod a Pœnitentia intenditur; & peccatum eſt illud, quod violat jus divinum Deum offendendo; per conſequens Pœnitentia verſari debet circa peccata tollenda, & deſtruenda.

29. Reſp. 2. Objectum materiale, quod per ſe, & primario Pœnitentia averſatur, eſt peccatum actuale proprium, & jam commiſſum; ſecundario vero eſt etiam peccatum originale, & alienum. Inde objectum materiale Pœnitentiæ, ſi ſumatur in tota ſua latitudine, eſt peccatum quodlibet non ſolum commiſſum, ſed etiam committendum, actuale, vel habituale, originale, vel perſonale, proprium, aut alienum: prima pars debet eſſe communis apud omnes, & facile probatur, quia Pœnitentia primario, & principaliter intendit deſtruere, & retractare peccatum, & pro illo ſatisfacere; ab ea enim retractatione dicta eſt Pœnitentia: *pœnitere*, inquit Auguſt. *non eſt aliud, quam peccatum tenere, ut homo in ſe puniat ulciſcendo, quod commiſit peccando*; ſed retractatio, proprie loquendo, non poſſet eſſe, niſi peccati proprii jam commiſſi; nam retractatio eſt revocatio præcedentis facti, & importat actum, quo quis vellet non feciſſe, quod fecit; & ſic Pœnitentia primario averſatur peccatum actuale proprium, ſive mortale, ſive veniale, cum & illud ſit aliqua offenſa, & læſio divini juris, licet levis.

30. Difficultas aliqua ſolum eſſe poteſt de peccato proprio jam dimiſſo, *an iterum eſſe poſſit materia Pœnitentiæ virtutis?*

Reſp. affirmative tam quoad deteſtationem, quam quoad retractationem. Ratio eſt, quia peccata quantumvis dimiſſa adhuc diſplicere poſſunt, ſecundum quod per illa fuit læſum jus divinum, & Deus fuit offenſus: poſſum enim odio habere mala quamvis amplius non exiſtentia, quia aliquando fuerunt, & abſtulerunt bonum oppoſitum: ita poſſum odiſſe peccatum ex motivo Pœnitentiæ. Addit Lugus, peccata quantumvis dimiſſa eſſe motivum Pœnitentiæ virtutis, non ſolum quia poſſum illa iterum atque iterum deteſtari, & retractare, ſed etiam quia poſſum iterum velle pro illis ſatisfacere, illaque compenſare novo titulo: nam poſſum debitum ſatisfacere, vel adæquate, vel abundanter, ſicut de facto ſatisfactio Chriſti fuit ſuperabundans pro peccatis noſtris, & Zacchæus reddidit quadruplum, ſi quemquam in aliquo defraudavit. Igitur Pœnitentia non obligat quidem, niſi ad extinguendum debitum, quo ſemel extincto, ceſſat ejus obligatio compenſandi, ſed perfectio virtutis poteſt me movere ad exhibendam abundantiorem ſatisfactionem.

31. Dices: de ratione Pœnitentiæ eſt, ut per deteſtationem tollatur malum, & culpa; ſed in peccato dimiſſo nullum remanet malum, neque culpa delenda per deteſtationem; ergo non poteſt eſſe materia Pœnitentiæ. Sed contra: Pœnitentia non ſolum habet per deteſtationem tollere malum, Deoque ſatisfacere, quando illud exiſtit, ſed etiam habet deteſtari malum, quod aliquando fuit læſivum divini juris, vel etiam habet exhibere abundantiorem ſatisfactionem pro tali malo, ſicut gratitudo poteſt exhibere abundantiorem remunerationem pro beneficio accepto.

32. Prob. ſecunda pars: Pœnitentia univerſaliter ſumpta non ſolum in ordine ad actum primarium, & principalem, ſed etiam in ordine ad actus ſecundarios, & in tota ſua latitudine circa ea omnia verſari, & extendi poteſt, quæ participant rationem formalem, propter quam malum averſatur, quæ eſt ratio offenſæ Dei, & inæqualitatis cum divino jure; ſed omne peccatum non ſolum proprium actuale, & commiſſum, ſed etiam peccatum originale, alienum, & nondum commiſſum vere participant illam inæqualitatem, quatenus lædunt jus divinum, & Deum offendunt; ergo pœnitentia circa ea omnia verſari poteſt, illa deteſtando, & odio habendo.

33. Conf. de ſingulis in particulari, & quidem peccatum originale vere eſt offenſa Dei, cum pro illo Chriſtus ſatisfecerit, & pueri cum illo decedentes ſine Baptiſmo in æternum puniuntur pœna damni; ergo poteſt circa illud verſari pœnitentia, non quidem per retractationem, cum non poſſim phyſice retractare, quod ipſe phyſice non fecerim, ſed odio habendo, & deteſtando culpam originalem, ut offenſivam Divinæ Majeſtatis. Ita cum Suario, Lugo, Coninch, Dicaſtillo, & aliis, Franciſcus a Jeſu Maria *tract. 4. diſp. 1. ſect. 4.* Idem dicendum de peccato habituali, non ſolum quoad deteſtationem, in quo omnes conveniunt, ſed etiam quoad retractationem, quia peccatum habituale quoad ſuam permanentiam eſt voluntarium peccanti non exhibenti Deo condignam ſatisfactionem.

34. De peccato alieno probari poteſt exemplo charitatis, & ſpei; nam charitas non ſolum amat bonum Dei in Deo, ſed ubicumque illud reperitur, ſicut Dei malum ubicumque repertum illud odit, ut proinde eadem ſit charitas, quæ amat Deum, & proximum, eadem ſpes, qua ſperamus, ſeu deſideramus nobis, & aliis Deum ut bonum noſtrum, ut cum D. Thoma 2. 2. q. 17. *art.* 5. dicunt communiter Theologi; ergo etiam Pœnitentia verſari poteſt circa peccata propria, & aliena, non quidem ſub denominatione Pœnitentiæ, quæ ut ſic dicit actum retractationis, quæ ſolum poteſt eſſe de peccatis propriis, ſed prout averſatur offenſam Dei.

35. Simili modo probatur de peccatis nondum commiſſis, quia Pœnitentia, ut jam dixi, non ſolum habet actum retractationis præcedentium peccatorum, ſed etiam habet averſari, & deteſtari Dei offenſam ubicumque ſit, & undecumque proveniat, utpote contrarium honeſtati, quam proſequitur, & intendit: ſpectat etiam ad Pœnitentiam formale, aut virtuale propoſitum vitandi peccata in futurum, quod propoſitum certe verſatur circa peccatum nondum commiſſum; igitur Pœnitentia primario, & principaliter per actum retractationis ſolum verſatur circa peccatum actuale proprium, & jam commiſſum, cum illud ſolum poſſit retractare; generaliter tamen averſatur quodcumque peccatum ubicumque ſit, & undecumque proveniat, quia Deum offendit, eſtque læſivum juris divini, quod intendit conſervare illæſum.

36. Reſtat aliqua difficultas de imperfectionibus voluntariis: *an illæ poſſint eſſe objectum Pœnitentiæ?* Breviter dico, illas non terminare per ſe directe, & formaliter actum Pœnitentiæ, cum non tollant æqualitatem cum divino jure, neque Deum offendant, poſſunt tamen odio haberi, in quantum aliquo modo inclinant ad generandos habitus pravos, aut reddunt Deum minus propitium, & liberalem in conferendis auxiliis, quibus homo peccata caveat, & hac de cauſa poteſt quis illa odio habere, pro illiſque ſatisfacere, ut magis Deum propitium habeat.

37. Reſp. 3. ea omnia dici poſſunt objectum materiale Pœnitentiæ; ſecundum quod habet actus proſecutivos, quæ ſunt neceſſaria, vel utilia ad reparandum, vel conſervandum illæſum jus divinum; nam virtus quælibet appetitiva non ſolum habet odiſſe, & fugere ea, quæ opponuntur honeſtati proprii objecti formalis, ſed etiam proſequi, & appetere ea, quæ ſunt neceſſaria, vel utilia ad talem honeſtatem conſervandam, vel reparandam. Inde Pœnitentia amat malum pœnæ, jejunia, orationes, & ea, quæ pœnitens voluntarie aſſumit, vel patienter ſuſtinet in peccatorum ſatisfactionem, & ad placandam divinam indignationem; imperat actus aliarum virtutum, puta charitatis, miſericordiæ, humilitatis, quatenus conducere poſſunt ad finem proprium Pœnitentiæ; amat etiam vitationem omnium peccatorum, quæ licet phyſice ſit quædam negatio, moraliter tamen eſt aliquid poſitivum, honeſtum, & amabile.

DUBIUM VI.

An Pœnitentia ſit Virtus infuſa, vel acquiſita?

38. Habitus virtutum Theologicarum eſſe ſupernaturales, & infuſos, facile concedunt non ſolum Thomiſtæ, ſed etiam Scotiſtæ, qui tamen contendunt, habitus virtutum moralium non eſſe ſupernaturales, & infuſos, ſed tantum acquiſitos; & inde aſſerunt conſequenter, Pœnitentiam, utpote virtutem moralem non eſſe ſupernaturalem in ſubſtantia, nec infuſam, ſed duntaxat acquiſitam, ut videre eſt apud Lauræam *de Pœnit. diſp.* 1. *art.* 10. diſſentientibus Thomiſtis, qui cum reliquis virtutibus moralibus ponunt etiam Pœnitentiam ſupernaturalem, & infuſam. Ita cum D. Thoma *3. part. quæſt.* 85. Cajet. & Sylvius *ibidem*, Suarez *tom. 4. in 3. part. diſp. 7. ſect. 1. coroll.* 2. ubi pro eadem ſententia adducit Sotum, Ricardum, Paludanum, Ledeſmam, & alios, cum quibus.

39. Reſp. Pœnitentia Chriſtiana, & ſalutaris, de qua loquimur in præſenti, eſt habitus, ſeu virtus ſupernaturalis per ſe infuſa, quæ noſtris actibus acquiri non poteſt. Ratio eſt, quia habitus ſupernaturales, & per ſe infuſi non alia de cauſa ſolent admitti, niſi ut Homo bene ſe habeat ad producendos actus Naturæ facultatem ſuperantes, ut habet Sanctus Doctor *part. 2. quæſt.* 51. *art.* 4. & patet, quia ad actus, quos potentia naturalis cum auxilio Dei generali producere poteſt, non eſt opus habitu ſupernaturali infuſo, ſed actus Pœnitentiæ ſuperant naturæ facultatem, ſuntque ſupernaturales in ſubſtantia; ergo ad illos producendos debet admitti habitus Pœnitentiæ infuſus. Probatur minor, tum ex Scriptura ſæpe affirmante, Pœnitentiam eſſe donum Dei, tum ex Trident. *ſeſſ. 6. cap. 6. & can. 3.* dicente: *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, Hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur; anathema ſit*, ubi Concilium eodem modo docet, gratiam eſſe neceſſariam ad actum Pœnitentiæ, ſicut ad actum Fidei, Spei, & dilectionis; ergo actus Pœnitentiæ non minus eſt ſupernaturalis, quam actus Fidei, Spei, & Charitatis: at iſti ſunt ſupernaturales in ſubſtantia, & ſupponunt habitum ſupernaturalem infuſum, tanquam principium connaturale illorum; ita Pœnitentiæ actus erit ſupernaturalis in ſubſtantia ſupponens habitum infuſum.

40. Conf. quia habitus ſupernaturales, & virtutes infuſæ ſunt, quæ perficiunt hominem in ordine ad finem ſupernaturalem ex Divo Thoma *part. 2. quæſt.* 110. *art.* 3. ſicut virtutes acquiſitæ perficiunt hominem ad ambulandum, ſecundum quod congruit lumini naturali rationis; ſed Pœnitentia perficit hominem in ordine ad finem ſuper-

Digitized by Google

pernaturalem, & ſecundum quod congruit lumini ſupernaturali gratiæ, nam perficit hominem in ordine ad remiſſionem culpæ, ad reparationem gratiæ, ad conſecutionem æternæ beatitudinis, quæ omnia ſunt ſupra naturam, ſola fide cognoſcuntur, & ſolis auxiliis gratiæ obtinentur: licet enim poſſit homo naturaliter deteſtari peccatum, quatenus opponitur honeſtati, & rectitudini naturali, non ſic prout opponitur rectitudini ſupernaturali, divinæ bonitati, prout lædit jus Dei, ac deſtruit jus, quod habet homo per gratiam ad æternam beatitudinem, quæ certe naturaliter cognoſci non poſſunt, & inde multo minus obtineri; ergo Pœnitentia ſalutaris debet eſſe virtus ſupernaturalis infuſa.

41. Dices: illa virtus non eſt ſupernaturalis, nec infuſa, quæ poteſt acquiri per actus naturales, quæ verſatur circa objectum naturale, & reſpicit honeſtatem proportionatam naturæ rationali; ſed hujuſmodi eſt Pœnitentia, quæ reſpicit pro objecto peccata, ut compenſanda, ſeu reſpicit honeſtatem æqualitatis cum divino jure, quæ honeſtas eſt pure naturalis, & maxime proportionata natura rationali ſecundum ſe; ergo attingi poteſt per actus mere naturales, eſtque Pœnitentia virtus mere naturalis.

42. Reſp. quod virtus Pœnitentiæ, licet verſetur circa peccata compenſanda, non reſpicit tamen honeſtatem naturalem, ſed ſupernaturalem; ſiquidem honeſtas moralis, cum non ſit niſi conformitas ad naturam rationalem, dicenda eſt naturalis, aut ſupernaturalis, prout talis conformitas ſumitur per ordinem ad naturam, & rectam rationem naturalem, vel in ordine ad naturam per gratiam elevatam, & ad rationem ſupernaturalem: honeſtas autem, quam reſpicit Pœnitentia, cum ſit proportionata naturæ rationali elevatæ ad ſtatum ſupernaturalem, & dicat conformitatem cum cognitione fidei, erit ſupernaturalis, & inde ſupernaturalis etiam erit virtus ipſa Pœnitentiæ.

DUBIUM VII.

De Subjecto Virtutis Pœnitentiæ.

43. Subjectum Pœnitentiæ duplex eſſe poteſt, aliud proximum, puta voluntas, aut appetitus, aliud remotum, v. g. Chriſtus, Beata Virgo, Angeli, Homines, Beati, & Peccatores; dubitatur ergo: *an habitus virtutis Pœnitentiæ ſubjectetur immediate in voluntate, an in appetitu; An fuerit in Chriſto, & Beata Virgine: an remaneat in Beatis, & perſeveret etiam in Peccatoribus ſimul cum Fide, & Spe?*

44. Reſp. 1. Pœnitentia materialiter ſumpta, & quatenus paſſio, reſidet ſubjective in appetitu ſenſitivo, proprie tamen, & formaliter eſt in ſola voluntate tanquam in ſubjecto proximo, & immediato; ſumitur enim aliquando Pœnitentia, prout eſt paſſio cum immutatione, & alteratione corporali, & tunc non ſubjectari in voluntate, ſed in appetitu ſenſitivo, patet a pari de reliquis paſſionibus. Ratio eſt, quia Pœnitentia, vel eſt dolor, & deteſtatio peccati, illiuſque diſplicentia, & ſic eſt quædam nolitio, quæ eſt actus voluntatis, vel eſt voluntas, & intentio ſatisfaciendi Deo pro peccato, & eſt etiam actus voluntatis; ergo ſubjectum proximum, & immediatum hujus virtutis eſt voluntas. Ita communiter Doctores, cum Divo Thoma 3. *part. quæſt.* 85. *art.* 4. Sylvius ibidem, Suarez, Vaſquez, & alii. Confirm. quia Pœnitentia per ſe opponitur peccato, cujus deſtructionem intendit; ergo idem debet habere ſubjectum cum peccato; ſed iſtud formaliter eſt in ſola voluntate, cum non ſit peccatum, niſi voluntarium; ergo etiam Pœnitentia debet eſſe formaliter in voluntate.

45. Reſp. 2. Virtus Pœnitentiæ, ſi ſumatur ſtricte, prout eſt ſolum retractiva peccati proprii, non fuit in Chriſto, qui cum eſſet ab intrinſeco impeccabilis, non habuit, nec habere potuit peccatum proprium retractandum. Si vero ſumatur in latiori ſignificatione, prout eſt virtus intendens jus divinum ſervari illæſum, & reſarciri, ſi fuerit læſum, ponenda eſt Pœnitentia in Chriſto, in Beatiſſima Virgine, & reliquis Beatis, Ita Suarez *diſp.* 7. *ſect.* 1. *nu.* 11. *& tom.* 1. *in* 3. *part. diſp.* 19. *ſect.* 1. Coninch *diſp.* 1. *de Pœnit. dub.* 3. Lugus *diſp.* 6. Averſa *quæſt.* 2. *ſect.* 17. Madernus *de Incarnat. quæſt.* 5. *art.* 6. & alii apud ipſos.

46. Ratio eſt, quia ſi ſumatur Pœnitentia in latiori ſignificatione, & in tota ſua latitudine, ut eſt quædam juſtitia ad Deum, cujus jus intendit ſervare illæſum, & reſarcire ſi fuit læſum, non ſolam habet retractare peccatum proprium, ſed plures etiam alios actus elicere: odit peccatum quodvis, ut injuria Dei eſt, vult reparationem divini juris, & illius conſervationem, vult Deo ſatisfacere pro alienis etiam peccatis: in hoc ſenſu admittimus in Chriſto Pœnitentiam abſque ulla imperfectione; poterat enim odiſſe peccatum quodcumque, ut injuria Dei eſt, habuit firmiſſimam voluntatem ſervandi illæſum jus divinum, habuit ferventem voluntatem ſatisfaciendi pro alienis peccatis, & ſimiles actus convenientes eidem virtuti, & habitui Pœnitentiæ independenter a commiſſione peccati proprii, imo tota Chriſti ſatisfactio exhibita pro peccatis hominum videtur ab hac virtute procedere, ut alibi dictum eſt.

47. A fortiori ponenda eſt virtus Pœnitentiæ in Beatiſſima Virgine, quæ licet fuerit immunis ab omni peccato etiam veniali, non fuit tamen impeccabilis ab intrinſeco & ex natura ſua, ſed hoc habuit ex ſpecialiſſimo privilegio impediente quidem actum ſecundum peccati, at non tollente abſolute, & ſimpliciter potentiam peccandi, & per conſequens impediente, ſed non tollente potentiam pœnitendi. Ponenda eſt etiam hæc virtus in omnibus illis, qui ſunt in gratia, etiam ſi nunquam peccaverint, & non ſolum in Viatoribus, ſed etiam in Beatis; nam juxta curſum ordinarium infunditur pœnitentia ſimul cum gratia, & reliquis virtutibus, atque adeo in omnibus illis poni debet, qui ſunt in gratia, cum in illis ponantur reliquæ virtutes, etiamſi non poſſint ſemper ſuos actus elicere, inde poni debet in pueris baptizatis, quamvis ad uſum rationis non ſint perventuri, cum illis propter hoc non denegentur reliquæ virtutes, quæ gratiam conſequuntur.

48. Poni etiam debet in Adamo in ſtatu innocentiæ, & juſtitiæ originalis, quod probat Divus Thomas 1. *part. quæſt.* 95. *art.* 3. quia poterat antecedenter eſſe diſpoſitus, ut ſi forte peccaret, haberet principium reſurgendi. Nec obſtat, quod ait Vaſquez, quod Adam peccando amiſiſſet habitus infuſos, ac proinde videtur antea fruſtra in eo fuiſſe habitum Pœnitentiæ; nam in eo ſtatu potuiſſet peccare venialiter, quo pacto non amiſiſſet habitus infuſos, & exercere poſſet actum pœnitendi. Deinde cum non eſſet ex natura ſua impeccabilis, non eſt cur debeat illi denegari habitus Pœnitentiæ, qui gratiam juſtificantem conſequitur.

49. Remanet etiam virtus Pœnitentiæ in Beatis, ſi non ad eliciendum actum Pœnitudinis, cujus Beati, ob felicitatem ſui ſtatus, non ſunt capaces, ob alios tamen actus eliciendos illi ſtatui non repugnantes, & explicat D. Thomas pro actu gratias agendi Deo de peccatis remiſſis; & licet gratias agere Deo pro beneficiis acceptis videatur ſpectare ad Religionem, tamen gaudere de peccatis remiſſis, & gratias agere pro obtento dolore opportuno ad delenda peccata poteſt ſpectare ad Pœnitentiam, cum poſſint præſtari ex motivo Pœnitentiæ, & ex affectu compenſationis: præterquam quod habitus virtutum moralium remanent in Beatis ad ornatum, ut docet Divus Thomas 1. 2. *qu.* 67. *art.* 2. Nec eſt par ratio de habitibus Fidei, & Spei, qui non remanent in Beatis ob peculiarem repugnantiam, quam dicunt cum ſtatu beatifico.

50. Non remanet habitus Pœnitentiæ in peccatoribus, ſed deſtruitur per diſtinctionem gratiæ; quia virtutes morales gratiam comitantes, ſicut cum iſta infunduntur, ita per deſtructionem iſtius ſimul cum illa deſtruuntur, nec remanent in peccatoribus. Non negaverim tamen in peccatoribus remanere habitum naturalem Pœnitentiæ ex multiplicatis actibus naturalibus acquiſitum, & ad ſimiles actus inclinantem, ſi iſte præter ſupernaturalem infuſum admittatur, ut de facto admittitur a Gonet *diſp.* 3. *de Pœnit. art.* 3. §. 6. *nu.* 94. cum quo conſentiunt Thomiſtæ, Averſa *q.* 2. *ſect.* 5. & Bonacina *diſp.* 5. *qu.* 1. *punct.* 1.

51. Dices: habitus Fidei, & Spei manent in peccatore poſt peccatum, quia neceſſarii ſunt ad hoc, ut peccator reſurgere poſſit a peccatis; ſed æque neceſſaria eſt Pœnitentia ad hunc effectum: ergo & ipſa debet remanere in peccatore. Nec ſufficit, ſi dicas, peccatorem poſſe reſurgere, & elicere actum veræ Pœnitentiæ cum ſolo auxilio actuali ſine habitu infuſo, quia tali pacto non deberet remanere in peccatore nec habitus Fidei, nec Spei, cum ſine illis poſſit etiam peccator reſurgere, & elicere actus neceſſarios cum ſolo auxilio actuali; ergo ſi iſti habitus manent in peccatore ad reſurgendum, debet etiam remanere habitus Pœnitentiæ.

52. Reſp. habitum Fidei, & Spei remanere in peccatore non præciſe, quia ſunt neceſſarii ad reſurgendum a peccatis, ſed quia ſunt prima fundamenta juſtificationis: non ſic Pœnitentia, quæ eodem modo ſe habet, quo reliqui habitus ſupernaturales, qui pereunt recedente gratia. Inde pro eliciendo actu Pœnitentiæ ſufficit auxilium actuale, quia non eſt neceſſe, quod eliciatur connaturaliter; bene tamen eſt neceſſe, quod connaturaliter eliciatur actus Fidei, & Spei, quia non ſunt proprietates, ſed fundamenta vitæ ſpiritualis.

CAPUT II.

De Actibus Pœnitentiæ.

DUBIUM I.

Quoſnam Actus eliciat Pœnitentia?

ACTUS Pœnitentiæ, generaliter loquendo, alii poſſunt eſſe imperati, alii eliciti ab ipſa Pœnitentia; at enim aliæ virtutes habent utrumque genus actuum, ita & Pœnitentia in ſuo ordine. Actus imperati ſunt omnes illi, qui a virtute Pœnitentiæ imperantur, illique omnes imperari poſſunt, ut notat Lugus *diſp.* 4. qui ſunt utiles ad veniam peccatorum conſequendam,

dam, & ad ſatisfaciendum Deo pro peccatis, ſive quoad culpam, ſive quoad pœnam, ſolentque ad tria capita generalia revocari, Orationem, Eleemoſynam, & Jejunium. De illis non loquimur in præſenti, cum ea proprio ſuo objecto ſpectent ad alias virtutes, ut Jejunium ad Abſtinentiam, Eleemoſynam ad Charitatem, ſeu Miſericordiam, Oratio ad Religionem; & tunc ſolum ſpectant ad Pœnitentiam, quando fiunt ex illius motivo, ſeu ab illa imperantur, ſicut quælibet virtus imperare poteſt actus alterius, quando ſunt utiles ad conſecutionem proprii objecti.

2. Actus eliciti a Pœnitentia ſunt plures: & quidem ſi ſumatur in tota ſua latitudine, prout eſt virtus intendens æqualitatem divini juris, & bonum compenſationis, tot ſunt, quot ſunt illi, quos elicit voluntas circa bonum, & malum, circa finem, & media; omnium voluntas circa bonum abſolute ſumptum elicit amorem, ſeu ſimplicem complacentiam in bono, abſtrahendo ab eo, quod ſit præſens, vel abſens; deinde elicit deſiderium, ſi bonum eſt abſens; tertio gaudium, quo quieſcit in bono præſenti, & poſſeſſo. Similiter circa malum elicit odium, ſeu diſplicentiam, abſtrahendo a præſentia, & abſentia mali, deinde fugam, qua averſatur malum futurum, & abſens; tertio dolorem, quo averſatur malum præſens, ſeu præteritum: ſi bonum, & malum apprehendantur ut ardua, voluntas ſperat, timet, audet, deſperat, iraſcitur: ſi apprehendantur ſub ratione finis, & medii, actus voluntatis ſunt intentio, fruitio, conſultatio, electio, imperium, uſus, de quibus dictum eſt 1. 2. Pœnitentia igitur poteſt omnes iſtos actus elicere circa bonum æqualitatis, & compenſationis divini juris; amat enim tale bonum, deſiderat Deum non offendere, illique ſatisfacere offenſo per condignam ſatisfactionem, gaudet de peccatis non factis, vel de ſatisfactione exhibita, & ſic de reliquis actibus, de quibus nulla eſt difficultas.

3. Solum dubitari poteſt de gaudio, quod videtur contrarium Pœnitentiæ, quæ per dolorem explicatur; attamen dolere de peccatis commiſſis, & gaudere de non factis, ſicut poſſunt habere idem objectum formale, nempe æqualitatem divini juris compenſandam, aut conſervandam illæſam, ita poſſunt ad eamdem virtutem Pœnitentiæ pertinere. Imo Auguſtinus *lib. de vera, & falſa Pœnit. cap.* 13. vult, pœnitentem gaudere de ſuomet dolore, quem de peccatis habet: *Pœnitens*, inquit, *de peccatis doleat, & de dolore gaudeat*; quod gaudium non ſolum non minuit, ſed auget diſplicentiam de peccatis, ut habet D. Thomas *in* 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 2. *art.* 3. *quæſt.* 7. *ad* 3. quia delectatio non minuit, ſed auget operationem, & ſi vis, minuit ad ſummum dolorem aptum reſultare in parte ſenſitiva, quod non eſt conveniens.

DUBIUM II.

Qualis Actus Voluntatis ſit Pœnitentia.

4. LOquendo de actibus ſpecialiter ſpectantibus ad Pœnitentiam, prout peccatum averſatur, primarius, & principalis eſt ipſum pœnitere, de quo Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. habet: *Contritio primum locum habet inter Pœnitentiæ actus*; eamdemque definit, quod ſit *Animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.* Dolor, & deteſtatio, quamvis pro eodem ſæpe ſumantur, vere tamen inter ſe diſtinguuntur tanquam cauſa, & effectus; nam ex deteſtatione naturaliter ſequitur dolor, qui eſt afflictio quædam, & inquietatio voluntatis propter peccatum commiſſum, quod objective ſibi repræſentat tanquam maximum malum, in quod incidit; deteſtatio vero eſt actus, quo voluntas circa peccatum præteritum verſatur, deſiderando illud non fuiſſe commiſſum, ex qua deteſtatione ſequitur dolor, tum in ipſa voluntate, tum etiam aliquando in appetitu ſenſitivo, cui conjunguntur lacrymæ, & ſuſpiria, quæ ſigna ſunt doloris exiſtentis in voluntate.

5. Dubitatur ergo: *an actus Pœnitentiæ eſſentialiter conſiſtat in actu doloris*, ut magis communiter tenent Thomiſtæ cum Gonetto *diſp.* 7. *ſect.* 1. dicentes, odium, ac deteſtationem præſuppoſitive ſolum ſe habere ad Contritionem & Pœnitentiam, *an vero in actu deteſtationis*, ut vult Suarez *diſp.* 4. *ſect.* 1. *an in utroque ſimul*, ut tenet Coninck *de Pœnit. diſp.* 1. *dub.* 2. quem ſequitur Ant. a Spiritu S. *tract.* 4. *de Pœnit. diſp.* 1. *ſect.* 6. *nu.* 22. *an in voluntate Deo ſatisfaciendi pro peccato*, quam eſſentialiter integrare Pœnitentiam contendit Henriquez *lib.* 4. *de Sacram. cap.* 22.

6. Reſp. Pœnitentia eſſentialiter conſiſtit in actu deteſtationis peccati, prout eſt capax cauſare dolorem, & afflictionem pœnitentis. Ita cum Suario tenet Amicus *diſp.* 2. *ſect.* 2. & alii aſſerentes, Contritionem non eſſe eſſentialiter dolorem, ſed tantum cauſaliter, vel concomitanter. Sequitur Maderons *quæſt.* 2. *art.* 7. dicens, Contritionem eſſe deteſtationem doloroſam; nec diſſentit D. Thomas, qui licet *quæſt.* 85. *art.* 1. *in corp.* dicat, Contritionem eſſe dolorem exiſtentem in parte rationali, non in parte ſenſitiva, in reſponſione tamen ad 3. explicat, hunc dolorem eſſe diſplicentiam, ſeu deteſtationem peccati: *Pœnitentis dolor*, inquit, *eſt diſplicentia, ſeu reprobatio facti præteriti.*

7. Probat. in eo primario, & principaliter conſiſtit Contritio, & Pœnitentia, quod magis opponitur peccato præterito, ab illo voluntatem avertit, & eſt veluti radix, & cauſa cæterorum actuum pœnitentiæ; ſed hujuſmodi non eſt voluntas ſatisfaciendi Deo, nec dolor, ſed ſola deteſtatio peccati; ergo primario, & eſſentialiter Contritio in deteſtatione conſiſtit. Prob. minor: voluntas ſatisfaciendi Deo non habet directam, & immediatam oppoſitionem cum peccato; poteſt enim quis velle ſolvere debitum, & tamen gaudere ſe peccaſſe, imo velle iterum peccare; ſimiliter dolor primario, & directe cruciat, & affligit eum, in quo eſt, non autem avertit a peccato, niſi in quantum deteſtationem includit, & ab ea cauſatur; quapropter peccatores in morte dolent ſe peccaſſe, juxta illud Iſaiæ Thren. ult. *Cecidit corona capitis noſtri, væ nobis, quia peccavimus*; & Sapientiæ 5. *Pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes*. Nec tamen proprie conteruntur, nec gratiam conſequuntur, quia peccatum non deteſtantur, ſed dolent, ut ait S. Doctor, vel propter conſcientiæ contradictionem, vel propter timorem mortis, vel propter corporalem miſeriam: deteſtatio vero includit formalem oppoſitionem cum peccato, cum ſit fuga, & retractatio ipſius, & ab eodem voluntatem avertit, quia vellet non fuiſſe. Eſt etiam cauſa cæterorum actuum Pœnitentiæ; ſiquidem ex deteſtatione ſequitur dolor in ſubjecto capaci tanquam propria paſſio ipſius, ſicut gaudium ſequitur vehementem amorem boni, quod apprehenditur ut præſens, naſcitur etiam propoſitum, & voluntas ſatisfaciendi, quos etiam actus virtualiter continet tanquam cauſa ſuos effectus; ergo in deteſtatione primario, & eſſentialiter conſiſtit Pœnitentia.

8. Confirm. nomine Contritionis, ſumpta metaphora a rebus corporalibus, intelligimus actum, ita cor hominis formaliter, & directe comminuentem, & conterentem, ut illud perfecte ſejungat, & ſeparet a peccato; ſed hujuſmodi eſt deteſtatio, prout eſt capax cauſare dolorem pœnitentis, quæ cum ſit per modum fugæ, voluntatem ſeparat a peccato magis, quam dolor, qui primario, & principaliter ſolum habet affligere, & cruciare voluntatem, non illam ſeparare a peccato; ergo in deteſtatione primario, & principaliter conſiſtit Contritio, & Pœnitentia.

9. Verum quidem eſt, quod deteſtatio non denominatur, nec cenſetur perfecta Contritio, niſi adjunctum habeat dolorem, quem naturaliter cauſat in ſubjecto capaci, cum non poſſit quis ſerio deteſtari peccatum, niſi ſimul doleat ſe peccaſſe, ſicut non poteſt quis intenſe amare bonum præſens, niſi de illo gaudeat: quapropter uterque actus requiritur ad Contritionem, & Pœnitentiam, deteſtatio, & dolor, illa primario, & in recto, iſte ſecundario, & in obliquo, & propterea merito dicatur a Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 2. *Deteſtatio cum pio animi dolore*. Sæpe tamen Patres, & Concilia non diſtinguunt, ſed pro eodem uſurpant dolorem, & deteſtationem, & pœnitentiam explicant modo per dolorem, modo per deteſtationem, modo utrumque conjungunt.

10. Dices: Beati perfectiſſime deteſtantur peccata, & vellent non fuiſſe commiſſa, & tamen non ponitur in Beatis Contritio; ergo quia iſta eſſentialiter conſiſtit in dolore, cujus Beati non ſunt capaces, non vero in deteſtatione.

Reſp. Beatos utique deteſtari peccata antea commiſſa, etiamſi non habeant dolorem, & hunc actum provenire ab habitu pœnitentiæ, quem diximus remanere in Beatis, tum ad ornatum, tum ad producendos actus non repugnantes ſtatui beatitudinis: utrum deinde iſta deteſtatio debeat dici Contritio, vel non, ſpectat ad modum loquendi. Contritionem vocat Amicus *diſp.* 2. *ſect.* 2. & alii plures; alii negant, ſumentes magis ſtricte nomen contritionis pro ea ſola deteſtatione, quæ eſt conjuncta cum dolore, & afflictione pœnitentis, ita quod Contritio ſit deteſtatio doloroſa, qui loquendi modus cum ſit magis uſitatus, & conformior modo loquendi Conciliorum, & Patrum, qui ſemper Contritioni adjungunt dolorem, nos etiam retinemus, & dicimus, in Beatis dari quidem diſplicentiam peccatorum, non ſic Contritionem ſtricte ſumptam defectu doloris, quem non cauſat.

DUBIUM III.

An Actus deteſtationis peccati præteriti ſit efficax, & abſolutus, an vero conditionatus?

11. DEteſtatio peccati præteriti primario importata a Contritione, cum non ſit, niſi actus, quo voluntas deſiderat, ſeu vellet peccatum non fuiſſe commiſſum, non videtur eſſe poſſe, niſi actus conditionatus, & inefficax, ſeu ſimplex velleitas, quæ explicari ſolet per verbum optativi modi *vellem*, non vero actus abſolutus, & efficax explicatus per verbum *volo*, quia ad præteritum non datur potentia, & voluntas non poteſt abſoluta velle, quod non eſt poſſibile, nec ſubeſt ſuæ poteſtati, & ſic non poteſt abſolute velle, quod peccatum non fuerit, ſed ſolum conditionate.

12. Reſp. deteſtationem peccati præteriti eſſe actum conditionatum, & inefficacem ex parte objecti, ſed efficacem,

cacem, & abſolutum ex parte ſubjecti, ſeu voluntatis deteſtantis peccatum. Ita communiter tenent fere omnes, Suarez *diſp.* 3. Lugus *diſp.* 4. *ſect.* 2. Coninch *diſp.* 1. *dub.* 2. Averſa *quæſt.* 2. *ſect.* 11. Madernus *qu.* 1. *art.* 5. Nec poteſt eſſe diſſidium, niſi de modo loquendi; nam ille actus eſt inefficax, & conditionatus ex parte objecti, qui tendit in objectum impoſſibile ſub aliqua conditione; ſed hujuſmodi eſt deteſtatio peccati præteriti, quæ non fertur in objectum abſolute, & efficaciter obtinendum, cum ſit impoſſibile peccatum præteritum non fuiſſe præteritum, ſed conditionate tantum, ſi id fieri poſſet; dicit enim, ſi poſſem nunc facere, ut illud peccatum non eſſet præteritum, id omnino facerem, quod prudenter appeti poteſt.

13. Eſt tamen efficax, & abſoluta iſta deteſtatio ex parte ſubjecti, ſeu voluntatis, quæ de ſe parata eſt facere, quod non feciſſet, ſi poſſet: tota conditio, & inefficacia ſe tenet ex parte objecti, non ex parte voluntatis, quæ de ſe totam habet efficaciam, quam habere poteſt circa tale objectum ſub illa conditione; quando enim dico, ſi poſſem, facerem me non peccaſſe, non ſolum denotatur actus voluntatis, qui eſſet tunc, quando poneretur conditio, ſed denotatur actus præſens voluntatis conditionatus ex parte objecti, quod ſæpe contingit in aliis caſibus; ut ſi dicas, volo dare eleemoſynam pauperi, ſi venerit ad me; plura tibi darem, ſi plura haberem, qui actus ſunt abſoluti ex parte voluntatis, & ita efficaces, ut ſi poneretur conditio, voluntas ſtatim ex vi illorum actuum exequeretur, quod ſub conditione ſtatuerat.

14. Inſuper deteſtatio eſt actus efficax in ordine ad ſeparandam voluntatem ab effectu peccati; nam dum quis vere, & ex animo vult non peccaſſe, impoſſibile eſt quod retineat affectum peccandi: ſicut etiam eſt efficax in ordine ad deſtruendum peccatum commiſſum, ut moraliter, & habitualiter perſeverans. Inde talis actus, quamvis non ſit efficax circa ſuum objectum immediate volitum, quod eſt non peccaſſe, eſt tamen efficax quoad effectum, in quantum deſtruit peccatum habituale, & excludit affectum peccandi, ut amplius homo non cenſeatur perſeverare in tali peccato habituali, & per hoc diſtinguitur a ſimplici diſplicentia, quæ talem affectum ſimpliciter non excludit.

15. Dices: deteſtatio peccati præteriti debet eſſe actus honeſtus, & laudabilis; at non poteſt eſſe honeſtus, & prudens, ſi ponatur efficax, & abſolutus, ſiquidem ſtultum eſt conari ad hoc, quod peccatum non fuerit, cum hoc ſit impoſſibile, & impoſſibilitas eſt per ſe nota; ergo talis actus non eſt prudens, & laudabilis, vel non eſt efficax, & abſolutus.

Reſp. deteſtationem peccati non eſſe actum efficacem, & abſolutum omni modo, ſed duntaxat ex parte actus, & peccatoris, qui de ſe vellet peccatum non fuiſſe, ſi hoc eſſet poſſibile, unde eſt actus, ut dixi, conditionatus ex parte objecti; actus autem conditionatus ex parte objecti poteſt eſſe honeſtus, & prudens, etiam ſi conditio ſit impoſſibilis, ut habet Divus Thomas *in* 4. *diſt.* 17. *quæſt.* 2. dicens: *Quamvis voluntas completa non poſſit eſſe alicujus ſapientis de impoſſibili, bene tamen voluntas conditionata, quæ & velleitas dicitur, qua etiam ſapiens vellet, quod impoſſibile eſt, ſi poſſibile foret.*

DUBIUM IV.

An actus deteſtationis debeat eſſe univerſalis de omnibus peccatis?

16. Deteſtatio peccati poteſt eſſe ex motivo particulari, ut quando deteſtor peccatum luxuriæ ex motivo, & honeſtate caſtitatis, quo motivo deteſtari non poſſum peccatum furti, aut alia diſtincta a luxuria, quæ tali motivo, & honeſtati non contrariantur: aut ex motivo aliquo univerſali complectente omnia peccata, ut eſt motivum charitatis, nempe divina bonitas, cui diſplicet omne peccatum; motivum Pœnitentiæ, jus divinum, quod læditur per omne peccatum, nec ullum eſt peccatum, quod ex motivo divini juris reparandi deteſtari non poſſit. Inſuper deteſtatio, ex motivo univerſali procedens, poteſt ſe extendere ad omnia peccata, vel formaliter, quando de omnibus cogitans, & omnia cognoſcens de omnibus doleo ex motivo illo univerſali, quæ quidem erit explicita, aut confuſa, prout peccata diſtincte, aut confuſe cognoſco, vel ſolum virtualiter, quando nec expreſſe, nec confuſe cogitans de omnibus peccatis, ſed tantum unum, aut alterum cognoſcens, illud deteſtor ex motivo univerſali.

17. Certum eſt, me poſſe deteſtari unum peccatum ſine alio ex motivo aliquo particulari; nam poſſum deteſtari luxuriam oppoſitam caſtitati, & velle furtum. Dubium eſt: *an deteſtatio ex motivo aliquo univerſali procedens, ſit neceſſario univerſalis, ita quod dari non poſſit deteſtatio unius peccati ex motivo illo univerſali, quin ſimul ſit deteſtatio ſaltem virtualis omnium peccatorum.*

18. Reſpondeo: Contritio, & deteſtatio quælibet efficax peccati mortalis ex motivo aliquo univerſali, vel charitatis, vel pœnitentiæ, eſt neceſſario univerſalis ſaltem virtualiter de omnibus peccatis mortalibus, non ſic de omnibus venialibus; proinde repugnat, peccatorem deteſtari efficaciter aliquod peccatum mortale, quin ſimul deteſtetur omnia mortalia, licet non omnia venialia. Ita tenent communiter Doctores cum D. Thoma 3. *part. qu.* 86. *art.* 3. contra Medinam relatum a Lugo *de Pœnit. diſp.* 5. *ſect.* 6. Ratio ſumitur ex unitate motivi formalis, quod quia amari ſimul, & odio haberi non poteſt, ita non poteſt quis ex tali motivo deteſtari unum peccatum, quin ſimul virtualiter deteſtetur, & fugiat omne peccatum, quod tali motivo contrariatur; ergo qui efficaciter deteſtatur peccatum ex motivo aliquo univerſali, quia eſt offenſa Dei, quia lædit jus divinum, quia meretur æternam pœnam, non poteſt ſimul retinere complacentiam de alio peccato, quod pariter cognoſcit eſſe offenſa Dei, læſivum divini juris, & meritorium æternæ pœnæ; adeoque illa deteſtatio ex motivo univerſali eſt neceſſario univerſalis de omnibus peccatis, ſaltem virtualiter, & implicite, quatenus per omnia peccata Deus offenditur, & æterna damnatio incurritur. Quod confirmatur exemplo Fidei divinæ; nam qui credit unum articulum ex motivo divinæ revelationis, neceſſario credit omne, quod eſt a Deo revelatum, nec poteſt cum tali actu ſtare negatio alicujus articuli pariter revelati; ergo etiam qui averſatur peccatum ex motivo divinæ bonitatis, neceſſario averſatur, quidquid tali bonitati contrariatur, nec cum tali actu poteſt ſtare complacentia de alio peccato.

19. Quæ ratio non militat de peccato veniali, quod non eſt graviter offenſivum divinæ bonitatis, nec Deo graviter diſplicet, & ſic ſtare poteſt cum perfecta deteſtatione importata a charitate, ſeu Pœnitentia, quæ averſatur peccatum, ut eſt graviter offenſivum Dei, eique graviter diſplicet. Poteſt quidem illa deteſtatio eſſe ita perfecta, ut naſcatur ex amore perfecto, & deſiderio non diſplicendi Deo, vel non offendendi Deum, nec etiam leviter, qua ratione excluderet quodcumque peccatum etiam veniale: hoc tamen non eſt neceſſarium ad actum charitatis, & Pœnitentiæ, ad quem ſufficit deſiderium non offendendi Deum, vel non ei diſplicendi graviter.

20. Dices: aliæ virtutes quamvis tendant in objectum propter motivum proprium, non tamen neceſſario tendunt, nec etiam virtualiter in omnia objecta participantia idem motivum, ſed retinere poſſunt affectum contrarium: ſic poſſum, verbi gratia, ex motivo temperantiæ velle hodie jejunare, non cras, abſtinere a cibo, non a potu, & ex motivo juſtitiæ abſtinere ab homicidio, non a furto; ergo etiam poſſum deteſtari peccatum homicidii, quia eſt offenſa Dei, & tamen velle furtum, quamvis ſit offenſa Dei. Nam unitas motivi formalis facit quidem, ut omnia objecta illud participantia ſint ex tali motivo deteſtabilia, non vero quod debeant omnia neceſſario deteſtari.

21. Sed contra: motivum formale, quando eſt efficaciter, & adæquate volitum neceſſario infert volitionem omnium, in quibus tale motivum reperitur, & infert odium, ac deteſtationem omnium, quæ tali motivo contrariantur, ſi vero non ſit efficaciter, & adæquate volitum, non eſt mirum, quod poſſit amari in una materia, non in alia: qui ex motivo temperantiæ abſtinet a cibo, non a potu, non eſt adæquate temperans, nec vult illum motivum adæquate, ſed inadæquate, & partialiter; ſimiliter qui abſtinet ab homicidio, non a furto, non eſt adæquate juſtus, nec amat juſtitiam adæquate. Contritio non oritur ex quocumque motivo, ſed ex amore Dei ſuper omnia, illumque efficaciter præfert omnibus, ad hoc autem non ſufficit vitare unum, aut alterum peccatum, ſed debent vitari omnia illa, quæ talem amorem Dei ſuper omnia impediunt, & tollunt. Idem valet de deteſtatione orta ex motivo Pœnitentiæ ſpecialis, ex motivo Religionis, vel alio motivo univerſali; nam cum tale motivum ametur ſuper omnia, & omnibus aliis præferatur, debent ex illo deteſtari omnia peccata contraria.

22. Dices 2. peccatum mortale gravius, magis debet deteſtari, quam minus grave; ergo etiam poteſt unum deteſtari ſine alio. Sed contra dato antecedente, nego conſequentiam, quia homo contritus deteſtando peccatum, ut eſt offenſa Dei, magis appretiative deteſtatur peccatum gravius, quatenus ſi per impoſſibile deberet unum peccatum eligere, eligeret minus grave, furtum potius, quam homicidium; at non poteſt unum deteſtari ſine alio, quia, Deum omnibus præferendo, neceſſario deteſtatur omnia peccata contraria.

CAPUT III.

De Contritione, & Attritione.

DUBIUM I.

Quid ſit Contritio, & ad quam virtutem pertineat.

Contritionis nomen, quamvis aliquando ſumatur in ſcriptura pro gravi aliqua calamitate, & pœna, ut cum dicitur de impiis: Pſal. 13. *Contritio, & infelicitas*

licitas in viis eorum, magis tamen communiter ſumitur pro receſſu a peccato, illiuſque retractatione ex quocumque deinde motivo illud deteſtetur voluntas, quo ſenſu definitur a Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. *Animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero*: & duplex ab eadem aſſignatur Contritio, una perfecta, altera imperfecta, quæ ſolet vocari Attritio. Contritio perfecta ſignificat perfectam averſionem a peccato, quæ ſit ſufficiens etiam ſine Sacramento ad delendum peccatum, de qua dicitur Pſalm. 50. *Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies*; ille enim dolor, & deteſtatio peccati ſufficiens ad juſtificationem ſine Sacramento dicitur Contritio, ſumpta metaphora a contritione corporali. Sicut enim per corpoream contritionem malleo, aut piſtillo factam, res dura, & ſolida in partes minutiſſimas conſcinditur; ita per hujuſmodi actum cor peccato prius obduratum, tunditur, & conſcinditur, ut ſic dividatur a peccato, & Deo ſatisfaciat, unde etiam vocari poteſt ſciſſio, vel conſciſſio cordis, juxta illud Joelis 2. *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.*

2. De hac perfecta Contritione quæritur, ex quonam motivo debeat procedere: *an nimirum debeat neceſſario procedere ex motivo perfectæ charitatis, & Dei ſumme dilecti, vel ſufficiat, ſi procedat ex motivo inferiori, puta alterius virtutis, vel etiam Pœnitentiæ ſpecialis?* Siquidem haberi poteſt dolor de peccato, ſine ullo reſpectu ad Deum, puta præciſe ob mala temporalia conſequentia ad peccatum, propter infamiam, aut pœnam temporalem ab humano Judice infligendam, & hic dolor non eſt ſufficiens ad gratiam juſtificationis, cum per hujuſmodi dolorem homo nullatenus convertatur ad Deum, quod tamen requiritur ad juſtificationem, quia ſicuti per averſionem a Deo homo a juſtitia deficit, ita nonniſi per converſionem ad Deum poteſt in juſtitia reſtitui; vel poteſt haberi dolor de peccato cum aliquo reſpectu ad Deum, puta cum reſpectu ad divinam bonitatem, quam amamus, ad potentiam puniendi, quam timemus, ad ſuperioritatem, cui obedimus, ad Majeſtatem, quam reveremur. Dolere primo modo, ideſt cum reſpectu ad divinam bonitatem, quam amamus, eſt dolere ex motivo charitatis, & per omnes eſt perfecta Contritio, quæ definiri ſolet, *dolor de peccatis propter Deum ſumme dilectum*. Sed dubitatur: *an ſit neceſſe, quod Contritio ſemper procedat ex motivo juſtitiæ*, in quantum peccata ſunt offenſa, & injuria Dei, quod eſt procedere ex motivo Pœnitentiæ ſpecialis, quæ, ut dixi, eſt pars juſtitiæ, & intendit compenſationem, & ſatisfactionem offenſæ, vel etiam ex motivo obedientiæ in quantum ſunt contra legem Dei, ex motivo Religionis, vel alio ſimili ſpectante ad Deum.

3. Reſp. ſola deteſtatio peccati ex motivo perfectæ Charitatis eſt Contritio, illius autem deteſtatio ex quocumque alio motivo inferiori, etiam pœnitentiæ ſpecialis, non eſt Contritio ad juſtificationem ſufficiens extra Sacramentum, ſed Attritio tantum. Ita tenent communiter Doctores, Coninchus, Amicus, Valentia, & alii, quos ſequitur Madernus *de Pœnitent. quæſt. 2. art.* 1. & colligitur ex Scriptura, & Patribus ſoli Charitati tribuentibus remiſſionem peccatorum, & gratiam juſtificationis. 1. Joannis 3. *Qui non diligit, manet in morte*, ideſt, qui non elicit actum amoris, remanet in peccato. 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum*. Lucæ 7. Magdalenæ *remittuntur peccata multa, quoniam dilexit multum*. Auguſtinus *lib. de vera, & falſa Pœnitent. cap.* 9 & 17. *Sine amore nemo unquam gratiam invenit; nec veniam aſſecutus eſt*; & *ſerm. 7. de Tempore* ait: *Veram pœnitentiam faciunt odium peccati, & amor Dei*. Colligitur ex Tridentino *ſeſſ. 6. cap.* 6. ubi deſcribens Pœnitentiam Adultorum ad juſtificationem neceſſariam docet, eam ex dilectione Dei procedere; & *ſeſſ. 14. cap.* 4. Pœnitentiam, quæ extra Sacramentum Deo reconciliat, affirmat eſſe Charitate perfectam; ergo ſola deteſtatio peccati procedens ex motivo Charitatis, & Amoris Dei ſumme dilecti, eſt vera Contritio, ultimo diſponens ad gratiam juſtificationis.

4. Ratio ſatis congrua eſt, quia Contritio perfecta, de qua loquimur, per ſe ultimo diſponit ad juſtificationem ſine Sacramento, non poteſt autem ita ultimo diſponere, niſi procedat ex motivo Charitatis; nam per juſtificationem homo recuperat Charitatem, & amicitiam Dei: at ſecluſo Sacramento, & Martyrio, quod quodammodo æquivalet Sacramento, non poteſt homo ultimo diſponi ad Charitatem, & amicitiam Dei, niſi per actum provenientem ex motivo Charitatis; cum enim Charitas ſit eminentior omnibus aliis virtutibus, quilibet actus elicitus ex motivo alterius virtutis erit diſpoſitio improportionata, & inferior ad obtinendam Charitatem, niſi per Sacramentum, aut Martyrium elevetur, & dignificetur; & ſic independenter a Sacramento, & Martyrio ſolus actus elicitus ex motivo Charitatis erit ultima, & proportionata diſpoſitio ad Charitatem.

5. Hinc obiter habes, cur ad recuperandos habitus aliarum virtutum ſufficiat actus elicitus ex motivo Charitatis, & ad recuperandum habitum Charitatis non ſufficiat actus elicitus ex motivo alterius virtutis. Ratio eſt, quia diſpoſitio perfectior præſtare poteſt id omne, quod poteſt præſtare diſpoſitio imperfectior, & diſponere ad formam, ad quam diſponit imperfecta, non e contra.

Habes 2. Contritionem pertinere ad virtutem Charitatis, & eſſe actum elicitum a Charitate, cum procedere debeat ex motivo formali Charitatis. Cum enim virtus quælibet habeat duo genera actuum, nempe proſecutionis circa ſuum objectum bonum, ad quod tendit, ſeu inclinat, & fugæ, deteſtationis, & odii circa malum oppoſitum; Charitas per actum proſecutionis fertur in Deum amando, & ſibi complacendo de illius infinita bonitate, & per actum fugæ, ac deteſtationis fertur in peccatum, prout illi infinito bono oppoſitum: quare Contritio, quæ eſt deteſtatio peccati, prout Deo opponitur, erit per ſe actus elicitus a virtute Charitatis. Dixi *per ſe*; nam in peccatore, in quo nondum exiſtit habitus Charitatis, qui ſequitur gratiam, nequit Contritio effective produci ab habitu Charitatis, ſed ab auxilio divinæ gratiæ ſupplentis habitum Charitatis.

6. Dices: deteſtatio peccati ex motivo pœnitentiæ ſpecialis, ex motivo obedientiæ, vel alterius virtutis, avertit hominem a ſe ipſo, cum non attendat ad ullum ſuum commodum, & convertit in Deum; ergo illa eſt vera Contritio. Deinde in Scriptura dicitur, quod ſi impius egerit pœnitentiam, remittentur illi peccata, abſque eo, quod fiat ulla mentio motivi Charitatis; ergo quia Contritio juſtificans non debet neceſſario procedere ex motivo Charitatis. Sed contra dico, non ſufficere ad perfectam hominis averſionem a peccato, ut oderit peccatum, attendendo commodum ſolius Dei, cum hæc non ſolum pœnitentia ſpecialis, ſed aliæ etiam virtutes habeant, per quas non deletur peccatum, ſed requiritur motivum Charitatis, & amoris ſuper omnia. Quando vero dicit Scriptura, quod ſi impius egerit pœnitentiam, remittentur illius peccata, debet intelligi de pœnitentia, ſeu retractatione facta ex motivo Charitatis; nam *qui non diligit, manet in morte*; & Auguſtinus odium peccati cum Dei amore requirit ad pœnitentiam certam.

7. Ex dictis colligitur primum, & principale diſcrimen, quod intercedit inter Contritionem, & Attritionem, quod Contritio procedat ex motivo Charitatis, Attritio vero ex alio motivo inferiori, vel etiam ex motivo pœnarum, Contritio præſcindens a perfecta, & imperfecta definitur a Trident. *ſeſſ. 14 cap. 4. Eſt animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero*. Contritio perfecta definiri poteſt ſic: *Eſt deteſtatio, aut dolor de peccato propter Deum ex Charitate dilectum*: vel cum Bonacina *diſp. 5. q. 5. ſect. 1. punct. 1. Eſt actus Charitatis, quo quis deteſtatur omnia ſua peccata ſuper omnia deteſtabilia, quatenus ſunt offenſa Dei, ſeu contra amicitiam, & voluntatem ejus, cum propoſito non peccandi in futurum*. Contritio vero imperfecta, ſeu Attritio, *eſt dolor de peccatis ob timorem gehennæ, aut aliarum pœnarum, aut ob turpitudinem peccati*, ut poſtea dicam.

DUBIUM II.

An Contritio includat neceſſario amorem Dei formalem?

8. Regulariter loquendo, Contritio extra Sacramentum juſtificans, conjunctum habet amorem Dei formalem, quia regulariter deteſtando peccatum, ut contrarium divinæ bonitati, & ut Dei offenſam, elicicimus actum amoris, quo intendimus Deo placere, ipſique ſatisfacere, ex quo oritur talis diſplicentia peccati. Difficultas eſt: *An talis deteſtatio, & diſplicentia, ad hoc ut ſit perfecta Contritio, ſemper, & neceſſario debeat amorem includere, adeo ut Contritio adæquate ſumpta componatur ex duplici actu, altero doloris peccati, altero amoris Dei, vel poſſit eſſe unus, & ſimplex actus averſativus cauſatus ex motivo divinæ bonitatis, cui peccatum contrariatur, qua ratione Contritio dicetur includere amorem Dei non formaliter, ſed virtualiter.*

9. Reſp. vera, & perfecta Contritio, quæ eſt ultima diſpoſitio ad juſtificationem, non includit neceſſario amorem Dei formalem, quo Deus ametur, ut objectum materiale quod, ſed poteſt eſſe actus pure averſativus, quo deteſtamur peccatum, ut malum Dei ſumme boni tanquam objecti quo. Ratio eſt, quia in actu averſativo peccati ex motivo Charitatis, bonum divinum concurrit tantum ut quo, & tanquam motivum odii, & ſic deteſtatio illa non neceſſario includit amorem formalem. Probatur conſequentia, quia formalis amor verſatur circa bonum tanquam objectum materiale, & formale; in eo enim bonum eſt res amata, & ratio amandi; ergo ſi bonum divinum in illa deteſtatione non concurrit, niſi ut objectum quo, non ſpecificat amorem formalem, ſed duntaxat odium. Confirmatur, quia in illa deteſtatione peccati concepta ex motivo divinæ bonitatis, ſufficienter includitur amor requiſitus ad juſtificationem abſque neceſſitate multiplicandi amorem formalem; nam ille actus eſt vera Charitas, quæ non minus habet amare bonum, quam odiſſe malum oppoſitum; ille actus eſt æquivalenter amor, & æquivalet formali actui amoris; quoties enim motivum alicujus eſt bonum, toties actus eſt æquivalenter proſecutivus, & amor; ergo dete-

deteſtatio peccati concepta ex motivo divinæ bonitatis, eſt æquivalenter amor, & ſic ſola ſufficit ad juſtificationem non minus, quam ſimul cum actu formali amoris. Deinde in Scriptura ſimplici deteſtationi promittitur juſtificatio: ſic Ezech. 33. *Si averſus fuerit peccator ab injuſtitia ſua, impietas non nocebit ei*; ergo Contritio perfecta non includit eſſentialiter formalem actum amoris, ſed ad illum ſufficit virtualis amor cum deteſtatione formali. Et ita tenet Filliucius *de Pœnit. cap. 7. nu.* 174. Suarez *diſp. 4. ſect.* 2. Lugus *diſp. 9. num.* 92. Sotus, & alii.

10. Dices: Contritio debet eſſe dolor de peccato, quatenus eſt oppoſitum Deo ſumme dilecto; ſed hic actus includit formalem Dei amorem; ergo Contritio debet includere formalem Dei amorem. Sed contra dico, Contritionem non eſſe deteſtationem peccati propter Deum ſumme dilectum formaliter, ut objectum quod, ſed propter Deum ſumme dilectum virtualiter, ut objectum quo; non enim quoties conteror neceſſario dico, me dolere de peccatis propter Deum, quem ſumme diligo, ſed propter Deum ſumme diligibilem, ſeu ſumme bonum, & ſic bonitas divina, licet ſit objectum formale illius actus, non ſequitur tamen, quod eo actu ametur bonitas divina, niſi virtualiter, ex eo quod deteſtor peccatum, ex eo motivo, ex quo amatur Deus, qui eſt objectum quo hujus actus, eſtque ſolum interpretative, & æquivalenter amor Dei; nam odiſſe malum alicujus, eſt illi velle aliquod bonum.

11. Dices 2. Ad juſtificationem non ſufficit amor in voto, ſed neceſſario requiritur amor formalis, & in re, per quem poſſit Deo conjungi; ergo Contritio juſtificans debet talem amorem includere. Deinde ex Trident. Contritio, per quam Homo reconciliatur Deo, eſt Charitate perfecta, & formata; ergo quia includit amorem formalem. Sed contra dico, ad ſalutem ſufficere amorem virtualem, & in voto, ut docet Suarez, qui affert diſparitatem de fide, quæ debet neceſſario eſſe formalis, quia cum ſine aliquo actu voluntatis ſupernaturali obtineri non poſſit juſtificatio, præcedere neceſſario debet actus aliquis fidei, ſine qua nulla eſt cognitio ſupernaturalis in Viatoribus; poteſt autem elici actus ſupernaturalis ſine formali amore, unde ille non eſt ſimpliciter neceſſarius, & licet ille habeat formaliter conjungere cum Deo, tamen ad conjunctionem ſolum diſpoſitivam, qualis eſt, quæ habetur per Contritionem, ſufficit amor virtualis. A Trident. Contritio appellatur Charitate perfecta, & formata, quatenus ad ipſam ſtatim conſequitur infuſio gratiæ, & charitatis, vel quatenus oritur ex motivo charitatis, & virtualiter ſaltem includit actum charitatis.

DUBIUM III.

An Contritio includat neceſſario formale propoſitum non peccandi?

12. Conveniunt omnes Doctores, propoſitum non peccandi in futurum ita neceſſarium eſſe ad Contritionem, & Pœnitentiam, ut ſine illo haberi non poſſit vera Contritio, & juſtificatio a peccatis; ſed non omnes explicant, nec omnes conveniunt, an illud propoſitum debeat eſſe formale, & explicitum, quo pœnitens ſtatuat amplius non peccare, vel ſufficiat virtuale, & implicitum, ſeu incluſum in ipſamet deteſtatione de peccatis commiſſis, quæ quando eſt efficax non ſolum tollit omnem complacentiam peccati in futurum committendi, ſed talis eſt, ut ſi pœnitens de illis cogitaret, omnino proponeret illorum vitationem in futurum.

13. Reſp. 1. Ad veram Contritionem neceſſario requiritur propoſitum non peccandi in futurum. Hæc reſponſio, præſcindendo a propoſito formali, & virtuali, eſt communis, & certa ex Scriptura, & Patribus requirentibus ad veram pœnitentiam non ſolum deteſtationem vitæ præteritæ, ſed etiam renovationem futuræ, & emendationem morum, ac vitam novam, ut Ezech. 18. 33. Pſal. 50. ad Epheſ. 4. *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ: deponite veterem hominem: induimini novum hominem*. Ambroſ. & Gregor. apud Magiſtrum *diſt.* 14. pœnitentiam definiunt: *mala præterita plangere, & plangenda iterum non admittere*, tum ex Concil. Trident. *ſeſſ. 6. cap. 6.* ponente iterum diſpoſitiones ad gratiam hoc propoſitum, & *ſeſſ.* 14 *cap.* 4. ubi Contritionem definit: *Quod ſit animi dolor, & deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero;* & infra: *declarat Sancta Synodus, hanc Contritionem non ſolum continere ceſſationem a peccato, ſed & vitæ novæ propoſitum, & inchoationem*, & antea dixerat Florent. *ſeſſ. ultim.* loquens de Pœnitentiæ Sacramento. Ratio eſſe poteſt, quia impoſſibile eſt, quod quis vere conteratur, ac doleat de peccatis, ut ſunt offenſa Dei, & proponat ſe continuaturum aliquam offenſam Dei gravem, & lethalem; ſicut e contra impoſſibile eſt, quod quis vere velit emendare vitam, & ceſſare a peccatis, ſi præterita vita illi non diſpliceat, ac de illa non doleat, mutuo namque hujuſmodi affectus de præterito, & de futuro ſe comitantur, ſi non actu, ſaltem virtute.

14. Dico 2. Contritionem regulariter habere adnexum propoſitum formale non peccandi lethaliter in futurum, patet ex Trident. & Patribus ſupra citatis. Ratio eſt, quia non minus peccatum futurum, quam præteritum eſt offenſa Dei; ergo ad Contritionem, quæ eſt deteſtatio peccati, prout eſt offenſa Dei, non minus requiritur propoſitum de vitando futuro, quam dolor de peccato commiſſo. Quare ſi quis eliciendo actum Contritionis advertat, & cogitet de tempore futuro, tenetur explicite proponere amplius non peccare, ſecus convincitur non habere veram deteſtationem prout oportet. Ita tenet Filliucius *ſupra num.* 176. Madernus *quæſt. 2. artic. 6.* Averſa *quæſt. 2. de pænit. ſect.* 12.

15. Excipit Suarez *diſp. 4. ſect. 3. n.* 4. articulum mortis, in quo quis poſitus non eſt cur de propoſito formali ſit ſolicitus, nec videtur obligandus ad illud habendum ſub conditione, *ſi ſupervixero*, ſive quia actus conditionales circa futura per ſe, & abſolute loquendo non ſunt neceſſarii ad ſalutem, ut ait Suarez *loco citato*, ſive quia cum vita futura ſit moraliter deſperata, nulla ratio poſtulat, ut hujuſmodi propoſitum ſit in tali caſu ſimpliciter neceſſarium. Unde ſi quis damnatum ad mortem ad pœnitentiam adhortatur non admodum curat de futuris actibus in hac vita, ſed de dolore, ac deteſtatione præteritorum; quamvis enim aliquantulum vitæ reliquum ſit, moraliter tamen quaſi nihil reputatur, nam quod parum diſtat, nihil diſtare cenſetur; præterquamquod perſeverando in dolore præteritæ vitæ tunc temporis ſatis proponitur obſervantia mandatorum pro ea brevitate temporis; his non obſtantibus tutius eſt, etiam in illo brevi tempore, pœnitentem hortari ad propoſitum formale, ut majori certitudine, & cautela pœnitentiam agat.

16. Dico 3. Contritionem, qua homo juſtificatur, poſſe aliquando eſſe ſine formali propoſito non peccandi de cætero, cum ſolo propoſito virtuali, & implicito neceſſario incluſo in actu, quo deteſtatur peccata ex motivo Charitatis. Prob. exemplo David 2. *Regum* 12. qui propoſito ſibi peccato a Propheta Natam ſolum protulit ea verba: *peccavi Domino*, & tamen ſtatim juſtificatus eſt, etiam ſi ibi nulla fiat mentio futuræ vitæ: in quem locum S. Auguſtinus *tres*, inquit, *ſunt Syllabæ peccavi, ſed in illis tribus ſyllabis flamma ſacrificii coram Deo aſcendit in Cœlum*. Deinde vocabula, quibus Contritio, & Pœnitentia ad juſtificationem requiſita vocatur a Scriptura, Patribus, & Scholaſticis ſcilicet compunctio, averſio, diſplicentia, reſipiſcentia, depoſitio veteris hominis, odium, deteſtatio, retractatio, & ſimilia ſolum reſpiciunt præteritum, non futurum. Ratio eſt, quia Contritio tunc perfecta eſt, quando voluntatem avertit ab omni prorſus peccato; ſed deteſtatio peccati ex motivo univerſali, & Charitatis, ſecluſo propoſito illo formali, voluntatem perfecte avertit ab omni peccato; cadit enim in omnia prorſus peccata, ſive præterita, ſive futura: *hujuſmodi videlicet Anima*, inquit Auguſt. tract. 71. in Joan. *mavult, dilecto Deo, mori, quam, eo offenſo, vivere*; ergo eſſe poteſt vera Contritio ſine illo expreſſo, & formali propoſito. Quod ſi Concilia, & Patres requirant propoſitum non peccandi, debent intelligi de propoſito expreſſo, & formali, vel de virtuali incluſo in ipſa deteſtatione; & ita tenent Filliucius ſupra, Madernus *quæſt. 2. art. 6.* Averſa *loco citato*, Navar. Layman, Diana Sylvius, Dicaſtillus, quos citat, & ſequitur Ant. a Spiritu S. *de Pœnit. diſp. 2. ſect. 4. num.* 60.

17. Quæ diximus de propoſito virtuali, vera ſunt ſpeculative, & quantum eſt de neceſſitate Contritionis, cæterum in praxi ſemper ſuaderi debet propoſitum formale, imo Populo ſimpliciter dicendum eſt, propoſitum illud eſſe neceſſarium, cum ſit hæc pars tutior: imo ſi dum Contritio elicitur, veniat in mentem cogitare de illo propoſito, faciendum ſine dubio eſt expreſſum, & formale, ut dictum eſt in ſecunda reſponſione, ſecus ſignum eſt, imperfectiſſimam eſſe deteſtationem peccati præteriti, aut etiam coloratam ſolum, & apparentem; eſt enim illi tacita quædam peccati approbatio, & certe defectu efficacis hujus propoſiti ſæpe evenit relapſus in peccata. Adverte tamen, quod valde diverſum eſt propoſitum non peccandi a judicio, quod non peccabis: propoſitum eſt actus voluntatis, judicium eſt actus intellectus, & potes perfecte conteri, quamvis judices te poſtea peccaturum, modo tamen nunc certam & fixam habeas voluntatem non peccandi.

DUBIUM IV.

Quomodo Contritio debeat deteſtari peccata ſuper omnia.

18. Dupliciter poteſt Contritio deteſtari peccata ſuper omnia; primo intenſive, ſi nimirum Contritio plures habeat gradus intenſionis, quam omnes alii actus. Secundo appretiative, ſi nimirum peccatum præferat omnibus aliis objectis, & quis paratus ſit quodlibet potius malum pati, quam peccare, quod reperiri poteſt in actu etiam remiſſo; ſicut enim poteſt amor alicujus objecti eſſe appretiative major, & intenſive minor, vel e contra, ita etiam poteſt dolor, & deteſtatio alicujus mali eſſe appretiative major, & intenſive minor, vel e contra, quam dolor, & deteſtatio alterius; nam ſicut poteſt actu amoris remiſſo

remiſſo præferri unum bonum omnibus aliis, ita poteſt actus deteſtationis remiſſo refugi unum malum præ omnibus aliis. Rationem aſſignat Coninch *diſp. 2. nu. 64.* quia major, vel minor intenſio actus voluntatis ſæpiſſime oritur ex eo, quod pars inferior erga tale objectum bene, vel male afficiatur, & imaginatio etiam magis eo feratur; appretiatio vero unius objecti ſuper aliud pure oritur ex judicio rationis, quo unum judicatur eſſe majus bonum, quam aliud, & omnibus aliis præferendum, & ex libertate voluntatis, quæ proſequitur illud tanquam majus bonum.

19. Reſp. primo; Contritio debet eſſe dolor, & deteſtatio peccati ſuper omnia non intenſive, ſed appretiative, adeo ut etiamſi non habeat plures gradus intenſionis, peccatum tamen præferat omnibus aliis malis, etiam pœnæ æternæ. Ita tenent communiter Doctores, Madernus, Filliucius, Averſa, Lugus, Leander, & alii apud ipſos. Ratio eſt, quia eodem modo tenemur deteſtari peccatum ſuper omnia, quo tenemur amare Deum ſuper omnia, ex toto corde, tota anima, totis viſceribus; ſed non tenemur amare Deum ſuper omnia intenſive, & habere actum intenſiſſimum, quia quocumque dato ſemper eſt poſſibilis intenſior, bene tamen appretiative tenemur Deum amare pluſquam omnia; ergo etiam non tenemur deteſtari peccatum ſuper omnia intenſive, ſed appretiative, ita ut parati ſimus quodvis potius malum ſubire, quam peccato inquinari; & quidem ſubire non ſolum malum quodcumque temporale, ſed etiam pœnam æternam, dummodo hæc non includat culpam, ut optime & pie explicat D. Anſelmus *lib. de ſimilitud. cap.* 190. dicens: *Si hic peccati pudorem, & illinc cernerem Inferni horrorem, & in unum illorum neceſſario deberem immergi, potius me in gehennam immitterem, quam peccatum in me admittere; mallem enim a peccato purus Infernum intrare, quam peccati ſorde pollutus cælorum Regna tenere.*

20. Conf. quia Contritio neceſſario provenit ex motivo charitatis, & virtualiter ſaltem includit amorem Dei ſuper omnia, quatenus voluntas per Contritionem ita diſponitur ad firmiter adhærendum amori Dei, ut ſic parata a quolibet alio amore deſiſtere potius, quam ab amore Dei; ergo etiam debet ita eſſe parata quodvis potius malum ſubire, quam Deum offendere, ſecus Deum non amaret ſuper omnia, quia malum Dei, cujuſmodi eſt peccatum, non præferret omnibus malis, ac proinde magis amaret bonum oppoſitum tali malo, quam Deum. De hac Contritione ſumma appretiative intelligendi ſunt Scriptura, & Patres, dum requirunt dolorem ſummum pro Contritione peccatorum, ut Joel. 2. *convertimini ad me in toto corde veſtro.* Deuter. 4. *Si quæſieris Dominum Deum tuum invenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris, ex tota tribulatione animæ tuæ.*

21. Advertunt hic Doctores, quod, licet Contritio debeat deteſtari peccatum ſuper omnia mala, non eſt tamen neceſſe, ut fiat comparatio explicita, & formalis cum omnibus malis, cum ſufficiat implicita, & virtualis; ſi quis enim dicat ex corde: nollem peccaſſe, quia Deo ſumme bono, & infinite amabili diſplicui, verum elicit actum Contritionis, in quo nulla eſt formalis, & explicita comparatio, ſed virtualis duntaxat, & implicita, & ſic iſta ſufficit, nec illa eſt neceſſaria, imo ſæpe eſt periculoſa, & infirmioribus diſſuadenda, qui proinde non debent uti illis formis: mallem amittere vitam, honorem, famam, omnia bona, quæcumque ſuſtinere, & pati tormenta, vivere infamis, & ſimilia, quam peccare, ſed ſufficit, quod doleant de peccato, quia illud Deo ſumme bono diſplicet. Ita Lugus *diſp. 1. ſect.* 1. Madernus *art. 3. num. 9.* Antonius a Spiritu Sancto *ſect. 4. num.* 48. & aliis pluribus citatis, Leander *diſp. 1. quæſt.* 13.

22. Dices: ſi deberet deteſtari peccatum ſuper omne malum pœnæ, deberet etiam deteſtari, & impediri peccatum, etiam alienum magis, quam propriam pœnam, quia illud eſt malum Dei, non iſtud, & ſic homo teneretur mori, vel etiam ſuſtinere pœnam inferni, ſi hoc eſſet neceſſarium ad vitandum peccatum alterius, quod tamen videtur durum. Sed contra: peccatum alienum ſpectari poteſt, vel præciſe, ut eſt objectum deteſtabile, vel prout eſt a me permittendum, aut impediendum; primo modo utique deteſtabilius eſt quodcumque peccatum, etiam alienum, quam malum pœnæ propriæ: ſecundo modo, licet optimum ſit maximas pœnas velle pati, ut evitetur peccatum alienum, Charitas tamen non obligat ad illas pœnas ſolvendas, quia peccatum alteri voluntarium eſt, & facile vitari ab eo poteſt. Ad argumentum concedo, quod peccatum alienum ſit magis deteſtabile, quam pœna propria, ſed nego, quod magis tenear illud impedire, quia non eſt malum Deo a me illatum, ſed ab alio voluntarie factum.

23. Inſt. tenetur quis impedire majus malum; ſed majus malum eſt peccatum, etiam alienum, quam propria pœna; ergo tenetur illud impedire. Sed contra dico, me teneri impedire majus malum, ſi utrumque pendeat a mea voluntate, ſecus ſi alterum pendeat a voluntate aliena. Fateor utique, peccatum alienum eſſe objective majus malum, quam mea pœna, illud tamen non procedit a mea voluntate, & ſic non teneor cum tanto incommodo illud impedire.

24. Dico 2. Contritio debet magis deteſtari peccata graviora, quam leviora, magis etiam deteſtatur proprium quodlibet peccatum etiam veniale, quam quodlibet mortale alienum, magis etiam veniale proprium, quam originale. Ita Lugus *diſp. 5. ſect. 4. & 5.* Leander *diſp. 1. qu. 16. 17. &* 21. Madernus *art.* 4. & alii apud ipſos. Ratio primæ partis eſt, quia illud per Contritionem debet homo magis deteſtari, quod magis tenetur vitare ad ſalvandam amicitiam, & effectivam conjunctionem cum Deo; ſed homo magis tenetur vitare peccata graviora: ſi enim per poſſibile, vel impoſſibile, quis eſſet neceſſitatus ad eligendum aliquod peccatum, teneretur eligere minus grave, & in tali electione non peccaret, bene tamen in electione gravioris; ergo tenetur homo magis vitare graviora.

25. Dices: omnia peccata ſunt deteſtanda ſuper omnia, & ſic omnia ſunt deteſtanda æqualiter; ubi enim non datur exceſſus, datur æqualitas; at in his, quæ ſunt deteſtanda ſuper omnia, non poteſt dari exceſſus; ergo ſunt deteſtanda æqualiter. Sed contra dico, omnia peccata eſſe deteſtanda æqualiter, ſi comparentur ad alia mala, non ſi comparentur inter ſe: omnia habere æqualitatem deteſtabilitatis comparative ad pœnam, non comparative ad malitiam, quæ ſicuti eſt inæqualis ſaltem ex parte actus, & modi tendendi, ſi non ex parte Dei offenſi, ita etiam poteſt eſſe inæqualis deteſtabilitas, & graviora magis deteſtari, quam leviora.

26. Ratio ſecundæ partis eſt, quia Contritio procedit ex motivo Charitatis; prima autem inclinatio Charitatis eſt reſpectu ſubjecti proprii; ideo magis inclinat ſubjectum, in quo eſt ad diligendum Deum, & ſic ratio motiva Charitatis inclinat magis ad diſplicentiam peccati proprii, quam alieni. Hinc ſequitur, quid dicendum ſit de peccato veniali comparato ad originale: cum enim peccatum originale ſit commiſſum voluntate aliena, & nobis imputetur ſolum propter alligationem noſtrarum voluntatum in voluntate Adami, debet Contritio deteſtari magis veniale, quam originale: nec licite quis poſſet velle potius committere veniale, quam incurrere originale, multo minus peccare venialiter, ut mundetur ab originali; longe enim minus malum eſt manere in peccato originali, quam committere peccatum actuale, utcumque leviſſimum, quia manere in peccato non eſt peccare; ideo ſemper minus malum eſt, quam peccare, licet leviſſime. Vide Lugum *ſect. 5. num.* 58.

27. Dices: Illud ſecundum rectam rationem eſt deteſtabilius, quod Deus magis odit, & gravius punit; ſed Deus magis odit, & gravius punit peccatum originale, quam veniale; ergo illud eſt deteſtabilius. Adde, quod peccatum originale eſt mortale, privans hominem gratia, & conſtituens Dei inimicum; ergo eſt deteſtabilius. Sed contra dico, majorem eſſe veram, quando utrumque procedit a mea voluntate, ſecus ſi non procedat, ut patet in peccato mortali alieno, quod Deus magis odit, quam meum veniale, & tamen non teneor magis illud impedire. Ratio eſt, quia veniale magis me facit reprehenſibilem, quam originale; & licet iſtud faciat me inimicum Deo, hoc non ſe tenet ex parte meæ voluntatis: at veniale, licet ſolum minuat fervorem amicitiæ Dei, fit tamen me volente, ideo magis me reprehenſibilem reddit. Ad confirm. valet eadem diſtinctio, nimirum peccatum mortale procedens a mea voluntate eſt deteſtabilius, quam veniale, ſecus ſi non procedat.

28. Nec dicas, peccatum meum originale in Adamo fuit vere meum, & fuit mortale; ergo eſt deteſtabilius: contra enim dico, peccatum originale in Adamo fuiſſe vere meum moraliter, non phyſice; non debeo autem permittere peccatum meum veniale, ut vitem mortale, quod non eſt meum, niſi moraliter. Ita Lugus *ſupra*, & Leander *quæſt.* 21.

DUBIUM V.

An Contritio debeat cadere ſuper omnia peccata diſtincte recogitata?

29. CErtum eſt, Contritionem debere eſſe dolorem, & deteſtationem univerſalem omnium peccatorum, ſaltem mortalium, quia Contritio perfecta convertit hominem in Deum, & diſponit ad gratiam juſtificationis. Non convertitur autem perfecte, qui non dolet de omnibus peccatis, & proponit ſervare omnia mandata, & præfert Deum omnibus; nam qui in uno offendit, factus eſt omnium reus, id eſt non poteſt unum peccatum mortale dimitti ſine alio: & ſic qui perfecte conteritur, debet de omnibus dolere, ut omnium remiſſionem acquirat, quæ haberi non poteſt ſine pœnitentia. Dubium eſt: *An ſit neceſſarium recogitare omnia peccata in particulari, & in particulari per diſtinctos actus doloris de illis pœnitere, & conteri*, ut cum Sylveſtro, & Paludano tenent nonnulli apud Madernum *quæſt. 2. art.* 5.

30. Reſp. ad Contritionem perfectam non requiritur neceſſario, ut homo diſtincte recogitet omnia ſua peccata, ſed ſatis eſt, quod confuſe, cogitans omnia, dicat ſe illa deteſtari, vel unum cogitans illud retractet diſtincte, reliqua

vero virtualiter, & confuſe tantum. Ita Suarez, Soto, Navarrus, & alii, quos citat, & ſequitur Madernus *ſupra*, Leander *diſp. 7. qu. 20.* & apud ipſum Layman, Hurtado, Diana, & Villalobos. Ratio eſt, quia diſtincta cogitatio omnium peccatorum non eſt neceſſaria, antequam homo deteſtetur peccata, nec tunc cum deteſtatur, nec poſt elicitam deteſtationem, & ſic nullo modo eſt neceſſaria: non eſt neceſſaria ante, quia actus, quo deteſtur peccata confuſe ſolum cogitata, eſt vera pœnitentia univerſalis, non enim eſt deteſtatio unius tantum, ſed omnium peccatorum, veræ autem pœnitentiæ univerſali promiſſa eſt remiſſio, Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius*; ergo illi actui promiſſa eſt remiſſio, eſtque vera Contritio. Nec eſt neceſſaria tempore, quo quis conteritur, quia ſi habet plura peccata, hoc eſt illi impoſſibile: non poſtea, quia ſufficienter eſt juſtificatus per dolorem, qui præceſſit. Conf. quia ſi eſſet neceſſaria diſtincta recogitatio, non poſſet homo conteri, niſi poſt longam moram, & cum magna difficultate, quod patet eſſe falſum in Magdalena, & aliis ſubito converſis: item in extremo periculo, ubi non datur tempus ad eam recogitationem; tunc enim certum eſt ſufficere Contritionem univerſalem, & confuſam; ergo etiam extra illud periculum Contritio illa ſufficit, quia actus, qui per ſe, & ſine Sacramento eſt ſufficiens converſio in Deum, & diſpoſitio ad gratiam, ſemper eſt ſufficiens, maxime ſi aliud exhiberi non poteſt.

31. Probari etiam poteſt ex dictis *cap. præcedenti dub. 4.* ubi diximus, Contritionem conceptam ex motivo Charitatis eſſe neceſſario univerſalem, & ſe extendere ſaltem virtualiter ad omnia peccata mortalia, licet non ad venialia: ita quod implicet me deteſtari ex motivo Charitatis aliquod peccatum mortale, quin deteſter omnia mortalia, quia deteſtari peccatum ex motivo Charitatis, eſt illud deteſtari ex motivo communi cuicumque mortali; ſed quoties deteſtatio procedit ex motivo communi cuicumque mortali, toties illa deteſtatio eſt univerſalis virtualiter ſe extendens ad omnia mortalia, & ſic illa ſola eſt ſufficiens ad juſtificationem abſque diſtincta recogitatione omnium peccatorum, & multiplicatione actuum deteſtationis.

32. Dices: neceſſaria eſt ad ſalutem formalis pœnitentia de omnibus peccatis; ſed ſi non cogitetur niſi unum peccatum ab eo, qui centum peccata commiſit, Contritio, non erit formalis pœnitentia de omnibus peccatis; ergo non ſufficit ad Contritionem cogitari unum, ſed neceſſe eſt, ut recogitentur omnia peccata. Confirm. quia, ſi ſupponamus hominem recordari decem peccatorum, & tamen nolle deteſtari niſi unum, certe ille non erit ſufficienter diſpoſitus ad gratiam, quia pœnitentiam formalem voluntarie omiſit, a qua ſola impotentia excuſare poteſt; ergo neceſſaria eſt recogitatio, & deteſtatio diſtincta omnium peccatorum.

33. Reſp. neceſſariam eſſe formalem pœnitentiam de omnibus peccatis, vel explicite, vel in confuſo: ſi autem deteſtentur illa confuſe cognita, datur pœnitentia formalis de omnibus: ſi vero deteſtetur unum tantum, virtualiter deteſtantur alia: hæc autem deteſtatio virtualis ſufficit, quando reliqua memoriæ non occurrunt: ſi enim memoriæ occurrerent, deberent deteſtari, vel explicite, vel ſaltem confuſe, quod poteſt fieri unico actu univerſali cadente ſuper omnia: ſi autem decem memoriæ occurrunt, & ſolum unum deteſtaris, jam illa non eſt vera, & ſincera deteſtatio ſufficiens ad ſalutem, ſed ſimulata duntaxat; nam vera, & ſincera deteſtatio ex motivo Charitatis ita deteſtatur unum peccatum, ut parata ſit deteſtari omnia, ſi memoriæ occurrerent; unde ſi memoriæ occurrunt, debent deteſtari ſaltem per generalem Contritionem confuſam ad hoc, ut de omnibus habeatur pœnitentia formalis, quæ, per ſe loquendo, de omnibus eſt neceſſaria.

DUBIUM VI.

Quanta debeat eſſe Contritio quoad intenſionem, & durationem?

34. RESPONDEO primo, ad veram Contritionem non requiritur certa ulla intenſio actus, ſed ſufficit quælibet deteſtatio peccati etiam remiſſiſſima facta ex motivo charitatis, ſeu ſufficit ſubſtantia actus in quocumque gradu eliciatur. Ita Suarez, Navar. & alii multi apud Bonacinam *diſp. 5. qu. 5. ſeſſ. 1. punct. 7. n. 7.* Leander *diſp. 7. qu. 18.* & Madernus *qu. 2. art 3.* contra Adrianum, requirentem ſummam intenſionem actus, & contra Durandum, & Sotum requirentes ſummam intenſionem non abſoluta, ſed comparative, quia ſcilicet debet eſſe intenſior quocumque dolore de aliis malis, ſecus non eſſet ſuper omnia. Prob. ex Scriptura abſolute promittente remiſſionem peccati cordi contrito, nec Contritionem limitante ad ullum definitum gradum, aut intenſionem, ut patet ex illo Pſ. 50. *Cor. contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.* Ezechiel. 18 & alibi; ergo nec nos debemus illam limitationem adhibere, ſed expleta conditione ſimplici modo, quo a Scriptura proponitur, Deus etiam implet infallibilem ſuam promiſſionem, & ut habetur cap. *Talis*, de Pœnit. diſt. 3. *Talis eſt erga homines pietas Dei, ut quantulamcumque, & quamlibet brevi tempore, non reſpuat Pœnitentiam*: & infra: *non patitur exigua etiam Pœnitentia amitti mercedem.*

35. Ratio eſt, quia poteſt eſſe vera Contritio, etſi actus non habeat, niſi unum gradum intenſionis; nam in quolibet gradu etiam primo reperitur tota eſſentia, & perfectio Contritionis, ſicut in qualibet intenſione ſalvatur eſſentialis perfectio cujuſcumque qualitatis. Deinde vera Contritio eſt illa, quæ eſt ſufficiens, & proportionata diſpoſitio ad gratiam; ſed quilibet gradus Contritionis eſt diſpoſitio talis; ergo quilibet gradus eſt vera Contritio, & ita nulla certa intenſio, ſeu certus gradus ad veram Contritionem requiritur. Major eſt certa, minor prob. quia quilibet gradus Contritionis eſt converſio in Deum, averſio a peccato, cum ſit illius deteſtatio ſuper omnia, cui infallibiliter eſt adjuncta gratia, & remiſſio peccati, juxta illud Zachariæ 5. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*; hæc enim duo ſunt ſimul infallibiliter connexa. Inſuper ut aliqua diſpoſitio ſit proportionata ad gratiam ſufficit, ut ſit ejuſdem ordinis ſupernaturalis, ejuſdem intenſionis, efficax, & abſoluta, & voluntatem ſeparans a peccato; ſed quælibet Contritio ex motivo Charitatis concepta hæc præſtat, nec differt Contritio remiſſior a Contritione intenſiori, niſi quod illa ad remiſſionem, iſta ad intenſionem gratiam diſponit; ergo Contritio remiſſa, & quilibet illius gradus eſt diſpoſitio proportionata ad gratiam.

36. Dices: calor eſt diſpoſitio ad ignem ſub determinata intenſione, nec ſufficit quilibet minimus gradus caloris ad producendam formam ignis; ergo etiam Contritio erit proportionata diſpoſitio ad gratiam ſub determinata intenſione. Sed contra diſparitas eſt, quia Contritio diſponens ad gratiam, diſponit ad formam, quæ poteſt eſſe intenſior, vel remiſſior, nec ullum habet determinatum gradum perfectionis, ideo & ipſa diſpoſitio non habet determinatum gradum intenſionis; at calor diſponit ad formam ſubſtantialem, quæ non poteſt eſſe intenſior, & remiſſior, & ſic calor ſub determinato grado debet ad illam diſponere.

37. Dices 2. tenemur amare Deum totis viſceribus, ideſt, ex toto conatu voluntatis; ergo etiam ex toto conatu voluntatis tenemur dolere de illius malo; ſed dolere de peccato ex toto conatu voluntatis, eſt elicere actum intenſiſſimum ſaltem pro eo inſtanti ſibi poſſibilem, attentis viribus gratiæ ſibi datæ, vel certe eſt dolor intenſior quocumque alio; ergo ad veram Contritionem non ſufficit quicumque gradus doloris. Sed contra reſpond. ex ſupradictis non obligari ad amandum Deum ex totis viſceribus, & ex toto conatu intenſiva, ſed appretiative præferendo Deum omnibus aliis, quæ amori ejus repugnant; ita etiam tenemur dolere de peccato ſuper omnia non intenſive, ſed appretiative præferendo peccatum omnibus aliis malis, adeo ut parati ſimus quodcumque malum potius ſuſtinere, quam peccare, ut ſupra dictum eſt.

38. Dico 2. Ad veram Contritionem non requiritur, ut aliquo determinato tempore duret, ſed eſt vera Contritio ſimul, ac incipit, etiamſi duraret ſolum per inſtans. Probatur eodem modo, quia veræ pœnitentiæ, & converſioni in Deum promittitur peccatorum remiſſio; ſed Contritio primo inſtanti, quo eſt, eſt vera converſio in Deum; ergo ſtatim delet peccata. Major habetur ex Scriptura Ezech. 18. *Si impius egerit, &c.* Iſai. 30. *cum ingemueris, tunc ſalvus eris*, quibus verbis utitur Cæleſtinus Papa, ita ſcribens ad Epiſcopos Galliæ: *vera converſio mente potius, quam tempore metienda eſt, dicente Propheta, cum converſus fueris, ſalvus eris.* Deinde, ſicut conſenſus in peccatum mortale ſtatim, ac eſt tale, deſtruit gratiam abſque ulla mora temporis; ita etiam actus Contritionis ſtatim ac fit, habet eſſe veræ Contritionis, & ultimæ diſpoſitionis ad gratiam. Adde, quod perfecta converſio in Deum, & averſio a peccato, illiuſque deteſtatio poteſt eſſe inſtantanea, & ſine ulla mora adjunctam habere gratiam, & remiſſionem peccatorum, ſecus poſſet homo in hac vita pervenire ad ſtatum, in quo, eliciendo actum Contritionis, non poſſet obtinere remiſſionem peccati, ut in fine vitæ, quando ei non ſupereſt tanta vitæ duratio, quanta neceſſaria eſſet, ut ille actus eſſet vera Contritio. Ita, pluribus citatis, Leander *diſp. 7. qu. 19.*

DUBIUM VII.

De Attritione, quid ſit, & quomodo differat a Contritione?

39. CUm illa ſola deteſtatio peccati, quæ procedit ex motivo divinæ bonitatis ſuper omnia dilectæ, ſit Contritio perfecta juſtificans extra Sacramentum, ut diximus ſupra *dub. 1.* ſequitur, deteſtationem peccati procedentem ex quocumque alio motivo inferiori, dummodo ſit aliquid honeſtum, & ſupernaturale, propter quod vere, & ex animo deteſtetur peccatum, eſſe Attritionem, ſeu Contritionem imperfectam, quæ ſolum juſtificat prout juncta Sacramento; illius motivum eſſe poteſt omne il-

lud,

lud, propter quod fides docet, peccatum eſſe deteſtabile, v. g. fides docet, intemperantiam eſſe contrariam rectæ rationi, per eam virtutem temperantiæ violari, jus divinum offendi, pœnas æternas incurri, jus amitti ad hæreditatem æternæ vitæ, deperdi virtutes, & gratiam, & alia ſimilia a fide manifeſtata, poſſunt eſſe motiva Attritionis Chriſtianæ, quæ proinde definiri poteſt: *Deteſtatio efficax peccatorum ex motivo aliquo ſupernaturali honeſto diſtincto a motivo Charitatis.*

40. Dixi, *ex motivo aliquo ſupernaturali*, quia, ſi deteſtatio peccati oriatur ex motivo pure naturali; v. g. quia ratio naturalis dictat, peccatum eſſe fugiendum, quia publica inde infamia, vel alia mala temporalia ſequuntur, erit Attritio pure naturalis inſufficiens ad juſtificationem etiam cum Sacramento; Attritio enim Chriſtiana debet eſſe ſupernaturalis, & *donum Dei, & impulſus Spiritus Sancti non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat; & quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit*, ut habet Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 4.

41. Hæc Attritio Chriſtiana ab eodem Trident. definitur, quod ſit *dolor, & deteſtatio peccatorum ex illorum turpitudinis conſideratione, vel ex metu gehennæ, & pœnarum communiter concepta, excludens voluntatem peccandi cum ſpe veniæ.* Dicitur autem Attritio dolor, & deteſtatio excludens voluntatem peccandi cum ſpe veniæ, quia eſt actus efficax, & donum Spiritus Sancti diſponens ad juſtificationem, & in hoc convenit cum Contritione. Dicitur tamen ex turpitudinis peccati, ſeu pœnarum conſideratione concepta, ad diſtinguendum Attritionem a Contritione, quæ maxime differunt per motiva diverſa: nam Contritio eſt dolor de peccatis propter Deum ſumme dilectum: Attritio vero eſt dolor propter alia motiva, quæ ad illa capita, ſcilicet ad metum gehennæ, & pœnarum, & ad turpitudinem peccati reducuntur; nam deſiderium beatitudinis, aut privatio æternæ vitæ ad metum gehennæ, & pœnarum reducitur, alia motiva reducuntur ad turpitudinem peccati: ſic odiſſe peccatum, quia eſt contra conſcientiam, contra rationem, quia privat gratia, & amicitia Dei, & bonitate virtutis, eſt Attritio orta ex motivo turpitudinis; idem valet de reliquis.

42. Inde habes, Attritionem, & Contritionem ſpecie, & eſſentialiter differre inter ſe, quia habent objecta formalia, & motiva ſpecie, & eſſentialiter diverſa; ex quo ulterius ſequitur, Attritionem nunquam, per ſe loquendo, poſſe fieri Contritionem, ita quod ſecundum ſuam ſpeciem in ſpeciem Contritionis tranſeat; implicat enim actum unius ſpeciei tranſire in actum alterius ſpeciei, ſicut implicat frigus tranſire in calorem. Quando autem dicitur, Attritionem, junctam Sacramento, fieri Contritionem, vel hominem ex attrito fieri contritum, ſignificat Attritionem fieri Contritionem æquivalenter, quia ſcilicet Attritio, juncta Sacramento, eumdem effectum habet, quem habet ſola Contritio. Ita Madernus *quæſt.* 2. *art.* 14. Leander *qu.* 44. & 45. *diſp.* 1. Lugus *diſp.* 5. Bonacina *diſp.* 3. *quæſt.* 5. *ſect.* 1. *punct.* 4. & alii communiter apud ipſos.

43. Quæres: *an ſit neceſſarium ad veram, & Chriſtianam Attritionem, quod debeat procedere ex metu pœnæ æternæ, vel poſſit etiam procedere ex metu pœnarum Purgatorii, aut etiam pœnarum temporalium iſtius mundi.*

Reſpond. veram Attritionem procedere poſſe non ſolum ex metu pœnæ æternæ, ſive ſenſus, ſive damni, ſed etiam ex metu pœnarum Purgatorii, cujus terrore poteſt homo non ſolum de venialibus dolere, ſed etiam de mortalibus, quæ poſt juſtificationem Purgatorii pœna puniuntur; imo ex metu pœnarum temporalium hujus Mundi, ſi non conſiderentur ut quid naturale, & ut per cauſas naturales inducuntur, ſed ut ſunt ſupplicium a Deo inflictum in pœnam peccati. Ita Madernus *art.* 4. *num.* 8. & apud ipſum Lugus, Suarez, Arriaga, & alii; nam ſic ſufficienter removent homines a voluntate peccandi. Quare deteſtatio peccati ob ægritudinem, infamiam, paupertatem, & alias pœnas, ut ab humano Judice infligendas, erit ſolum Attritio naturalis inſufficiens ad juſtificationem: ut vero infligendas a Deo auctore ſupernaturali propter peccata, erit vera Attritio ſupernaturalis, cum dicat reſpectum ad Deum.

44. Reſtat difficultas: *Quomodo Attritio concepta ex metu pœnarum poſſit eſſe bona, & honeſta; ſiquidem deteſtari peccatum ex tali motivo, eſt magis dolere de pœna, quam de culpa, eſt ordinare fugam culpæ ad vitandam pœnam, quod eſt per ſe inordinatum, quia eſt ordinare majus bonum ad minus bonum.*

Reſpond. dupliciter deteſtationem peccati poſſe procedere ex metu pœnarum. Primo occaſionaliter, quatenus, occaſione ſumpta a pœnis infligendis, peccator movetur ad deteſtandum peccatum, & hæc deteſtatio poteſt eſſe honeſta, cauſata a motivo ſupernaturali. Secundo poteſt cauſari ex metu pœnarum tanquam a fine proximo impellente, & movente, & in hoc ſenſu etiam eſt bona: ſiquidem intendere fugam, & vitationem æternæ pœnæ eſt de ſe bonum, ac proinde ordinare vitationem peccati ad illum finem conſequendum nihil mali includit.

45. Nec obſtat, quod vitatio culpæ ſit majus bonum, quam vitatio pœnæ; nam majus bonum abſque aliquo inconvenienti ſæpe ordinatur ad minus bonum, tanquam ad finem proximum, licet non tanquam ad finem ultimum. Sic Incarnatio fuit ordinata ad noſtram ſalutem, ſic etiam vitatio culpæ per Attritionem poteſt ordinari ad vitandam pœnam tanquam ad finem proximum, quomodo ultimate ordinatur in Deum, quem timemus. Quod ſi quis ita eſſet prave affectus, ut ſi non adeſſet pœna, vellet peccare, & perſeverare in peccato, tunc actus ille, & affectus ſine dubio eſſet malus, & inordinatus: illo autem ceſſante, nihil mali eſt ordinare vitationem culpæ ad vitandam pœnam; eſt actus minus bonus, ſed non eſt malus, quia non ſemper tenemur operari optimum, & ex optimo motivo, dummodo non operemur ex malo, ſed ex bono motivo, ut contingit in præſenti. Similiter magis amare vitationem pœnæ, quam vitationem culpæ, eſt actus minus bonus, ſed non eſt actus malus. Ita Madernus *art.* 15. Filliucius *cap.* 7. *num.* 186. & alii communiter.

CAPUT IV.

De Neceſſitate Pœnitentiæ.

DUBIUM I.

An Pœnitentia ſit neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem obtinendam?

NON loquimur hic de neceſſitate Pœnitentiæ, ſecundum quod eſt Sacramentum, id eſt de neceſſitate Confeſſionis, de qua poſtea, ſed de neceſſitate Pœnitentiæ, prout eſt dolor, & deteſtatio peccatorum. Et quia duplex aſſignari ſolet neceſſitas, una medii, & altera præcepti, prius videndum eſt, an Pœnitentia ſit Adultis neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem de via ordinaria obtinendam, &

2. Reſpond. affirmative, quia ſic habetur ex Scriptura Lucæ 13. *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis*; & ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 1. & 4. ubi habetur; *Quovis tempore, & in omni lege lapſis in peccata mortalia, neceſſarium ad veniam peccatorum obtinendam fuiſſe motum Contritionis*; & *cap.* 2. comparat Pœnitentiam cum Baptiſmo, qui eſt neceſſarius neceſſitate medii. Idem habent Sancti Patres, Auguſtinus *Epiſt.* 50. *Niſi egeris pœnitentiam, ſalvus eſſe non poteris.* Tertullianus *lib. de Pœnit. cap.* 4. Divus Thomas 3. *part. quæſt.* 86. *art.* 2. & alii communiter. Ratio eſt, quia id, ſine quo non poteſt tolli peccatum, quod eſt impedimentum ſalutis, eſt neceſſarium neceſſitate medii; ſed ſine Pœnitentia, & Contritione non poteſt tolli peccatum, ex Concil. *ſeſſ.* 14. *cap.* 1. & 4. ergo illa eſt neceſſaria neceſſitate medii lapſis ad ſalutem conſequendam.

3. Dubitari poteſt: *an Pœnitentia neceſſaria ad ſalutem ſit perfecta Contritio, vel ſufficere poſſit ſola Attritio?* Et quidem in Lege Naturæ, & Scriptura probabilius eſt, fuiſſe neceſſariam Contritionem perfectam, cum non eſſet pro Adultis inſtitutus alius modus juſtificationis; Sacramenta enim, quæ pro illo tempore fuerunt inſtituta non cauſabant gratiam ex opere operato, ſed illam cauſandam per Chriſti Paſſionem promittebant; quare non conſequebatur juſtificationem Adultus, qui cum ſola Attritione recipiebat Circumciſionem, vel aliud Sacramentum illius temporis. Et ita tenent Layman *tract.* 6. *cap.* 2. *lib.* 5. Bonacina *diſp.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 1. *punct.* 2. *num.* 3. Canus, Madernus, & alii plures: quamvis aliqui cum Nugno 3. *part. quæſt.* 70. *art.* 4. non ſine aliqua probabilitate teneant, in Circumciſione, & remedio Legis Naturæ collatam fuiſſe gratiam, non ſolum vere contritis, ſed etiam attritis; ita ut Adultus cum tali Sacramento fieret ex attrito contritus: non quod illa Sacramenta cauſarent gratiam ex opere operato, ſicut Sacramenta Novæ Legis, ſed quia Deus ad illorum præſentiam gratiam ſuſcipienti conferebat.

4. In Lege Evangelica cum ſint inſtituta Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ, quibus juſtificari poteſt Adultus ſine Contritione, non erit unicum medium Contritio, cum ſuppleri poſſit Sacramento: ſiquidem Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ, quæ ſunt Sacramenta mortuorum per ſe inſtituta ad conferendam primam gratiam, valide, ac licite ſuſcipi poſſunt ſola Attritione, ut colligitur ex Trident. dicta *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. Erit tamen unicum medium per ſe requiſitum, quoties obtineri non poteſt juſtificatio per Sacramenta ſive mortuorum, ſive vivorum, quæ per accidens cauſare poſſunt primam gratiam, & facere de attrito contritum, ut dictum eſt *ſupra tract.* 1. *cap.* 5. *dub.* 4.

DUBIUM II.

An Contritio neceſſaria ad juſtificationem debeat eſſe formalis, & explicita, vel ſufficiat virtualis, & implicita.

5. Actus dilectionis, & Charitatis erga Deum vocari ſolet Contritio virtualis, & implicita, ſicut Contritio vocari ſolet virtualis dilectio; qui enim amat Deum ſuper omnia, virtualiter, & implicite ſuper omnia deteſtatur, quidquid eſt contrarium divinæ bonitati, quam amat; & qui ex motivo Charitatis, bonitatiſque divinæ deteſtatur peccatum ſuper omnia, implicite amat bonitatem divinam, propter quam peccatum deteſtatur. Unde deteſtatio peccati ſuper omnia, & amor Dei ſuper omnia, quoad rem ſibi æquivalent, & ſolum differunt quoad modum tendendi, quatenus amor explicite reſpicit Deum, quem proſequitur, ſecundario, & implicite peccatum; e contra deteſtatio primario reſpicit peccatum, quod fugit, implicite Deum, quem proſequitur. Inde quæritur: *an ſit neceſſe pro acquirenda remiſſione peccatorum, elicere verum, & formalem actum Contritionis, & deteſtationis peccatorum, vel ſufficere poſſit actus dilectionis, ſine Contritione formali?*

6. Reſp. Pœnitentiam virtualem incluſam in actu amoris Dei ſuper omnia eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad juſtificationem extra Sacramentum. Probatur ex Scriptura tribuente remiſſionem peccatorum ſpecialiter Charitati. Proverb. 8. *Diligentes me diligo*. Joan. 14. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo*. 1. Joan. 3. *Qui non diligit, manet in morte*. 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum*; & Divus Joannes apud D. Hieronymum, loquens de Charitate, ait, illam ſolum ſufficere; idem colligitur ex Trident. *ſeſſ. 6. can. 3.* ubi inter diſpoſitiones ultimas ad gratiam poſt actum Fidei, & Spei ſub disjunctione ponit diligere, vel pœnitere: idem docent Patres, S. Auguſtinus *ſerm. de laudibus Charitatis*, S. Gregorius *homil. 33. in Evangelia*, & alii paſſim. Ratio eſt, quia ſi ſola dilectione ſine actu pœnitentiæ non poteſt remitti peccatum mortale, maxime eſt, quia talis actus non eſt ſufficiens, & hoc eſſe falſum, patet ex locis citatis.

7. Deinde ex prænotatis Charitas eſt virtualis Contritio, & deteſtatio peccatorum, ſicut Contritio eſt virtualis dilectio; quare non minus dilectio, quam Contritio erit ſufficiens diſpoſitio ad juſtificationem. Non minus dilectioni, quam pœnitentiæ tribuit Scriptura remiſſionem peccatorum, & non minus unam, quam alteram aſſerit eſſe neceſſariam; ſed poteſt remitti peccatum ſola Contritione, ſine formali dilectione; ergo etiam poterit remitti ſola dilectione, ſine formali Contritione: & inde Scriptura, quando aſſerit neceſſitatem pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum, explicari poteſt de pœnitentia abſtrahente a formali, & virtuali, ab explicita, & implicita, ita ut alterutra ſufficiat. Idem valet de dilectione formali, aut virtuali, neceſſaria ad juſtificationem; & ita tenent Lugus *diſp. 5. nu. 93.* Medina, Nugnus, Suarez, Coninch, Cajetanus, Valentia, Vaſquez, quos citat, & ſequitur Leander *qu. 23.*

8. Pater Madernus *quæſt. 2. art. 2.* quamvis admittat, actum dilectionis ſine formali Contritione ſufficere ad juſtificationem, quando ex oblivione naturali, aut ignorantia invincibili peccata memoriæ non occurrunt; hoc tamen negat, ſi adſit memoria peccatorum, quia ex Trident. *ſeſſ. 14. cap. 4. Fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum Contritionis motus neceſſarius.* Sed contra fateor, habentem memoriam peccatorum, difficile abſtinere a Contritione formali, ſi vult actum dilectionis elicere; nam ex amore objecti oriri ſolet odium contrarii, & qui valde amat amicum, multum etiam dolet de malo illius: ita qui diligit Deum, difficile abſtinet a deteſtatione peccatorum, per quæ cognoſcit Deum offendiſſe. Hoc tamen non probat neceſſitatem Contritionis formalis, cum poſſit ſufficere ſolus actus Charitatis, qui eſt virtualiter, & æquivalenter Contritio, ut cum Lugo, Hurtado, & Becano docet Leander *diſp. 1. quæſt. 24.*

9. Dices: Non minus neceſſaria eſt ad juſtificationem Pœnitentia, quam Fides Chriſti Domini; ſed hæc requiritur formalis, & explicita; ergo etiam requiritur Pœnitentia formalis, & explicita. Sed contra non valet paritas; nam Fides in Scriptura eatenus ſignificatur neceſſaria, quatenus eſt ſupernaturalis rerum divinarum cognitio, ſine qua illæ ſperari, & quæri, ſicut oportet, non poſſunt, & ideo non ſufficit ad ſalutem ulla alia cognitio, quæ non ſit ſupernaturalis, atque adeo, quæ non ſit formaliter Fides. Scripturæ autem quæ Pœnitentiam neceſſariam judicant, eatenus dicunt, illam eſſe neceſſariam, quatenus continet converſionem mentis in Deum, ejuſque averſionem a peccatis, quæ duo cum haberi poſſint per virtualem Pœnitentiam, quæ eſt actus Charitatis, ſequitur, ut de hac Pœnitentia virtuali poſſint intelligi Scripturæ.

10. Dubitari poſſet: *an ſaltem de abſoluta potentia Dei poſſit peccatum remitti ſine pœnitentia ulla, tam formali, quam virtuali*; ſed hæc difficultas agitari ſolet a Scholaſticis in quæſtionibus de Divina Gratia, & de illa ſatis ibidem diximus. Pro nunc breviter reſp. affirmative, quia de facto peccatum originale tollitur in Pueris ſine ulla retractatione, & ſine ullo actu noſtræ voluntatis per ſolam infuſionem gratiæ, & ita per eamdem ſine ullo actu noſtro tolli poteſt actuale mortale; utrumque enim peccatum eſt privatio gratiæ habitualis, & habet utrumque rationem culpæ, niſi quod unum dicit reſpectum ad voluntatem alienam, aliud ad propriam perſonalem. Ratio eſt, quia actus peccatoris, qui ſunt Contritio, & retractatio peccati ſive formalis, ſive virtualis, non ſunt per ſe eſſentialiter requiſiti ad remiſſionem peccati, cum ſint duntaxat præviæ diſpoſitiones, ſine quibus poteſt Deus infundere gratiam, quæ cum non poſſit ſtare ſimul cum peccato, illud tolleret, & excluderet. Sed de hoc ſatis alibi dictum eſt, ubi etiam vidimus, an poſſit peccatum remitti per ſolam extrinſecam condonationem ſine infuſione gratiæ; & ſine ulla retractatione peccatoris.

11. Dices: privatio liberæ converſionis in Deum non poteſt tolli, niſi per liberam converſionem, cum hæc illi per ſe immediate, & formaliter opponatur; ergo non poteſt tolli peccatum, niſi per actum Pœnitentiæ includentem liberam converſionem in Deum. Item peccatum non poteſt remitti, niſi deſinat eſſe voluntarium; ſed non deſinit eſſe voluntarium, niſi retractetur; ergo non poteſt remitti ſine retractatione.

Reſp. peccatum habituale importare ſolum privationem habitualis converſionis in Deum, quæ privatio habitualis converſionis tollitur per gratiam habitualem, quæ vel eſt, vel eminenter includit habitualem converſionem. Item peccatum habituale, cum ſit ſolum habitualiter voluntarium, & habitualiter ſolum perſeverat quouſque fuerit a Deo condonatum; poſita gratia habituali, ponitur condonatio, & ſic deſinit eſſe voluntarium: ea ratione qua votum a Deo condonatum non dicitur amplius voluntarium, nec moraliter perſeverans, quamvis non fuerit poſitive retractatum; & ita tenent Cajet. Nugnus, Suarez, Lugus, Vaſquez, Oviedo, & alii, quos citat, & ſequitur Madernus *quæſt. 6. de Divina Gratia art. 8.* Dixi *de potentia abſoluta*, quia de potentia ordinaria Contritio, ſive actualis, ſive virtualis eſt omnino neceſſaria, ut patet ex dictis *dubio 1.* & colligitur ex innumeris Scripturæ locis.

DUBIUM III.

An detur præceptum aliquod ſpeciale Pœnitentiæ, & quodnam illud ſit?

12. Vidimus Pœnitentiam eſſe neceſſariam neceſſitate medii, ſine qua de via ordinaria non poteſt haberi ſalus; nunc dubitatur: *an detur ulterius præceptum aliquod ſpeciale obligans peccatores ad Pœnitentiam, & quodnam illud ſit, an nimirum ſit poſitivum, an vero naturale?*

13. Reſp. datur verum, & ſpeciale præceptum obligans peccatores omnes ad Pœnitentiam. Colligitur ex illo Lucæ 13. *Niſi Pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis*; ſicut enim ex eo quod Joan. 3. dicatur: *Niſi quis renatus fuerit* &c. colligitur præceptum Baptiſmi: & ex eo quod Joan. 6. dicatur: *Niſi manducaveritis* &c. colligitur præceptum Euchariſtiæ; ita ex eo quod dicatur Lucæ 13. *niſi Pœnitentiam egeritis*, &c. colligendum eſt præceptum Contritionis, & Pœnitentiæ. Deinde Pœnitentia ex ſupradictis eſt neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem; ſed ea omnia, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem, & ſunt in noſtra poteſtate, ſunt etiam de neceſſitate præcepti, quia unuſquiſque tenetur ſibi providere de remediis neceſſariis, & ſi non facit, jure reprehenditur; at nullus reprehenditur, niſi propter tranſgreſſionem præcepti; ſed non agentes Pœnitentiam paſſim reprehenduntur a Scriptura, & Patribus; ergo quia Pœnitentia eſt de præcepto. Deinde ſi ex præcepto Charitatis omnes tenemur ad correctionem fraternam, & ad procurandam ſalutem proximi; tenemur a fortiori ad procurandam ſalutem ſpiritualem nobis, quia arctiori vinculo tenemur noſtram, quam proximi ſalutem procurare, adeoque tenemur adhibere omnia media neceſſaria, quorum præcipuum eſt Pœnitentia: & ita tenent cum D. Thoma *3. p. q. 84. art. 7. ad 1.* Suarez, Gonet, Vaſquez, Lugus, Amicus, & alii, quos citat, & ſequitur Madernus *quæſt. 2. art. 11.* Bonacina *diſp. 5. quæſt. 5. ſeſſ. 1. p. 2.* Leander *diſp. 1. quæſt. 29.* & alii communiter.

14. Dices: præceptum Contritionis non continetur in Decalogo, nec eſt poſitivum, nec naturale; ergo nullum. Sed contra dico, eſſe præceptum naturale, vel ſaltem valde conforme rationi naturali, quæ dictat dolendum eſſe de peccatis; nam omnes experimur poſt peccatum ſemper remorſum conſcientiæ. Deinde jure naturali quiſque tenetur conſulere ſaluti propriæ, & ſuſcipere media, quæ ad eam ſunt neceſſaria; naturaliter etiam quiſque tenetur ſatisfacere alteri pro injuria ei illata; ergo multo magis pro injuria illata Deo; & ſicut quiſque tenetur naturaliter amare Deum, ita etiam tenetur illius amicitiam conſervare, & recuperare, quando eſt amiſſa. Inde ab aliquibus dicitur, contineri virtualiter in primo præcepto Decalogi; ex eo enim quod quiſque tenetur amare Deum ſuper omnia,

nia; tenetur etiam deteſtari quidquid illi diſplicet, recuperare deperditam amicitiam, illique ſatisfacere pro injuria. Ita tenent Ant. a Spiritu Sancto *diſp. 3. ſect. 2.* Madernus *loco cit.* qui *nu. 4.* notat, ea triplici capite naſci obligationem Pœnitentiæ. Primo ex Lege Juſtitiæ, quæ dictat, ſatisfaciendum eſſe Deo pro injuria illata: ſecundo ex Lege Charitatis propriæ, qua quiſque tenetur ſibi conſulere, & adhibere media neceſſaria ad ſalutem, quorum præcipuum eſt pœnitentia: tertio ex Lege Charitatis erga Deum, qua tenemur Deum amare ſuper omnia, & deteſtari quidquid illi diſplicet. Ita etiam tenent Leander *qu. 30.* & apud illum Suarez, Vaſquez, Granados, Hurtado, Lugus, Bonacina, Molfeſius, & alii.

15. Dices 2. Nullum eſt ſingulare præceptum conſervandi gratiam habitualem, alioquin nunquam contingeret ſimplex peccatum, ſed ſemper eſſent ſaltem duo peccata, unum contra particulare præceptum non occidendi v. g. alterum de conſervanda gratia; ergo nec etiam erit ullum ſpeciale præceptum recuperandi gratiam deperditam media Contritione, ſecus nullus damnaretur propter unum tantum peccatum, ſed propter duo. Sed contra, nego conſequentiam; nam ad conſervandam gratiam ſufficit obſervantia aliorum præceptorum, non ſic ad recuperandam, ſed præterea, requiritur ſpecialis actus Contritionis, modo adſit ſpecialis cognitio peccatorum, qua poſita Adultus negligens, & omittens talem actum in articulo mortis damnabitur non ſolum ob alia peccata, in quibus inventus fuerit, ſed etiam ob peccatum impœnitentiæ. Poteſt etiam Homo mori cum unico peccato mortali, quando nimirum ſubita, & inopinata præventus morte non habet tempus cogitandi de pœnitentia.

16. Dices 3. Illud non eſt peccatum ſpeciale diſtinctum ab aliis, ſed circumſtantia duntaxat generalis peccatorum omnium, quod nullam continet malitiam, quæ non reperiatur in quolibet peccato; hujuſmodi eſt peccatum impœnitentiæ, quia nullum eſt peccatum, quod non ſit injurioſum Deo, & non lædat charitatem erga Deum, & erga ſe ipſum; ergo non eſt peccatum ſpeciale diſtinctum ab aliis. Sed contra dico, malitiam, quæ tanquam ratio generica reperitur in omnibus peccatis, poſſe eſſe rationem ſpecificam alicujus determinati, v. g. eſſe contra rectam rationem eſt ratio generica incluſa in quolibet peccato, & tamen ſi quis dicat, volo peccare, & agere contra rectam rationem, committit peccatum ſpeciale: ita ſimiliter malitia, quæ reperitur in peccato impœnitentiæ, tanquam ratio ejus ſpecifica, poteſt reperiri in quolibet peccato tanquam ratio generica, & poteſt eſſe peccatum ſpeciale.

17. Dices 4. ſine Pœnitentia, quæ in Scriptura præcipitur, non contingit, impium juſtificari; ſed ſine Contritione poteſt impius juſtificari; ergo Contritio non eſt in Scriptura præcepta, ac proinde nullum datur de illa præceptum. Sed contra in Lege Evangelica poteſt impius juſtificari per ſolam attritionem cum Sacramento; quare pœnitentia neceſſaria ad juſtificationem debet eſſe Contritio perfecta, ſi juſtificatio contingat extra Sacramentum, vel ſaltem Attritio cum Sacramento.

18. Si autem quæras: *an præceptum Contritionis, & Pœnitentiæ ſit affirmativum, aut negativum?*

Reſpond. eſſe affirmativum, quia peccatum illi oppoſitum, ſcilicet impœnitentia, eſt peccatum omiſſionis, cum quo tamen identificatur peccatum commiſſionis, quo quis proponit non pœnitere tempore debito, quando non eſt ex ſpeciali contemptu pœnitentiæ; ſi enim eſſet ex contemptu illius, tale propoſitum eſſet ſpeciale peccatum in Spiritum Sanctum, ea ratione, qua voluntaria omiſſio Sacri, vel propoſitum omittendi Sacrum die Feſto ex levitate animi, ex pigritia, ſeu levi dolore capitis, eſt peccatum ejuſdem ſpeciei contra præceptum audiendi Sacrum; at ſi quis explicite proponeret non audire Sacrum ex contemptu Miſſæ, faceret peccatum ſpeciale diſtinctum, quia, ut communiter dicitur, in ſola omiſſione non poteſt eſſe contemptus.

DUBIUM IV.

An præceptum Pœnitentiæ obliget ſtatim poſt commiſſum peccatum, & quoties illud memoriæ occurrit?

19. EX eodem capite Juſtitiæ, & Charitatis, ex quo diximus oriri obligationem Pœnitentiæ, inferunt, præceptum illud obligare ſtatim poſt commiſſum peccatum, Gullielmus Pariſienſis, Archidiaconus Thomas de Argent. Soto, Alenſis, Sylveſter, Marſilius, & alii relati a Leandro *diſput. 1. quæſt. 31.* qui tamen ly *ſtatim* non ſumunt methaphyſice, ac ſpeculative, ſed practice, ſeu moraliter, ideſt cum primum poſt patratum peccatum occurrit cogitatio ipſius peccati, aut aliquid, quod ſufficienter excitet ad illam practice habendam, & adeſt opportunitas eliciendi Contritionem, quia ſcilicet nullum adeſt impedimentum. Alii magis extendunt hanc obligationem, dicentes, Pœnitentiam debere eſſe perpetuam, ideſt, ut teneatur homo toties conteri, quoties practice cogitat de peccatis commiſſis. Ita Paludanus *in 4. diſt. 17. quæſt. 2.* & alii apud Leandrum.

20. Communis, & vera Sententia docet, præceptum Contritionis, & Pœnitentiæ non obligare ſtatim poſt commiſſum peccatum, neque ſtatim, ac menti occurrit peccatum commiſſum, multo minus obligare toties, quoties peccatum menti occurrit. Ratio eſt, quia, ſi daretur hujuſmodi obligatio, ſequeretur, hominem toties peccare mortaliter, ſi ſtatim, & quoties peccata recolens, de iis non doleret, quod incredibile videtur, cum Fideles hujuſmodi omiſſionem non ſoleant confiteri, nec ipſi Confeſſarii, quamvis pii, & docti, non moneant in eo committi peccatum. Deinde præceptum Pœnitentiæ eſt affirmativum, non negativum, præceptum autem affirmativum non obligat ſemper, & pro ſemper, ſed pro tempore determinato, & debito, & nullum eſt fundamentum aſſerendi, quod tempus debitum pœnitendi ſit illud, quod immediate ſequitur poſt peccatum, & quoties illud menti occurrit; nam perſeverantia in peccato non addit niſi circumſtantiam temporis. Et ita tenent Leander *loco citato*, & apud ipſum Suarez, Navarrus, Vaſquez, Valentia, Reginaldus, Molfeſius, Villalobos, Candidus, & alii, Madernus *quæſt. 2. art. 12.* Diana *part. 5. tract. 13. reſol. 33.* Bonacina *diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 1. part. 2.* & alii communiter, quamvis conſultiſſimum ſit, ſtatim poſt commiſſum peccatum ad Pœnitentiam confugere, juxta illud Eccleſiaſtici 5. *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; ſubito enim veniet ira Dei*: ad idem hortantur Patres.

21. Dices: ex communi ſenſu Pœnitentia debet eſſe perpetua; ergo quia ſemper obligat, quoties homo recordatur de peccatis.

Reſp. Pœnitentiam debere eſſe perpetuam negative, quatenus Contritio ſemel habita de peccatis commiſſis nunquam debet diſplicere, aut retractari; ſiquidem talis diſplicentia, & retractatio eſt intrinſece mala, & virtuti Pœnitentiæ, ac præcepto Contritionis ſpecialiter repugnans, eo quod ſit quidam quaſi contemptus Pœnitentiæ, & Contritionis, & virtualis quædam complacentia in peccatis, & offenſis contra Deum perpetratis; non debet autem eſſe perpetua poſitive, & affirmative, quatenus obliget in quocumque inſtanti, vel quoties quis de peccatis actualiter cogitat, cum non ſit fundamentum hoc aſſerendi, ut optime probat P. Madernus *art. 11. num. 11.*

22. Dices: tenemur ſuccurrere nobis, ac proximo, ſtatim ac cognoſcimus eſſe in gravi aliqua neceſſitate corporali; ergo a fortiori tenemur conſulere propriæ ſaluti, & incolumitati ſpirituali, quæ magis eſt æſtimanda, ſtatim ac peccatum nobis innoteſcit. Item qui aliquid alteri debet, tenetur ſtatim reſtituere, & damnum reſarcire; ergo peccator tenetur ſtatim Deo ſatisfacere, & reſtituere honorem, quem abſtulit peccando.

Reſp. dato antecedente, nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia ſi ſemel amittatur vita corporalis, ea nunquam recuperari poteſt, bene tamen recuperari poteſt vita ſpiritualis, quamdiu homo vivit. Non tenetur quis ſtatim auxiliari proximo, niſi remedium ſine periculo differri non poſſit. Negatur etiam conſequentia in eo, quod additur, quia homo per furtum patitur damnum in bonis ſibi utilibus, & ideo qui eſt in mora culpabili reſtituendi, eſt cauſa, cur homo novum damnum patiatur; Deus vero non patitur damnum, & injuriam in rebus ſibi utilibus, nec etiam damnum patitur ex dilatione reſtitutionis; & ideo tenetur quis ſtatim reſtituere damnum illatum homini, non Deo.

23. Dices: exponere ſe periculo æternæ damnationis, eſt peccatum grave; ſed qui differt Pœnitentiam, hujuſmodi periculo ſe exponit, cum multi repentina ſæpe morte præveniantur; ergo peccat. Similiter exponere ſe periculo gravis peccati, eſt peccatum; ſed qui differt pœnitere, exponit ſe periculo iterum peccandi, cum nemo poſſit diu permanere in peccato, quin iterum in novum incidat peccatum; ergo peccat differendo pœnitere.

Reſp. peccare utique qui ſe exponit probabili, & veriſimili periculo æternæ damnationis, non vero ſi hoc periculum ſit remotum, & veriſimiliter non futurum. In homine ſano mors repentina raro, & in quibuſdam ſolum contingit, quod proinde non eſt probabile periculum in omnibus: quod ſi talis mors repentina prævideretur, urgeret tunc præceptum Pœnitentiæ. Similiter differre pœnitentiam non eſt ſe exponere probabili periculo peccandi; cum enim tempus, quo poteſt homo privatus gratia habituali abſtinere a peccatis, ſit incertum, & indeterminatum; ita etiam periculum peccandi, in quo verſatur, erit indeterminatum, & incertum; licet autem ſit obligatio vitandi determinatum, & certum periculum peccandi, ſecus tamen ſi ſit incertum, & indeterminatum, ut in præſenti.

24. Quæ hucuſque diximus, valent etiam de Religioſis, qui, licet profiteantur ſtatum perfectionis, adhuc tamen ſub præcepto non tenentur, niſi obſervare vota, quæ emiſerunt, quæque ſunt media conducentia ad perfectionem; tenentur etiam obſervare ſuam regulam, maxime ſi illa graviter obligat; ad alia vero, ad quæ non tenentur Sæculares, niſi ex conſilio, neque Religioſi tenentur, niſi ex conſilio: congruentius tamen eſt, quod ſtatim poſt peccatum conſcientiam purgent per pœnitentiam, quia ratione ſui

Digitized by Google

ſtatus debent majorem perfectionem ſectari. Et ita docent Vaſquez, Lugus, Hurtado, & alii, quos ſequitur Leander *quæſt.* 32.

25. Si autem quæras: *an præceptum Contritionis, & Pœnitentiæ ſemel tantum obliget circa eadem peccata?*

Reſp. affirmative, quia Deus a peccatore tantum exigit in Scriptura, ut ex toto corde conteratur, & convertatur ad ipſum, non vero ut ſæpius de eodem peccato conteratur. Conf. a ſimili; nam præceptum Confeſſionis ſemel tantum obligat, per ſe loquendo, de iiſdem peccatis, & favent ea omnia, quæ ſuperius diximus.

26. Nec dicas: hominem per pœnitentiam de peccatis ſemel tantum exhibitam non ſatisfacere Deo integre, ſeu condigne, adeoque teneri pluries pœnitere.

Reſp. negando conſequentiam, quia ſatisfactio per pœnitentiam de peccatis ſemel exhibita Deo talis eſt, qualis ab ipſo Deo offenſo exigitur, & ab eo ita acceptatur, ut totam culpam, & injuriam remittat, & inde homo debitor perinde ſe habet, ac ſi integre ſolviſſet, nec ex præcepto tenetur amplius illa peccata deteſtari, quamvis ſanum conſilium ſit, ut optime advertit Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 2. circa peccatum memoriæ, vel apprehenſioni actuali infixum, exercere actum diſplicentiæ; & interdum per accidens erit neceſſarium, ſi adſit periculum labendi in moroſam delectationem.

DUBIUM V.

Quo tempore obliget præceptum Contritionis?

27. Difficultas eſſe poteſt *de obligatione intrinſeca*, & per ſe, hujus præcepti, vel *de obligatione extrinſeca*, & quaſi per accidens, non orta ex natura præcepti, ſed ex aliqua occaſione occurrente; & quidem, loquendo de obligatione intrinſeca, & per ſe orta ex natura hujus præcepti, omnes conveniunt, illud obligare ſaltem in articulo mortis vero, vel præſumpto, quia tunc unuſquiſque tenetur, & ratione charitatis erga ſe, & ratione ſatisfactionis, dilectioniſque erga Deum perfectam agere pœnitentiam, Deoque perfecte reconciliari, cum aliud tempus ad pœnitendum non ſuperſit: & certe, ſi aliquando præceptum illud obligat, in eo ſaltem periculo obligare dicendum eſt. Utrum vero per ſe obliget extra tale periculum, non omnes conveniunt.

28. Prima Sententia negat, quia non ſunt imponenda præcepta ſine ſufficienti fundamento, nullum autem eſt ad imponendam eam obligationem extra articulum, vel periculum mortis. Et ratio, quæ probat, præceptum Contritionis non obligare ſtatim poſt commiſſum peccatum, probat etiam de quocumque determinato tempore vitæ præſentis, quamdiu non imminet periculum mortis. Et ita tenent Vaſquez *quæſt.* 86. *art.* 2. *dub.* 6. Cajetanus *in Summ. verb. Contritio.* Diana *part.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 33. adducens pro ſe Hurtadum, & Villalobos; Facundez *præcept.* 2. *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 5. qui etiam citat pro ſe Divum Thomam, Toletum, Suarez, Vivaldum, Valentiam, Navarrum, & alios. Ant. a Spiritu S. *diſp.* 3. *ſect.* 3. *n.* 102. Dicaſtillus *tract.* 8. *de Pœnit. diſp.* 3. *dub.* 3. *n.* 25. & *dub.* 5. *n.* 6.

29. Secunda Sententia probabilior, & ſequenda tenet, non ſolum in articulo, ſeu periculo mortis, ſed etiam aliquoties in vita per ſe obligare præceptum Contritionis, & Pœnitentiæ, quia peccator, differendo Pœnitentiam uſque ad finem vitæ, videtur Deum offenſum contemnere, & negligere, quod valde rationi eſt diſſonum. Deinde titulo charitatis propriæ tenetur homo non ſe exponere periculo peccandi; ſed diu differendo pœnitentiam, ſe exponit periculo peccandi: licet enim periculum illud ſit incertum, & indeterminatum, adeo ut non poſſit aſſignari tempus determinatum, quo obligare incipiat, attamen diu, & longo tempore differri non poſſe ex eo conſtat, quod homo ſine gratia ſanctificante non poteſt diu abſtinere a novo peccato, ut ex Conciliis Carthaginenſi, Arauxiano, & Milevitano docent communiter Doctores in Quæſtionibus de Divina Gratia; & ſic differendo longo tempore Pœnitentiam, ſe exponit periculo peccandi. Hac ratione Patres docent, Pœnitentiam non eſſe differendam, S. Auguſtinus *ſerm.* 57. *de Temp.* ait: *Pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma eſt: quæ autem a moriente, timeo, ne ipſa moriatur*; & *ſerm.* 41. ad Fratres in Eremo: *Satis alienus eſt a fide, qui ad agendam pœnitentiam tempore ſenectutis expectat*; & Divus Gregorius: *Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, ſuo pondere in aliud trahit.*

30. Prob. 2. quia actus Fidei, Spei, & Charitatis per ſe obligant non ſolum in articulo mortis, ſed etiam aliquoties in vita: & quidem Charitatem obligare pluſquam ſemel in vita, & pluſquam ſingulis quinquenniis, clare habetur ex Propoſitionibus damnatis, quarum prima ex damnatis ab Alexandro VII. die 24. Septembris 1665. ita ſe habet: *Homo nullo umquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Quinta ex damnatis ab Innocentio XI. die 2. Martii 1679. ſic ſe habet: *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.* Sexta: *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis per ſe obligare præceptum Charitatis erga Deum.* Septima: *Tunc ſolum obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſimus.* Ratio eſſe poteſt, quia actus Fidei eſt fundamentum vitæ ſupernaturalis, actus Spei eſt, quo dirigimur ad ultimum finem, & actus Charitatis eſt, quo Deo conjungimur, & quo vitam noſtram ad Deum ordinamus: irrationabile autem videtur relinquere ad finem vitæ fundamentum, & ordinationem vitæ, quando jam non eſt tempus laborandi, & bene agendi. At non minus neceſſaria eſt Contritio ad bene ordinandam vitam, & recte operandi, ac meritorie agendi; ergo non minus iſta, quam dilectio obligat pluries in vita. Deinde Charitas haberi non poteſt ſine Contritione, vel quia eſt virtualis Contritio, vel quia continet votum pœnitendi, & ſic per ſe regulariter haberi non poteſt ſine Contritione, quamvis per accidens, ſi non veniant in memoriam peccata, ſatis eſſe poſſit dilectio; ergo Contritio & ipſa obligat pluſquam ſemel in vita, & pluſquam ſingulis quinquenniis. Hanc Sententiam tenent Henriquez *lib.* 4. *de Sacram. cap.* 6. *num.* 6. Averſa *de Pœnit. quæſt.* 1. *ſect.* 7. Coninch *diſp.* 3. *dub.* 3. Madernus *quæſt.* 2. *art.* 13. Lugus *diſp.* 7. *ſect.* 11. §. 2. qui & teſtatur, hanc eſſe communiorem Sententiam, Franciſcus a Jeſu Maria *tract.* 6. *cap.* 1. *punct.* 5. *num.* 52. Palaus *tract.* 23. *diſp. unica, punct.* 3. & aliis citatis, Leander *diſp.* 1. *quæſt.* 37.

31. Quandonam obliget præceptum Contritionis, ſeu quanto tempore differri poſſit Pœnitentia ſine novo peccato, incertum eſt, & determinandum relinquitur judicio prudentis, quod etiam valet de actibus Fidei, Spei, & Charitatis, quos certum eſt obligare aliquoties in vita, & tamen tempus, quo obligant, non eſt certum, ſed remittitur arbitrio prudentis definiendum, ponderatis circumſtantiis loci, temporis, & perſonarum. Aſſerunt nonnulli, præceptum Contritionis obligare ſingulis diebus Feſtis; at hoc videtur dictum ſine ſufficienti fundamento, quia nullo jure ſive divino, ſive Eccleſiaſtico, nec ulla evidenti ratione conſtare poteſt, nos teneri conteri de peccatis diebus Feſtis, in quibus ſolum tenemur audire Sacrum, & abſtinere ab operibus ſervilibus: & quamvis finis feſtorum ſit profectus ſpiritualis in gratia, & charitate, non tamen finis præcepti eſt de præcepto. Et ita tenet Averſa *loco citato*, Vaſquez *quæſt.* 86. *art.* 2. *dub.* 6. Bonacina *diſp.* 5. *quæſt.* 7. *ſect.* 1. *part.* 2. & apud ipſum Reginaldus, Valentia, Pitignin. Angles, & alii.

32. Probabilior eſt ſententia illorum, qui dicunt, præceptum Pœnitentiæ per ſe obligare ſemel ſaltem in anno, quia ſemel in anno urget præceptum Confeſſionis, ſic declarante, & determinante Eccleſia, licet obligatio Confeſſionis non minus, quam Pœnitentiæ ſit juris divini: & inde ſemel in anno tenentur fideles, qui lapſi ſunt in peccatum mortale conteri, & pœnitere, quamvis toto illo anno non habeant copiam Confeſſarii, ut contingere poteſt navigantibus, & captivis, qui defectu Confeſſarii excuſantur a confeſſione annua, non autem a præcepto pœnitendi, & eliciendi actum Contritionis. Ita, aliis citatis, Leander *diſp.* 1. *qu.* 38. Averſa *qu.* 1. *ſect.* 7.

33. *Utrum vero teneatur adhuc hoc præcepto conteri, qui per Sacramentum Pœnitentiæ cum Attritione juſtificatus eſt?*

Reſpond. negative, quia iſte ſufficienter retractavit peccatum, ut juſtificationis gratiam conſequeretur: Contritio enim perfecta in Lege Nova non eſt medium neceſſarium ad juſtificationem, cum ex diſpenſatione Chriſti haberi poſſit per ſolam Attritionem cum Sacramento. Quare cum dicimus, Contritionem eſſe neceſſariam ad ſalutem, & dari præceptum naturale Contritionis obligantis ſemel in anno, intelligi debet de Contritione perfecta, vel de Attritione, quæ juncta Sacramento eſt æquivalenter Contritio: proinde hujuſmodi præcepto ſatisfacit, qui annuam confeſſionem ab Eccleſia præceptam frequentat. Ita Layman *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 2. *num.* 6. Palaus *tract.* 23. *diſp. unica, punct.* 3. *num.* 10. Vaſquez, Suarez, Nugnus, Lugus, Candidus, & alii, quos citat, & ſequitur Leander *quæſt.* 42.

34. Per accidens obligat præceptum Contritionis, quoties ſunt adminiſtranda Sacramenta, vel recipienda Sacramenta Vivorum; qui enim eſt in mortali, tenetur aut confiteri, aut conteri, ut digne recipiat, ſeu adminiſtret Sacramenta. Dixi, *Sacramenta Vivorum*, quia Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ poſſunt recipi cum ſola Attritione. Item obligat, quando urget gravis aliqua tentatio, quam ſine Contritione homo moraliter non poteſt ſuperare. Item in caſu publicæ neceſſitatis, quando probabiliter timetur, Deum punire populum propter peccata particularia: & quoties quis aggreditur opus aliquod heroicum, a quo, aut publica ſalus, aut magna utilitas populi dependet, ut paratum habeat Dei auxilium, quod plerumque peccatoribus negatur: quoties inſtat periculum perpetuæ amentiæ, quia æquivalet periculo proximo mortis. Item quando quis eſt in morali periculo vitæ, non in quo uni, aut alteri, ſed in quo plerique ſolet mors contingere, ut in bello, vel longa, & periculoſa navigatione, aut tem-

tempore peſtis, quia morale periculum vitæ æquivalet ſupremo articulo mortis. In his, & ſimilibus caſibus tenetur peccator, aut confiteri, aut Contritionem elicere. Vide Averſam *loco cit.*

CAPUT V.

De Effectu Pœnitentiæ.

DUBIUM I.

An, & quomodo Pœnitentia remittat peccatum mortale?

CERTUM eſt apud omnes Catholicos, per actum perfectæ Contritionis peccatum remitti, etiam ſine Sacramento, quoad totum reatum culpæ: ſic aperte docent Scriptura, Patres, & Concilia, præcipue Trident. *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. ubi habetur: *Hanc autem Contritionem, etſi aliquando Charitate formatam eſſe contingat, hominemque actu juſtificare, priuſquam Sacramentum ſuſcipiatur.* Dubium eſt circa modum, quo Pœnitentia peccata remittit: *an Contritio ſit forma juſtificans formaliter, vel tantum diſpoſitive, & cauſaliter;* & *an per Pœnitentiam remittantur peccata omnia, adeo ut nullum ſit peccatum adeo grave, quod per Pœnitentiam remitti non poſſit.*

2. Reſpond. primo: per actum perfectæ Contritionis peccatum remittitur etiam ſine Sacramento, quoad totum reatum culpæ: ita tenent Catholici omnes, quia apertæ ſunt auctoritates Scripturæ, Patrum, & Conciliorum, & patet ex illo Sapientiæ 11. *Miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* Ezechiel. 18. *Cum averterit ſe impius ab impietate ſua,* per pœnitentiam, *ipſe animam ſuam vivificabit.* Ratio efficax deſumpta ex natura rei nulla eſt, quia opera noſtra ſatisfactoria non poſſunt condigne promereri remiſſionem peccatorum: ſpectat tamen ad divinam miſericordiam illius miſereri, qui, ſpectata humana fragilitate, facit, quod poteſt, ut remiſſionem peccatorum obtineat, & qui ad eum vere, & ex animo convertitur per pœnitentiam, & de facto hanc remiſſionem pœnitentibus in Scriptura promiſit. Nec obſtat, quod Divus Paulus Hebr. 6. dicat; *Impoſſibile eſt, eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti, & prolapſi ſunt, rurſus revocari ad pœnitentiam.* Nam impoſſibile ibi ſumitur pro eo, quod eſt valde arduum, & difficile: vel impoſſibile eſſe, Baptizatos rurſus revocari ad pœnitentiam, ut iterum baptizentur, ut explicat Madernus *art.* 8. & hoc ad differentiam multiplicis lavacri, quod in Veteri Lege ſæpius pro peccatis uſurpabatur.

3. Dico 2. Nullum eſt peccatum, aut qualitate adeo grave, aut ſæpius ita repetitum, nec peccatorum tantus ullus numerus, quod vera pœnitentia, & contritione non deleatur. Hoc idem probant Scripturæ, & Patres, Ezechiel. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius:* Iſaiæ 55. *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus.* Hoc idem definitur in cap. *Firmiter de ſumma Trinit.* ubi habetur; *Et ſi poſt ſuſceptionem Baptiſmi, quiſquam prolapſus fuerit in peccatum, per veram poteſt ſemper pœnitentiam reparari;* alias auctoritates afferunt paſſim Doctores.

4. Dices: peccatum in Spiritum Sanctum non remitti in hoc ſæculo, nec in futuro; ſed contra, Divus Thomas *quæſt.* 86. *art.* 1. *ad* 6. docet peccatum in Spiritum Sanctum eſſe impœnitentiam finalem, ſeu obſtinatam voluntatem non pœnitendi, quæ cum morte temporali conjungitur, & adjunctam habet damnationem, & mortem æternam, & hac ratione redditur hoc peccatum irremiſſibile, vel etiam peccatum in Spiritum Sanctum dicitur irremiſſibile ſecundum ſuam naturam in quantum excludit inſpirationes, & gratias Spiritus Sancti excitantes, & moventes ad pœnitentiam, non vero quia ſit abſolute irremiſſibile.

5. Dices 2. ſi Deus revelaret alicui, ſe nolle acceptare illius pœnitentiam, ſi ille Deo non crederet, peccaret peccato irremiſſibili per pœnitentiam, quia ſi remitti poſſet, revelatio poſſet eſſe falſa, quod non eſt dicendum.

Reſp. peccatum illud non eſſe irremiſſibile per ſe, ſed per accidens, & ex ſuppoſitione; nam peccatum infidelitatis per ſe eſt remiſſibile per pœnitentiam. Deinde ſuppoſitio eſt impoſſibilis, ſtante præſenti rerum ſtatu, in quo promiſit Deus remiſſionem omnium peccatorum homini vere pœnitenti; nihil igitur curandum de illo ſtatu, qui non eſt.

6. Auctoritates Scripturæ, & Patrum, ex quibus videtur deduci, eſſe aliquos peccatores, qui non exaudiuntur, explicari poſſunt, ut ſermo ſit de damnatis, vel de ficte pœnitentibus, vel de pœna temporali in hac vita ſubeunda, quam Deus remittere aliquando non vult.

7. Dico 3. Deus de potentia ordinaria nunquam remittit unum peccatum mortale, quin omnia ſimul remittat: de potentia vero abſoluta remittere poteſt unum ſine alio, quia *nihil damnationis eſt in his, qui ſunt in Chriſto Jeſu*, inquit Apoſtolus Roman. 8. Et ratio eſt, quia peccatum non remittitur ſine regeneratione, & renovatione per gratiam ſanctificantem; ſed gratia ſtare non poteſt cum ullo peccato gravi, ſaltem de potentia ordinaria, & ſic de potentia ordinaria non poteſt unum peccatum remitti ſine alio. Dixi, *de potentia ordinaria;* nam de potentia abſoluta non implicat unum peccatum remitti ſine alio; quando enim quis habet duplex peccatum, habet duplicem reatum, & duplex debitum, Deus autem poteſt remittere unum reatum, & unum debitum, & non aliud: ſicut etiam in humanis poteſt condonari una offenſa, & non alia, ut fuſius diximus *in quæſtionibus de Divina gratia.*

DUBIUM II.

An Contritio ſit forma ex ſe formaliter juſtificans peccatorem?

8. RESPOND. Contritio non eſt forma ex ſe formaliter juſtificans peccatorem, ſed id convenit ſoli gratiæ habituali, quæ ſola poſitive, & negative juſtificat. Ita ſentiunt latius communiter Doctores contra Vaſquez: colligitur ex Trident. pluribus in locis, nam *ſeſſ.* 6. *cap.* 7. poſtquam varios enumeravit actus, qui præcedunt juſtificationem, inter quos ponit dilectionem ſuper omnia, ſubdit: *Hanc diſpoſitionem juſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum;* & *can.* 3. definitur: *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur; anathema ſit.* Quibus verbis expreſſe docet Concilium, actus dilectionis, & pœnitentiæ fieri, ut juſtificationis gratia infundatur; ergo tales actus non ſunt ipſa gratia juſtificationis, nec conſequenter ipſa forma juſtificans. Pariter *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. ait, remiſſionem peccatorum impertiri per Contritionem: *Fuit*, inquit, *omni tempore ad impetrandam remiſſionem peccatorum Contritionis motus neceſſarius:* & ibidem ait, hominem Contritione præparari ad remiſſionem peccatorum; ex quibus auctoritatibus ſic poteſt argumentari: id, quod diſponit hominem, eumque præparat ad remiſſionem peccatorum, non poteſt eſſe forma juſtificans; ſed Contritio ex Tridentino eſt diſpoſitio, impetratio, & præparatio ad juſtificationem; ergo non eſt forma juſtificans.

9. Prob. 2. Forma juſtificans peccatorem debet eſſe quid permanens, eique inhærens tanquam radix habituum infuſorum, & per modum naturæ in ordine ſupernaturali; ſed Contritio non eſt quid permanens, ſed quid tranſiens, & fluens; ergo nequit eſſe forma juſtificans. Item forma, juſtificans hominem a peccato, conſtituit illum filium adoptivum, amicum, & hæredem ſecundum ſpem vitæ æternæ; ſed terminus formalis divinæ generationis, & amicitiæ, non eſt aliquis actus, ſed gratia habitualis, quæ eſt participatio Divinæ Naturæ; ergo illa ſola juſtificat: negative quidem, expellendo peccatum, & ſtatum inimicitiæ, ac divinæ indignationis, & poſitive, ornando animam, & conſtituendo nos filios adoptivos, quia ſemen Dei in nobis manet. Ita Suarez, Lugus, Facundez, & alii, quos refert Leander *diſp.* 1. *quæſt.* 28.

10. Dico 2. Contritio eſt ultima, & neceſſaria diſpoſitio ad juſtificationem impii: patet ex Tridentino ſupra citato *ſeſſ.* 6. *can.* 3. ubi inter actus, quibus ad juſtificationem diſponitur, ponitur *pœnitere, ſicut oportet, ut juſtificationis gratia conferatur:* idem *ſeſſ.* 6. *cap.* 7. & ſic Contritio eſt ultima diſpoſitio, ad quam immediate ſequitur forma juſtificans, & dicitur juſtificare non quidem formaliter, ſed cauſaliter, & diſpoſitive; & de hac juſtificatione cauſali, & diſpoſitiva intelligi debent auctoritates Scripturæ, & Patrum, quibus indicatur, Contritionem, aut dilectionem eſſe cauſam juſtificantem.

11. Dices: per actum Contritionis, & Charitatis homo formaliter convertitur ad Deum, illumque diligit ſuper omnia, formaliter avertitur a peccato, & fine ultimo contrario Charitatis; ergo per talem actum tollitur peccatum, & ponitur juſtificatio; peccatum enim, cum ſit averſio a Deo, tollitur per actum converſivum ad illum. Similiter receſſus a Deo tollitur formaliter per acceſſum ad Deum; ſed peccatum eſt receſſus a Deo, & Contritio eſt reditus voluntatis ad Deum; ergo peccatum tollitur formaliter per Contritionem. Confirm. Contritio ita pugnat cum peccato actuali, ut nec divinitus poſſit eſſe ſimul cum illo; ergo etiam pugnat cum peccato habituali, illudque deſtruit, & juſtificat peccatorem; nam peccatum habituale non eſt, niſi peccatum ipſum actuale moraliter perſeverans, & ſic ſi Contritio opponitur cum prima exiſtentia peccati, opponitur etiam cum morali ipſius perſeverantia.

12. Pro ſolutione ſciendum eſt, peccatum habituale eſſe peccatum ipſum actuale præteritum, prout moraliter perſeverans, quæ moralis perſeverantia fundamentaliter,

Digitized by Google

& in recto dicit ipſum peccatum præteritum, prout connotat in obliquo negationem divinæ condonationis, & condignæ ſatiſfactionis: poteſt inſuper peccatum conſiderari, prout eſt phyſica averſio a Deo, vel prout moraliter perſeverat cum averſione Dei ab homine. His præmiſſis, dico: Contritionem opponi actuali averſioni a Deo, quam importat peccatum, & actuali, ſeu phyſicæ converſioni ad creaturam, illamque deſtruere, non autem tollere, nec deſtruere moralem perſeverantiam ejuſdem averſionis, & peccati; nam moralis perſeverantia importat negationem divinæ condonationis, & condignæ ſatiſfactionis: Contritio autem nec eſt divina condonatio, nec condigna ſatiſfactio, & ſic non poteſt tollere moralem illam perſeverantiam, nec peccatum habituale formaliter, ſed tantum diſpoſitive, quatenus per Contritionem homo diſponitur, ut illi juſtificationis gratia a Deo conferatur. Similiter ad confirm. dico, Contritionem pugnare cum peccato actuali; non tamen morali perſeverantia ejuſdem peccati, quæ importat connotative negationem divinæ condonationis, & averſionem Dei ab homine; iſta autem non tollitur, niſi per divinam condonationem, & converſionem Dei ad hominem, quæ fit per infuſionem gratiæ. Itaque Contritio opponitur peccato, tum primo exiſtenti, tum etiam præterito, ſi abſolute, & phyſice ſumatur, non tamen illi opponitur, ut habenti moralem perſeverantiam, & connotationem divinæ averſionis, quæ ſolum tollitur per divinam condonationem, & converſionem Dei ad hominem.

D U B I U M III.

An remiſſo peccato mortali, ſemper remittatur æterna pœna?

13. RESp. primo, de via ordinaria, quando peccatum mortale remittitur quoad culpam, remittitur etiam pœna æterna, non tamen ſemper tota pœna temporalis tollitur. Ita expreſſe traditur a Trident. *ſeſſ. 6. cap.* 14. dicente, per juſtificationem remitti pœnam æternam, remanente pœna temporali, quæ non tota ſemper remittitur. Ratio primæ partis eſt, quia de lege ordinaria non remittitur peccatum mortale, niſi in juſtificatione, quæ fit per gratiam ſanctificantem: hæc autem gratia reddit hominem juſtum filium Dei, & hæredem æternæ gloriæ, quæ directe pugnat cum pœna æterna, & ſic quando peccatum mortale alicui remittitur, reatus etiam æternæ pœnæ debet auferri.

14. Non eſt tamen neceſſe, quod tota ſemper auferatur pœna temporalis, ut docet Trident. *loco citato*, ubi etiam ponit diſcrimen inter Sacramentum Baptiſmi, & Sacramentum Pœnitentiæ, quod in illo tota ſemper remittitur pœna, non ſic in iſto; & *ſeſſ.* 14. *can.* 12. de Sacramento Pœnitentiæ hoc ſtatuitur: *Si quis dixerit, totam pœnam ſimul cum culpa remitti ſemper a Deo, ſatiſfactionemque pœnitentium non eſſe aliam, quam fidem, qua apprehendunt Chriſtum pro eis ſatiſfeciſſe; anathema ſit.* Hoc autem maxime conveniens fuit, quia hujuſmodi pœnæ revocant homines a peccato, & cautiores reddunt in futurum: videbatur hoc etiam ſpectare ad ordinem divinæ juſtitiæ exigentis, ut qui Deum offendit, ipſi ſatiſfaciat ea ratione, qua poteſt; nam ſicut ſpectat ad miſericordiam gratis condonare pœnam æternam, pro qua non poteſt homo ſatiſfacere: ita pertinet ad juſtitiam, ut ſatiſfaciat pro pœna temporali, pro qua poteſt: & ita tenent cum Divo Thoma 3. *part. quæſt.* 86. *art.* 4. Nugnus *ibidem*, Bellarminus *lib.* 4. *de Pœnit. cap.* 2. Suarez *diſp* 10. *ſect.* 3. Bonacina *de Pœnit. diſp.* 5. *quæſt.* 6. *ſect.* 1. *punct.* 4. Madernus *quæſt.* 2. *art.* 10. & alii communiter.

15. Non negaverim tamen contingere poſſe, ut tota penitus pœna deleatur propter excellentem ſcilicet Contritionem, qualis in D. Paulo, & Diva Maria Magdalena fuit; ſicut enim, quo perfectior eſt hominis Contritio, eo major cæteris paribus illi gratia infunditur, ita etiam eo major pœna temporalis illi remittitur; unde Contritio poterit eſſe adeo perfecta, ut illius intuitu tota pœna deleatur. Ita Bonacina *loco cit. num.* 3.

16. Dices: Contritio habet vim delendi culpam, & pœnam æternam; ergo etiam habet vim delendi pœnam temporalem, quæ eſt aliquid minus. Deinde Baptiſmus, & Martyrium habent privilegium delendi totam pœnam; ergo debet hoc idem concedi Pœnitentiæ, & Contritioni. Sed contra, dato antecedente, nego conſequentiam, quia Contritio non meretur de condigno, ſed tantum de congruo excluſionem peccati, & pœnæ æternæ, & ſic Deus poteſt illam acceptare pro excludenda culpa, non vero pro tota pœna: ac proinde, remiſſa culpa, remanet adhuc pœna temporalis ſolvenda, quæ quanta ſit non poteſt definiri, ſed relinquitur judicio divino determinanti talem pœnam talibus peccatis, & majorem gravioribus. In Baptiſmo Deus vult totam pœnam remittere, quia eſt Sacramentum per modum regenerationis, ſicut etiam illam remittit in Martyrio, quia eſt opus maxime arduum, & difficile, & actus excellentiſſimæ dilectionis.

17. Dices 2. In Scriptura habetur, Deum non amplius recordari peccatorum, quæ remiſſa ſunt, auferre faciem ſuam ab illis, eaque non amplius imputare, quæ & ſimilia non recte dicerentur, ſi Deus pro peccatis illis pœnam aliquam imponeret. Nec videntur bene cohærere cum infinita, & ſuperabundanti ſatiſfactione Chriſti, quam pro peccatis exhibuit.

Reſp. Deum non amplius recordari peccatorum, quæ ſunt dimiſſa, quia illa non punit pœna æterna illis debita, neque propter illa reſpicit amplius hominem ut inimicum, & odio dignum, ſed eum diligit, ut amicum, & filium, ac hæredem Regni Cæleſtis, & ut talem leviter punit eo modo, quo parentes puniunt filios, quos tamen ſumme diligunt. Infinita ſatiſfactio Chriſti non obſtat, quia licet ſit ſufficiens, & ſuperabundans, quoad ſufficientiam pro omnibus culpis, & pœnis; tamen debent nobis illius merita applicari efficaciter per Sacramenta, & per bona opera.

18. Reſp 2. de potentia abſoluta non videtur repugnare, quod Deus remittat totam culpam peccati, non remittendo reatum æternæ pœnæ: ſicut e contra tollere poteſt totum reatum æternæ pœnæ, non remittendo culpam. Ita Suarez *diſp.* 10. *ſect.* 2. Lugus *diſp.* 7. *ſect.* 6. *nu.* 79. *& ſeqq.* Bonacina *ſupra punct.* 4. *num.* 1. Ratio eſt, quia reatus culpæ, & reatus pœnæ realiter inter ſe diſtinguuntur; aliud namque eſt, Deum habere jus ad odio habendum hominem propter peccatum, quod ſpectat ad reatum culpæ, aliud habere jus ad illum puniendum ex effectu juſtitiæ vindicativæ propter peccatum, quod ſpectat ad reatum pœnæ; & ſic illi duo reatus ſunt ſeparabiles, & unus ſtare poteſt ſine alio: & de facto remiſſo peccato veniali quoad culpam, remanet reatus pœnæ; ergo etiam condonato peccato mortali, poteſt divinitus manere reatus æternæ pœnæ. Verum quidem eſt, quod pœna æterna in illo caſu non eſſet æqualis, quoad omnes circumſtantias cum ea, quæ de facto datur in Inferno, quia non remaneret vermis conſcientiæ, odium Dei, & obſtinatio voluntatis in malo, quæ de facto reperiuntur in damnatis. Sed hæc, & ſimilia, quæ ſunt aliena ab inſtituto noſtro, videri poſſunt apud Lugum *loco citato*, ubi argumenta contraria ſolvit.

D U B I U M IV.

De Remiſſione peccatorum venialium per Pœnitentiam.

19. CErtum eſt peccata venialia remitti poſſe extra Sacramentum ex opere operantis per actum Contritionis, & amoris Dei ſuper omnia; cum enim iſti actus ſufficiant ad tollenda peccata mortalia, multo magis ſufficient ad tollenda venialia. Certum inſuper eſt, peccata venialia deleri poſſe abſque ulla retractatione per ſolam extrinſecam condonationem, quæ etiam de potentia abſoluta eſt ſufficiens ad tollenda lethalia, de facto tamen nunquam delentur, ſine aliqua pœnitentia ſaltem virtuali; quamdiu enim actu, aut virtute voluntas non retractat ſuum peccatum, ſemper moraliter cenſetur perſeveraſſe in illo; nec ſufficit pœnitentia naturalis, quia peccatum veniale eſt aliqua deordinatio a Deo fine ſupernaturali, eſt enim elongatio ab ejus familiaritate; ergo ad illius remiſſionem requiritur ſupernaturalis aliqua converſio ad eumdem finem per actum alicujus virtutis ſupernaturalis. Difficultas eſt, quænam de facto pœnitentia, & diſpoſitio requiratur in homine juſto ad tollenda peccata venialia extra Sacramentum ex opere operantis: *an ſcilicet ſufficiat Attritio ſupernaturalis, vel requiratur neceſſario Contritio?* loquor de homine juſto, quia reſpectu habentis cum veniali etiam mortale, certum eſt, neceſſariam eſſe Contritionem, quia nimirum venialia non remittuntur, niſi mortale deleatur, quod de lege ordinaria deleri non poteſt extra Sacramentum, niſi per Contritionem formalem, aut virtualem incluſam in actu charitatis, & amoris Dei ſupernaturalis.

20. Reſp. primo per actum Contritionis, & amoris Dei ſuper omnia remitti poſſunt peccata venialia extra Sacramentum. Eſt reſponſio communis, quia, ut prænotavi, ſi illi actus ſufficiunt ad tollenda peccata mortalia, multo magis ſufficiunt ad tollenda venialia, ſi de venialibus eliciantur. Et quidem ſi Contritio ſit generalis, & univerſalis de omnibus venialibus, prout ſunt aliqua Dei offenſa, erit ſufficiens ad delenda omnia venialia quoad culpam, quia tunc illa Contritio habet oppoſitionem cum omnibus venialibus; ſi autem quis doleat ſolum de venialibus ex motivo aliquo particulari, ſolum illorum, quæ tali motivo contrariantur, remiſſionem conſequetur: ſicut e contra, ſi quis doleat tantum de mortalibus prout ſunt gravis offenſa Dei, licet conſequatur veniam mortalium, non tamen conſequitur remiſſionem venialium, quæ per talem actum non retractantur. Itaque non quælibet Contritio ſufficiens ad delenda mortalia ſufficit ad delenda venialia, ſed requiritur, quod procedat ex motivo cadente ſuper venialia, prout eſt dolere de peccatis, prout etiam leviter diſplicent Deo, & prout ſunt offenſa etiam levis. Eodem modo actus dilectionis, & Charitatis poteſt eſſe adeo perfectus, ut omnia etiam deleat venialia, ſi nimirum quis amore Charitatis intendat placere Deo in omnibus, etiam

in mi-

in minimis. Ita, pluribus citatis, Bonacina *diſp. 5. q. 6. ſect. 2. punct. 3.*

21. Dico 2. Ad tollenda peccata venialia ex opere operato extra Sacramentum ſufficit in homine juſto ſola Attritio ſupernaturalis. Ita Suarez, Lugus, & Madernus contra Vaſquium, Beccanum, Lorcam, & alios. Ratio eſt, quia ad remiſſionem venialium requiritur minor retractatio, minuſque perfecta, quam ad remiſſionem mortalium; ſed ad iſtorum remiſſionem extra Sacramentum requiritur, & ſufficit Contritio; ergo ad remiſſionem venialium ſufficiet Attritio ſupernaturalis, quæ minor eſt, minuſque perfecta Contritione. Prob. major, quia peccatum veniale eſt minor offenſa, quæ non diſſolvit amicitiam divinam, nec gratiam expellit, ſicut peccatum mortale: qui veniale committit, manet amicus, Deo gratus, filius & hæres ſecundum ſpem vitæ æternæ; ſed non videtur conveniens, nec congruum divinæ miſericordiæ, & æquitati adeo perfectam exigere diſpoſitionem ab ipſius amico, & filio pro levi offenſa, quam exigit ab inimico, & mancipio Diaboli pro graviſſima offenſa; ergo ad remiſſionem venialium minor requiritur diſpoſitio, & retractatio, quam ad remiſſionem mortalium, per conſequens non requiritur Contritio, ſed ſufficit Attritio.

22. Conf. quia Attritio in homine juſto habet ſufficientem congruitatem, ad hoc ut acceptetur pro remiſſione venialium; eſt enim illorum retractatio, & eſt actus dignificatus gratia ſanctificante, natura ſua exigens Dei viſionem, & amorem beatificum, per conſequens etiam exigens reſtitutionem divinæ familiaritatis in pœnam peccati ſubtractæ. Adde, quod ſi requireretur Contritio ad remiſſionem venialium, iſta deberet eſſe perfectior, quam Contritio ſufficiens, & requiſita ad remiſſionem mortalium; deberet enim in ea amari Deus ex motivo nobiliori, quod opponatur peccatis tum gravibus, tum levibus; ergo ſufficit Attritio.

23. Dices; hac ratione non ſolum Attritio, ſed quivis alius actus bonus ordinis ſupernaturalis a Juſto elicitus eſſet ſufficiens diſpoſitio ad remiſſionem venialium extra Sacramentum; nam quivis actus bonus ſupernaturalis procedit a Juſto, dignificatus gratia habituali ac proinde exigens familiaritatem divinam in pœnam peccati ſubtractam. Sed contra: extra Sacramentum non remittitur peccatum veniale, niſi per modum ſatisfactionis, quæ ab offendente poſtulat aliquam ſaltem virtualem deteſtationem offenſæ; igitur non ſufficit, ut actus tantum procedat dignificatus gratia habituali exigente familiaritatem divinam, ſed etiam requiritur, ut procedat per modum ſatisfactionis, ſaltem de congruo. Inde actus, qui non erit ſaltem virtualis retractatio offenſæ, non erit ſufficiens diſpoſitio, bene tamen ſi ſit talis, ut mox dicam.

24. Dico 3. ut peccatum veniale remittatur Juſto extra Sacramentum, ſufficit virtualis Attritio: ita ſentire videtur Gonettus *diſp. 4. de Pœnit. art. 8.* ubi affert auctoritatem Divi Thomæ, Filliucius *tract. 6. cap. 5. numer.* 119. Coninch apud Dianam *part. 11. tract. 5. reſol. 31.* & Suarez *diſp. 11. ſect. 3.* Ratio eſt, quia non magis videtur neceſſaria Attritio formalis ad remiſſionem venialium extra Sacramentum, quam ſit neceſſaria formalis Contritio ad remiſſionem peccati mortalis; ſed ad remiſſionem iſtius non eſt neceſſaria Contritio formalis extra Sacramentum, ſed ſufficit virtualis; ergo etiam peccatum veniale cum Attritione virtuali remitti poteſt. Loquor ſemper extra Sacramentum, quia in Sacramento requiritur dolor formalis, qui eſt pars eſſentialis Sacramenti.

25. Inde non tantum remittitur veniale, quando Juſtus de illo dolet propter pœnas, quas meretur, aut quia retardat ab aſſecutione æternæ beatitudinis, vel quia aliqua ratione virtuti contrariatur, ſed etiam quando ita quis afficitur erga virtutem aliquam, ut ex vi hujuſmodi affectus actualis deteſtaretur peccatum veniale, ſi ipſi practice deteſtandum occurreret, quod ſumitur ex Divo Thoma *de Pœnit. art. 1.* ubi habet, quod ad remiſſionem venialis requiritur diſplicentia, puta cum aliquis hoc modo fertur ſecundum affectum in Deum, & res divinas, ut quidquid ſibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, diſpliceret ei, & doleret ſe hæc commiſiſſe, etiamſi actu de illo non cogitaret. Hoc tamen diſcrimen intercedit inter actum Contritionis virtualis incluſæ in actu Charitatis ſufficientis ad remiſſionem mortalium, & inter actum virtualis Attritionis; quod Contritio in illo actu amoris incluſa, ex vi motivi ſe extendit ad omnia peccata mortalia, illaque omnia excludit: Attritio vero incluſa virtualiter in amore ſpecialis cujuſdam virtutis, non ſe extendit, niſi ad peccatum tali virtuti oppoſitum, illudque ſolum expellit.

26. Dices; ſi Attritio ſufficeret ad remiſſionem venialium extra Sacramentum, ſequeretur, peccatum illud nunquam remitti in Sacramento ex opere operato, nam ad valorem Sacramenti neceſſaria eſt Attritio; ergo per illam ſemper remittitur peccatum veniale antequam accedat abſolutio, quod tamen eſt abſurdum, quia ſic inutile eſſet confiteri venialia.

Reſpond. inſtantiam non habere locum in illo, qui accedit ad hoc Sacramentum cum peccato mortali, & veniali, poſita ſola Attritione; tunc enim remiſſio venialium non fit per illam Attritionem, ſed per Sacramentum, quod ſufficit, ut dicamus, hujuſmodi peccatum interdum remitti ex opere operato, & Sacramentum Pœnitentiæ ordinari ad tollenda venialia aliquando directe; in Juſtis autem Sacramentum Pœnitentiæ valet tum ad remiſſionem pœnæ relictæ, tum ad majus augmentum gratiæ, de ſe remiſſivæ venialium, ea ratione, qua accedenti ad hoc Sacramentum non ſolis mortalibus, alias rite confeſſis, & abſolutis, confertur majus augmentum gratiæ.

DUBIUM V.

An, & quomodo requiratur gratia habitualis ad remiſſionem venialium?

27. Triplicitet intelligi poteſt gratia habitualis ad remiſſionem venialium neceſſaria. Primo *antecedenter*, quatenus nunquam remittatur peccatum veniale homini exiſtenti in lethali. Secundo *concomitanter*, quatenus veniale nunquam remittatur, niſi ſimul gratia habitualis infundatur, ſeu augeatur. Tertio *formaliter*, quatenus gratia habitualis ſit forma formaliter excludens veniale, ea ratione, qua formaliter excludit lethale. Quoad primum, qui peccatum veniale aſſerunt remitti per ſolam pœnæ ſolutionem, conſequenter dicunt, poſſe remitti ſine gratia ſanctificante, quia poteſt quis pati, & ſolvere totam pœnam temporalem illis debitam. Ita tenet Scotus *in 4. diſt. 21. q. 1. §. in iſta quæſtione*; & hac ratione concedit, etiam in Inferno peccata venialia remitti damnatis; at qui neceſſariam putant pœnitentiam ad remiſſionem venialium, gratiam prærequirunt habitualem.

28. Reſpond. Ad remiſſionem venialium requiritur gratia *antecedenter*, & *concomitanter*, non tamen *formaliter*, loquor de gratia habituali, nam de gratia actuali non poteſt eſſe difficultas; cum enim veniale retardet ab ingreſſu gloriæ, non poteſt fieri illius remiſſio ſine gratia actuali nobis data per Chriſtum, qui eſt cauſa totius noſtræ prædeſtinationis. Ratio primæ partis eſt, quia peccatum veniale, licet non tollat a ſubjecto gratiam habitualem, minuit tamen fervorem charitatis, tollitque familiaritatem cum Deo; ita illius remiſſio eſt reſtitutio fervoris charitatis, & reintegratio divinæ familiaritatis; ſed fervor charitatis ſupponit in ſubjecto gratiam, & charitatem, & reintegratio familiaritatis ſupponit amicitiam ejuſdem, cum familiaritas ſit amicitia perfecta: ergo remiſſio venialium ſupponit gratiam habitualem antecedenter in ſubjecto. Hanc rationem affert Sanctus Doctor *in 4. diſt. 16. q. 2. art. 1. q. 3.*

29. Prob. 2. quia exiſtenti in peccato mortali non poteſt remitti peccatum veniale, nec per ſatisfactionem, & meritum de condigno, nec per meritum de congruo, & ſic nullo modo. Non per meritum de condigno, quia iſtud fundatur in gratia habituali, ut habetur ex Apoſtoli 1. Corinth. 12. *Sine charitate nihil prodeſt*; & ex Eccleſ. 34. *Dona impiorum non probat Altiſſimus, neque in multitudine Sacrificiorum propitiabitur.* Non per modum diſpoſitionis, ſeu meriti de congruo, quia congruum non eſt homini inimico, & odibili Deo leves remitti offenſas, priuſquam convertatur, & lethalium remiſſionem obtineat. Nec dicas, leves offenſas remitti per ſolutionem pœnæ; nam prius neceſſe eſt remitti culpam per ſufficientem converſionem voluntatis, quæ non datur in homine peccatore: & inde non remittitur peccatum per illam ſolutionem pœnæ. Ita docent Sanctus Thomas *3. p. q. 87. art.* 4. Cajetanus, & alii *ibidem*, Suarez *diſp. 11. ſect. 2.* Valentia *q. 4. punct. 3.* Coninch *diſp. 2. dub. 15.* & alii, quos citat, & ſequitur Averſa *q. 4. ſect. 3.*

30. Dices peccatum veniale ſæpe remittitur ſimul cum lethali; ſed tunc non ſupponit gratiam habitualem antecedenter, quia hæc non ſupponitur ante remiſſionem mortalium; ergo non eſt neceſſaria gratia habitualis antecedenter.

Reſp. peccatum veniale, quando remittitur ſimul cum mortali, non ſupponere gratiam antecedenter ordine durationis, bene tamen illam ſupponere ordine naturæ; prius enim naturæ remittuntur mortalia per reſtitutionem gratiæ habitualis, & amicitiæ, quam venialia per reſtitutionem divinæ familiaritatis, & ſpecialium auxiliorum.

31. Dices 2. poteſt homini remitti peccatum mortale ſine veniali, & unum veniale ſine alio; ergo etiam poterit remitti veniale ſine mortali.

Reſp. maximam eſſe diſparitatem, quia mortale remittitur per infuſionem gratiæ, cum qua ſtare poteſt peccatum veniale: & inde poteſt etiam remitti unum veniale, ſine alio, quia homo habens gratiam poteſt ex ſpeciali motivo retractare unum veniale, & non alterum; ſed carens gratia nullum veniale ſufficienter retractat, niſi prius recuperet gratiam; & ſic non remittitur veniale ſine mortali.

32. Probatur ſecunda pars: omnis actus remiſſivus peccati venialis in præſenti vita eſt meritorius gratiæ: ergo remiſſio venialium, ſemper concomitanter habet adjunctam gratiam: vel enim veniale remittitur per Sacramentum, & tunc datur gratia cauſata a Sacramento, quod aliter

non

non tollit peccatum, niſi cauſando gratiam, vel primam ſi ſit Sacramentum mortuorum, vel ſecundam; ſi ſit Sacramentum vivorum; vel remittitur extra Sacramentum, & tunc ſi eſt conjunctum cum mortali non remittitur ſine Contritione, & dilectione Dei ſupernaturali, ſi vero eſt ſolum ſine mortali requirit ſaltem Attritionem ſupernaturalem; ſed iſti actus ſunt meritorii gratiæ; ergo cum remiſſione venialium ſemper infunditur gratia. Ita Lugus *diſp.* 9. *ſect.* 1. Suarez *diſp.* 11. *ſect.* 2. Vaſquez *diſp.* 87. *art.* 2. *numer.* 31. Bonacina *quæſtion.* 6. *ſect.* 2. *punct.* 4. *numer.* 5.

33. Dices, veniale eſt ſolum quædam deordinatio actus circa bonum commutabile; ergo tolli poteſt per quemcumque actum ordinativum voluntatis cum debita diſplicentia; ſed ad hunc actum non requiritur gratia habitualis, nec antecedenter, nec concomitanter, & ſic non eſt neceſſaria.

Reſp. actum ordinativum voluntatis cum debita diſplicentia eſſe actum ſupernaturalem meritorium gratiæ, quæ juſto ſtatim infunditur; non enim ſufficit ordinatio, & diſplicentia mere naturalis. Inſuper veniale pro ſtatu elevationis non opponitur ſolummodo virtuti naturali, nec eſt præciſe deordinatio circa bonum commutabile, ſed eſt etiam deordinatio a familiaritate Dei, opponiturque fervori charitatis, & ſic tolli non poteſt, niſi per fervorem charitatis, & per actum ſupernaturalem reintegrantem divinam familiaritatem, quæ neceſſario ſupponit gratiam habitualem.

34. Probatur 3. pars, illud requiritur formaliter ad remiſſionem venialis, quod requiritur, ut forma repugnans, & incompoſſibilis cum illo; ſed gratia habitualis in quocumque gradu ſumatur non eſt incompoſſibilis cum veniali, quod ſtare poteſt cum quacumque gratia habituali; & ſic non requiritur formaliter ad remiſſionem venialis. Ita Lugus *diſp.* 9. *ſect.* 1. *n.* 3. & Averſa *q.* 4. *ſect.* 4. Suarez *t.* 3. *de gratia l.* 7. *c.* 24. & alii communiter.

35. Dices, gratiam ſecundum ſe, & ſecundum ſuam entitatem non eſſe utique incompoſſibilem cum peccato, bene tamen prout connotat Sacramentum, a quo producitur, vel Dei Decretum, ex quo datur ad effectum mundandi hominem ab eo peccato. Sed contra, eadem ratione dici poſſet, albedinem expellere peccatum veniale formaliter, quia licet non ſit ſecundum ſe incompoſſibilis cum peccato, bene tamen prout ſubſtat divino Decreto ad hunc effectum illam conferente, & ſic non magis gratia, quam quæcumque alia forma erit expulſiva peccati venialis. Igitur Decretum Dei, cum ſit extrinſecum, non poteſt ponere in rebus phyſicam incompoſſibilitatem, quam de ſe non habent, nec elevare formam ad effectum formalem, quem non habet: quamvis poſſit illam obedientialiter elevare ad cauſandum efficienter effectum, quem naturaliter cauſare non poterat, ut ſuppono ex dictis in phyſica.

36. Dices 2. Peccatum veniale tolli debet per formam illi incompoſſibilem, ſed talis non eſt, niſi gratia habitualis, quæ cum ſit participatio naturæ divinæ; ita pugnat cum quocumque peccato, ſive mortali, ſive veniali, ſicut pugnat ipſa natura divina, cujus eſt participatio.

Reſp. negando majorem, quia nulla datur hujuſmodi forma, unde tollitur ſolum per extrinſecam condonationem ex parte Dei, poſita ſufficienti diſpoſitione ex parte peccatoris; & licet Natura Divina, quæ eſt infinite, & eſſentialiter Sancta pugnet cum pecato veniali, non ſic gratia habitualis, quæ eſt ſolum participatio Naturæ Divinæ accidentalis, diminuta, & imperfecta, infinite diſtans a Sanctitate increata Naturæ Divinæ.

DUBIUM VI.

An venialia remittantur per Sacramenta, & Sacramentalia ex opere operato.

37. RESpond. non ſolum Sacramentum Pœnitentiæ, ſed omnia alia Sacramenta Novæ Legis remittunt peccata venialia ex opere operato, dummodo Attritio aliqua non deſit, nec ponatur obex. Ita tenet D. Thomas 3. *p. q.* 87. *art.* 3. *in corp.* dicens: *Per omnia Sacramenta Novæ Legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittantur.* Et quidem de Sacramento Pœnitentiæ non poteſt eſſe dubium, quia venialia ſunt materia ſufficiens hujus Sacramenti, ut docet Trident. *ſeſſ.* 14. *c.* 5. ubi habet: *Venialia utiliter in confeſſione dici, licet aliis remediis expiari poſſint;* eſtque inſtitutum ad peccata omnia delenda, illaque omnia delet. Quod ſi veniale ſit conjunctum cum mortali, non remittitur per Attritionem præcedentem, quæ ob mortale conjunctum eſt inſufficiens, ſed duntaxat per Sacramentum, quod conferendo gratiam utrumque delet peccatum. De Baptiſmo eſt etiam certum, quod deleat venialia ex opere operato, quia eſt Sacramentum mortuorum, per ſe inſtitutum ad delenda omnia peccata ante Baptiſmum commiſſa.

38. Hoc idem ſentiendum eſt de Extrema Unctione, ut colligitur ex illo Jacobi 5. *Si in peccatis ſit, dimittentur ei:* & ex forma hujus Sacramenti; *Indulgeat tibi Deus quidquid peccaſti:* quod idem habetur ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 2. de Extrema Unctione dicente: *Hoc Sacramentum delicta, ſi quæ ſint, adhuc expianda abſtergit.* Similiter Euchariſtiam valere ad remiſſionem venialium, habemus ex Tridentino *ſeſſ.* 13. *cap.* 2. ubi diſtinguit inter venialia, a quibus dicit hoc Sacramentum liberare, & inter mortalia, a quibus dicit præſervare, ut notavimus ſuo loco *ſupra tract.* 4. *cap.* 5. *dub.* 4. ubi etiam diximus, Euchariſtiam peccata venialia remittere non ſolum ex opere operantis, excitando fervorem Charitatis, & actus Contritionis, quo deleantur, ſed etiam ex opere operato, & ex ipſa ratione gratiæ cibantis, & nutrientis, ac reſtaurantis id, quod per peccata venialia quotidie deperditur. Idem cum D. Thoma in præſenti *quæſt.* 87. *art.* 3. Suario, & Vaſquio, docet Lugus *diſp.* 9. *ſect.* 3. *n.* 26.

39 De reliquis Sacramentis, Confirmatione, Ordine, & Matrimonio, non eſt ita certum, quia non apparet, quomodo ex eorum inſtitutione, & ſignificatione colligatur iſte effectus tollendi venialia, ac proinde difficilis aſſignatur ratio: tamen præter communem conſenſum probari poteſt ex eo, quod Sacramenta omnia ex ſua inſtitutione, vel primario, vel ſecundario conferunt primam gratiam, ut dictum eſt de Sacramentis in genere, & per conſequens remittunt peccatum mortale; ergo cum peccata venialia facilius remittantur, dicendum eſt, quod Sacramenta omnia Novæ Legis illa remittunt ex opere operato, eaque maxime, quæ ſpeciali cujuſque fini maxime opponuntur, ut Matrimonium ea, quæ opponuntur ſtatui Conjugali &c. Ita Lugus, &, aliis citatis, Bonacina *q.* 6. *ſect.* 2. *punct.* 1. ubi *num.* 2. univerſaliter docet, per Sacramenta remitti omnia venalia, ſi non ponatur obex, quia non eſt major ratio, cur potius aliqua venialia remittantur, & non omnia.

40. De Sacramentalibus plura diximus *tra.* 1. *c. ult.* ubi vidimus Sacramentalia non eſſe, niſi ſacras, & pias actiones ab Eccleſia inſtitutas, quibus tribuitur virtus remittendi venialia, & ſex præcipue enumerantur hoc verſu contentæ:

Orans, Tinctus, Edens, Confeſſus, Dans, Benedicens, ideſt, Oratio Dominica, Aqua benedicta, Panis benedictus, Confeſſio Generalis, Eleemoſyna, Epiſcopi, vel Abbatis benedictio, quibus tria etiam adduntur Tunſio pectoris, Oratio in Eccleſia conſecrata, & Sacra Unctio, quæ in Baptiſmo, vel alibi fieri ſolet. Notat Bonacina *punct.* 2. cum Suarez *diſp.* 12. *ſect.* 2. *n.* 14. numerum Sacramentalium ab Eccleſia augeri poſſe, etiamſi ab ea non poſſint inſtitui Sacramenta.

41 Per Sacramentalia remitti peccata venialia eſt in confeſſo apud omnes Fideles; patet ex uſu, & traditione Eccleſiæ, & communi Doctorum conſenſu apud Suarez *diſp.* 12. *ſect.* 2. Dubium ſolum eſt; *quomodo remittantur;* alii enim dicunt ex opere operato, & immediate ad modum Sacramentorum, ſuppoſita diſpoſitione, quod ſcilicet non ſit complacentia contraria, & homo utatur pie, ac religioſe hujuſmodi rebus, quem modum probabilem putat Filliucius *tract.* 6. *cap.* 5. *num.* 129. quia potuit Chriſtus dare Eccleſiæ hanc poteſtatem inſtituendi Sacramentalia valentia ad remiſſionem venialium, etiam ſine infuſione gratiæ.

42. Vera tamen, ac tenenda Sententia docet, Sacramentalia non remittere peccata venialia ex opere operato immediate, ſed ſolum mediate, applicando ſcilicet intercesſionem Eccleſiæ pro obtinendis auxiliis ſupernaturalibus neceſſariis ad eliciendos actus Charitatis, & Pœnitentiæ, quibus peccata remittuntur. Ratio eſt, quia peccatum veniale dicit maculam in anima, quæ regulariter non remittitur ſine infuſione gratiæ; at Sacramentalia non habent virtutem conferendi gratiam ex opere operato, quia ſecus non differrent a Sacramentis, quorum inſtitutio non eſt in poteſtate Eccleſiæ, ergo Sacramentalia non remittunt peccatum veniale ex opere operato immediate, ſed duntaxat mediate, quatenus ex merito, & interceſſione Eccleſiæ nobis impetrant auxilium, quo diſponamur ad remiſſionem venialium. Ita Lugus *diſp.* 9. *ſect.* 4. Suarez *diſp.* 12. *ſect.* 2. Coninch *q.* 71. *art.* 3. Valentia, & alii communiter, quos citat, & ſequitur Bonacina *diſp.* 5. *qu.* 6. *ſect.* 2. *punct.* 2.

DUBIUM VII.

Quomodo remittantur venialia in alia vita.

43. NEgarunt poſſe hominem mori cum ſolo peccato veniali Durandus, & alii apud Bonacinam *q.* 6. *ſect.* 2. *punct.* 4. *nu.* 7. quia cum in alia vita non ſit ſpatium, nec ſtatus merendi, nec ſatisfaciendi, aut peccati veniam conſequendi, ſi moreretur homo cum ſolo peccato veniali nunquam poſſet æternam gloriam conſequi, quia nihil coinquinatum poteſt introire in Regnum cœlorum *Apocalip.* 13. Communiter tamen Doctores concedunt, poſſe contingere, hominem juſtum hanc vitam finire cum veniali peccato non remiſſo, ſed in futura vita remittendo. Favet id, quod dixit Chriſtus *Matth.* 12. eſſe quoddam peccatum, quod non remittitur, neque in hoc ſæculo, nec in futuro, ex quibus verbis infertur, aliquod eſſe peccatum, quod in futuro ſæculo remittitur. Deinde contingere

gere poteſt, hominem juſtum, commiſſo peccato veniali, ſepentina morte corripi abſque eo quod pœniteat, aut doleat de tali peccato, quo caſu certe morietur cum peccato veniali. Difficultas eſt; *quomodo illud peccatum remittatur quoad culpam*, nam quoad pœnam non remittitur, ſed per condignam ſatiſpaſſionem punitur, & relictis aliis dicendi modis, qui videri poſſunt apud Averſam *quæſt.* 4. *ſect.* 2.

44. Reſpond. peccatum veniale remitti juſtis in alia vita per actum intenſiſſimum Contritionis, quem ſtatim eliciunt poſt mortem. Ita Averſa *ibidem*, Suarez, & Coninch apud ipſum, Lugus *diſp.* 9. *n.* 36. & favet Divus Thomas, qui ait, in Purgatorio dari meritum quantum ad aliquid accidentale, licet non ad præmium eſſentiale. Ratio eſt, quia tunc Anima, dum primo egreſſa eſt a corpore, perfectiſſime cognoſcit ſua peccata, & erumpere poteſt in actum perfectiſſimum Contritionis, & amoris, quo diſponatur ad remiſſionem omnium venialium, ex Decreto Dei acceptantis actum illum ad hunc effectum; ergo dicendum eſt, illa ſic remitti; cum enim peccatum deleri non ſoleat in hac vita, niſi poſita illius retractatione; ita etiam veriſimile eſt, non deleri in alia vita, niſi etiam retractetur per deteſtationem, & cum poſſit Anima ſeparata hominis juſti hunc actum elicere, dicendum eſt, per illum conſequi remiſſionem venialium.

45. Dices; ſi Juſtus poſt hanc vitam purgaretur a veniali per Contritionem, & amorem, iſte actus deberet eſſe meritorius; ſed poſt hanc vitam non eſt amplius locus meriti, ſecus poſſet etiam mereri novam gratiam, & gloriam, imo poſſet eſſe ille actus ſatisfactorius, & adeo eſſe intenſus, ut deleret totum reatum pœnæ. Sed contra cum Lugo *diſp.* 9. *n.* 36. dico, actum illum non eſſe meritorium, nec ſatisfactorium, quia non eſt anima jam in ſtatu merendi, vel ſatisfaciendi, ſed ſolum requiri tanquam removens prohibens, quatenus tollit indiſpoſitionem, & impedimentum ad veniam; poſita enim illa retractatione per modum conditionis, & removentis prohibens Deus remittit culpam, ut aliquando juſtus fruatur beatitudine, ad quam jus habet per gratiam ſanctificantem, ſed non remittit pœnam, quam Juſtus ſolvere poteſt, & debet in Purgatorio per condignam ſatiſpaſſionem.

46. Reſp. 2. Veniale conjunctum cum mortali nunquam remittitur in alia vita. Ratio eſt, quia poſt hanc vitam non eſt amplius tempus merendi, & decedens in lethali ratione ſuæ damnationis eſt obſtinatus in malo, nec ullum actum veræ, & ſupernaturalis retractationis ad remiſſionem culpæ requiſitæ elicere poteſt, & ſic veniale illud conjunctum cum mortali nunquam remittitur.

47. Dices; inde ſequi peccatum veniale puniri pœna æterna, quod eſt abſurdum, quia puniretur ultra condignum, cum non mereatur, niſi pœnam temporalem, Deus autem, qui juſtus eſt, ultra condignum non punit. Sed contra, inſtantia dupliciter ſolvi poteſt; primo enim aliqui, concedendo illationem, dicunt, pœnam illam fore æternam per accidens, eo quod veniale conjunctum cum mortali in æternum duret, nec amplius remittitur, ut dictum eſt ſupra, tamdiu autem pœnam meretur, quamdiu eſt, ac proinde ſi in æternum durat, per accidens debet in æternum puniri; quæ reſponſio eſt communis, & valde probabilis, illamque ſequuntur cum D. Thoma, Cajetanus, Congradus, Medina, Alvarez, Martinez, Sylvius; & Thomiſtæ communiter, quos citat, & ſequitur Madernus *trà.* 7. *de vitiis & peccatis q.* 3. *art.* 10. Bonacina *qu.* 6. *ſect.* 2. *punct.* 4. *n.* 6. & apud ipſum Valentia, Henriquez, Coninch, Vaſquez, & alii.

48. Secunda reſponſio negat conſequentiam, quia licet peccatum veniale in Inferno non remittatur quoad culpam, non ſequitur, quod non remittatur quoad pœnam, ſed debeat in æternam puniri; nam peccatum veniale de ſe non meretur, niſi pœnam temporalem, poteſt autem homo in Inferno ſatis pati pro pœna temporali peccato debita; juſtitia enim vindicativa ſolum poſtulat, ut homo tantam pœnam ſubeat, quanta ſolum illius culpæ debetur, qua poſita, non debet amplius puniri. V. g. ſi peccato veniali debetur pœna unius diei, homo, illam tollerando, dicitur ſatisfeciſſe juſtitiæ vindicativæ, nec debet ulterius puniri. Nec obſtat, quod culpa maneat, quia cum homo illam tollere non poſſit, videtur a ratione alienum, ut tamdiu puniatur, quamdiu illa manet; ſicut æquum non eſt, ut fur cædatur donec ablatam pecuniam reſtituat, ſi nihil habet, unde reſtituat.

49. Nec obſtat communis ſenſus fidelium, qui acerbitatem pœnarum Inferni concipiunt ſine refrigerio, quia in Inferno nulla eſt redemptio, ignis eorum non extinguitur, nec vermis moritur; contra enim dico, in Inferno nullam eſſe redemptionem, quia damnati in æternum cruciabuntur, ſed propter peccata mortalia nunquam remiſſa, & hæc pœna non diminuitur: at diminutio illa pœnæ debitæ peccato veniali nullam habet proportionem ad pœnam æternam, finita ſcilicet ad infinitum, pro nihilo habetur, unde ſimpliciter valet, damnatos eſſe ſine ſolatio, & ſine refrigerio; & hoc modo debent intelligi PP. dum dicunt, pœnam inferni non mitigari: loquuntur enim de pœna æterna, quæ revera non mitigatur. Cæterum mitigari pœnam temporalem patet in peccato ſive mortali, ſive veniali remiſſo quoad culpam in hoc Mundo, quod non punitur in Inferno pœna æterna, ſed duntaxat temporali, ut cum aliis docet Madernus *de vitiis, & peccatis q.* 3. *art.* 10. *num.* 6. Hanc reſponſionem ſequuntur Scotiſtæ cum Scoto *in* 4. *diſt.* 21. *qu.* 1. *§. in iſta quæſt.* Henricx *diſp.* 7. *qu.* 12. *de peccato mortali, & veniali num.* 118. ſequitur etiam Arriaga *diſp.* 53. *de vitiis, & peccatis ſect.* 4. & alii apud ipſos.

D U B I U M VIII.

An peccata ſemel dimiſſa per pœnitentiam, redeant, vel redire poſſint per ſubſequens peccatum?

50. CUM Doctores communiter admittant merita per peccatum mortificata, & deleta, per pœnitentiam iterum redire, & reviviſcere, ita ut homo per pœnitentiam recuperet gratiam deperditam, & totum jus ad gloriam, quod ex præcedentibus meritis ſibi comparaverat: ita ſimiliter quæritur: *an peccata ſemel per pœnitentiam dimiſſa, per ſubſequens peccatum iterum redeant, vel redire poſſint, tum quoad culpam, & maculam habitualem, tum quoad reatum pœnæ æternæ, adeo ut hominem eodem modo reddant inimicum Deo, & dignum æterna pœna, ſicut reddebant priuſquam dimitterentur.* De facto redire ſenſerunt nonnulli, ſi non propter quodcumque peccatum, ſaltem propter hæc quatuor, Odium fraternum, Apoſtaſiam a fide, Contemptum confeſſionis, & Retractationem pœnitentiæ præteritæ, juxta illud:

Fratres odit, Apoſtata ſit, ſpernitque fateri,
Pœnituiſſe piget, priſtina culpa redit.

De poſſibili major eſt difficultas, in qua plures aſſerunt cum Scoto, Valentia, & Coninch apud Madernum *trà.* 8. *de Divina Gratia q.* 9. *art.* 13.

51. Reſp. peccata per pœnitentiam remiſſa de via ordinaria non redeunt, neque quoad reatum culpæ, neque quoad reatum pœnæ, ſed nec etiam de potentia abſoluta redire poſſunt, niſi ad ſummum virtualiter, & ſecundum quid, ideſt per modum circumſtantiæ aggravantis ſubſequens peccatum. Eſt communiſſima cum D. Thoma 3. *p. q.* 88. *art.* 1. illamque ſequuntur Madernus *ſupra* Lugus *diſp.* 10. *ſect.* 1. Bonacina *diſp.* 5. *q.* 6. *ſect.* 3. & apud ipſum Sotus, Vaſquez, Suarez, & alii communiter. Sumitur ex illo Ezechiel. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor*, tum ex Can. ult. de pœnit. diſt. 4. ubi habetur; *Divinam Clementiam non pati peccata ſemel dimiſſa iterum redire.*

52. Ratio eſt, quia peccatum per pœnitentiam ſic dimittitur, ut omnino extinguatur, & deſinat eſſe: ergo redire non poteſt. Probatur hæc conſequentia, quia peccatum ſemel penitus extinctum nullam poteſt habere cauſam iſtius novæ ſuæ exiſtentiæ; non enim illa poteſt eſſe Deus, ut patet, non cauſa aliqua creata, quæ nunquam poteſt producere id, quod ſemel extinctum eſt. Deinde cauſa iſta creata non poteſt eſſe peccator, qui veteris illius peccati jam poteſt eſſe oblitus, ita ut de illo non amplius cogitet; non poteſt eſſe peccatum ſubſequens, quia contingeret, quod peccatum prodigalitatis cauſaret peccatum avaritiæ, & peccatum luxuriæ cauſaret peccatum infidelitatis, & quis per luxuriam fidem amitteret, quod eſt falſum, quia per tale peccatum nulli articulo fidei diſcredit, & alia ſequuntur abſurda, quæ hic ponuntur a Gonetto. Adde, quod hoc videtur ſapere hæreſiam Calvini, quia ſequitur, peccata non plene dimitti, ſed tegi tantum, & non imputari.

53. Hoc idem probat, quod peccata non redeunt nec etiam quoad pœnam, quia homo non eſt debitor pœnæ, niſi propter culpam; ſed prior culpa non redit; ergo nec pœna illi debita. Ita cum aliis Bonacina *punct.* 3.

54. Secunda pars de potentia abſoluta eſt difficilior, ſed mihi videtur efficax ratio ſuperius facta: implicat, ut res omnino extincta, & nullo modo exiſtens iterum incipiat eſſe in rerum natura abſque eo, quod habeat cauſam ſuæ exiſtentiæ, ſed nulla eſt cauſa, per quam iterum incipiat eſſe in rerum natura peccatum ſemel condonatum; non enim illa poteſt eſſe Deus, nec peccatum ſubſequens; ergo nullo modo poteſt redire.

55. Dices; maculam illam, & peccatum præteritum reſultare ex peccato, quod de novo fit, ad eum modum, quo peccatum originale reſultat in homine ex tali generatione, non vero quod illud a Deo, vel ab homine, cui ineſt, producatur. Sed contra, diſparitas eſt, quia peccatum Adæ nunquam fuit remiſſum in ordine ad poſteros, & inde nil mirum ſi reſultet in homine poſita generatione; at peccatum, de quo loquimur, eſt vere dimiſſum, & extinctum.

56. Dices 2. Poteſt Deus remittere peccata ſub ea conditione, ut nobis peccantibus iterum redeant, cum hoc ſæpe contingat in humanis, nec ulla ſit repugnantia: ſed ſi ſub ea conditione remitterentur, omnino redirent; ergo ſaltem de potentia Dei abſoluta poſſunt redire.

Reſp. nego majorem, ſi loquamur de vera remiſſione, per quam peccatum omnino deſtruatur, & deſinat eſſe.

In

Digitized by Google

In humanis, quando culpæ cum tali conditione dimittuntur; non vere tolluntur; ſed ſolum non imputantur, præſertim ad pœnam: peccatum vere condonatum, & extinctum implicat, quod exiſtat, quia non eſſet extinctum; ſed peccatum, ſi condonaretur ſub illa conditione, adhuc exiſteret in rerum natura; nam conditio de futuro ſuſpendit affectum pro toto tempore antecedenti ad impletionem conditionis; ſic contractus celebratus ſub conditione de futuro, non eſt validus, ſed eſt ſuſpenſus, antequam impleatur conditio; ita etiam condonatio data ſub illa conditione da futuro, remaneret ſuſpenſa pro toto tempore antecedente, nec culpa eſſet vere extincta, ſed adhuc exiſtens in rerum natura, eſſetque ſolum non imputata pro tempore antecedente conditione; ſi ergo fuit vere extincta, non poteſt iterum redire, aut ſuſpenſa manere.

57. Inſtabis cum Lugo: falſum eſt, peccatum non poſſe ſuſpendi ad tempus, ita ut non inficiat hominem, niſi poſt adimpletam conditionem; nam ſi Deus creat Animam Petri, & illam non uniat corpori, niſi poſt menſem, aut annum, verum eſt dicere pro toto illo tempore, quod ſit peccatum originale, quia verum eſt dicere, quod illa Anima peccavit in Adamo, & tamen illud peccatum remanet ſuſpenſum, & non inficit Animam pro toto illo tempore; ergo ſimiliter peccatum condonatum ſub conditione poteſt remanere ſuſpenſum. Sed contra; falſum eſt peccatum etiam originale, ſuſpendi poſſe a Deo, ita ut non inficiat hominem, donec impleatur conditio. Ad caſum poſitum nego, pro illo tempore menſis, aut anni exiſtere peccatum originale illius Animæ, ſed ſolum habet debitum illud contrahendi pro ſtatu unionis; ut verificetur, Animam peccaſſe in Adamo, non requiritur ipſam actu contraxiſſe peccatum, ſed ſufficit, quod exiſtat peccatum Adæ illi imminens. Duo ergo ſunt diſtinguenda, peccatum Adæ prout ſingulis ejus poſteris impendens, & peccatum habituale originale ſingulorum poſterorum, illo menſe, aut anno adeſt peccatum Adami ſingulis impendens hominibus futuris, non eſt tamen peccatum originale illorum.

58. Dices: Matth. 18 Dominus ſervo nequam omne debitum dimiſit, & tamen audita ejus crudelitate in conſervum, illud revocavit, & ſtatim ſubditur: *Sic, & Pater meus Cæleſtis faciet vobis, niſi remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.* Jacobi 2. dicitur: *Qui offendit in uno, factus eſt omnium reus*, quia qui de novo peccat, contrahit peccata jam dimiſſa; & in Pſalm. 108. dicitur: *In memoriam redeat iniquitas patris ejus in conſpectu Domini.* Sed contra reſp. ex illa parabola tantum ſequi, quod debita dimiſſa redeant virtualiter, quatenus aggravant peccatum illud ſubſequens, addendo ei circumſtantiam ingratitudinis, atque adeo augendo debitum pœnæ: vel etiam poteſt intelligi de reditu quoad culpam, & pœnam æquivalenter, quia per ſubſequens peccatum contrahitur ſimilis pœna ſenſus, & privatio ejuſdem beatitudinis: quo etiam ſenſu explicatur illud Jac. 2. *Qui offendit in uno, factus eſt omnium reus*, eadem quippe beatitudine objectiva privatur per unum, ac per aliud peccatum. Peccata illa, quorum Deus dicitur recordari, non ſunt peccata dimiſſa, ſed illa, quorum Deus punitionem diu diſtulit, & redeunt in memoriam Dei pro filiis, non quoad culpam, ſed quoad aliquam pœnam temporalem, qua Deus ſolet caſtigare peccata parentum.

59. Dices: peccata mortalia remiſſa quoad culpam, & pœnam æternam duntaxat, & non quoad pœnam temporalem puniuntur in Inferno pœna æterna, ſi nimirum quis moriatur in lethali, ante ſolutam pœnam illam temporalem debitam peccatis dimiſſis, ergo peccata redeunt ſaltem quoad pœnam, quæ de temporali mutatur in æternam.

Reſponſio ſatis communis eſt, peccatum mortale remiſſum quoad pœnam æternam, non autem quoad pœnam temporalem, puniri æterno tempore per accidens tantum, propter conjunctionem cum mortali non remiſſo, quia nimirum per ſubſequens peccatum conſtituit ſe homo in eo ſtatu, in quo non poteſt ſatisfacere, nec ſatiſpati pro pœna temporali debita peccato remiſſo, quæ proinde durare debet, quamdiu durat ille ſtatus. Sed hæc reſponſio patitur difficultatem in eo, quod homo tantum, & perinde puniretur pro culpa remiſſa, ac ſi non foret remiſſa, quod videtur durum; unde magis placet reſponſio D. Thomæ *in 4. diſt.* 22. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 3. ubi, rejecta hac prima ſolutione; ſubdit: *Et ideo alii dicunt, quod pœna, cujus aliquis eſt debitor poſt culpam remiſſam, in Inferno punietur temporaliter. Nec propter hoc ſequitur, quod in Inferno ſit redemptio, quia pœna, quæ ſolvitur, non redimitur: nec eſt inconveniens, quod quantum ad aliquod accidentale pœna Inferni minuatur uſque ad diem Judicii, ſicut etiam augetur.*

60. Dixi in reſponſione: *peccatum redire ſecundum quid, & per modum circumſtantiæ aggravantis*; quia nimirum peccatum ſubſequens fit gravius ob circumſtantiam ingratitudinis conſiſtentis in hoc, quod homo poſt acceptum beneficium remiſſionis divinæ iterum peccet. Hæc tamen circumſtantia, cum ſit ſolum generalis, nec mutet ſpeciem actus, non eſt neceſſario in confeſſione exprimenda; ingratitudo enim ſpecialis, cum ſit ex genere illorum peccatorum, quæ interius in corde conſumantur, nunquam reperitur, niſi quando voluntas vult directe ingratitudinem; ſecus eſt tantum ingratitudo generalis, quæ non mutat ſpeciem actus.

DUBIUM IX.

An merita per peccatum mortificata, per pœnitentiam reviviſcant?

61. Bona opera, quæ præſtantur ab homine, alia ſunt viva, alia mortua, alia mortificata. Viva ſunt, quæ fiunt in ſtatu gratiæ, & vitæ ſpiritualis, in quo poſtea quis perſeverat, quia ſic valorem meritorium actu habent. Mortua ſunt, quæ non fiunt a principio vitæ; ſed fiunt ab homine exiſtente in ſtatu peccati, ut proinde meritoria non ſint. Mortificata ſunt illa, quæ procedunt quidem a principio vitæ, & fiunt in ſtatu gratiæ, ſed per ſubſequens peccatum ab eo poſtea deſtituuntur, valorem amittunt, & ſuſpenduntur a jure, quod habebant ad præmium æternum, quia tunc res aliqua mortificari dicitur, quando impeditur a ſuo proprio effectu, & operatione. Sicut per peccatum impeditur effectus proprius bonorum operum, qui eſt producere hominem ad vitam æternam: itaque opera bona mortificari, non eſt aliud, quam amittere valorem meritorium gratiæ, & gloriæ, quem prius habebant; reviviſcere autem, eſt recuperare priſtinum valorem, quem habebant priuſquam mortificarentur.

62. Certum eſt, opera mortua numquam reviviſcere, quia nunquam fuerunt viva, ideſt elicita, & pendentia in fieri a principio vivente; quod autem nunquam habuit vitam, reviviſcere non poteſt. Nam reviviſcere eſt, remoto impedimento peccati, accipere vitam, & valorem, quem habebant opera, quando facta ſunt; ſed opera mortua, quando facta ſunt, non habebant meritum vitæ æternæ, quia operans non habebat gratiam, ac charitatem, ſine qua noſtræ actiones ad vitam æternam non proſunt, juxta illud Corinth. 13. *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*: & ſic opera mortua non reviviſcunt, nec fiunt meritoria vitæ æternæ per ſubſequentem pœnitentiam. Nec inde inferas, opera bona facta a peccatore nihil prodeſſe; contra enim, licet hujuſmodi opera bona non proſint ad vitam æternam promerendam, proſunt ad alios fines, ad obtinenda bona temporalia, ad humiliationem, & ad vitanda majora tormenta in Inferno, quatenus per hujuſmodi bona opera adimplentur divina præcepta, quorum violatione majora tormenta ſubeunda eſſent in Inferno, ut cum aliis explicat Bonacina *diſp.* 5. *q.* 6. *ſect.* 4. *punct.* 1.

63. Reſp. merita per peccatum mortificata, per pœnitentiam iterum reviviſcunt, & recuperant valorem, quem prius habebant. Ita tenent Catholici omnes cum D. Thoma 3. *p. q.* 89. *art.* 5. colligitur ex Scriptura, ubi reſtitutio hæc meritorum promittitur, ut Joelis 2. *Reſtituam vobis annos, quos comedit locuſta*, ideſt, non patiar perire ubertatem, quam perdidiſtis, ut habet gloſſa ibidem. Ezechielis 33. *Iniquitas impii non nocebit ei, in quacunque die converſus fuerit ab impietate ſua.* Hebræor. 6. *Confidimus autem de vobis meliora, & viciniora ſaluti, tametſi ita loquimur: Non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis Sanctis, & miniſtratis.* Ubi Apoſtolus, poſtquam difficultate veræ pœnitentiæ terruiſſet Chriſtianos poſt Baptiſmum lapſos, illos deinde conſolatur, promittitque priora illa merita mercedem receptura, ſi reſurgant iterum a peccato, ut fuſe probant Suarez, & Vaſquez. Quod etiam colligitur ex Trident. *ſeſſ.* 6. *cap.* 16. ubi explicat textum Apoſtoli, & ſic habet: *Hac igitur ratione juſtificatis hominibus, ſive acceptam gratiam perpetuo conſervaverint, ſive amiſſam recuperaverint, proponenda ſunt Apoſtoli verba: abundate in omni opere bono, ſcientes, quod labor veſter non eſt inanis in Domino: non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius*: ubi Madernus ponderat illa verba: *ſive acceptam gratiam perpetuo conſervaverint, ſive amiſſam recuperaverint*; ubi ſemel amiſſa gratia recuperari dicitur.

64. Prob. ratione deducta ex eodem Concil. *ſeſſ. cit.* ſic poſita quacumque juſtificatione bona opera præcedentia recuperant jus ad præmium, & fiunt iterum meritoria; ergo & integra reviviſcunt. Ut enim opera noſtra ſint meritoria, & re ipſa præmium conſequantur, duo tantum ex Concilio requiruntur, quod facta ſint in gratia, & quod homo decedat in gratia, ut re ipſa præmium conſequatur; ſed poſita quacumque juſtificatione, opera, quæ erant mortificata, habent illa duo; ergo habent totum id, quod eſt neceſſarium ad conſecutionem vitæ æternæ; ergo fiunt meritoria, & redeunt ex integro. Quod ſi Concilium ibidem ad meritum requirat perſeverantiam in gratia uſque ad finem, non intelligit, quod homo debeat perſeverare ſemper in gratia ſine interruptione, ſed quod habeat gratiam finalem, & decedat in gratia.

65. Prob. 2. opera mortificari nihil aliud eſt, quam opera facta in charitate, & ex charitate impediri, & reddi inefficacia ad vitam æternam propter impedimentum peccati,

cati, & illa opera reviviſcere, nihil eſt aliud, quam illud impedimentum tolli, quo ablato illa opera erunt efficacia reſpectu talis hominis in ordine ad vitam æternam, ſiquidem opera illa ſecundum ſe ſemper retinuerunt eamdem vitam, & efficacitatem in divina acceptatione, totaque illorum inefficacia proveniebat ex dicto impedimento, quo illo ſublato totalia opera reviviſcunt; ſed per pœnitentiam tollitur illud impedimentum; ergo opera per peccatum mortificata, per pœnitentiam reviviſcunt.

66. Dices: peccata per pœnitentiam remiſſa non redeunt per ſubſequens peccatum; ergo nec redeunt antiqua merita per peccatum extincta, cum non ſit major ratio de meritis, ac de peccatis. Sed contra: diſparitas eſt, quia antiqua peccata per ſubſequentem pœnitentiam omnino deleta, & condonata ſunt, ideo non redeunt per relapſum; merita vero non omnino delentur, ſed tantum mortificantur, & ſuſpenduntur a jure, quod habent ad gloriam. Deinde merita habent cauſam ſuæ reviviſcentiæ, nimirum voluntatem Dei volentis illa redire, ſeu illa acceptantis ad præmium, & reſtituentis Amico omnia bona deperdita; at peccatum nullam habet cauſam ſui reditus, & per quam reponatur in rerum natura; non enim poteſt eſſe peccator, qui jam veteris illius peccati eſt oblitus, nec amplius de illo cogitat; non peccatum, quod de novo committitur, ſecus peccatum prodigalitatis, v.g., cauſaret peccatum avaritiæ; non ipſe Deus, qui peccatum jam condonavit; & ſic peccatum non poteſt redire.

67. Dices 2. Opera facta in ſtatu peccati non reviviſcunt, quia ſunt opera mortua; ſed etiam opera mortificata ſunt vere mortua: illud enim mortuum dicitur, quod vitam amiſit, quam prius habebat; ſed merita per ſubſequens peccatum vitam amittunt: ergo ſunt vere mortua, & ita ſe habent, ac ſi nunquam vitam habuiſſent, ac proinde non reviviſcunt. Conf. quia ſi merita non ſunt per peccatum penitus extincta, ſed ſolum ſuſpenſa, & impedita, ſequitur, quod in Inferno non ſunt merita extincta, ſed debeant reviviſcere, ſi damnatus rediret in gratiam, quod eſt abſurdum.

68. Reſpond. opera facta in lethali ita eſſe mortua, ut de facto non habeant, nec unquam habuerint vitam, & ideo non poſſe reviviſcere, bene tamen opera mortificata, quæ aliquando fuerunt viva, & a quibus ſpes omnis vitæ non eſt præciſa, licet de facto ſint mortua, & nullam habeant vitam; opera ergo mortua dicuntur illa, quæ nunquam habuerunt vitam, mortificata vero dicuntur, quæ habuerunt aliquando vitam; iſta reviviſcunt, non illa. Ad conf. merita per peccatum extingui, & mortua eſſe pro toto tempore, quo durat peccatum, & ſic in Inferno nulla ſunt merita, nec aliud jus ad gloriam. Si quis tamen damnatus rediret in gratiam, utique recuperaret eadem merita præcedentia; quia tamen damnatis de lege ordinaria præcluſa eſt ſpes omnis reſurgendi, ideo illorum merita dicuntur penitus extincta, exiſtentibus autem in via non eſt præcluſa ſpes vitæ, & ſic illorum merita dicuntur ſuſpenſa, non quia de facto exiſtunt, ſed quia poſſunt eſſe, ſi tollatur obex, & peccatum, per quod ſolum impediuntur reviviſcere.

D U B I U M X.

An merita reſurgant ex natura ſua, vel ex Dei miſericordia?

69. QUamvis admittant fere omnes Catholici opera meritoria per peccatum mortificata iterum reviviſcere; diſcrepant tamen in aſſignanda cauſa talis reviviſcentiæ: *an ſcilicet merita redeant ex natura rei, & ex vi juſtificationis, an vero ſit opus ſolius miſericordiæ acceptantis merita ſub ea conditione, quod dimiſſo peccato redirent?* affirmantibus aliis, & aliis negantibus, opus eſſe ſolius miſericordiæ, quos dabit Madernus *tract. 8. de Divina Gratia q. 9. art.* 14

70. Reſpond. reviviſcentia meritorum conſurgit partim ex Divina miſericordia antecedenter præſuppoſita, & partim ex natura rei. Ita Suarez, Tannerus, Granadus, & alii, quos affert, & ſequitur Madernus *loco cit.* Prob. & explicatur. Ut merita reviviſcant, in primis neceſſe eſt, ut dum Deus acceptat, & ordinat merita ad præmium, illa acceptet cum iſta conditione, ut ſi peccatum interveniat, reparari poſſint per gratiam ſupervenientem; deinde ut Deus juſtificet hominem, gratiam infundat, & condonet ei æternam pœnam, hoc utrumque eſt opus miſericordiæ, illo tamen poſito ſequitur reviviſcentia ex natura rei. Primum prob. quia gratis juſtificari hominem Scriptura docet, & omnis acceptatio bonorum operum ad aliquod præmium fit ex ſola Dei liberalitate, qui cum poſſit pluribus titulis opera noſtra exigere, tamen vult illis promittere præmium; poterat ergo ſolum promittere præmium, ſi conſervarentur in ſtatu gratiæ, & non ſi interveniret peccatum: quod ergo illa de facto acceptet ad præmium etiam poſt peccatum, illo tamen ablato, eſt opus liberalitatis, & miſericordiæ, & ſic reviviſcentia præſupponit antecedentem aliquam Dei miſericordiam.

71. Hinc probatur ſecunda pars, quia merita reviviſcere non eſt aliud, quam opera prius facta habere jus ad gloriam, quod habebant prius ante peccatum; ſed poſita juſtificatione merita ex natura rei habent jus ad gloriam, quia ſunt poſita in ſtatu, in quo erant ante peccatum, ſicut opera hominis juſti, & filii adoptivi; ergo habent idem jus ad gloriam, quod habebant prius, & ſic reviviſcunt ex natura rei. Deinde illud ſequitur ex natura rei remiſſo peccato, quod connaturaliter ſequitur ex infuſione gratiæ; ſed hæc reviviſcentia ſequitur connaturaliter ex infuſione gratiæ, quia illa poſita tota æterna pœna condonatur, quæ non condonaretur, ſi non redirent merita, ſiquidem homo in æternum careret gloria correſpondente illis meritis, quæ carentia eſt pœna damni; ergo non condonaretur tota æterna pœna, ſi merita non redirent, & ſic ex natura juſtificationis ſequitur, quod merita redeant, & reviviſcant.

72. Dices: ſi poſita juſtificatione merita reſurgerent ex natura rei, Deus non poſſet impedire talem reviviſcentiam, cum non poſſit deſtruere naturas rerum, & licet poſſet negare præmium illis operibus, non tamen facere, quod illa non ſit meritoria; ſed hoc eſt abſurdum: ergo non reviviſcunt merita ex natura rei. Deinde, tota reviviſcentia fundatur in voluntate Dei ſic acceptantis merita, ut ſi mortificentur per peccatum, illa tamen reſtituat, deleto peccato: ſed hoc eſt opus ſolius miſericordiæ, & ſic ex ſola miſericordia reviviſcunt. Sed contra reſp. reviviſcentiam meritorum non poſſe impediri a Deo, ex ſuppoſitione, quod merita abſolute acceptaverit, poſſe tamen impediri antecedenter, ideſt illa non acceptando; nam reviviſcentia ſupponit miſericordiam divinæ acceptationis: ſicut enim Deus potuit nullo modo acceptare opus meritorium ad præmium; ita potuit acceptare cum hac conditione, quod nullum interveniat peccatum, in quo caſu interveniente peccato, merita amplius non redirent; poſito autem, quod abſolute acceptaverit, non poteſt amplius illorum reditum impedire. Fateor totam reviviſcentiam fundari in divina acceptatione antecedenti; illa tamen poſita, ſequitur reviviſcentia ad poſitionem juſtificationis: opera enim illa ſunt condigna, & proportionata præmio, & hanc retinent poſt reſtitutionem.

73. Dices: ad Hebræor. 6. habetur: *Non enim eſt injuſtus Deus, ut obliviſcatur, &c.*; ergo cum merita mortificata non fuerint a Deo præmiata, ex juſtitia eis debetur præmium; ubi autem eſt juſtitia, non intercedit miſericordia. Sed contra dico, opera mortificata reviviſcere, & præmiari ex juſtitia, ſuppoſita miſericordia Dei antecedente, acceptante opera illa ad præmium, etiam poſt peccatum.

D U B I U M XI.

An per Pœnitentiam reſurgat homo ad majorem Gratiam?

74. REſtat difficultas in aſſignanda quantitate reviviſcentiæ: *an ſcilicet dum quis poſt peccatum convertitur, & juſtificatur, merita totaliter redeant ex integro, vel ſolum partialiter?* Quod dupliciter intelligi, & explicari poteſt: *an nimirum juſtificato detur gratia duplex*: altera, quæ correſpondeat novæ Contritioni, & diſpoſitioni, quam habet, & altera, quæ correſpondeat meritis præcedentibus, vel ſolum unica gratia detur duplici titulo, & propter Contritionem, & propter merita præcedentia. Poſito autem, quod detur duplex gratia, poſtea quæritur: *an illa, quæ eſt debita meritis præcedentibus ſemper ex integro redeat, vel ſolum juxta menſuram præſentis Contritionis, & diſpoſitionis, adeo ut in majori, vel minori copia redeat, prout quis per ferventiorem, aut remiſſiorem actum convertitur.*

75. Reſp. In juſtificatione peccatoris præter gratiam, quæ correſpondet Contritioni, datur etiam gratia tota, quæ habebatur ante peccatum, & ſic ſemper in quacumque vera juſtificatione, ſive fiat per diſpoſitionem intenſam, ſive remiſſam redeunt merita ex integro, quoad totum ſuum valorem. Ita magis communiter Doctores contra Bannem, & paucos alios, qui docent, merita quidem reſurgere, non quod detur major gratia, quam ſi merita nulla fuiſſent, ſed quod eadem gratia, quæ in nova juſtificatione infunditur, detur duplici titulo, ſcilicet propter merita priora, & propter præſentem diſpoſitionem. Quod tamen impugnatur magis communiter, quia non ſalvantur Scripturæ allatæ ſupra *dubio* 9. quia Deus non redderet peccatori annos integros, quos locuſta, & bruchus comederunt, ut habetur *Joel.* 2.; peccatum noceret, etiam peracta pœnitentia, quia privaret illum parte aliqua gratiæ, & gloriæ, contra illud Ezechielis, & nugatoria redditur reviviſcentia meritorum, cum illa nullam omnino afferret utilitatem, & ſic vere, & realiter amittuntur merita illa omnia, cum tota gratia, quæ longo labore acquiſita erant, cum majus non reportent præmium: reviviſcere enim merita nihil aliud eſt, quam recuperari bona deperdita: ſed illa non recuperantur, ſi nihil habet homo eorum, quæ habebat prius: ergo merita illa deperduntur, & non reviviſcunt.

76. Dices: priora merita reviviſcere cum præſenti diſpo-

ſitio-

Digitized by Google

ſitione in ordine ad idem præmium, quod datur duplici titulo. Sed contra: reviviſcere merita, eſt illa redire in eum ſtatum, quem habebant ante peccatum; ſed ante peccatum merebamur præmium diverſum a præſenti diſpoſitione; ergo etiam nunc debent illud idem habere, quod habebant prius, ideſt diverſum. Secus contingere poſſet, ut quis plus laboraret, & majora haberet merita, minus reciperet; ſi quis v.g. longiſſime vivat in jejuniis, & pœnitentiis, ſemper augendo merita per actus intenſiſſimos, & paullo ante mortem incidat in lethale, a quo etiam reſurgat cum diſpoſitione, & Contritione ut unum, iſte utique reciperet ſolum gratiam, ut unum ſibi datam intuitu præſentis diſpoſitionis, & meritorum præcedentium, & ſi ſtatim moriatur, ſolum habebit gloriam ut unum. Econverſa vero, ſi quis diutiſſime vixiſſet in ſceleribus, nihil unquam boni agendo, & paullo ante mortem pœniteat cum actu Contritionis ut octo, iſte reciperet octo gradus gratiæ, & gloriæ, per conſequens multo majus præmium, quam alter, qui toto tempore vitæ meritum auxerat, quod eſt terrere Fideles a bonis operibus præſtandis: ergo debent merita ex integro reviviſcere ſecundum totum valorem, quem habebant ante peccatum, & recipere præmium diſtinctum a præſenti diſpoſitione.

77. Eodem modo probatur, gratiam debitam meritis præcedentibus non redire ſolum juxta menſuram præſentis diſpoſitionis, & Contritionis, ſed totam ex integro per quamvis minimam Contritionem homo reſurgat, quia ſecus non remitteretur tota pœna æterna, ſi non reſtituitur tota gratia deperdita per peccatum; dimidiata ſolum erit reviviſcentia, ſi dimidiata tantum gratia redditur; Deus non redderet peccatori converſo omnes annos integros, & peccata adhuc nocerent poſt penitentiam, & alia abſurda, quæ ſupra inferebamus.

78. Ratio a priori, cur debeat ex integro reddi gratia deperdita, non vero ſecundum menſuram præſentis diſpoſitionis eſt, quia præſens diſpoſitio, & Contritio non eſt cauſa hujus gratiæ, non ſolum datur propter merita præcedentia, ſed eſt pura conditio, & removens impedimentum peccati, quod quamdiu præſens eſt impedit, quo minus merita effectum aliquem vitæ habeant; cum ergo impedimentum hoc tollatur per quamcumque etiam minimam Contritionem, ita per quamcumque etiam minimam Contritionem merita omnia reviviſcunt ex integro, & gratia deperdita redditur ex integro ſecundum merita præcedentia, non vero ſecundum menſuram præſentis Contritionis, quæ ſe habet, ut pura conditio. Et hinc ſequitur, hominem, qui poſt peccatum mortale juſtificatur, reſurgere ſemper ad majorem gratiam, quam unquam habuerit, quia nimirum recipit totam gratiam deperditam, & debitam meritis præcedentibus, & inſuper recipit novam gratiam proportionatam ſuæ Contritioni, & inde etiam recepturus eſt majus præmium eſſentiale, quam habuiſſet ante peccatum, nam habebit premium correſpondens Contritioni, & præterea integrum præmium correſpondens prioribus meritis.

79. Ne tamen inde inferas melius eſſe peccare, & reſurgere, quam conſervari in gratia, quia priori modo gratia magis augetur. Reſp. enim negando ſequelam, quia peccatum non eſt eligibile, nec per ſe confert ad augmentum gratiæ, ſed per accidens ex actu Contritionis, quo reſurgit; qui autem eſt in gratia poteſt ſemper creſcere, illamque augere per bona opera, & per actus Charitatis, aliarumque virtutum. Hanc ſententiam tenet Madernus *q.* 9. *art.* 12. Lugus *de pœnit. diſp.* 11. *ſect.* 2. Filliuccius *tract.* 6. *de pœnit. c.* 6. *n.* 157. Bonacina *q.* 6. *ſect.* 4 *punct.* 2.

80. Dices: ex Trident. *ſeſſ.* 6. *cap.* 7. habetur, juſtificato gratiam infundi juxta propriam ipſius diſpoſitionem, & cooperationem, ergo non recuperatur gratia, niſi ſecundum menſuram Contritionis, quæ eſt diſpoſitio, ſine qua non recuperaretur, ac proinde ſi Contritio ſit remiſſa non reſtituitur tota prior gratia, quæ erat intenſa; & conf. a paritate Sacramentorum, quæ non reviviſcunt, niſi ſecundum menſuram diſpoſitionis præſentis; ergo idem dici debet de gratia, quæ reviviſcit ex opere operantis; omnium per Contritionem, & pœnitentiam reſurgentis.

81. Reſp. gratiam non produci in ſubjecto, niſi ſecundum menſuram diſpoſitionis, & cooperationis, quando talis diſpoſitio ſe habet, ut cauſa, & intuitu illius tribuitur gratia: ſecus ſi diſpoſitio ſe habeat pure, ut conditio removens impedimentum, in noſtro caſu actus Contritionis, quo quis reſurgit a peccato, diſponit quidem ad novam gratiam, quam Deus juxta menſuram diſpoſitionis tribuit. Non autem eſt diſpoſitio ad præcedentem gratiam, ſed ſe habet ſolum ut conditio removens impedimentum, ſcilicet peccatum, & indignitatem a ſubjecto, quo ablato gratia prima confertur propter antiqua merita, non propter præſentem diſpoſitionem, a qua proinde non debet menſurari, ſed bene tamen a meritis præcedentibus, quæ ſunt illius cauſa per ſe. Ad Conf. nego paritatem Sacramenti reviviſcentis, & meriti, quia dum Sacramentum reviviſcit, diſpoſitio illa præſens eſt diſpoſitio Sacramenti, quod nihil adhuc operatum eſt, & de ſe eſt magis vel minus operativum, per conſequens operatur ſecundum præſentem diſpoſitionem, a qua determinatur ad operandum; meritum autem habuit prius totam ſuam activitatem, nec pendet a præſenti diſpoſitione, niſi tanquam a conditione removente impedimentum.

82. Dices: reſtitutio meritorum, & gratiæ pendet a juſtificatione; ſed juſtificatio pendet a diſpoſitionibus: ergo etiam reſtitutio meritorum, & gratiæ pendet a diſpoſitionibus, ac proinde juxta menſuram diſpoſitionis debet illa tribui. Sed contra dico, reſtitutionem meritorum, & gratiæ pendere a juſtificatione, quatenus ſupponere debet expulſionem peccati impedientis reviviſcentiam; cum autem juſtificatio quælibet etiam minima ſit ſufficiens ad expellendum peccatum; ita juſtificatio quælibet etiam minima eſt ſufficiens, ut ex integro reviviſcant priora merita, & gratia tota reſtituatur.

83 Dices: habitus non poteſt intendi, niſi ſecundum latitudinem intentionis actus; non enim habitus ut octo produci poteſt per actum ut duo; ſed ſi per Contritionem gradus omnes gratiæ deperditi reſtituerentur, ſequeretur gratiam ut octo produci per Contritionem ut duo: ergo non reſtituuntur omnes. Sed contra inprimis dico, habitus ſupernaturales intendi etiam per actus remiſſiores, deinde dico, Contritionem non eſſe cauſam illius gratiæ, quæ reſpondet meritis recuperatis, ſed tantum removere prohibens, ut ſæpius dixi.

84. Inſt. ſaltem gratia, quæ fuit acquiſita dependenter a Sacramentis, non debet reſtitui, quia illa non dependet a meritis. Sed contra dico, gratiam Sacramentalem reſtitui totam partim ex miſericordia, partim ex meritis Chriſti: ſicut enim gratia ex opere operantis acquiſita redditur ex miſericordia, partim ex ipſa ratione meriti hominis; ſic gratia Sacramentalis redditur ex meritis Chriſti, & Dei miſericordia, quia ſicut primo data fuit intuitu meritorum Chriſti, ita intuitu eorumdem reviviſcit ſuppoſita antecedenti miſericordia. Et quidem gratiam Sacramentalem debere & ipſam reviviſcere ex integro, ſuadetur iiſdem rationibus ſupra aſſignatis, quia ſecus colpa remiſſa maximum adhuc nocumentum inferret, ſubjiceret hominem perpetuæ, & æternæ pœnæ, amiſſioni tantæ gratiæ, & gloriæ; qua propter gratiam etiam Sacramentalem reviviſcere ex integro docent Averſa *qu.* 6. *ſect.* 9. Lugus *diſp.* 11. *ſect.* 3. Coninch *diſp.* 2. *de pœnit. dub.* 20. *concl.* 3. & alii communiter.

85. Dices: non eſt neceſſe, quod in nova juſtificatione conferatur duplex gratia, ſed ſufficit, quod conferatur una duplici titulo, ſcilicet propter merita antiqua, & propter præſentem diſpoſitionem, quia etiam in humanis honorificum eſt accipere præmium aliquod pluribus titulis: v. g. coronam eamdem ob triplicem victoriam. Sed contra dico, in humanis eſſe honorificum accipere præmium pluribus titulis, quando præmium, quod datur, eſt honor, non vero ſi eſt aliquod utile, ut contingit in noſtro caſu, ubi præmium, quod propter bona opera datur, non eſt ſolum honor, ſed gratia, & gloria æterna, quæ non augetur a titulis: vel etiam præmium datum pluribus titulis eſt honorificentius, ſed non eſt in ſe majus; gratia autem, cum ſit merces, debet duplex tribui.

86. Dices: Sancti Patres, relati a Gratiano *de penitentia diſt.* 20. ſæpe aſſerunt, eſſe difficile poſt penitentiam reverti ad priſtinum gratiæ ſtatum, quem habebat homo ante peccatum, & conſtat experientia, eum, qui tepide reſurgit, non ſentire in ſe fervorem antiquum; ergo quia gratia non redit ex integro, ſed juxta menſuram diſpoſitionis, & Contritionis. Sed contra dico, Patres illos, citatos a Gratiano non loqui de dignitate hominis juſtificati apud Deum, ſed ſolum de gradu Eccleſiaſtico, in quo non expedit reſtitui ſemper hominem lapſum, præſertim in peccata gravia, & cum ſcandalo, vel hominem non reſtitui ad eumdem gradum familiaritatis, & devotionis ſenſibilis, niſi per magnum dolorem, & plura opera bona præteritos lapſus reparet; & hac de cauſa evenit, tepide reſurgentem non ſentire in ſe fervorem antiquum, quamvis recuperet totam gratiam præcedentem.

S E-

SERIES BULLARUM
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
BENEDICTI XIV.

Quibus confirmantur pleraque ex iis, quæ in hoc Volumine continentur.

DE BAPTISMO.

BULLA PRIMA.

De Sacramento Baptiſmi, Pueris baptizatis, Rituſque in Baptiſmate ſuſcepti mutatione.

Extat hæc Bulla in Tom. I. num. LVII. data vero fuit ſub die 2. Julii anni 1742. Pontificatus vero anno II.

PRESBYTERI Græci Baptizatos Chriſmate in fronte non conſignent; & ideo ab ipſis in ordine Baptiſmi apud eorum Euchologium prætermittantur, quæ ſequuntur poſt illa verba: καὶ μετὰ τὴν εὐχὴν &c. uſque ibi: εἶτα ποιεῖ ὁ ἱερεὺς σχῆμα κυκλῶ: hoc eſt *& poſt Orationem &c.* ubi habetur forma hujus conſignationis, uſque ad illa; *Poſtea facit Sacerdos figuram circuli &c.*

2. Cum Presbyteris Græcis in Euchologio hæc Baptiſmi forma præſcribatur: *Baptizetur Servus Dei N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quæ latinæ formæ: *Ego te baptizo in nomine &c.* æquivalet: trinaque aquæ immerſione, ſeu aſperſione in eo conferendo utantur, non ſunt his ſuper rebus a Latinis Locorum Ordinariis inquietandi.

3. Etſi Græcis in Regno Cypri commorantibus Innocentius IV. Prædeceſſor Noſter olim injunxerit, ut in unctionibus, quæ circa Baptiſma fiunt, morem Eccleſiæ Romanæ teneant, & obſervent; ſi tamen Presbyteri Albanenſes ritum ungendi pectus, & dorſi medium, aures, pedes, atque manus in Euchologio deſcriptum ſervare voluerint, ubi non eſt contra conſuetudo, non ſunt impediendi.

4. Ritus autem, ſeu conſuetudo, quam habere dicuntur Græci Orientales, ungendi per totum Baptizandorum corpora, ſi alicubi tolli, vel removeri ſine ſcandalo non poteſt, cum ſive fiat, ſive non, quantum ad Baptiſmi efficaciam, vel effectum non multum referat, in iiſdem toleretur.

5. Nec refert etiam, utrum frigida, vel calida aqua baptizent, cum in utraque Baptiſmum habere parem vim, atque effectum affirmare, & tenere dicantur.

6. Si in eadem Eccleſia Infantes utriuſque Ritus baptizentur, Græcus Parochus ſubditis ſuis aqua, per ipſum Græco more benedicta, rite Baptiſmum confert; ac propterea moleſtandus non eſt, ſi non utatur aqua baptiſmali, quæ a Parochis Latinis juxta morem Romanæ Eccleſiæ adhibetur. Curent tamen Ordinarii, ut adſit aqua baptiſmalis latine conſecrata, quam omnino (præter caſum urgentis neceſſitatis) Sacerdos Latinus adhibeat, quoties ei occurrerit latinos pueros ad Baptiſmum excipere.

7. Cum adminiſtratio Sacramenti Euchariſtiæ, quod ſub una, vel ſub utraque ſpecie Infantibus in Baptiſmo, & Pueris in Miſſa ſolent Græci exhibere, nihil contra Orthodoxam Fidem, bonoſque mores contineat (dummodo iidem Græci credant, firmiterque teneant, Communionem hujuſmodi non eſſe neceſſariam ad ſalutem, & Baptiſmum ſine Communione valide, ac licite poſſe miniſtrari); quia tamen ad decentiam, & reverentiam Sacramenti magis expedit, ſi illud eiſdem denegetur; propterea ne Græci, vel Albanenſes Græci Ritus Euchariſtiæ Sacramentum ſub una, vel ſub utraque ſpecie Infantibus rationis uſu carentibus in Baptiſmo, nec Pueris in Miſſa miniſtrent, interdicimus, ac prohibemus.

8. Infantes nati ex Patre, & Matre Græcis, ritu Græco, niſi aliter Parentes, accedente Ordinarii conſenſu, voluerint, baptizari debent.

9. Nati vero ex Patre Latino, & Matre Græca, Latinis ſunt Cæremoniis baptizandi; proles enim ſequi omnino debet Patris ritum, ſi ſit Latinus.

10. Si vero Pater ſit Græcus, & Mater Latina, liberum erit eidem Patri, ut Proles, vel ritu Græco baptizetur, vel etiam ritu Latino, ſi Uxor Latina prævaluerit; ideſt, ſi in gratiam Uxoris Latinæ conſenſerit Græcus Pater, ut Latino Ritu baptizetur.

11. Infantes ad ejus Parochi juriſdictionem pertinent, cujus ritu ſunt baptizati, cum per Baptiſmum fiat ſuſcepti ritus Græci, vel Latini profeſſio; ita ut Latinum ritum ſpectent, qui latinis cæremoniis baptizati fuerint, qui vero ritu Græco Sacramentum Baptiſmi ſuſceperint, in Græcorum numero ſunt habendi; adeoque ſi ante uſum rationis deceſſerint, a proprio, cujus ritu baptizati ſunt, Parocho, & in propria Parochia ſunt jure communi ſepeliendi, niſi iis Baptiſmus collatus fuerit vel ob gravem neceſſitatem, cum nimirum morti proximi fuerint, nec haberi potuerit proprii Parochi, vel ritus copia, vel ex diſpenſatione Apoſtolica, cum videlicet facultas data fuerit, ut latine quidem baptizentur, ſed in ſuo ritu græco permaneant; in iis enim caſibus non cenſentur a proprio ad alium ritum tranſiiſſe. Poſt uſum autem rationis idem dicendum, niſi quis in alieni ritus Eccleſia ſepeliri cupiat; ſi quis enim Græco ritu baptizatus, in Latina Eccleſia, vel latine Baptiſmate initiatus, in Eccleſia Græca ſepulturam eligat, juris regulæ ſunt ſervandæ; nimirum cadaver extra propriam Parochiam a proprio Parocho eſſe aſſociandum, quarta funerali ei minime imminuta, & ubi tumulandum eſt cadaver; ibi a Parocho illius Eccleſiæ, ſive Latinæ, ſive Græcæ, ſunt Exequiæ celebrandæ.

12. Quando vero Infantibus prædictis, ſeu etiam Adultis Exequiæ ritu Græco, & in Eccleſia Græca, ut præfertur, jure communi, ſunt celebrandæ; tunc nullum jus habet Latinus Parochus intereſſendi cum Græco Parocho, nec partem aliquam Stolæ percipiendi: ſimiliter nullum jus competit Parocho Græco, quando Exequiæ in Eccleſia Latina, & per Latinum Parochum ſunt peragendæ, ſed ſervanda ſunt utrobique ſtatuta de juribus Parochorum circa ſepulturam eorum, qui ad propriam Parochiam ſpectant.

13. Quem ritum ſemel in Baptiſmo ſunt profeſſi, ſive Latinum, ſive Græcum, in eo inſtitui, & educari debent, nec ad alium poſſunt tranſire, ſi Latinum ſemel ſuſceperint; ritus enim Latinus propter ſuam præſtantiam, eo quod ſit ritus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, omnium Eccleſiarum Matris, & Magiſtræ, ſic ſupra Græcum ritum prævalet, maxime in Italicis Regionibus, ubi Latinis Epiſcopis Græci ſubjecti ſunt, ut non modo ab ipſo ad Græcum tranſitus nullatenus permittatur, verum etiam a Græcis ſemel aſſumptus, abſque Apoſtolica diſpenſatione deſeri nequeat.

14. Quod ſi Infans Græcum ritum in Baptiſmate ſuſceperit, tunc requirendus eſt primum Patris Græci conſenſus, deinde Epiſcopi Latini licentia, ut poſſit Mater Latina filium ſuum græce baptizatum ad latinas cæremonias traducere. Adultis autem, ſi quidem ſunt Eccleſiaſtici, in quocumque Ordine Minori, vel etiam Majori conſtituti, Sæculares, vel Regulares, a ritu Græco ad Latinum ſine expreſſa Sedis Apoſtolicæ licentia tranſire non liceat; ſi Laici, ut ad ritum Latinum tranſire poſſint, Epiſcopus Diœceſanus pro ſua prudentia permittere valeat; non tamen Communitati Græcorum, ſive Albanenſium hujuſmodi ſine Sedis Apoſtolicæ licentia, ſed ſolum privatis perſonis, attenta uniuſcujuſque neceſſitate.

BULLA SECUNDA.

De Ritibus Græcorum Melchitarum Patriarchatus Antiocheni, &c.

Extat in Tom. I. num. 87. & publicata anno 1743. die 24. Decembris, Pontificatus IV. in qua §. 16. hæc leguntur.

16. DE iis autem, quos Latinizantes appellant, qui a Græcis Parentibus progeniti, deficientibus Græcis Sacerdotibus, Latino ritu a Latinis ad hunc diem baptizati fuerunt, eumque ritum hactenus tenuerunt, quorum magnus numerus Damaſci inveniri perhibetur, neque ſatis huc uſque definitum fuit, cui potiſſimum ritui addicti eſſe deberent: ſtatuimus, & declaramus, ut coram Perſona a Nobis deputanda ſemel profiteri debeant, in

in quo ritu vivere malint; in eoque in poſterum, omni variandi facultate adempta, perſeverare teneantur.

17. Filii vero, qui ab hujuſmodi Parentibus poſt emiſſam ab illis prædictam declarationem naſcentur; necnon ii, qui jam nati ſunt, ſed nondum ad uſum rationis pervenerunt, ſequantur conditionem Parentum, ſi Conjuges unum, eumdemque ritum elęgerint; ſin minus, Patris ritum ſequantur.

18. Cæterum ſi quos in poſterum Græcos, neceſſitate cogente, ob defectum Parochi Catholici ritus Græci Baptiſmum, aut alia Sacramenta a Latino Presbytero recipere eveniat, illi non ideo cenſendi erunt Latinum ritum ſuſcepiſſe; ſed omni dubitatione ſublata, ritum Græcum, in quo orti ſunt, obſervare teneantur. Et eum quidem, durante prædicta neceſſitate, in omnibus rebus, quibus poſſunt, & præcipue in jejuniorum obſervatione, retineant; in reliquis vero integre reſumant, & proſequantur, ſtatim ac Epiſcopus, aut Parochus Græcus ſupervenerit &c.

BULLA TERTIA.

Decreta ſuper pluribus diſciplinæ capitibus pro Incolis Regni Serviæ, & finitimarum Regionum.

Extat hæc Bulla in Tom. I. Bullarii num. 89. data vero fuit die 2. Februarii ann. 1744. & Pontificatus anno IV.

7. ARcendæ pariter a Sacramentis Eccleſiæ ſunt illæ Mulieres, quæ nuptiarum nomine in Turcarum contubernium admiſſæ, celantes Chriſtianæ Religionis profeſſionem, ibi vitam agunt ab omni Religionis exercitio remotam; eiſque a Paſtoribus denuntiandum eſt, ne ſalutis æternæ fiduciam collocent in ea fide, quam ſine operibus mortuam in corde tantum utiliter conſervare poſſe ſibi perſuadent.

8. Iſtarum vero filios, quos Parochis baptizandos exhibent, uti eorum vitæ periculum imminere videatur, Sacro Lavacro abluere prædicti Parochi minime dubitent; admonitis matribus, ut, ſi convaluerint, ipſos in Chriſtiana Religione educare ſedulo curent. De iis vero, qui validam, ac vivacem corporis conſtitutionem præſeferunt, & nullo ſuperſtitioſo fine, ſed unico ſalutis obtinendæ voto, ad Baptiſmum a ſupradictis Matribus offeruntur, quoniam impoſſibile eſt, ſingulas rerum circumſtantias expendere, quæ ſuadere poſſunt, vel eos in Evangelicæ Legis, & Fidei cultu perſeveraturos, vel Chriſtiana educatione ab hujuſmodi Matribus fraudatos; Mahumetani Patris impietatem ſequuturos eſſe perpenſis etiam infantilis ætatis periculis, ob quæ tertiam plerumque hominum partem ante completum decennium extingui ferunt, nihil expreſſe jubendum cenſemus, Eccleſiæque Miniſtros duntaxat hortamur, ut invocato cum gemitibus lumine Spiritus Sancti, juxte illius ductum, & prudentiæ ſuę dictamina ſe gerant. Quod ſi eos ad Baptiſmum admitti poſſe crediderint, ne omittant Matribus inculcare diſtrictam obligationem, qua tenentur, hujuſmodi Eccleſię filiis, ſi ad rationis uſum pervenerint, notam facere veritatem Dei, eoſque in diſciplina, & correptione Domini educare &c.

BULLA QUARTA.

De Baptiſmo Judæorum, ſive Infantium, ſive Adultorum.

Extat hęc Bulla in Tomo II. num. XXVIII. data ſub die 28. Februarii an. 1747. Pontificatus vero Anno VII.

Venerabili Fratri Archiepiſcopo Tarſen. Viceſgerenti &c.

1. POſtremo menſe ſuperioris anni cum de more ad Nos acceſſiſſes, retuliſſeſque, Antoninum quemdam Vivianum in Hebręorum vico, demum Perlę Miſani Hebræę ingreſſum eſſe, ibique cum tres ejus Filias, quibuſcum puer duntaxat aderat, earum Frater, annos natus duodecim, inveniſſet; eam, quę nonum agebat, Baptiſmate abluiſſe, Sacramenti verbis rite eodem tempore pronuntiatis, quo caput aqua luſtravit, idemque deinceps cum reliquis duabus Sororibus primę adhuc ętatulę peregiſſe, marem autem non baptizaſſe, quod aquam ſibi deeſſe viderit. Tunc Nobis quoque ſignificaviſti, quid ad mulctandam Viviani audaciam ſtatueras, quidque de puellis Sacro Baptiſmate initiatis ſtatuere in animo habebas: id porro a Nobis omnino probatum fuit.

2. Sed quoniam facta hujuſmodi frequenter Romę, & alibi audiuntur; quotieſcumque vero id accidit, mulię hinc ſtatim opiniones, maximeque diverſę, perinde quaſi tunc id primo evenerit, excitantur, quod ſane inde oritur, quia bene multi temere obloquuntur, cum hac de re ſcriptos neque expenderint libros, neque noverint; alii vero, qui Scriptores legerunt, cum eoſdem non ſemel videant ſibi invicem adverſantes, non ſatis ingenii, & facultatis habent ad judicandum quis eorum prudenter ſenſerit, quis vero ſecus; alii demum aut nunquam Tribunalium judicata cognoverunt, aut eorum certe non reminiſcuntur; ideo operæ pretium exiſtimavimus epiſtolam hanc ſcribere, eamdemque typis impreſſam in lucem edere, quę ſi tibi uſui non erit, quia probe jam noſtri omnia, quę hic continentur, non parum opinor iis fortaſſe proderit, qui in eodem Viceſgerentis munere tibi ſuccedent, vel aliis extra Romam degentibus, ad quos pertinet, quemadmodum ad Viceſgerentem Romę ſpectat, hujuſmodi caſibus providere, aut non omnino diverſis, aut huic plane ſimilibus, qui noviſſime in Urbe accidit, quique, ut vulgo dicitur, *dat cauſam Edicto.*

3. Atque ut omnis, quoad fieri poteſt, confuſio evitetur, materiam duximus in duas partes diſtribuendam. In prima enim de Hebręorum infantium: in ſecunda de Adultorum Baptiſmate diſſeremus. Prima autem pars multifariam dividitur; primo enim expendetur, utrum invitis Parentibus, ac reluctantibus, Hebręi infantes baptizari licite poſſint: ſecundo, ſi hoc nefas eſſe dixerimus, an caſus unquam contingat aliquis, in quo id fieri non modo poſſit, ſed etiam liceat, plenaque deceat: tertio, Baptiſmum Hebręis infantibus tunc impertitum, cum fas non ſit, ratum ne, an vero irritum haberi debeat: quarto, quid ſit faciendum, quum infantes Hebręi afferuntur, ut baptizentur, aut compertum ſit, eos jam fuiſſe Sacro Baptiſmate initiatos: demum quomodo probari poſſit, eoſdem aquis ſalutaribus jam luſtratos fuiſſe.

4. De primo primę partis capite ſi ſermo ſit, utrum nempe diſſentientibus Parentibus hebręi infantes baptizari poſſint, aperte aſſerimus; hoc jam a Sancto Thoma tribus in locis definitum fuiſſe, nempe in *quodlibet* 2. *artic.* 7. *in* 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 12., ubi ad examen revocans quæſtionem in quodlibetis propoſitam: *Utrum pueri Judæorum, & aliorum Infidelium ſint, invitis Parentibus, baptizandi,* ita reſpondet: *Reſpondeo dicendum, quod maximam habet auctoritatem Eccleſiæ conſuetudo, quæ ſemper eſt in omnibus æmulanda &c. Hæc autem Eccleſiæ uſus nunquam habuit, quod Judæorum filii, invitis Parentibus, baptizarentur, quamvis fuerint retroactis temporibus multi Catholici Principes potentiſſimi, ut Conſtantinus, Theodoſius, quibus familiares fuerunt Sanctiſſimi Epiſcopi, ut Sylveſter Conſtantino, & Ambroſius Theodoſio, qui nullo modo prætermiſiſſent ab eis impetrare, ſi hoc eſſet conſonum rationi, & ideo periculoſum videtur, hanc aſſertionem de novo inducere, ut præter conſuetudinem hactenus in Eccleſia obſervatam, Judæorum filii, invitis Parentibus, baptizarentur.* Tranſitum deinde facit Doctor Angelicus ad exponendas rationes, atque ita ait *in* 3. *p. quæſt.* 68. *art.* 10. *Reſpondeo dicendum, quod pueri Infidelium filii aut habent uſum rationis, aut non habent &c. Si nondum habent uſum liberi arbitrii, ſecundum jus naturale ſunt ſub cura Parentum, quamdiu ipſi ſibi providere non poſſunt: unde etiam & de pueris antiquorum dicitur, quod ſalvabantur in fide Parentum, & ideo contra juſtitiam naturalem eſſet, ſi tales pueri, invitis Parentibus, baptizarentur, ſicut etiam ſi aliquis habens uſum rationis baptizaretur invitus. Eſſet etiam periculoſum taliter filios Infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem redirent, propter naturalem affectum ad Parentes, & ideo non habet hoc Eccleſiæ conſuetudo, quod filii Infidelium, invitis Parentibus, baptizentur.*

5. Scotus *in quarto ſententiarum diſtinct.* 4. *quæſt.* 9. *numer.* 2. & *in quæſtionibus relatis ad quæſt.* 1. cenſuit, laudabiliter poſſe Principem imperare, ut, invitis etiam Parentibus, Hebræorum, atque Infidelium infantuli baptizentur, dummodo id potiſſimum prudenter caveatur, ne iidem Infantes a Parentibus occidantur. Habet ſectatores hæc ſententia ſuos non ſolum in Scholis, verum etiam apud Auctores recentiores in ſæcularibus negotiis apprime verſatos, quos inter recenſendus eſt *Layoſa in notis ad Concilium decimumſeptimum Toletanum pag.* 761. *tom.* 2. *collect. Concil. Hiſpan. clar. mem. Cardinalis Aguirre.* Prævaluit tamen in Tribunalibus S. Thomæ Sententia, ut teſtatur Cardinalis Albizi *de inconſtantia in Fide cap.* 11. *num.* 32., atque inter Theologos, Canonumque peritos vulgatior eſt, quorum nomina recenſentur a Cardinali Santorio in Rituali Sacramentorum, ut videre licet *pag.* 209. *& ſeqq.*, in quo Rituali complures viri doctrina illuſtres multum laboris, atque operæ inſumpſerunt, quos inter Cardinalis Bellarminus.

6. Ut colligi poteſt ex nuper allatis S. Thomæ verbis, ſententiæ ipſe ſuæ præcipuum ſtatuit in Eccleſiæ conſuetudine fundamentum. Quod ſi, ad graviſſimi hujus argumenti vim labefactandam, Matathiæ, aliorumque exemplum proponeretur, qui nimirum, ut legitur *in lib.* 1. *Machabæorum cap.* 2. *Circumciderunt pueros incircumciſos, quotquot invenerunt in finibus Iſrael;* quod quidem invitis eorum Parentibus evenit: reſpondet Liranus; ſolos Hebræorum filios circumciſos fuiſſe, cujus ſententiam ſequutus eſt Verhoſt *de lib. Machabæorum pag.* 88. Concedit Sotus in Hebræorum filios hoc geſtum eſſe, sed ulterius procedens addit, quod ſi hoc pariter in Ethnicorum liberos factum eſſet, Matathias erraviſſet. Scriptoris hæc ſunt verba

in 4.

in 4. ſent. diſt. 5. quæſt. unic. art. 10. §. Quod ſi hiſtoriam: Reſpondetur, eos, qui Judæis Parentibus erant pregnati, jure poterat vi circumcidero; ſi quos autem inter eos circumcidit Gentilium, fecit zelo fidei, ſed tamen non ſecundum ſcientiam. At enimvero cum in Divinis Litteris nulla occurrat diſtinctio inter Hebræorum, & Infidelium filios, illa ſane reſponſio videtur certior, ac probabilior, Matathiam nempe, quotquot invenit pueros circumcidiſſe; cumque idem vir eſſet virtute egregius, & ſanctitate clarus, id jure geſſiſſe optimo, cum illi infantes lege belli captivi eſſent ſui, quos propterea merito quidem, vel invitis Parentibus circumcidi juſſit, quemadmodum multa cum laude Chriſtiani ſolent Turcarum filios in bello captos ſacroſancto Baptiſmate initiare. Sapienter ita diſſerit Suarez *in 3. parte S. Thomæ tom. 3. quæſt. 68. artic.* 10. *diſput.* 25. *ſeſſ.* 4. §. *Secundo eſt certum*. Cornelius a Lapide *lib.* 1. *Macab. cap.* 2. *verſ.* 46.

7. Hoc igitur poſito, quod nefas ſit Hebræorum infantes, reluctante Parentum arbitrio, baptizare, nunc juxta ordinem initio propoſitum deſcendere jam oportet ad alteram partem; an videlicet contingere unquam poſſit occaſio aliqua, in qua id liceat, & conveniat. Ex hisquidem caſibus unum modo expoſuimus, cum Matathiæ exemplum conſideravimus. Sed quum ejuſmodi eventus noſtris hiſce temporibus contingere nuſquam poſſint, cum neque Hebræorum quiſquam contra Chriſtianos ſtipendia mereatur, neque talis eorum conditio ſit, ut bellum indicere Chriſtianis valeant, rem fore opportuniorem ducimus, ſi ſermo hic noſter de frequentibus tantum caſibus habeatur, in iiſdemque ſi prudens, ſi certa methodus proponatur, cujus etiam hoc loco addatur non inutilis aliqua declaratio.

8. Duo, ut plurimum, caſus evenire ſolent, cum Chriſtianorum aliquis Hebræorum infantes invenit in extremo mortis diſcrimine conſtitutos; alter autem, quum iidem infantuli crudeliter a parentibus projecti, deſtitutique inveniuntur. Cum id eveniat, ut ab aliquo Chriſtiano Hebræorum puer morti proximus reperiatur, rem oppido laudabilem, Deoque gratam is certe efficiet, qui ſalutem puero aqua luſtrali præbeat immortalem. Inter cætera Congregationis Sancti Officii Decreta unum extat latum poſtridie Kalend. Novembris ann. 1678. cujus verba hæc ſunt: *Cum Filius Hebræorum conſignatus fuiſſet Nutrici Chriſtianæ in deficientia Nutricum Hebræorum, dum eſſet proximus morti, fuit baptizatus, & Sacra Congregatio declaravit, prædictum puerum fuiſſe licite baptizatum*. Cum quo convenit alterum emanatum die 18. Februarii an. 1705. quæſtioni reſpondens fel. mem. Præſulis Caroli Maigrot. Illud autem eſt hujuſmodi: *An filii infantes Infidelium poſſint baptizari invitis parentibus: Eminentiſſimi, audito voto DD. Conſultorum dixerunt, non licere, niſi in articulo mortis*. Gobat *in Theologia experimentali tractatu* 2. *caſ.* 11. *num.* 329. maxime commendat Virum Religioſum de Societate Jeſu, qui cum vi quaſi coactus Mahumetani domum ingreſſus eſſet, veluti Medicus, ejus puellam morti proximam viſurus, eam caute baptizavit, quin id Pater cognoverit; quæ quidem puella poſt menſes aliquot ex hac vita emigrans ad Cœlum feliciter evolavit. Conveniunt quoque in eamdem ſententiam Suarez *in tertiam partem S. Thomæ diſput.* 78. *quæſt.* 25. *art.* 3. §. *Ex his autem*, Becanus *de Sacram. Baptiſmi cap.* 10. *quæſt.* 7. *num.* 7. Hurtadus *de Sacram. Bapt. diſput.* 3. *diff.* 3. Azorius *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 25. *quæſt.* 10. Caſtrus Palaus *tract.* 19. *diſput. unic. de Bapt. punct.* 9. *num.* 16. Paſchal. *de viribus patriæ poteſtatis part.* 1. *num.* 11. Barboſa *in Canon. Judæorum* 28. *quæſt.* 1. *num.* 3. Ad hanc rem præclare facit epiſtola Sancti Franciſci Xaverii *pag.* 67. Romæ typis edita, in qua confirmans Patrem Franciſcum Henricum, quod quereretur paucos a ſe Infideles in Indiis ad veri Numinis cultum revocari, ſic ſcribit: *Plus itaque proficis, quam tu putas, infantes diligentiſſime conquiſitos per Baptiſmum Cœlo parturiendo*. Nam certum eſt, Xaverium hic loqui de Indorum infantibus extremum vitæ agentibus, quos Pater Franciſcus Henricus rite, ac licite baptizabat. *A memento, te octo menſibus, quibus iſthic verſaris, plures animas conſervaſſe moribundis infantibus baptizandis*.

9. Si item eveniret, ut puer aliquis Hebræus projectus eſſet, atque a Parentibus derelictus, communis omnium ſententia eſt, pluribus quoque confirmata judiciis, eum baptizari oportere, reclamantibus etiam, repetentibuſque parentibus, ut recte docent Azorius *Inſtit. Moral. part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 25. *quæſt.* 5. Ricciul. *Lucubrat. libr.* 2. *cap.* 32. *num.* 30. Clericatus *de Juriſdictione, diſcord.* 17. *num.* 12. Seſſa *de Judæis cap.* 51. *nu.* 110. *& ſeqq.* At Hebræorum parentes patriam ſe in filios habere poteſtatem contendunt, nec plane injuria. Compertum eſt patriam poteſtatem neque ad jus Divinum poſitivum, neque ad jus naturale, neque ad jus gentium pertinere, ſed juris, ut ajunt, *humani Romani* eſſe; cum autem Civitate Romana Antoninus Imperator omnes Imperio Romano ſubjectos donaverit, juxta ea, quæ leguntur *in l. in Orbe Romano*, quæque in aliis exemplaribus incipiunt *in Urbe Roma ff. de ſtatu hominum*, & Hebræi Imperio Romano tunc eſſent ſubditi, hoc ipſis argumentum ſuppeditat pro patria in filios poteſtate. Sic diſſerit *Abbas in cap. cit. ex litteris n. 3. de converſ. Infid. Judæus habet filium in poteſtate; & eſt ratio, quia Judæi contrahunt juſtas nuptias, ſunt ſub Romano Imperio, & ſic gaudent legibus Imperialibus*. Sed itidem plane conſtat, prædictam patriam poteſtatem tunc certe amitti, cum filius derelinquitur, projiciturque, juxta reſponſum Gregorii IX. *cap.* 1. *de Infantibus, & languidis expoſitis*, cujus hæc ſunt verba: *Si a Patre, ſive ab alio, ſciente ipſo, aut ratum habente, (relegato pietatis officio) infans expoſitus extitit, hoc ipſo a poteſtate fuit patria liberatus*.

10. Animadvertendum tamen eſt, eum infantem non inter projectos, expoſitoſque adnumerandum, quem ſine Patre, ſine Matre, nullo comite, aut per urbem, aut extra Hebræorum vicum temere vagantem inveneris; ſed quem in loco publico ſolum, derelictum, abjectum, atque omni cura, & ſpe deſtitutum offenderis, is abſque dubio projectus, is ſane expoſitus cenſendus eſt.

11. Benigna hæc interpretatio nonnullis improbanda videtur; neque enim ignoramus, apud Auctores multas hac de re ſententias valde huic noſtræ diſſimiles inveniri, quæ eo potiſſimum innituntur, quod Hebræi, quamvis non jure belli, Chriſtianorum tamen mancipia ſunt. Itaque cum ſervitutem ſerviant, tametſi ſententia admittatur, eorum infantes ſine parentum conſenſu baptizari non poſſe, non decere tamen ſubtiliores addere limitationes. Multa de hac re habet Antonius Francus in *additionibus in Abb. cap. Ex litteris, lit. B. de converſione Infid.* Noſtri autem inſtituti non eſt, in hanc epiſtolam omnes congerere limitationes, explicationeſque regulæ; non enim tractatum, ſed ſimplicem tantum methodum hic proponimus quoad caſus, & eventus paſſim obvios, ac frequentes. Sanctus Thomas in locis præfatis docet, Hebræos in ſervitute quidem apud Chriſtianos eſſe, non vero pœnali, libertatique contraria, ſed civili, quæ licet in abjectiſſimo gradu conſtituat, non eum tamen præbet, quem altera, dominatum: quod item in rem noſtram ſapienter a Suarez conſideratur *in 3. par. S. Thomæ quæſt.* 68. *art.* 10. *diſp.* 25. *ſeſſ.* 4. §. *Dico ſecundo*, & a Sylvio *in 3. part. S. Thom. tom.* 4. *quæſt.* 68. *art.* 10. *concl.* 7.

12. San. Mem. Pius V. Prædeceſſor Noſter *in ſua Conſtitut.* 80. omnes Hebræos ab omni Eccleſiaſtica ditione, exceptis Romæ, & Anconæ Civitatibus, eliminavit. Sixtus V. iiſdem conceſſit omnia ditionis Eccleſiaſticæ loca, dummodo ſepta mœnibus eſſent, habitanda. Sed Pontifex Clemens VIII. rem in antiquum ſtatum reſtituit; Romæ tamen, Anconæque, Avenionem adjunxit, ut videri poteſt *in ejus Conſtit.* 19. Cum vero Apoſtolica Sedes Urbini, Ferrariæque Ducatus recepiſſet, non ejecti fuere Judæi ab iis Urbibus, Oppidiſque, ubi antea per Duces iis licuerat commorari. At ſi quis peteret, qua de cauſa non Hebræis negatum fuerit, nec negetur, in Pontificia ditione, ac Romæ etiam libere permanere; is quidem quæſtiones adeat Theologicas Piette, qui *part. V.* uſitata ingenii ſui ſagacitate quæſtionem agitat, an infantes Hebræorum poſſint, invitis Parentibus, baptizari, tum id affirmantes (quorum & ſententiam ipſe amplecti videtur) hac interrogatione provocat *pag.* 335. *Cur ergo Romæ Eccleſia Filios Judæorum non baptizat, baptizatoſque a Parentibus non avellit, ne in odio Chriſti, multiplicique impietate enutriantur?* Hanc deinde reſponſionem ſubjungit: *Reſpondeo, & peto viciſſim ego: Cur infenſiſſimos illos Chriſti hoſtes ipſe Chriſti Vicarius Pontifex Romanus in ſua Civitate tolerat? Cur eos inde non amandat? ſicut ergo ſuas habet rationes Gentem illam Deo abominabilem, Chriſtoque infenſiſſimam tolerandi: ita & rationes habet, quare infantes eorum, ipſis invitis, non baptizet, nec ab eis avellat*. Et inter cætera, quibus nititur, argumenta, unum extat S. Auguſtini *lib.* 18. *de Civitate Dei cap.* 46. in quo exponit, Deum non eos extinguere penitus voluiſſe, ſed tantum diſperdere, ac diſſipare, ut quocumque pergerent, ſacras litteras ferentes, id boni Eccleſiæ parerent, ut ſuorum Codicum teſtimonio, Chriſti vaticinia vel invito animo ubique terrarum diſſeminarent. *Ideo parum fuit*, (verba ſunt Auguſtini) *ut diceret: Ne occideris eos, ne quando obliviſcantur legem tuam, niſi etiam adderet: diſperge eos, quoniam ſi cum iſto teſtimonio Scripturarum in ſua tantummodo terra, non ubique eſſent, profecto Eccleſia, quæ ubique eſt, eos prophetiarum, quæ de Chriſto præmiſſæ ſunt, teſtes in omnibus Gentibus habere non poſſet*.

13. Hoc vero obiter attigimus, non contendentes veram cauſam conſtituere, cur Hebræis liceat & Romæ, & in aliquibus Pontificiæ ditionis urbibus moram facere; id enim ad rem propoſitam ſatis eſt, quod ſi Hebræi ſervitutem Chriſtianis ſerviunt, ea quidem non pœnalis eſt, ſed civilis; ac ſi Romæ, aliiſque in Pontificis Urbibus commorantur, id potiſſimum Summorum Pontificum indulgentiæ acceptum referunt. Ex quo quidem colligere aperte licet, non id ab iis expetendum eſſe, quod jure non poteſt exigi; tum etiam eorum ad Chriſtum converſionem, atque infantium Baptiſmum, moderate, religioſe, pie procurandum eſſe, ſine ulla vi, aut injuria; quoniam quicquid injuſtitiam ſapit, Chriſtianorum indignum eſt; contumelia

vero omnis aſylo ipſis conceſſo penitus adverſatur. Sanctus Gregorius Pontifex ad Paſchaſium Epiſcopum Neapolitanum ſcribens, eum admonet, ut humaniter, & manſuete in Hebræos ſe gerat, qui tunc eam Civitatem incolebant: *Agendum eſt ergo, ut potius ratione, & manſuetudine provocati, ſequi nos velint, non fugere, ut eos ex eorum Codicibus oſtendentes, quæ dicimus, ad ſinum Matris Eccleſiæ Deo poſſimus auxiliante convertere.* Et quoniam Paſchaſius quaſdam iis celebritates jampridem conceſſas interdixerat, hæc ſubjungit: *Itaque Fraternitas tua eos monitis, prout poterit, Deo adjuvante, ad convertendum accendat, & de ſuis illos ſolemnitatibus inquietari denuo non permittat, ſed omnes feſtivitates, feriaſque ſuas, ſicut hactenus tam ipſi, quam parentes eorum per longa colentes retro tempora tenuerunt, liberam habeant obſervandi, celebrandique licentiam.* Et quæ in eadem Epiſtola decernebantur, pertinere quoque voluit ad omnes Epiſcopos, in quorum Diœceſibus Hebræos commorabantur: *Item univerſis Epiſcopis per Galliam, & Europam, & Germaniam conſtitutis.* Hæc autem Epiſtola recenſetur in *Can. Qui ſincera, diſt. 45.*

14. Poſtquam caſus magis obvios expoſuimus, in quibus noſtra hæc regula prohibet, Hebræorum infantes, invitis parentibus, baptizari, aliquas inſuper declarationes addimus ad hanc regulam pertinentes, quarum hæc prima eſt: ſi Parentes deſint, infantes vero alicujus Hebræi tutelæ commiſſi fuerint, eos ſine tutoris aſſenſu licite baptizari nullo modo poſſe, cum omnis parentum poteſtas ad tutores pervenerit. Sic Azorius *Inſtitut. Moral. part. 2. lib. 8. cap. 25. quæſt. 9.* Thomas a Jeſu *de converſ. gent. pag. 212.* Seſſa *de Jud. cap. 25. num. 30.*; alios præterea Auctores eadem ſentire non ignoramus, a quibus recenſendis brevitatis gratia ſuperſedemus.

15. Secunda eſt, ſi Pater Chriſtianæ Militiæ nomen daret, juberetque, infantem filium baptizari, eum quidem vel Mater Hebræa diſſentiente baptizandum eſſe, quum filius non ſub Matris, ſed ſub Patris poteſtate ſit habendus, juxta textum *in lege Nulla ff. de ſuis, & legitimis hæredibus, & in §. Feminæ, Inſtit. tit. de adoptionibus*, quod quidem ad verbum ſtatuit Gregorius IX. in ſua Decretali ad Argentinæ Epiſcopum ſcripta, & relata *in cap. Ex litteris, de converſione Infidelium.*

16. Tertia eſt, quamvis Mater filios ſui juris non habeat, tamen ad Chriſti Fidem ſi accedat, & infantem offerat baptizandum, tametſi pater Hebræus reclamet, eum nihilominus aqua Baptiſmatis abluendum eſſe. Ita cum cæteris Azorius verba facit *in loco præfato qu. 3. Ubi de communi Fidei bono agitur, nulla habenda eſt ratio patriæ poteſtatis, quam leges, & jura Romana ſanxerunt; & propterea Mater fidelis, quamvis ei jus civile patriam poteſtatem non tribuat, jus habet ad Baptiſmum filium offerendi.* Huic quidem ſententiæ favet prædicta Decretalis Gregorii IX., in qua, licet loquatur de patria poteſtate in eo caſu, quem explicabat, Patris nempe Chriſtiani filium aquis luſtralibus offerentis, Matre Hebræa perperam diſcrepante, ſtatuit tamen ſententiæ ſuæ in favore Fidei fundamentum: *In favorem maxime Fidei Chriſtianæ reſpondemus, Patri eumdem puerum aſſignandum*: favor autem Fidei in utroque caſu valere plurimum jure debet.

17. Quarta eſt, quod ſi pro certo habeatur, Parentum voluntatem eſſe infantium Baptiſmi neceſſariam, quoniam ſub appellatione parentum locum quoque habet paternus Avus, ut obſervatur *in l. Juſta interpretatione* 201. *ubi Gloſſa in verbo Avus ff. de verb. ſignific.* cum eo, quod amplius legi poteſt *in diſcept. 977. nu. 4. Gratiani.* Hinc neceſſario ſequitur, ut, ſi Avus paternus Catholicam Fidem amplexus ſit, ac nepotem ferat ad Sacri lavacri Fontem, quamvis, mortuo jam Patre, Mater Hebræa repugnet, tamen infans ſit abſque dubio baptizandus. Martinus Navarrus vir ſacrorum Canonum doctrina excellens, cum hic Romæ caſus hujuſmodi eveniſſet, plus valere contendebat Matris diſſenſum, ut videre licet in ejus *conſ. 4. lib. 3. de converſione Infidelium.* Contra eum ſcripſit Præſul Rutilius Benzoni: Pontifex autem Gregorius XIII. pro Avo ſententiam tulit, ut ipſe refert in ſuo *Speculo Epiſcoporum lib. 1. q. 9. dub. 1.* ubi teſtatur, Hebræo infanti Baptiſmum ſe contuliſſe. Quamobrem in fine Conſilii Navarri hæc leguntur: *Advertendum autem, contra opinionem latam ſententiam, infantemque traditum fuiſſe Avo Chriſtiano, & demum baptizatum, perſeveraréque adhuc in fide.* Hujuſce facti Marchinus etiam teſtis eſt *de Bello Divino part. 1. cap. 2.* Non deſunt alia judicata, quorum vi Avus ad Fidem converſus præferri debet, non ſolum ſi Mater, ſed etiam ſi Pater diſſentiat, & quamvis ambo pariter proteſtentur, ſeſe filii Baptiſmati non aſſentiri, ut videri poteſt *in citat. diſcept. 977. Gratiani*, cum præter favorem Religionis, qui maximi habendus eſt, argumenti loco etiam eſſe debeat *Text. in Can. Patrem 32. q. 3.* ubi in Nepotis nuptijs Avi ſententia Patris judicio anteponitur, cum Avus liber, Pater autem ſervus exiſtit: *Patrem puellæ Eccleſiæ noſtræ famulum, Avum vero ejus liberis ortum conſtat eſſe natalibus, & ideo avi magis electionem de conjunctione nepotis, quam patris ejus, cujus nullo modo liberum poteſt eſſe arbitrium, decernimus attendi. Quia ergo electione avi huic iſta nupſiſſe probatur, hanc conſtat legitime eſſe copulatam.*

18. Fictitia res non eſt, quod aliquando pater Hebræus ſe velle Catholicam Religionem amplecti prædicet, ac ſe ipſum, filioſque infantes baptizandos offerat, poſtmodum vero ſui ſe conſilii pœniteat, abnuatque filium baptizari. Id Mantuæ evenit, ubi Hebræus quidam non modo cum viro perhonorificum dignitatis gradum tenente, ſed ipſo etiam cum Duce id rei geſſit. Duos habebat infantes liberos, totidemque pueros, atque uxorem, cumque deinceps ad Chriſti Fidem accedere recuſaſſet, Ducíſque ſpem fruſtratus eſſet, res ad examen deducta eſt in Congregatione Sancti Officii, ac Pontifex *die 24. Septembris anni 1699.* ſtatuit, ea fieri, quæ ſequuntur: *Sanctiſſimus, auditis votis Eminentiſſimorum, decrevit, quod duo filii infantes, alter ſcilicet triennis, alter quinquennis baptizentur. Alii, nempe filius octo annorum, & filia duodecim, collocentur in domo Catechumenorum, ſi ea Mantuæ adſit, ſin minus, apud piam, honeſtamque perſonam, ad effectum explorandi ipſorum voluntatem, eoſque inſtruendi. Uxoris quoque in loco a filiis ſeparato exploretur voluntas. Patrem vero, & Maritum reſpective, qui a propoſito ſuſcipiendæ Fidei Chriſtianæ receſſit, non eſſe cogendum, ſed contra eum poſſe procedi, prout de jure.* Idem ferme accidit Auguſtæ Taurinorum, ubi cum Hebræus quidam Religionem Catholicam amplecti nollet, poſtquam id ſe facturum promiſerat; cumque inſtaret, ut filiola, quam baptizandam obtulerat, ideoque a Matre Hebræa jam ablatam Chriſtianæ nutrici lactandam dederat, in poteſtatem rediret ſuam; Congregationis Sancti Officii auctoritate Romæ ſancitum fuit, ut puellula Chriſtianos penes eſſet, & ad Sacrum regenerationis Fontem elevaretur, quod videri poteſt apud Seſſam *cap. 51. num. 98.* Hoc autem prudenter ſtatutum eſt, ne ſcilicet parentes Hebræi, quibuſcum ſumma æquitate apud Chriſtianos agitur, eo impudentiæ deveniant, ut & Nos, & Eccleſiam audeant irridere.

19. Sunt quoque aliqui Infideles, ſuos infantes Chriſtianis offerre ſoliti, ut aquis ſalubribus abluantur, non tamen Chriſti ut ſtipendia mereantur, neque ut originalis culpa eorum ex anima deleatur; ſed id faciunt indigna quadam ſuperſtitione ducti, quod nempe Baptiſmi beneficio exiſtimant, eoſdem a malignis ſpiritibus, a fœtore, aut morbo aliquo liberandos. Sanctus Auguſtinus *in Epiſtola ad Bonifacium Epiſcopum to. 2. typis Patrum Sancti Mauri n. 5.* de hac re ita diſſerit: *Nec illud te moveat, quod quidam non ea fide ad Baptiſmum percipiendum parvulos ferunt, ut gratia ſpiritali ad vitam regenerentur æternam, ſed quod eos putant hoc remedio temporalem retinere, vel recipere ſanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur: quia non ab iſtis hac intentione offeruntur; celebrantur enim per eos neceſſaria miniſteria, & verba Sacramentorum, ſine quibus conſecrari parvulus non poteſt.* Mens quippe non infantem Baptiſmo offerentis, ſed baptizantis eſt ſerio conſideranda: *At non Parentum, ſed Miniſtrorum mens eſt ſpectanda; hi enim ſi bona, & recta mente voluerunt exequi, quod Eccleſia poſtulat, omnino Baptiſmum valide contulerunt.* Verba ſunt Arcudii *lib. de Concordia Eccleſiæ Occidentalis, & Orientalis lib. 1. cap. 12.*

20. Res ad examen revocata fuit in Synodo habita anno 1148. ſub Patriarca Luca, de qua Synodo ſermonem habet Balſamon *ſuper Canone 84. Trullano.* Agareni quidam Synodo adfuerunt, qui ut Baptiſmum reciperent, invitati illico reſponderunt, ſeſe jam pridem Sacro Baptiſmate initiatos; nam id in more ſuam apud gentem eſſe dixerunt, infantes vix natos ad Sacerdotes Catholicos deferri ſolitos, ac baptizari: *Non tamen admiſſi fuerunt; audierat enim* (prædictus ſcilicet Patriarca) *quod Baptiſmus, quem Infideles a Chriſtianis petunt, non bona affectione, & orthodoxo propoſito petitur, ſed propter corporalem medicinam. Perſuaſum eſt enim Agarenis fore, ut ſui liberi a dæmone vexentur, & tanquam canes male oleant, niſi Baptiſmum Chriſtianum aſſequantur.* Verba ſunt Balſamonis e Græco idiomate in Latinum verſa a Cardinale Baronio *in Annalibus ad annum prædictum* 1148., unde ſignificari videtur, illius Concilii Patres Baptiſmum ratum, ac validum nequaquam exiſtimaſſe.

21. Cum ad Theologos, Canonumque peritos hujus quæſtionis examen tranſiiſſet, varii caſus propoſiti, ac diſcuſſi fuerunt. Infideles aliqui, cum hoc ſibi in animum induxiſſent, Baptiſmi gratia infantes ſuos a morbis, dæmonumque vexationibus liberatum iri, eo dementiæ adducti ſunt, ut mortem quoque minitati ſint Catholicis Sacerdotibus, qui, utpote eorum pravæ mentis conſcii, Baptiſmum eorumdem liberis conſtantiſſime denegabant. *Navarrus in ſuo conſ. 5. de rit. Bapt.* reſpondit, pueros jam rationis compotes in caſu ejuſmodi a Baptiſmi Fontibus repellendos, infantes vero omnino admittendos eſſe, qui adhuc rationis expertes ſint. Alii vero perperam ſentiunt, omnibus conferri Baptiſmum poſſe, mors ut evitetur, dum materia ſolum, non autem forma adhibeatur. At huic ſententiæ refragatur Congregatio Sancti Officii coram Pontifice habita die 6. Septembris 1625. *Sacra Congregatio Univerſalis Inquiſitionis habita coram Sanctiſſimo, relatis litteris Epiſcopi Antibarenſis, in quibus ſupplicabat pro reſolutione infraſcripti dubii: An cum Sacerdotes coguntur a Turcis, ut baptizent eorum filios, non ut Chriſtianos efficiant, ſed pro corporali*

ſalute, ut liberentur a fœtore, comitiali morbo, maleficiorum periculo, & lupis: an in tali caſu poſſint ſaltem ficte eos baptizare, adhibita Baptiſmi materia ſine debita forma? Reſpondit negative, quia Baptiſmus eſt janua Sacramentorum, ac proteſtatio Fidei, nec ullo modo fingi poteſt. Hoc Decretum typis editum extat in *Verricello de Apoſtolicis Miſſionibus tit. 5. ad verb. Baptiſmus, quæſt. 219.* Neque hoc loco prætermittendum eſt, vigeſimam nonam inter propoſitiones ab Innocentio XI. damnatas die 2. Martii 1679. eſſe hujuſmodi: *Urgens metus gravis eſt juſta cauſa Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.*

22. Si tamen mortis diſcrimen abſit, omnibus hæc opinio inſediſſe videtur, Baptiſmum conferre nefas eſſe, cum dubitari prudenter poſſit, id futurum, ut baptizatus tractu temporis a Catholica Religione deſciſcat; quod quidem experientia docet, plerumque iis infantibus evenire, quia parentibus infidelibus oblati, ut ab infirmitate aliqua Baptiſmo liberentur, poſtea vero in eorum educationem, ac poteſtatem revertuntur. Hoc idem comprobat ſuffragio ſuo *Caſtrus Palaus tom. 4. ſuorum Operum Moralium tract. 19. diſput. unic. punct. 6. n. 11. Card. Albiz. de inconſt. in fid. cap. 33. num. 47. Verricellus de Apoſtolicis Miſſionibus tit. 6. quæſt. 113. num.* 8. Hinc vero id ſequitur, quod ſi baptizatus Infans non ad Parentes infideles rediret, ſed Chriſtiano cuipiam committeretur, is baptizari deberet, etiamſi non a parentibus oblatus eſſet, ut Catholicus evaderet, verum ut ab ægritudine, ac morbo aliquo ſervaretur. Appoſite ita concludit *Azorius inſtitut. moral. part. 1. lib. 8. cap. 25. quæſt. 6. Ex quo perſpicuum eſt, ejuſmodi infantes jure donari, & ablui Baptiſmo poſſe, quoties commoda occaſio ſeſe obtulerit a patria eos jure, & poteſtate liberandi.*

23. Negari profecto nequit, grave perverſionis periculum in hac materia rem eſſe maximi momenti. Epiſcopus Quebec alias ſignificavit, barbarorum aliquot, etiamſi Chriſtianæ militiæ adſcriptos, nullum Religionis ſpecimen exhibere; hoc enim habent in more poſitum, ut ſtatim ac filius naſcitur, eum Chriſtianis offerant baptizandum, is vero ubi adolevit, a Religionis noſtræ ſanctimonia abhorret, parentum ſcilicet exemplo edoctus. Quare non ſine cauſa prædictus Epiſcopus poſtulavit, iis ne infantibus Sacramentum eſſet Baptiſmatis conferendum? Huic petitioni diligenter expenſæ in Congregatione S. Officii habita die 3. Maji 1703. reſponſum fuit, Baptiſmum conferre infantibus non licere, qui filii infidelium eſſent, atque in eorum poteſtate manſuri. Hoc tamen Decretum eos excepit pueros, qui graviſſime ægrotantes vita periclitarentur. *Non licere, ſi ſint filii infidelium, & in poteſtate eorum relinquendi; ſecluſo tamen mortis imminentis periculo.* Licere autem, ſi filii quidem barbarorum ſint, ſed jam Chriſti militum, dum tamen, aut a Viris Apoſtolicis illic degentibus, aut ab ipſis parentibus, de ſanctæ Religionis præceptis, ac myſteriis edoceantur, cum adoleverint: *Licere vero, ſi ſint filii barbarorum baptizatorum, curandum tamen per Miſſionarios, ac per ipſoſmet eorum parentes, ut, cum ad annos diſcretionis pervenerint, a ſe, vel ab aliis inſtruantur, præſertim in illis regionibus, ſi non prævideatur in promptu adfuturos Miniſtros Evangelicos, qui in hoc parentum commode ſupplere poſſint defectum.* In Servia audivimus pauperculas eſſe Chriſtianas mulieres invito cum Turcis matrimonii vinculo copulatas, quæ cum filium pariunt, eum Sacerdotibus offerre ſolent, ut baptizent. Idcirco poſtulatum fuit, qui debeant in caſu hujuſmodi ſeſe gerere Sacerdotes. De hac re Decretum habetur in noſtro Bullario *n. 89. §. 8. n. 30.* ubi apparet, conferendum eſſe Baptiſmum, ſi conſtet, mortem oblato puero imminere: *Iſtarum vero filios, quos Parochis baptizandos exhibent, ubi eorum vita periculum imminere videatur, Sacro lavacro abluere prædicti Parochi minime dubitent; admoneant Matribus, ut, ſi convaluerint, ipſos in Chriſtiana Religione educare ſedulo curent.* Si nullum adſit vitæ periculum, certa regula generalis ſtatuta non eſt, cum oporteat diligenter omnes expendere circumſtantias, & præſertim, *utrum in Evangelica Legis, & Fidei cultu perſeveraturos, vel Chriſtiana educatione ab ejuſmodi Matribus fraudatas, Mahumetani Patris impietatem ſecaturos eſſe.* Si Sacerdotes, poſtquam pie, & religioſe hoc negotium Deo commendaverint, æquum, bonumque exiſtiment prædictos infantulos baptizare, id quidem facerent, Matres tamen enixe admonerent de graviſſimo, quo tenentur, munere, filios de Chriſtiana Religione ſedulo educandi.

24. Nos certe ignoramus, accidiſſe, ut Pater aliquis Hebræus Romæ, aut alibi infantem obtulerit, Sacris Baptiſmi aquis tingendum, non quod eum cuperet Chriſtianum fieri, ſed a morbo aliquo liberari. Hoc ſi unquam eveniat, Sancti Auguſtini ſententia, nempe pravam parentum intentionem Baptiſmati non obeſſe rite collato, præ oculis habita; & conjunctim communi opinione conſiderata, in hoc caſu Baptiſmum minime negandum eſſe, dum nullum ſit periculum perverſionis, quod ſane eſt maximum, ſi Baptizatus in Infidelium poteſtatem ſit rediturus; prudentum certe judicio rite luſtrari deberet infans, & Chriſtianis tradi, ut probe educatus, ætate, & ſapientia coram Deo proficeret; hoc autem ſi diligenter fieret, ut ſemper poſt Baptiſmi Sacramentum decet, nullum eſſe periculum perverſionis, quod vitari non poteſt, ſi patri Hebræo filius reſtituatur; atque hoc pacto omnis etiam difficultas tolleretur, quæ ſæpiſſime in cauſa fuit, cur reſponſio categorica Miſſionariis negata ſit enixe poſtulantibus; liceret ne Baptiſmum conferre Infidelium infantibus Sacro Fonte oblatis, non pietatis, non religionis cauſa, ſed rerum temporalium, caducarumque cupiditate. *Vid. Card. Albizz. cit. cap. 33. de inconſtant. in Fide n. 47.*

25. Satis abunde diximus non ſolum de primo hujus partis capite, utrum nempe, invitis parentibus, Hebræi infantuli baptizari poſſint; verum etiam de ſecundo, an caſus unquam contingat aliquis, in quo id æque licitum ſit, ac decorum. Ad tertium nunc accedimus, Baptiſmum videlicet Hebræis infantibus impertitum, cum fas non ſit, ratumne, an vero irritum haberi debeat.

26. Nulla de hac re inter S. Thomam, & Scotum diſſenſio eſt, cum non in eam ſententiam diſputaverint, utrum Baptiſmus Hebræis infantibus ſine parentum conſenſu conferri valide poſſit, verum an licite, ut prudenter animadvertit Cardinalis Lauria egregius Scotiſta *in tom. 1. lib. 4. ſentent. diſp. 14. art. 5. num. 58. Et nota, quod ſermo non eſt de poſſe valido, quia ſi baptizarentur, certum eſt remanere baptizatos; ſed de poſſe licito, idest, an licite fiat, ſi baptizentur.* Durandus *in 4. ſentent. diſt. 4. quæſt. 7. art. 13.* contendens, irritum Baptiſmum eſſe ſine conſenſu ſaltem interpretativo illius, qui baptizatur; ideo ſi hoc Sacramentum Hebræorum, aut Infidelium filiis, invitis Parentibus, impertitum fuerit, illud eſſe irritum omnino exiſtimat, ea ratione ductus, quod infantulis non alia, quam Parentum voluntas ſit, quæ ſi deſideretur, omnis deeſt voluntas, cujus neceſſitas eſt ſane maxima, Baptiſma ut validum habeatur. Verum hæc Durandi opinio ſingularis nunquam aut plauſum, aut exiſtimationem nacta eſt, quod revera conſtet, Baptiſmum eſſe ratum, ac validum, quotieſcumque Baptizantis voluntas cum forma, & materia neceſſaria accedat. Quamobrem Durandi ſententiam Suarez falſam, Cajetanus a ratione alieniſſimam eſſe affirmant. Præfati argumenti, validitatem Baptiſmi collati ſine conſenſu Patris contra Durandum comprobantis, Sylvius auctor eſt, doctiſſimus Sancti Thomæ ſectator, *in 4. to. in 3. part. S. Thomæ q. 68. art. 10. Si filiis quorumcumque Infidelium conferatur Baptiſmus, erit validus, etiamſi Parentes ſint inviti, quia ſubjectum eſt capax, & Miniſter cum debita intentione adhibet ei materiam, & formam. Nihil autem aliud requiritur, ut Baptiſma parvulorum teneat; nam intentio Parentum eſt impertinens.* Et Phraſſen eximius Scotiſta *to.* 10. *ſui Scoti Academici tract.* 10. *diſp.* 1. *art. 2. q. 3.* Durandi ſententiam refellens, & ejuſdem argumento, hoc eſt, in Baptiſmo infantium voluntatem deeſſe, ſi Parentum, vel offerentium voluntas deſit, reſpondens admonet, Eccleſiæ voluntatem ſemper ineſſe: *Quid ſi nullus offerat, ſed ſolus Miniſter baptizet? Recte intelligitur reſpondere, tota Mater Eccleſia, quæ in Sanctis eſt, quia tota omnes, tota ſingulos parit per voluntatem Miniſtri, ſuo, & Chriſtiani nomine baptizantis.* Quæ quidem reſponſio S. Auguſtino auctoritatem debet, qui in memorata Epiſtola ad Bonifacium ſic ſcribit: *Offeruntur ad percipiendam ſpiritalem gratiam, non tam ab eis, quorum geſtantur manibus, quam ab univerſa ſocietate Sanctorum, atque Fidelium. Ab omnibus namque offerri recte intelliguntur, quibus placet, quod offeruntur, & quorum ſancta, & individua charitate ad communionem Sancti Spiritus adjuvantur. Tota ergo Mater Eccleſia, quæ in Sanctis eſt, pueros geſtat, & offert, quia tota omnes, tota ſingulos offert.*

27. Argumentis per ſe clariſſimis, tantorumque auctoritate hominum corroboratis alia addere ſupervacaneum ducimus: quædam vero Congregationum reſponſa in medium proferre nullo modo non poſſumus, inter quæ primo loco afferemus illud Congregationis Sancti Officii *habitæ die 30. Martii* 1638. *Circa Baptiſmum datum parvulæ puellæ annorum trium circiter filiæ Hebræorum a Fauſtina Chriſtiana, invitis Parentibus, Eminentiſſimi Domini cenſuerunt, parvulam puellam eſſe vere baptizatam, concurrente materia, forma, & intentione; Baptiſmum probari unico teſte; & quamvis filii Hebræorum non poſſint, invitis Parentibus, baptizari, ſi tamen de facto baptizentur, valere Baptiſmum, & Characterem imprimi, & filiam baptizatam penes Chriſtianos alendam; mulierem baptizantem acriter monendam, ut in poſterum caveat a ſimilibus; notificandum vero populo, non licere, invitis Parentibus, filios Hebræorum baptizare, quia licet finis ſit bonus, media non ſunt licita, præſertim ſtante Bulla Julii III. imponente pœnam mille ducatorum, & ſuſpenſionem baptizantibus filios Hebræorum, invitis parentibus.* Ante hanc reſolutionem alia extat *die 3. Martii* 1633. cujus hæc ſunt verba: *Quæritur, an infantulus filius Judæi a Nutrice Chriſtiana baptizatus, inſcio Patre Hebræo, ſit vere baptizatus, & hujuſmodi Baptiſmate teneatur, & apud quem debeat infantulus educari? Reſpondetur: infantulum eſſe vere baptizatum, Baptiſmumque eſſe validum, eumdemque educandum penes Chriſtianos, a quibus inſtruatur, & cum pervenerit ad uſum rationis, poſſe cogi ad perſeverantiam in Fide Catholica, eidemque providendum a patre, ſi habeat in bonis, ſin minus, in neceſſariis ad minus ad ſuſtentationem.* Conveniunt aliæ quo-

quæ ejuſdem Congregationis reſolutiones, quarum altera emanavit *die* 23. *Decembris* 1698., altera *die* 8. *Martii* 1708., & a Leone *in ſuo Theſauro Fori Eccleſiaſtici part.* 4. *cap.* 4. *num.* 8. alia huic ſimilis producitur in Congregatione Concilii habita in Cauſa Foſſani, quæ tamen cum regiſtris conferri non potuit.

28. Nihil aliud nunc reſtat, ut primæ partis finis imponatur, quam exponere, quid ſit faciendum, cum infantes Hebræi aut baptizandi offerantur, aut compertum ſit, eos jam fuiſſe ſacro Baptiſmate initiatos; demum quomodo probari poſſit, eoſdem aquis ſalutaribus fuiſſe rite luſtratos; quæ poſtrema ſunt hujus primæ partis capita, & quorum explicationem paucis expedimus.

29. Nihil hoc cum iis infantibus nobiſcum eſt, qui vel ad Sacrum Fontem ab iis feruntur, quibus id faciendi jus eſſe conſtat, vel qui, juxta Sacrarum Legum vim, invitis licet, reluctantibuſque Parentibus, ſunt baptizandi, ut ante demonſtravimus; de his, inquam, infantibus nullus hic ſermo eſt, quoniam patet, omnino eſſe ad ſacroſanctum regenerationis lavacrum elevandos. Ad eos itaque ſpectat hic ſermo noſter, qui Baptiſmo neque a Parentibus, neque ab aliis, qui jus in eos habeant, offeruntur, ſed ab aliquo nullam habente auctoritatem. De iis præterea agitur, quorum caſus non comprehenduntur ſub ea diſpoſitione, quæ ſinit Baptiſmum conferri, etiamſi Majorum conſenſus deſit; hoc quidem in caſu baptizari non debent, ſed ad illos remitti, quorum in poteſtate, ac fide ſunt legitime conſtituti. Quod ſi jam Sacramento initiati eſſent, aut detinendi ſunt, aut ab Hebræis Parentibus recuperandi, tradendique Chriſtifidelibus, ut ab illis pie, ſancteque informentur; hic enim Baptiſmi licet illiciti, tamen veri, validique effectus eſt. Ex quibuſdam paullo ante citatis reſolutionibus hoc eruitur, quibus accedit Concilii Toletani IV. textus expoſitus *in Can. Judæor. diſt.* 26. *q.* 1. *Judæorum filios, vel filias, ne Parentum ultro involvantur erroribus, ab eorum conſortio ſeparari decernimus, deputatos aut Monaſteriis, aut Chriſtianis viris, aut mulieribus Deum timentibus, ut ſub converſatione cultum Fidei diſcant, atque in melius inſtituti tam in moribus, quam in Fide proficiant.* Si autem, poſtquam adoleverint, ſuo ipſi infortunio Catholicam Fidem deſererent, & Hebræorum ritibus adhærerent, contra eoſdem legibus utendum eſſet, ut contra Hæreticos, juxta Decretalem Bonifacii VIII. *in cap. Contra, de Hæreticis, in ſexto*: *Contra Chriſtianos, qui ad ritum tranſierint, vel redierint Judæorum, etiamſi hujuſmodi redeuntes, dum erant infantes &c. baptizati fuerunt, erit tanquam contra Hæreticos, ſi fuerint de hoc confeſſi, aut per Chriſtianos, ſeu Judæos convicti &c. procedendum.*

30. Dura nonnullis hæc ſententia viſa eſt, qui eamdem ut minus aſperam facerent, exiſtimarunt fas eſſe, puerulos Judæis Parentibus reſtituere, dummodo ipſi Parentes cautione, aut fidejuſſione data, ingenue ſpondeant, ab ſe filios, vix ad convenientem ætatem pervenerint, Chriſtifidelibus reſtituendos, nec quidquam contra Fidem Catholicam edocendos. Ita opinatus eſt Calderinus *in ſuo conſil.* 3. *de Judæis*, quem ſequutus eſt Graffius *in ſuis deciſ. caſ. conſcient. part.* 2. *lib.* 2. *c.* 23. *n.* 23. Verum hæc Calderini ſententia a cæteris omnibus erroris inſimulata fuit, ut Afflict. *deciſ.* 151. *n.* 13. Sperel. *dec.* 1. *n.* 42. Seſſa *de Judæis cap.* 55. *& n.* 64. Piron. *diſcept. Eccleſ. p.* 4. *diſcept.* 146. *dub.* 3. *& n.* 33. Card. Albizi *de Inconſt. in Fide cap.* 11. *num.* 33. *Et vere ſcio in hac Sacra Congregatione*, loquitur de Congregatione S. Officii, *ſententiam Calderini uti erroneam fuiſſe rejectam.*

31. In quibuſdam præfatis reſolutionibus innuitur, eum, qui Hebræorum filios ſine Parentum conſenſu Baptiſmo luſtrare auſus fuerat, exceptis iis caſibus, in quibus hoc liceat, eum, inquam, pœna mulctandum eſſe, Baptiſmum autem unius teſtimonio comprobari. Ut primæ parti hujus noſtræ inſtructionis extrema manus accedat, nihil aliud reſtat, quam prædictarum reſolutionum judicium confirmare, & quidquid in iiſdem continetur, noſtra quoque ſententia ſtabilire. Baptizantis mentem eſſe ſanctam, rectamque non dubitamus; modus autem omnino illicitus habendus eſt, & ea quicumque facit, quæ Eccleſia fieri vetat, pro Judicis prudentia mulctari debet, pœna ſcilicet aut mitiori, vel ſeveriori, juxta circumſtantias. Additur etiam, qui infantes Hebræorum liberos baptizare ſolent, eos plerumque aut laicos, aut mulieres eſſe, quod neutris liceat, niſi neceſſitas interfuerit, ut videri poteſt *in Can. Ad limina* 30. *quæſt.* 2. *in Can. Sanctum, in Can. In neceſſitate, de Conſecr. diſt.* 4. *in Concil. Florent. Armen. inſtruct. In caſu autem neceſſitatis non ſolum Sacerdos, vel Diaconus, ſed etiam Laicus, vel Mulier, imo etiam Paganus, & Hæreticus baptizare poteſt.* Hoc etiam in trigeſimo octavo Concilii Illiberitani *Canone Statutum eſt*: *peregre navigantes, aut ſi Eccleſia in proximo non fuerit, poſſe fidelem, qui lavacrum ſuum integrum habet, nec ſit bigamus, baptizare in neceſſitate.* Et quamvis Petavius *in notis ad S. Epiphan. pag.* 341. miretur, Concilium, etiamſi neceſſitas interfuerit, bigamis, ne quemquam baptizent, interdicere; *ergo ne a bigamis baptizari in tanta neceſſitate non licuit?* Mendoza tamen, & Albaſpineus ajunt, in Canone quemquam baptizari a bigamis interdici, cum plures adſint rei conficiendæ magis idonei, quod Catholicus Ethnico, Laicus autem non bigamus jure ſit bigamo anteponendus. Jam vero Baptiſmati comprobando unius ſufficere teſtimonium, vetus Juriſperitorum axioma eſt, ut videtur in Gloſſa *cap. Nuper, ad verbum: niſi juratus, de teſtibus, & atteſtationibus. Quandoque tamen bene creditur uni, quando non ſit præjudicium alicui; puta utrum aliquis ſit baptizatus, vel utrum eſſet Eccleſia conſecrata, & ubi qui vult probare ſe egiſſe pœnitentiam per Confeſſorem ſuum.* Et *in Can. Placuit, in verbo, Teſtentur, de Conſecr. diſt.* 4. *Creditur ergo teſtimonio unius in Baptiſmo, & in Conſecratione Eccleſiæ.* Hoc tamen intelligendum eſt, dummodo teſti aut mari, aut feminæ fides adhiberi prudenter poſſit, aut idem ſi teſtatur qui baptizavit; hic ſiquidem ſe ipſum aſſerens, Baptiſmum Hebræo infantulo miniſtraſſe, non rem modo ab ſe geſtam, ſed etiam pœna digniſſimam ſuo ipſe teſtimonio confirmaret. In S. Spiritus Xenodochium, projectorum perfugium, feruntur non raro infantes chartam collo ſuſpenſam præſeferentes, in qua ſcriptum legitur jam Baptiſmum eidem collatum eſſe. Cum adhuc in Minoribus a Secretis Sac. Congregationis Concilii munere fungebamur, Sancti Spiritus Parochus interrogavit, quid ſibi agendum eſſet in hujuſmodi caſibus? Propoſita quæſtio fuit in Congregatione *die* 18. *Decembris* 1723., *ut declarat Theſaurus Reſolut. tom.* 2. *pag.* 412. *die autem* 15. *Jan.* 1724. ita reſcriptum fuit: Si non lateret, qui chartulam ſcripſerat, eidemque fides tuto præſtari poſſet, tunc infantem ut baptizatum habendum eſſe, ac ne Baptiſmo quidem initiandum *ſub conditione*, ut aperte liquet *in tom.* 3. *præfati Theſauri pag.* 2.

32. Hæc ſunt, quæ breviter exponenda cenſuimus, quoad primam partem ad Hebræorum infantes unice pertinentem. Itaque ad ſecundam deſcendimus, ſermonem de Hebræis adultis, ac ratione pollentibus habituri. Atque ut ordine utamur, & claritate, differemus primo de iis, qui ultro Baptiſmum petunt, tum de iis, qui jam baptizati ad Eccleſiam ſe conferunt. Verum in primis conſtituendum eſt, quænam plerumque ea ætas ſit, in qua Hebræus ſponte Baptiſmum expetens, non infans, ſed ſui compos cenſendus eſt, & quodammodo adultus, atque hac quidem in re duos Juriſperitos, licet haud indoctos, cavere neceſſe eſt; Nattam ſcilicet *in conſil* 454. *lib.* 2. & Burſat. *in conſil.* 231. *lib.* 3. quibus in caſu, de quo agitur, neceſſaria videtur duodecim annorum ætas; id autem perperam quibuſdam decretis probant æque antiquis, ac antiquatis. Hac in re conſulendus eſt ſedulus, accuratuſque Præſul Sperellus *in ſua deciſ.* 1. *num.* 32. *& duobus ſeqq.*, ubi probat rationis uſum ab anno ſeptimo completo inchoari; idemque confirmaturus, præclara quædam in unum collegit Cardinalis Albizi *de inconſt. in Fide cap.* 11. *n.* 39. Ricciul. *in tract. de Perſonis extra gremium Eccleſiæ lib.* 2. *cap.* 33. *n.* 3. Zaſius *in tract. de Judæis qu.* 2. Clericat. *de Juriſdict. diſcor.* 18. *n.* 25. Seſſa *de Judæis cit. cap.* 43., quibus addimus Congregationis Concilii reſolutionem, quæ extat *lib.* 16. *Decretorum pag.* 233. *a tergo* in quadam Cauſa Vilnæ: *Die* 16. *Julii* 1639. *Sacra Congregatio Concilii reſpondit, filios Judæorum non eſſe, invitis Parentibus, baptizandos, donec perveniant ad ætatem legitimam, & tunc, ſi ipſi conſentiant: ætatem vero legitimam regulariter cenſeri completo ſeptennio.* Animadvertere opus eſt illud *regulariter*; nam indicat, oportere Præſidem Eccleſiaſticum etiam atque etiam conſiderare, quiſnam ſit Baptiſmi petitor, cum poſſit contingere, ut is etiam non completo ſeptennio, ſufficienti ſit præditus ratione; ideoque baptizandus, invitis licet, reluctantibuſque Parentibus, ut ſapienter diſſerit Sotus *in* 4. *ſentent. diſt.* 5. *quæſt. unic. art.* 10. *dub.* 2. *Certiſſima regula eſt, quod ſi citra illam ætatem certo conſtat, puerum Fidei Catechiſmis inſtructum ſatis intelligere, quidnam ſit baptizari, & quemadmodum fiat profeſſio Chriſtianæ Legis, baptizandus eſt, quoniam ætas ad contrahendum Matrimonium lege humana ſtatuitur; Lex autem Divina Baptiſmi neutiquam ab humana dependet.*

33. Si vero de perfecto rationis uſu dubitaretur, & Baptiſmum implorantis capacitas anceps, ac incerta eſſet, cavendum eſt ab eorum ſententia, qui juxta tritum illud axioma, in dubio nimirum ſemper poſſidentis conditionem meliorem eſſe, contendunt, petentem Baptiſmum ad Hebræos, & ad Patrem potiſſimum, ſi ſuperſit, neceſſario remittendum. Cavendum eſt, inquam, ne quis arbitretur ſententiam ejuſmodi approbandam, & axioma, cujus duntaxat eſt ratio habenda in cauſa æquali: nulla vero æqualitas intercedit Hebræos inter, atque Chriſtifideles, ac multo minus inter Patrem, & Filium, quum alter patriæ poteſtatis jacturam ad breve tempus, damnum nempe leviſſimum evitaret, ærumnæ alter graviſſimæ provideret, hoc eſt mortem fugeret ſempiternam, cujus periculum certe ſubiret, regreſſus ad Infidelium curam, ac ſub patriam poteſtatem. Quare in ſupradictis caſibus Sacramentum eſt differendum; ſed hoc qui poſtulat retinendus, ac ſic interea informandus, ut idoneus evadat Baptiſmati poſtmodum ſuſcipiendo.

34. Suarez *in* 3. *part. S. Thomæ tom.* 3. *quæſt.* 68. *art.* 10. *diſp.* 25. *ſect.* 3. *ad fin.* ſic ſcribit: *Ad cognoſcendum autem, an pervenerit parvulus ad eum ſtatum, & facultatem*

uſus

uſus rationis, utendum eſt ſignis, & conjecturis ex experientia deſumptis, & hominis prudentis arbitrio judicium ferendum eſt. Quod ſi ſigna non fuerint ſatis evidentia, tamen rem faciant dubiam, & aliqua modo probabilem; ſi neceſſitas non urgeat, expectari poteſt, & debet commodior occaſio, & major cognitio. Magni hujus Theologi auctoritas, quidquid ſupra diximus, mirifice probat, Baptiſmum nempe, donec dubio locus fuerit, protrahendum: adultum vero id temporis a Chriſtifidelibus detinendum procul a Genitoribus, ex his, quæ ſubjungimus, aperte patet. *Cardinalis de Lugo lib. 5. reſponſ. moral. ad dub. 4.* hoc Romæ accidiſſe narrat ætate ſua: *Contigit Romæ, ut parvula quædam puella caſu inveniretur longe ab Hebræorum domibus, quæ interrogata de ſuis Parentibus, reſpondit, ſe Parentes habere Hebræos, & velle fieri Chriſtianam. Conducta ergo ad Catechumenorum domum, Parens petiit, filiam ſibi reſtitui, quæ adhuc ſui juris non erat, nec rationis compos ad deliberandum de Religione.* Conſilium expetitum eſt ſapientiſſimi Cardinalis, qui poſtquam diligenter puellam examinaſſet, dubitavit, an perfecto rationis uſu præditam judicaret: *Conſultus ergo tunc fui, & examinavi puellam, nec perfectum rationis uſum affirmare potui, nec etiam ſufficientem negare, ſed manſi dubius.* Cum puella ſeptennium adhuc non compleviſſet, dubitaretque Cardinalis de perfecto rationis uſu, Baptiſmum protrahendum eſſe reſpondit, & puellam interea apud Catechumenos detinendam: *Ego, quoniam puella illa ſeptennium non compleverat, & de ſufficienti rationis uſu dubitabatur, dixi, Baptiſmum quidem ſuſpendendum eſſe, donec cum pleno rationis uſu certo conſtare poſſet de ſufficienti ejus voluntate; interim tamen non debere, nec poſſe reſtitui, ſed cuſtodiæ cauſa retinendam in eadem Catechumenorum domo.* Atque ita geſtum fuit, ut puella deinceps, nova adhibita diligentia, baptizata fuit, ut videtur in fine prædicti dubii 4. *Non erat controverſia, an puella baptizanda eſſet, ſed an patri reddenda, in dubio de uſu rationis ſufficienti; in quo dubio de facto reddita non fuit, ſed in loco tuto depoſita, donec ſuo tempore, & explorata jam ejus voluntate, cum certiſſimo rationis uſu, baptizata fuit.*

35. Species facti, quam modo expoſuimus, de puella eſt, quæ ſeptennium nondum expleverat; ſi autem illud ſuperaſſet, & non conſtaret de perfecto rationis uſu, non ideo Hebræis Parentibus reddenda eſſet, ſed Chriſtianorum curæ mandanda. Etenim idem argumentum, & ad puellam detinendam, & ad Baptiſmum protrahendum, in utroque caſu valeat neceſſe eſt, auctore Seſſa *de Jud. cap. 54. n. 8. & ſeq. Ego vero adhærendum puto ſententiæ Henriquez, ut baptizari in dubio uſus rationis non debeat, ſive ſeptennium compleverit, ſive non &c. modo non urgeat periculum mortis &c. Erit tamen eo caſu a Parentibus ſegregandus, & in domo Catechumenorum, vel penes honeſtam mulierem collocandus, ad vitandum periculum, ne a Parentibus ſubvertatur.* Et ante Seſſam id docuerat Sotus *loco cit. Quid vero quando res eſſet aliquo modo dubia, nempe ſi bonæ eſſent conjecturæ, & indicia, puerum annum agentem octavum intelligere, quid vellet profiteri, Baptiſmumque peteret; eſſet baptizandus; ac ſubinde ab eorum educatione ſubtrahendus?*

36. Tempore conſtituto, in quo Hebræus rationis compos prudenter cenſendus eſt, ſtatuto etiam quid ſit agendum, cum Baptiſmi petitor, an ſit idoneus, dubitatur; de iis jam diſſeremus, qui aut ab adoleſcentia, aut ætate etiam maturiori Baptiſmum poſtulant. Quoad hanc ætatem, Parentum conſenſum neceſſarium omnino non eſſe, auctor eſt Sanctus Thomas *in præfat. loco, id eſt in 2. 2. q. 10. art. 12.* qui in loco diſputans de Baptiſmo filiorum Hebræorum, diſſentientibus Parentibus, ſic ſcribit: *Poſtquam autem incipit habere uſum liberi arbitrii, jam incipit eſſe ſuus, & poteſt, quantum ad ea, quæ ſunt juris divini, vel naturalis, ſibi providere; & tunc eſt inducendus ad Fidem, non coactione, ſed perſuaſione, & poteſt etiam, invitis Parentibus, conſentire Fidei, & baptizari, non autem antequam habeat uſum rationis.* Eadem vero repetit *in 3. part. q. 68. art. 10. Reſpondeo, dicendum, quod pueri infidelium filii aut habent uſum rationis, aut non habent. Si autem habent, jam quantum ad ea, quæ ſunt juris divini, vel naturalis, incipiunt ſuæ poteſtatis eſſe; & ideo propria voluntate, invitis Parentibus, poſſunt Baptiſmum ſuſcipere, ſicut & Matrimonium contrahere; & ideo tales licite moneri poſſunt, & induci ad ſuſcipiendum Baptiſmum.* Quæ quidem cum iis conveniunt, quæ ſcripta reliquit idem *Doctor Angelicus in quodlib. 2. art. 7.*

37. Sancti Thomæ doctrina de modo, quo Hebræi, jam rationis compotes, ad Fidem Catholicam amplectendam inducendi ſunt, omnino congruit cum Sancti Gregorii ſententia *in Can. Qui ſincera, diſt. 45.* cujus hæc ſunt verba: *Qui ſincera intentione extraneos a Chriſtiana Religione ad Fidem cupiunt recta perducere, blandimentis, non aſperitatibus debent ſtudere, ne quorum mentem reddita ad planum ratio poterat revocare, pellat procul adverſitas. Nam quicumque aliter agunt, & eos ſub hoc velamine a conſueto ritus ſui volunt cultura ſuſpendere, ſua illi magis, quam Dei cauſas probantur attendere.* Accedit Concilii Toletani auctoritas *in Can. de Judæis diſt. 45. De Judæis autem præcipit Sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferri; cui enim vult Deus, miſeretur, & quem vult, indurat. Non enim tales inviti ſalvandi ſunt, ſed volentes, ut integra ſit forma juſtitiæ. Sicut enim homo proprii arbitrii voluntate ſerpenti obediens periit, ſic, vocante ſe gratia Dei, propriæ mentis converſione homo quiſque credendo ſalvatur. Ergo non vi, ſed liberi arbitrii facultate, ut convertantur, ſuadendi ſunt, non potius impellendi.* Idem ſentit Clemens III. in ſua Decretali, cujus hoc eſt exordium: *Sicut Judæi, ſub tit. de Jud. & Saracen. Statuimus, ut nullus invitos, vel nolentes Judæos ad Baptiſmum venire compellat. Si quis autem ad Chriſtianos cauſa Fidei confugerit, poſtquam voluntas ejus fuerit pateſacta, Chriſtianus abſque calumnia efficiatur, quippe Chriſti Fidem habere non creditur, qui ad Chriſtianorum Baptiſmum non ſpontaneus, ſed invitus cogitur pervenire.*

38. Nec plane abeſt huic ſententiæ auctoritas Adriani Pontificis, qui Baptiſmum a Carolo Magno Saxonibus vi collatum, ut fertur, comprobavit, cum Infidelium ratio æque, ac Hebræorum habenda ſit, juxta S. Thomæ ſententiam *in 2. 2. q. 10. art. 8.* ubi ſic ſcribit: *Infideles quidam ſunt, qui nunquam ſuſceperunt Fidem, ſicut Gentiles, & Judæi, & tales nullo modo ſunt ad Fidem compellendi, ut ipſi credant &c. alii vero ſunt Infideles, qui quandoque Fidem ſuſceperunt, & eam profitentur, ſicut Hæretici, & quicumque Apoſtatæ, & tales ſunt etiam corporaliter compellendi, ut impleant, quod promiſerunt, & teneant, quod ſemel ſuſceperunt.* Nullius quoque momenti ſunt, quæ geſta fuerunt a Siſebuto Hiſpaniarum Rege, quem Concilium IV. Toletanum *cap. Majores, de Baptiſmo*, Principem Religioſiſſimum compellavit, propterea quod vi, ac minis Hebræos ad Baptiſmum impulerit, cujus veſtigiis inſtiterunt Rex Ægæus, Ferdinandus, atque Iſabella, ut videre licet in Mariana noviſſimæ editionis *ann. 1733. to. 1. pag. 202. & in tom. 3. pag. 184. & 211.*

39. Placet hic vero nonnulla breviter adnotare; ac primo, Pontifex Adrianus gratulatus eſt quidem Carolo Magno, quod Saxones juſſiſſet ad Baptiſmum accedere; in ejus tamen Epiſtola typis impreſſa *in to. 2. Concil. antiq. Galliæ pag. 112.* quod unum extat facti ejuſmodi monumentum, in ejus, inquam, Epiſtola ne leviter quidem commemoratur modus, quo fuerant Saxones baptizati; deinde iidem Saxones fidem Imperatori dederant, ſua ſe ſponte ad Baptiſmum venturos, quum armis ſuperati, & prælio victi ſe Carolo tradiderunt: *Spoponderunt ſe eſſe Chriſtianos, & ſe ſub ditione Domini Caroli Regis, & Francorum ſubdiderunt*, ut narrat Annalium ſcriptor Loiſſelianus *tom. 6. Annal. Eccleſiaſt. Galliæ Patris le Cointe pag. 150.* Tertio, Rex Siſebutus non ubique fuit, neque ab omnibus commendatus; quapropter Rex Siſenandus imperavit, ut nulla vis impoſterum adhiberetur, quod Mariana teſtatur *to. 1. pag. 207. Judæos amplius ad Religionis Chriſtianæ profeſſionem cogere nefas eſt*. Quarto, Religioſiſſimi nomen Siſebutus, non ſcientiæ merito, ſed pietatis cauſa eſt conſequutus, *propter zelum, quem habebat, licet is non eſſet ſecundum ſcientiam*, ut notat Sylvius *in 2. 2. S. Thomæ, quæ. 10. art. 8. concl. 4. §. Ad hoc tamen.* Quinto, in Hiſpania per eam ætatem Eccleſiaſtica diſciplina nimis remiſſa erat; ideoque Epiſcopi non auſi ſunt Regum voluntati adverſari, uti animadvertit Natalis Alexander in ſua *Theologia dogmat. & mor. de Sacram. Bapt. lib. 2. cap. 7. propoſ. 7. ad fin. Mores illos in Hiſpaniarum Eccleſiis viguiſſe negari non poteſt, Epiſcopis Eccleſiaſticam diſciplinam ad nutum Regum ſuorum flectentibus; ſed ſaniorem fuiſſe, ut & antiquiorem diſciplinam, de Judæis ad Fidem Chriſtianam per Baptiſmum non cogendis, perſpicuum eſt.* Demum Principum geſta legem præſcribere privatis nequeunt, cum fas ſit Regibus Infideles devictos, captivoſque ſuos, vi ad Baptiſmum impellere, edictoque ſancire, ut illud accipere ſi recuſent, a Regno eliminentur. Id autem Regibus licet non ſine cauſa; metuunt enim, ne ipſi aliquando ad rebellionem deficiant, aut alios ad infidelitatem perducere moliantur. Quamobrem S. Auguſtinus in Epiſtola ad Vincentium, quæ nunc 93. eſt, olim 48. poſtquam ſuam ſententiam ſemper fuiſſe ait: *neminem ad unitatem Chriſti eſſe cogendum*, hoc ad rem noſtram addit: *Legum terror, quibus promulgandis Reges ſerviunt Divino in timore, ita profuit, ut nunc alii dicant: gratias Domino, qui vincula noſtra diſrupit, & nos ad pacis vinculum tranſtulit.*

40. Hebræis igitur, ut Baptiſmum accipiant, vim facere nefas eſt; quare ſi quis Hebræorum, expleto jam ſeptennio, Catholicam Religionem amplecti cupiat, aut ſi non dubia, ſed certa ſignificatio detur, Hebræum aliquem prædictæ ætatis Baptiſmum petere, in hoc caſu tum inde, qui hoc admonet, eſt retinendus, tum Sacramenti petitor ex Hebræorum vico evocandus, Chriſtianiſque tradendus eſt, ut interrogetur, qua potiſſimum de cauſa velit ab Hebræorum inſtitutionibus ad Chriſti cultum accedere; diligenter demum inſtrui debet, ut paullo poſt edocebimus. Hac autem adhibita diligentia, ſi forte incapax inveniretur, iterum abſque dubio Judæis tradendus eſſet. *Et memini*, verba ſunt Cardinalis Albizi *de inconſt. in Fide cap. 11. ſub n. 38. in Congregatione Conſultorum Sancti Officii revocatum fuiſſe ad examen puerum quemdam Hebræum, qui ſup-*

gaudebatur patiiſſe Baptiſmum, & ad domum Catechumenorum reductus fuerat, qui tamen adeo hebetis ingenii viſus fuit, ut, etiamſi explevìſſet ſeptennium, nihilominus Patri Hebræo reſtitutus fuit.

41. Si contingat, ut Hebræorum aliquis ætate adultus Baptiſmum cupiat; is quidem eſt retinendus, aut e vico evocandus, dum ejus optimam voluntatem quiſpiam fide dignus atteſtatur. Magna hic vero diligentia opus eſt, experientia edocente, Hebræas, ſeu mulieres, ſeu puellas, frequenter ad Baptiſmum confugere, non Religionis, ſed Matrimonii cauſa, quod nimirum Chriſtianum aliquem deperéant: mares autem Chriſtianæ Fidei deſiderium affectare, quod Matrimonii jam contracti laqueos declinare cupiunt, & uxorem Hebræam relinquere; aut quod ære alieno gravati ſunt, ac ſolvendo impares. Atque utinam in præſentiarum non eveniret, quod Stephanus Tornacenſis ſcripſit in Epiſt. 32. *Raro accidit, ut de plebis circumciſæ duritia in novam Eccleſiæ renatus infantiam, fideliter aliquis converſetur.* Hanc vocem *raro* ita interpretamur, ut non negemus perſæpe, Hebræos ad veram Fidem divinitus evocatos, ea feciſſe omnia, quæ bonos viros, & utiles Chriſtianos decent. Eorum Elenchum vide apud Poſſevinum, & Thomam a Jeſu *de converſ. Gent. lib. 9. part. 2. c. 1. pag.* 635. Præviam inſtitutionem multum ad hanc rem conferre fatendum eſt. Sapientes inſtructiones pro Miſſionariis Romæ in lucem editæ an. 1699. pag. 187. hæc habent: *Enimvero comprobatum eſt experientia, Chriſtianos pejores non inveniri, quam qui ante competentem inſtructionem ad Baptiſmum admiſſi ſunt; quippe qui facilitate Chriſto nomen dedeiunt, eadem ut plurimum unattum ei renuntiant &c. quodque miſerabilius eſt, deteriores malto ſunt, quam ante Baptiſmum, & correctionis omnino impatientes.* Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. c. 6.* indicat, quæ Adulto, ad Baptiſmum cum ſpirituali utilitate accipiendum, ſunt neceſſaria. Catechiſmus Romanus *part. 2. de Baptiſmo* moram, & tarditatem in hoc negotio inculcat, cum mortis diſcrimen abeſſe videatur. *Dilatio aliquas videtur utilitates afferre; primum enim quantum ab Eccleſia providendum eſt, ne quis ad hoc Sacramentum ficto, & ſimulato animo accedat, eorum voluntas, qui ad Baptiſmum accedunt, magis exploratur, atque perſpicitur; deinde in Fidei doctrina, quam profiteri debent, & Chriſtianæ vitæ inſtitutionibus erudiuntur perfectius.* Quoad ea, quæ ante Baptiſmum Adulto credenda ſunt, animadverſione dignum eſt dubium, ſeu quæſitio ab Epiſcopo Quebec S. Officii Congregationi propoſita, definita 3. Maji an. 1703. *Utrum, antequam Adulto conferatur Baptiſma, Miniſter teneatur ei explicare omnia Fidei noſtræ Myſteria, præſertim ſi eſt moribundus, quia hoc perturbaret mentem illius; an non ſufficeret, ſi moribundus promitteret fore, ut ubi e morbo convaleſceret, inſtruendum ſe curet, ut in praxim redigat, quod ei præſcriptum fuerit? Reſpondetur, non ſufficere promiſſionem, ſed Miſſionarium teneri Adulto etiam moribundo, qui incapax omnino non ſit, explicare Myſteria Fidei, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medii, ut ſunt præcipue Myſterium Trinitatis, & Incarnationis.*

42. Hactenus verba fecimus de Hebræis adultis ultro Baptiſmum petentibus; modo, finis ut Epiſtolæ imponatur, de iis ſermonem inſtituemus, quibus, infantium ætate tranſacta, nec ipſis quidem petentibus, Baptiſmus impertitur, ut re ipſa contigit in Viviani facto, unde oblata Nobis hujus Epiſtolæ conſcribendæ occaſio fuit. Is enim præter infantes, filiam annorum novem Baptiſmate conſecravit, idem cum filio jam duodenni facturus, niſi aquam deficere comperiſſet. Eos itaque & retinere oportet, & diligenter inquirere, a quo baptizati ſint, an debita forma, & materia adhibita; tum etiam oportet eos inſtruere, & docere, ſupplendo quidquid antea non factum fuit, ac fieri omnino debuit. Neque vero hæc ſatis ſunt, ſed nonnulla inſuper obſervari neceſſario debent.

43. Non raro fit, ut puer adhuc rationis impos in rebus momenti maximi cogatur alienæ inſervire voluntati, quod ſolebat olim ex veteri diſciplina frequenter uſuvenire; quos enim ab infantia Parentes ad Monaſterium miſerant, ii toto vitæ ſpatio ſolitudinem colere tenebantur, quamquam, ubi adoleviſſent, ſeſe palam profiterentur ab inſtituto ejuſmodi abhorrere. Vide *Can. Audiſtis 20. qu. 1.* Atqui Adultus alienæ obnoxius voluntati, niſi ſponte ſua obligari nequit: quare, cum Baptiſmum Catholicæ Religionis obſervantia conjuncta ſit, hinc ſane oritur, Sacramentum non eſſe validum in Adulto palam, ac libere diſſentiente. S. Thomas *3. part. ad q. 68. art. 7.* quærit: *Utrum ex parte Baptizati requiratur intentio ſuſcipiendi Sacramentum Baptiſmi?* Et quibuſdam more ſuo propoſitis argumentis, intentionem non eſſe neceſſariam probantibus, ita quæſtionem ſolvit: *Reſpondeo dicendum, quod per Baptiſmum aliquis moritur veteri vitæ peccati, & incipit quamdam vitæ novitatem &c. Et ideo ſicut ad hoc, quod homo moriatur veteri vitæ, requiritur, ſecundum Auguſtinum, in habente uſum liberi arbitrii voluntas, qua eum veteris vitæ pæniteat, ita requiritur voluntas, qua intendat vitæ novitatem, cujus principium eſt ipſa ſuſceptio Sacramenti; & ideo ex parte Baptizati requiritur voluntas, ſeu intentio ſuſcipiendi Sacramentum.* Gloſſa Canonica *in Can. Solet*, ad verb. *Implorandum, de Conſecr. diſt. 4.* intentionis neceſſitatem in Adulto, qui baptizatur, non requirit, ſed Baptizantis tantummodo ſatis eſſe affirmat: *Si Baptizans intendit baptizare, qualemcumque intentionem Baptizatus habeat, recipit Sacramentum; ſed, ſi non intendit baptizare, licet verba proferat, non eſt baptizatus.* Sed juxta Scotum *in 4. ſent. diſp. 5. q. unic. art. 7. §. His igitur* ſupradicta Gloſſa, ſicut & alia *in c. Majores, de Baptiſmo, tum contra veritatem, tum contra textus ipſos aperte pugnant.* Ratio vero, qua Gloſſa innititur, nempe Baptizatum patientis partes agere in Sacramento, intentionem autem quoad agentem, minime quoad patientem neceſſario requiri; ratio, inquam, ejuſmodi refellitur a S. Thoma *loc. cit.* in reſponſione ad primum argumentum: *Ergo dicendum, quod in juſtificatione, quæ fit per Baptiſmum, non eſt paſſio coacta, ſed voluntaria; & ideo requiritur intentio recipiendi id, quod ei datur.* Quidquid S. Doctor in Summa de hac voluntatis neceſſitate ſcribit, jam antea declaraverat *in 4. ſententiar. diſt. 6. quæſt. 1. art. 1. quæſt. 3.*

44. Cum ergo voluntatis, ſive intentionis in Adulto, quoad Baptiſmum, neceſſitas certa ſit, is debet ideo interrogari, quo eſſet animo, aut voluntate, cum a ſe non poſtulatum acciperet Sacramentum; fieri enim potuit, ut in ipſo actu intentionem habuerit accipiendi Baptiſmum, aut quoddam veluti lavacrum in Eccleſia ſolitum frequentari, aut ut profanam quamlibet lavacri ſpeciem. Nihil prohibet, quominus ante Baptiſmum intentio fuerit illius, ut lavacrum eſt Eccleſiæ proprium, accipiendi, ea deinde intentione in ipſo actu caruerit, cum luſtraretur. Contingere item potuit, ut animo, ac voluntate extiterit Sacramento contraria, licet modeſtiam vultus, ac corporis totius compoſitionem in accipiendo Baptiſmate præſeferret. Nihil demum impedimento eſt, quin ipſa rei novitate perculſus, nulla omnino voluntate, nec aſſentiendi ſcilicet, nec abnuendi fuerit; & fieri etiam poteſt, ut animo prorſus a ſacris Myſteriis alieno, vel voluntate coacta, & repugnante, Baptiſmum acceperit.

45. Si quis Adultus ad ſalutis Fontem acceſſerit voluntate animatus accipiendi non quodcumque lavacrum, ſed unice Eccleſiæ proprium, ac peculiare, Baptiſmum eſſe validum dubitari non poteſt. Ita Ægid. *lib. 4. ſent. diſt. 4. §. 10. In his enim ad veritatem Baptiſmi, ſive ad Characteris ſuſceptionem omnino neceſſaria eſt intentio ſuſcipiendi Sacramentum, non tamen ut eſt lotio quædam in genere, ſed ut talis, qualem frequentat Eccleſia.*

46. Verum ſi quis Baptiſmum accipiens præſenti voluntate careat, quam alias tamen habuerit, talis ſuſcipiendæ lotionis, qualis in Eccleſia frequentatur, tunc examinare oportet, utrum voluntas antecedens, nunquam deinceps retractata, adhuc moraliter perſeveret. Nam ubi nulla præceſſerit retractatio, & moraliter perdurare intentio videatur, eſt certe validum Sacramentum. Hic caſus ad eos ſpectat, qui ante furorem, vel ſomnum, Baptiſmum petunt, accipiunt vero dum aut inſania vexantur, aut ſomno indulgent; & hoc genus hominum valide baptizarum dicitur *in Conc. III. Carthagin. c. 34.* Non ſecus accidit S. Auguſtini amico, qui febris ardore delirans, *baptizatus eſt neſciens, mente, atque ſenſu abſentiſſimus*, ut habetur *in lib. 4. Confeſſ. cap. 4.*; is enim, cum adhuc inter Catechumenos verſaretur, propoſitum abſque dubio habuerat baptizandi. Ad hanc rem animadverſione digniſſima verba ſunt Innocentii III. *cap. Majores, ad §. Verum, de Baptiſmo*, ubi hæc leguntur: *Dormientes autem, & amentes, ſi priuſquam in amentiam inciderent, aut dormirent, in contradictione perſtiterant, quia in eis intelligitur contradictionis propoſitum perdurare, ſi fuerint ſic immerſi, Characterem non ſuſcipiunt Sacramenti: ſecus autem, ſi prius Catechumeni extitiſſent, & habuiſſent propoſitum baptizandi.*

47. Qui vultu, atque oculis, ac toto corpore ad modeſtiam compoſito, voluntate tamen alieniſſima, ad hoc Sacramentum veniat, is aditum aperit ad controverſiam non parvi momenti. Quidquid ſit de opinione Caterini, qui ſuſtinet, conferenti externam ſufficere compoſitionem, etiamſi non id animo proponat facere, quod Eccleſia ſolet, de qua opinione multa alibi diximus in noſtro Tractatu *de Sacrificio Miſſæ ad part. 4. ſect. 2. n. 76. & ſeqq.* hæc, inquam, opinio minus habet difficultatis, cum non de conferente agatur, ſed de accipiente Baptiſmum. Propoſitio autem ab Alexandro VIII. damnata, objici Caterino ſolita, conferentem reſpicit, non accipientem: *Valet Baptiſmus collatus a Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque Baptiſmi obſervat, intus vero, in corde ſuo reſolvit, non intendo facere, quod facit Eccleſia.*

48. Quotieſcumque ſacra hæc Myſteria ſuſcipiantur indifferenti prorſus animo, ac propoſito, neutra ſcilicet voluntate, Cardinalis Cajetanus *Art. 7. in Summa S. Thomæ 3. part. q. 68.* admiſſa in recipiente intentionis neceſſitate, docet, intentionem non *per ſe*, ut Scholæ loquuntur, ſed *per accidens*, neceſſariam eſſe, ut nimirum contraria voluntas, ſi adfuiſſet, ſublata penitus intelligatur. Itaque ſi quis nec abnuens, nec aſſentiens, neutra videlicet voluntate baptizaretur, cenſendus eſſet Baptiſmum valide ſuſcepiſſe. At enim Scotus *4. ſent. diſt. 5. q. unic. art. 7.* Cajetano vehementiſſime adverſatur, & ea quidem felicitate, ut plurimos habeat ſententiæ ſuæ Theologos aſſertores,

Sylvius

Sylvius *to.4. in 3. part. S. Thomæ q.68. art.7.* poſtquam rem prolixe diſcuſſit, ita concludit: *Ex jam dictis certum eſt, non ſufficere, quod quis neque ſit volens, neque ſit nolens, quia talis non habet intentionem recipiendi Sacramentum.* Valentia *tom.4. ſuorum comment. Theolog. diſp.4. quæſt.3. punct.2.* Cajetano valere juſſo, adhæret Soto: *Quod ſi neuter prorſus aliquis eſſet, id eſt, qui neque vellet, neque nollet ſuſcipere, putavit Cajetanus, ſi ſic baptizaretur, fore Baptiſmum validum, ſed admodum falſe id putavit, ut multis argumentis probat Scotus.* Conſulendus quoque eſt Cardin. Lauræa *lib.4. ſentent. tom.1. diſp.11. quæſt.2. n.22. & ſeqq.* Cajetanus fulcire ſtudet ſententiam ſuam auctoritate Decretalis Innocentii III., de qua mox ſermo erit, *in c. Majores, de Baptiſmo*, ubi leguntur hæc verba: *Tunc Characterem Sacramentalis imprimit operatio, cum obicem contrariæ voluntatis non invenit obſiſtentem*: ubi ſentire videtur, Baptiſmo ſatis eſſe, recipienti voluntatem non ineſſe contrariam. At enimvero animadvertatur neceſſe eſt, Pontificem Innocentium reſpondere quæſtioni, utrum amentes baptizari abſque conſenſu poſſint, ac decernere hoc licere, eorum ſi conſenſus adfuerit furori prævius, ſecus vero, ſi nullus dementiam conſenſus præceſſerit, ac voluntas. Itaque Pontificis poſtea aſſerentis Sacramento imprimi Characterem, *quando non invenit obicem contrariæ voluntatis*, nemo non videt, hanc mentem eſſe, Baptiſmatis haberi effectum, quando quis vel in actu aſſenſum præbeat, vel jam ante præbuerit. Quod ſi Pontifex ea in ſententia fuiſſet, ſuſcipiendo Baptiſmati ſatis eſſe voluntatem non obſiſtentem, utique non decreviſſet, ut revera ſtatuit, in amentibus voluntatem neceſſario requiri antecedentem.

49. Demum ſi Baptiſmus violenter, atque animo palam contrario ſuſcipiatur, ſupradictus Pontifex Innocentius III. *eadem in Decretali Majores, de Baptiſmo*, diſtinctione utendum judicat. Etenim eos, qui minis, ac terrore correpti violentiæ cedunt, Baptiſmum, ut ſibi conſulant, ſuſcipientes, ab iis diſtinguit, quibus, vi etiam illata, contradicentibus palam, & reluctantibus, hoc Sacramentum per vim confertur. Decernit autem in primo caſu, non in ſecundo, Baptiſmatis imprimi Characterem: *Is, qui terroribus, atque ſuppliciis vehementer attrahitur, ne detrimentum incurrat, Baptiſmi ſuſcipit Sacramentum, ſicut & is, qui ficte ad Baptiſmum accedit, Characterem ſuſcipit Chriſtianitatis impreſſum &c. Ille vero, qui nunquam conſentit, ſed penitus contradicit, nec rem, nec Characterem ſuſcipit Sacramenti, quia plus eſt expreſſe contradicere, quam minime conſentire: ſicut nec ille notam alicujus reatus incurrit, qui contradicens penitus, & reclamans, thurificare Idolis cogitur violenter*. Diſtinctio ejuſmodi occurrit quoque in Gloſſa Canonica *in Can. de Judæis, ad verbum, Coacti ſunt, diſt.45. in cap. Majores §. Item quæritur, ad verbum, Conditionaliter, de Baptiſmo; & in cap. Contra Chriſtianos, ad verbum, Abſolute, de Hæreticis, in ſexto.*

50. Examen porro ſi haberi debeat de Adulti propoſito, aut voluntate, cum Baptiſmum accipit, is profecto eſt ante cæteros audiendus, & interrogandus; cavendum tamen, ne inconſulto fides eidem illico habeatur, ubi reſponderit, ſe baptizatum non libere, ſed invito; fieri enim poteſt (nec caſus ſane hic metaphyſicus eſt) ut ipſo in actu intentionem habuerit ſufficientem, diabolicis deinde ſtimulis incitatus, & victus, ad vomitum rediturus mendacium proferat, & de intentione interrogatus nigrum pro albo, ut inquiunt, repræſentet. Qui in Foro, in Curia, in Republica verſatus eſt, non ignorat, & ſæpe alias contigiſſe, & frequenter uſuvenire, ut Sacris Ordinibus initiati, ac vitam Regularem profeſſi, enixe poſtulent contractis a vinculis ſolutionem, dictitantes nimirum, & nonnunquam jurejurando affirmantes, ſeſe illo tempore aut nullam penitus intentionem, aut omnino contrariam habuiſſe. In hoc rerum ſtatu, quid ſolet conſilii capere Judex cautus, & prudens? Clamores aſpernatur, reſpuit jusjurandum, niſi hoc idem comprobent adjuncta plurima, & circumſtantiæ antecedentes, concomitantes, & ſubſequentes, & ex quidem momenti ſint ineluctabilis, & inconcuſſi. Hac profecto ratione, hoc examine, hac diligentia opus eſt, ubi Adultus poſt Baptiſmum aut intentionem ſibi fuiſſe pernegat, aut non idoneam, minimeque ſufficientem extitiſſe contendit.

51. Quod ſi nulla ſit reliqua dubitatio, planeque conſtet hac luce clarius, Adulto Baptiſmum accipienti nullam prorſus fuiſſe voluntatem, aut intentionem, nil reſtat aliud, quam eumdem & hortari, & admonere, ut rite id faciat, quod jam irrito fecit, & ſuſcipiat *abſolute*, ac libere Sacramentum; ac ſi obſtinate repugnet, tum nihil aliud ſupereſt, niſi ut remittatur. Si autem res in dubio ſit, nec intelligi poſſit, an defuerit intentio, an ſufficiens adfuerit, nec ne, Adultus tum retinendus, baptizanduſque *ſub conditione*. S. Thomas *3. part. quæſt.68. art.7.*, ubi, ut antea diximus, in Baptizato intentionis neceſſitatem probans, hoc ſibi objectum proponit ſecundo loco: *Cum de intentione Baptizati non conſtet, quilibet poſſet petere, ſe denuo baptizari, propter intentionis defectum. Non videtur ergo, quod intentio requiratur ex parte Baptizati, ut ſuſcipiat Sacramentum*; atque ita reſpondet: *Dicendum ergo, quod ſi in Adulto defuiſſet intentio ſuſcipiendi Sacramentum, eſſet rebaptizandus; ſi tamen hoc non conſtaret, eſſet dicendum, ſi non es baptizatus, ego te baptizo.*

52. Demum quotieſcumque aliqua ex parte de collato Baptiſmate dubitetur aut in facto, aut in jure; cum ex facto articulus juris oriatur, de quo nihil adhuc certi Eccleſia ſtatuit, Theologorum autem, Scriptorumque ſententiæ diviſæ ſunt; Hebræus jam luſtratus non remitti, ſed retineri debet, & baptizari *ſub conditione*, juxta regulam Alexandri III. *in cap. De quibus, ſub tit. de Baptiſmo: De quibus dubium eſt, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmiſſis: Non te rebaptizo, ſed ſi nondum baptizatus es, ego baptizo te.* Hi porro ita baptizati tenentur omnino Fidem Catholicam obſervare, eorum inſtar, qui minis, ac terrore adducti, ſuſcipiendo Baptiſmati aſſenſum libere præbuerunt. Vide *cit. cap. Majores §. Verum, de Baptiſmo: Et ipſe tanquam conditionaliter volens, licet abſolute non velit, cogendus eſt tamen ad obſervationem Fidei Chriſtianæ.* Et prolixius *in Can. de Judæis, ad diſt.45.* ubi ſic legitur: *Oportet, ut Fidem, quam etiam vi, vel neceſſitate ſuſceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blaſphemetur, & Fides, quam ſuſceperunt, vilis, & contemptibilis habeatur.*

53. Statutum hic nobis fuerat Epiſtolam terminare; ſed deinceps audivimus operæ pretium eſſe, quaſdam quæſtiones ſolvere huc ſpectantes, quarum uſus haud infrequens eſſe ſolet. Tenemur itaque huic epiſtolæ additamentum nectere, & opportunius hoc fore exiſtimamus, quam opus jam perfectum retexere, aut faſciolas, ut dici ſolet, ac fruſtula infarcire.

54. Superius, hoc eſt *n.40.* e vico evocandum, tradendumque Chriſtianis diximus eum, qui nuncio haud dubio, ſed certo & indubitato delatus eſt, & dediſſe, & adhuc exhibere indicia deſiderii, quo flagrat, ſuſcipiendi Baptiſmatis. Hoc præmiſſo, in præſentia quæritur, quandonam ejuſmodi denuntiatio tuta, minimeque dubia habenda ſit? Cum non de Adulto ad ſalutis fontem ultro ſe conferente, ſed de eo nunc ſermo ſit, quem alii ſignificant Baptiſmum votis omnibus exoptare, jam patet, non poſſe quæſtionem ſolvi, niſi decernatur, cujuſmodi, & quot eſſe teſtes debeant, eorum ut denunciatio incerta, non anceps, ſed fide digniſſima exiſtimetur.

55 Regula generalis, quam Te non ignorare compertum habemus, aperte jubet, non unius teſtimonio haberi fidem. Hæc vero jure Divino innititur, *in ore* ſcilicet, *duorum, vel trium, ſtabit omne verbum*: concordat jus Pontificium *in cap. Veniens 10. &c. Licet Univerſis 23. de teſtibus*, & jus Civile *in leg. Jurisjurandi C. de Teſtibus*. Aliquæ porro ſunt hujus regulæ limitationes, quarum unam paullo ante produximus, nimirum collationem Baptiſmi unius teſtimonio probari: præter hanc ſi quis alias undetriginta legere cupiat, Speculatorem adeat *tit. de teſtib. nu.8.* Nobis in præſentiarum ſatis erit, earum unam memoraviſſe, rem nempe aliquam unico etiam teſte probari, dum is tamen fultus haud dubiis indiciis fuerit, & claris oppido conjecturis. *Ita Farinaccius de teſt. q.63. cap.1. nu.35. Pac. Jordan. elucubr. lib.14. tit.18. n.66. Panimoll. deciſ.23. annot.5. n.18.* Quoad teſtium conditionem, uſus invaluit tam in judiciis Canonicis, quam civilibus, admitti mulierum teſtimonia, ut apud *Tiraquell. de legib. connub. leg.9. n.64. & ſeq. Farinac. de teſt. quæſt.59. per tot. Pac. Jordan. loc. cit. n.529. Pirhing. tit. de teſt. n.66. & 69. Anaclet. ad eumdem tit. nu.84. Sperell. deciſ.81. num.45.* Quidquid hactenus dictum eſt, probatum ſuis, ut inquiunt, a principiis videre qui cupiat, ſuffragium perlegat admodum elaboratum, & 19. Julii 1709. typis editum a bo. mem. Præſule Froſini Piſarum Archiepiſcopo in quadam controverſia, quæ ipſi cum illius Civitatis Hebræis interceſſit.

56. Ut ergo regulæ hæ generales in quæſtione propoſita locum habeant, cavendum eſt, ne inconſulto, ac temere quidquam fiat, ſi teſtes Hebræum aliquem ſerio Baptiſmum petere ſignificaverint. Ac in primis videndum, num index, ſive mas, ſive femina fuerit, certæ ſit probitatis, ac notæ fidei; deinde examinari debet, & admoneri de gravitate jurisjurandi; tum ejus examen eſt deſcribendum, cui & index ipſe ſubſcribat neceſſe eſt. Si duo inter ſe teſtes concordent quoad locum, tempus, & occaſionem, in qua Hebræus ſuſcipiendi Baptiſmatis voluntatem aperuit, tunc prudentis erit Præſidis, Hebræum ad Catechumenos evocare, eumdemque ibi ad dies duodecim detinere, ut non minus rei veritas, quam voluntatis conſtantia cognoſcatur. At cum rem denuntiant, aut duo teſtes ſingulares, aut unus tantummodo, ſed fide dignus, & omnem citra dubitationem idoneus, & multo magis ſi adminiculis ſuffultus; tunc habito, ut diximus, teſtium, vel teſtis examine, non oportebit Hebræum ad Catechumenos ducere, ſed Judex Catholicus, qui Romæ eſt Viceſgerens pro tempore, ejus voluntatem extra vicum, vel domi ſuæ, vel in Templo aliquo ſemel, atque iterum, aut etiam pluries explorabit, ut Hebræi conſilio clare perſpecto & cognito, eum tuto jubeat, aut ad vicum remitti, aut Catechumenis recenſeri.

57. Neque id vero recens inventum eſt, ſed decretum a Congregatione Sancti Officii anno 1727. cum adhuc in Minoribus eadem in Congregatione Conſultoris munere fun-

geremur; itemque hoc poſtea confirmavit per Litteras Apoſtolicas die 14. Februarii anni prædicti Benedictus Papa XIII. fel. rec., cujus in Nos beneficentia haud parva fuit: ejus Decreti verba talia ſunt: *Feria 4. die 7. Februarii 1727. in Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Conventu Sanctæ Mariæ ſupra Minervam coram Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis Dominis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, in tota Republica Chriſtiana contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus a Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis. Cum plures exortæ ſint controverſiæ ſuper intelligentia, & executione Decreti ab hac Sacra Congregatione editi die 7. Julii 1641. quoad Hebræos utriuſque ſexus denuntiatos de eorum animi declaratione ſuſcipiendi Baptiſmum, Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini Cardinales Generales Inquiſitores prædicti dictum Decretum declarando, & quatenus opus ſit, reformando, in poſterum illud ſequenti modo exequi mandarunt, & decreverunt: nempe, quod Teſtes, qui Hebræos denuntiabunt, ſive mares, ſive feminas de declaratione animi ſuſcipiendi Baptiſmum, per Notarium, juxta interrogatoria generalia ab R. P. D. Viceſgerente præſcribenda, cum ſpeciali monitione relevantiæ Juramenti, in ſcriptis coram eodem R. P. D. Viceſgerente, &, eo impedito, coram ejus Auditore, examinentur; qui etiam examen præfatum ſubſcribere debeant; &, quatenus duo Teſtes ſint de loco, tempore, & occaſione conteſtes, tunc denuntiati ad domum Catechumenorum duci, & collocari in loco ſeparato, ad hunc effectum deſtinato, in eoque per duodecim dies detineri poſſint, ut ſuper veritate, & conſtantia declarationis eorum voluntatis ſuſcipiendi Baptiſmum explorentur. Si autem Teſtes erunt ſingulares, vel unus adeſſet Teſtis idoneus, & fide dignus, tunc denuntiati, non ſtatim poſt denuntiationem, & Teſtium examen ducendi erunt ad domum Catechumenorum, ſed per R. P. D. Viceſgerentem extra Ghettum, vel in ejus domo, vel in aliqua Eccleſia, vel alio loco ſibi bene viſo, & intra tempus neceſſarium, & opportunum, juxta facti ſpeciem, & circumſtantias, pro arbitrio, & prudentia dicti R. P. D. Viceſgerentis, eorum voluntas exploranda erit.*

58. Hanc alia quæſtio ſequitur ad ſponſas pertinens, atque Conjuges Hebræorum, qui viri jam Chriſtiani, aut ſponſi opera Fidei Catholicæ offeruntur. Nulla Judæorum querela eſt, quod a viris, aut ſponſis Chriſtifidelibus ſponſæ, aut Conjuges ad lavacrum Sanctiſſimum offerantur; non enim neſciunt vel ipſi Hebræi, nullam hac invitamenti, vel adhortationis ſpecie violentiam includi, ita ut ſi mulier Baptiſmum reſpuat, matrimonium in Judaiſmo contractum omnino ſolvatur, teſte Apoſtolo 1. *ad Corint. cap. 7.* & juxta *Decretalem, Quanto, de divortiis*, quæ quidem matrimonii ſolutio fit ſtatim ac Judæus Eccleſiæ gremio admiſſus tranſit ad alias nuptias, ut a Nobis longa diſceptatione probatum eſt, cum in Congregatione Concilii a Secretis eſſemus, in quadam cauſa Florentina propoſita 27. *Julii* 1726. ut videre licet *in tom. 3. Theſauri Reſol. pag. 346. & pag. 350. & ſeq. ac tom. 4. pag. 30. & ſeq.* Quando infidelis ad Chriſtum converſus tranſitum facit ad alias nuptias, an eadem ſit libertas conjugi infideli alias contrahendi nuptias, res adhuc in dubio eſt. Sententiam negativam ſuſtinet Pontius *de Matrim. lib. 7. c. 48. nu. 25.* Affirmativæ adhæret Sanchez *de Matrim. lib. 7. diſput. 77. n. 6.* Utramque probabilem Diana exiſtimat *in edit. coordinata de Matrim. tom. 2. reſol. 122. tract. 6.*

59. Illud quoque Hebræis eſt probe cognitum, conjugem viro eſſe obnoxiam, ejuſdemque in poteſtate conſtitutam, quod legunt *Geneſeos c. 3. Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Ipſis præterea compertum eſt ſponſalia plurimum a matrimonio differre, cum hæc non ſint aliud, quam futuri promiſſio matrimonii, ut *in Can. Noſtrates 30. q. 1. & in leg. 1. ff. de ſponſ.* quod & colligitur ex hiſtoria Jacobi *Geneſ. cap. 29.* qui ſervitutem ſervire Labano debuit ad ſtatum tempus, ut uxorem duceret promiſſam ſibi Rachelem. Non id audet Hebræorum quiſpiam inficias ire, juxta eorum mores, per ſponſalia jus quoddam Sponſo, & auctoritatem in Sponſam dari forſan etiam majorem illa, quam Chriſtifidelis habet in Chriſtianam mulierem ſibi deſponſatam. Nam jure Pontificio gravis eſt reus culpæ, non adulterii, qui aliena cum ſponſa turpi conſortio conjugatur, ut Nos alibi demonſtravimus in *noſtra Notificatione V. tom. 3. pag. 65. edit. Bonon.* At apud Hebræos, ex veteri inſtituto, qui rem aliena cum ſponſa habuerit, non impudicus dicitur, ſed adulter, ut *poſt Seldenum lib. 2. Uxor. Hebr. cap. 1.* animadvertit Calmet *in ſua diſſert. de Connubiis Hebr.* & adhuc in præſens apud Hebræos ſcelus, de quo nunc agimus, eſt capitale, ut obſervat Cardinalis de Luca *de Matrim. in diſcur. 9. nu.* 15. quem habuit de quorumdam Judæorum Romæ connubio. Igitur quemadmodum cum ad fidem accedunt, qui poteſtatem in filios, aut filias habent, eorum oblationem Eccleſiæ libere, ac jure faciunt; ita vir, aut ſponſus Chriſti legem amplexus jure optimo oblationem facit ſuæ vel uxoris, aut ſponſæ, in quam jus a legibus, & auctoritatem ſibi conceſſum habet. Facta hæc vero oblatio nec ſane poteſt, nec omnino debet a Chriſtifidelibus recuſari, qui tenentur nulli parcere diligentiæ, nullique ſtudio, ut Chriſtiana veritas jam viro, aut ſponſo cognita, uxori quoque, aut ſponſæ lucem afferat, ac ſalutem, eo vel maxime, quod Romani Pontifices licet Judæis vim fieri quoad Religionem ſevere prohibeant, palam tamen ſignificant, nihil ſibi antiquius eſſe, optabilius nihil, quam ut iidem aliquando e tenebris ad lucem, ab errore ad veritatem veniant; ideo ſemel in ſingulas hebdomadas iis publice Evangelium annuntiari, eoſdemque jubent Sacris hiſce Concionibus intereſſe, ut apparet *in Conſtit. 1. Nicolai III. & Conſtit. 106. Gregorii XIII.*

60. Verum quamquam Hebræi de uxorum, ſponſarumque oblatione nec conquerantur, nec conqueri poſſint, queruntur tamen, ut primum Hebræorum aliquis ad Fidem profectus, aut profecturus, ſuam offert Eccleſiæ ſponſam, quod hæc illico evocatur, domumque Catechumenorum transfertur, ubi quadraginta dierum ſpatio detinetur. Clamant in caſu ejuſmodi nimiam Chriſtianos incertis vocibus habere fidem, & imprudenter agere, priuſquam ullis probationibus demonſtratum fuerit, ſponſalia rite, ac valide contracta fuiſſe. Hinc dictitant, damna, turbationeſque oriri plurimas, cum non ſemel evenerit, ut Hebræus infima de plebe aliquis, mulieris, aut virginis amore flagrans, & divitis, & honeſtæ, deſperans vero eam in Judaiſmo ducere uxorem poſſe, id conſilii ceperit, contracta nempe ſponſalia falſo, ac temere venditare, illuſtrem ut ad thalamum perveniret.

61. Magnus ille Prædeceſſor Noſter S. Gregorius laudabili ſemper methodo, & incorrupta juſtitia in Hebræorum negotiis uſus eſt. Conſule ejus Epiſt. XXV. *lib. 8. indict. 1. ultimæ edit.* Victori Epiſcopo Panormitano datam: *Si igitur querimonia eorum veritate fulcitur, oportet, ut Fraternitas Veſtra, legis ſerie diligenter inſpecta, ita eis quidquid hac de re decretum eſt, cuſtodire debeat, ac ſervare, ut nec ipſa aliquid injuſtum facere, nec illi pati præjudicium videantur.* Sed admonet eodem tempore, ut facta diligenter accurateque perpendantur, ad veritatem rei a Judæis propoſitæ cognoſcendam; ut colligitur ex alia ejus Epiſtola ad Fantinum Panormi defenſorem miſſam, quæ 55. *eſt, lib. 9. indict. 2.* ubi legitur, *ne forte in eorum ſola voluntate verſari præjudicium videretur.* A S. Gregorio edocti, ne ullam his de ſponſalibus diligentiam prætermiſiſſe videremur, Seldenum, Buſtorfium, Leonem Modena, & alios Scriptores conſulendos dijudicavimus. Decreta quoque percurrimus, quæ alias in caſibus hujuſce generis a Congregatione S. Officii emanarunt. Sed Auctorum lectio prædictorum, quam Nobis utilis extitiſſet exornandæ diſſertationi pro aliqua ex Academiis Eccleſiaſticis, quæ coram Nobis ſingulis hebdomadis haberi ſolent, tam plane inutilis, ac ſupervacanea fuit certo, ac tuto decernendo ſiſtemati, quod maximopere optabamus. Ex prædictis Decretis, quorum principium eſt ab anno 1725., licet illud intelligatur, quod ſi ſponſus Hebræus jam Chriſtianus ſponſæ adhuc Judææ oblationem fecit, hanc inter Catechumenos ad quadraginta dies detentam fuiſſe; nullo tamen modo cognoſci potuit, an, & qua ratione ſponſalia probata fuerint, itemque, an eorum probatio ſolius ſponſi, vel plurium teſtimonio inniteretur; an demum quodlibet mutuæ ſponſionis genus exiſtimatum fuerit verus, ac legitimus ſponſaliorum contractus.

62. Doctor Paulus Mediceus in ſuo Tractatu de Hebræorum Ritibus, ac Inſtitutis, quorum ipſe peritiſſimus erat, quippe qui e Moſaica ad Chriſtianam Legem tranſierat, *cap. 27.* de Sponſalibus agit, & Matrimonio Judæorum, & id, ut paucis dicam, oſtendit, in hoc inſtituto non admodum a Chriſtifidelibus differre Hebræos; nam hanc apud eos conſuetudinem eſſe teſtatur, ut ſcriptura conficiatur, in qua parentum alteruter filiam ſuam, aut puellam, aut viduam promittit ſponſo; hic autem eam ſe ducturum pollicetur. Tempus quoque decerni ſolitum, in quo nuptiæ celebrentur. Contractui demum ſubſcribere tum ſponſus, tum duo præterea teſtes de more debent. Sed quia Hebræi eorum, qui Chriſti Fidem amplexi ſunt, dictis, ac teſtimonio ægre acquieſcunt; ideo Nos veritatis apprime cupidi, cuidam familiari noſtro juriſperito mandavimus, ut convocaret in unum Judæos aliquot, quorum unus jampridem Nobis, cum adhuc Anconæ Eccleſiam gubernaremus, eſt probe cognitus, & in Moſaicis ritibus egregie verſatus. Ex eo autem conventu ea, quæ ſequuntur, evicta ſunt.

63. Primo, ſemper ſponſalia contrahi inter virum, & parentes mulieris, aut inter virum, & mulieris propinquos, ſi parentes mulieri deſint; mulierem ſponſalia non contrahere pudoris cauſa, & honeſtatis, imo contractum, qui hebraicè dicitur *Tenaim*, feminæ plerumque ignotum eſſe, quæ poſtea explicite præbet aſſenſum ſuum in ſolemni nuptiarum celebratione, hebraice nuncupata *Kidduſcin*.

64. Secundo, ſponſalibus hac ratione contractus obligari utramque partem; cum autem conſenſum parentes tantum mulieris, aut conſanguinei præbuerint, non vero femina; ideo hanc, ſi diſſentiat, minime cogi poſſe, & diſſentientem, non contractum frangere, ſed peccare graviter, juxta Hebræos, debitam nempe obedientiam Parentibus, aut Majoribus denegando.

65. Ter-

65. Tertio, contractum dici obligatorium, & abſolutum, cum a viro, ac feminæ parentibus ſponſio facta eſt, ac deſcripta, necnon teſtibus confirmata, aut duobus, aut pluribus. Hic contractus Romæ deſcribi ſolet Notarii opera, alibi a Judæis hebraice.

66. Additur, contractum dici pariter abſolutum, cum pars utraque vel privatim, vel coram Rabbino ſponſionem firmant jurejurando coram duobus, aut pluribus teſtibus, & ſponſionem inſuper deſcribi jubent. Quod ſi vel abſque ſcripto, & teſtimoniis, aut coram teſtibus tantum ſine jurejurando ſponſio facta fuerit, tunc neque obligationem inducit, nec contractum perficit ſponſaliorum, ita ut pars utraque libera omnino ſit. At ſi de ſponſione conſtet, & de juramento per teſtes, tunc recedere licet utrique parti, dummodo præviam a Rabbino impetrent abſolutionem a juramento.

67. Hæc Hebræorum ex conventu collecta ſunt. Hinc vero deducitur, duabus tantummodo ſupradictis modis contracta ſponſalia inter Judæos haberi valida, atque obligatoria. Mutuæ igitur viri, ac mulieris ſponſionis, epiſtolis, aut ſchedulis expreſſæ nihil ad effectum, de quo quæritur, valent; ac multo minus munera, veſtes, & nuptiarum apparatus. Non probato autem, quod ſponſio uno, vel altero ex ſupradictis modis facta fuerit, ſi copula ſequatur ante *Kidduſcin*, ſeu Matrimonium, utraque pars ad contrahendum obligatur, non quidem contractus vi, ſed commiſſi ſceleris pœna, & ut crimen admiſſum luatur.

68. Si de ſponſaliorum validitate, aut invaliditate, itemque de obligatione, aut contractu deberet judicium fieri, res autem inter Hebræum, & Hebræam intercederet, æquum eſſet ſententiam ferre legibus conſentaneam, & conſuetudinibus Hebræorum; communis enim, & probata opinio eſt, in judiciis hujuſmodi oportere non juri Pontificio, vel Civili, ſed Legi, & Moſaicæ conſuetudini adhærere. Marquard. *de Judæis part. 2. c. 4.* Ricciul *de jure perſon. lib. 2. cap. 18. n. 7.* Seſſa *de Judæis c. 33. n. 6.* Card. de Luca *de Matrim. diſc. 15. n. 3.* In præſens vero res in diſceptationem venit ad Hebræam pertinens, & ad Hebræum jam Chriſto ſervientem, aut inſervire optantem: negotium nempe agitur ſane maximum, quod ad Chriſtianam ſummopere pertinet Religionem. Conſilio igitur prudenti admodum opus eſt, ac ſalutari. Nos autem re diu, ac multum conſiderata, hoc, quod ſequitur, opportune decernendum exiſtimavimus.

69. Quotieſcumque ſponſus Hebræus Chriſtianæ Religioni nomen dare ſtatuerit, & Evangelio ſponſam offerat, Tuum erit, eum prudenter interrogare, vel ut ab aliis interrogetur imperare, quomodo ſponſalia probentur, neque enim decet ejus affirmationi unice habere fidem. Editas ſponſaliorum probationes tuum pariter munus erit examinare, aut alicui prudenti viro examinandas tradere. Argumenta ſponſalibus comprobandis idonea erunt, ſi tanti eſſe ponderis, & momenti videbuntur, ut contracta inter Catholicos ſponſalia iiſdem rationibus evinci aperte, ac tuto valeant. Apud Chriſtianos ſcriptura non opus eſt, cujus defectu teſtium auctoritate ſuppleri ſolet, adhibitis etiam cenſuris, cum quis poſt Canonicas admonitiones ſponſionem, vel ſine juramento factam, implere negat. Sponſaliorum itaque probationes, ſi tales fuerint, ut modo diximus, antiqua tibi methodus, quæ uſui erat ante annum 1725. adhibenda eſt; e vico ſcilicet evocanda mulier, & ſemel, atque iterum, aut quamdiu opportunum duxeris, ejus voluntas in Templo aliquo, aut alibi exploranda, ac demum aut innata in pervicacia, atque errore relinquenda, ſi reſipiſcere nolit, aut inter Catechumenos retinenda eſt, ut inſtruatur, ſi converſionis certa ſpes aliqua oboriatur.

70. Cum aut ſponſus, aut alius quilibet fide dignus ejuſmodi argumenta proferat, quibus plane conſtet, ſponſalia ita, ut ſupra diximus, contracta fuiſſe, nempe apud ipſos Hebræos valida, atque obligatoria; ad Te ſpectabit, ſponſam illico inter Catechumenos collocare, ubi tamdiu verſabitur, quamdiu neceſſe erit, dummodo quadraginta dierum ſpatium non ſuperetur; intra enim hos limites procedere abſque dubio putamus ſupradicta decreta, quæ initium habent ab anno 1725.

71. Inter Caſſiodori Epiſtolas Regis Theodorici nomine exaratas, ſeptima ſupra trigeſimam ad Hebræos Mediolanenſes tranſmiſſa fuit, in qua iis ſignificatur hoc decretum fuiſſe, quod nimirum *nullus Eccleſiaſticus, cui Synagogæ veſtræ jura competunt, violentia intercedente pervadat, nec veſtris ſe cauſis importuna acerbitate permiſceat, ſed ut religionis cultu, ita & actuum ſint converſatione diſcreti*: & hoc idem Nos hactenus facere procuravimus. Eadem præterea Epiſtola admonentur Judæi, ne ingrati ſint, Chriſtianorum æquitate temere abutentes: *hac tamen moderatione principalis auxilii beneficium concedentes, ut nec vos, quod ad præfatæ Eccleſiæ jus, vel religioſas perſonas cæteras legibus pertinere conſtiterit, inciviliter attrectare tentetis.* Et id quoque Nos addere non prætermittimus; experimento enim didicimus, cum Hebræus palam declarat Chriſtianorum ſe velle inſtitutis, ac legibus obtemperare, a Synagoga, ſi ejus voluntatem nequeat immutare, rationem, aut potius fraudem excogitari de more aliquam, celare ſcilicet, aut alio mittere eum, qui a bono propoſito deterreri non poteſt. Cum vero ſponſus Chriſtiano ſe nomini devovere ſtatuit, ſtatim id Synagoga efficit, ut ſponſa pervicaci aliquo cum Hebræo Matrimonii vinculo copuletur, aut ut omnes illico evaneſcant ſponſaliorum rationes, probationeſque. Hi porro eventus cum methaphyſicos non eſſe ſcias, ideo ſeveritatis erit, ac vigilantiæ tuæ remediis, ac pœnis etiam, ſi opus fuerit, Hebræorum principes in officio continere, ut fraus mulctetur, ac rerum perturbatio tollatur. Hæc ſunt, quæ noſtra hac Epiſtola explicanda duximus, quibus ut feliciter utaris, paternam tibi ex animo benedictionem Apoſtolicam impertimus &c.

BULLA QUINTA.

Aviæ neophytæ aſſeritur jus offerendi ad Baptiſmum Infantes Judæos ex Filio præmortuo Nepotes.

Epiſtola ad R. P. Petrum Hieronymum Guglielmi Congreg. S. Officii Aſſeſſorem.

Extat hæc Bulla in Tom. III. num. LIV. data vero fuit ſub die 15. Decembris an. 1751. Pontificatus autem anno XII.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecte Fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PRobe te meminiſſe arbitramur, Nos in Epiſtola noſtra *die* 28. *menſis Februarii anni* 1747. ad Venerabilem Fratrem Vicarii Urbis Viceſgerentem, Tarſenſem tunc temporis Archiepiſcopum, nunc autem Conſtantinopolitanum Patriarcham conſcripta, quæ typis excuſa, deinde in ſecundum Bullarii noſtri Tomum inſerta fuit, definiiſſe, Patrem, qui ex Judaica perfidia ad Chriſtianam Fidem converſus ſit, poſſe Filium ſuum infantem, vel impuberem, Judæa Matre licet diſſentiente, Sanctæ Religioni noſtræ initiandum offerre; Matri etiam Chriſti Fidem amplexæ hanc eamdem poteſtatem ineſſe, quantumvis Pater in Judaiſmo perſeverans contradicat; præterea hujuſmodi offerendi jus ad Tutores pertranſire, illiuſque paternum quoque Avum participem eſſe, qui, ſecundum opinionem, quæ Tribunalium Decretis pluries rata habita, & confirmata eſt, Nepotem infantem, vel impuberem Sanctæ Religioni Chriſtianæ valide offert, etiamſi vel Pater, vel Mater, aut etiam utrique in Judaiſmo permanentes contradicant. Qua quidem de re omnia in eadem Epiſtola noſtra plene diſcuſſa, & comprobata reperiuntur. Verum quia nulla ibidem paternæ Aviæ facta mentio eſt, num videlicet hæc Nepotem infantem, vel impuberem, Parentibus etiam illius, ac Tutoribus contradicentibus, Sanctæ Religioni noſtræ offerendi jus haberet; eventus nuperrime contigit, qui de hac quoque re Nobis agendi occaſionem præberet. Judæus etenim cum deceſſerit, ac filios duos, uxoremque gravidam reliquerit, eamdemque uxorem tutricem conſtituerit, aliis etiam Judæis tutoribus, tam filiorum, qui nati, quam qui naſcituri eſſent, nominatis; ſuperſtes Avia paterna erat, Chriſtianam Fidem jamdudum amplexa, quæ Sanctæ Religioni Nepotes offerre volebat, & cujus pio propoſito, ac ſtudio, tam patrui, quam paternæ amitæ, Judæi ſcilicet prius defuncti fratres, & ſorores, qui antea pariter Sanctum Baptiſmum receperant, adhærebant. Cum itaque controverti cœptum ſit, num hujuſmodi oblatio acceptari poſſit, ac debeat; ea in præſens quæſtio neceſſario inſtituenda eſt, quæ in altera Epiſtola plane prætermiſſa fuit; exacteque diſcutiendum, num Avia Nepotes offerendi poteſtatem habeat, & num ea oblatio acceptanda, quamvis tam Mater tutrix, quam alii tutores Judæi contradicant. Hoc controverſiæ caput argumentum erit præſentis Epiſtolæ noſtræ, quam tibi, dilecte Fili, directam volumus, quoniam in Sanctiſſimæ Inquiſitionis Tribunali, in quo Aſſeſſoris Officium laudabiliter ſuſtines, eadem res inter Conſultores primum, tum inter Cardinales coram Nobis examinata eſt, omnibus ante perlectis, quæ a Viris expertiſſimis pro utraque parte ſcripto deducta fuerunt.

2. In hujus autem quæſtionis examine occurrit ſtatim Nobis difficultas hujuſmodi. Nemini, quod ſuum non ſit, licite offerendi poteſtas eſt; neque eam oblationem, ſi fiat, recipere ullo modo licet; non igitur ea oblatio recipienda eſt, per quam infans in Judaiſmo natus, Sanctæ Religioni initiandus offertur, niſi ab eo fiat, qui eam in ipſum auctoritatem habeat, quæ patria poteſtas appellatur. Quare cum paterna Avia in filios filii ſui patria poteſtate minime prædita ſit, primo ſtatim intuitu viſum eſt Nobis legitime inferri poſſe, neque illi poteſtatem eſſe nepotes infantes, aut impuberes licite offerendi, neque oblationem ab ea factam licite acceptari poſſe, præſertim cum Mater tutrix contradicat, eique aſſentiantur Tutores, eidem Matri a Genitore adjuncti.

3. Neminem ſane, niſi Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ admodum imperitum, ignorare arbitramur, per plura ſæcula

cam

eam in Eccleſia diſciplinam viguiſſe, qua Genitores proprios filios impuberes non modo Eccleſiaſticæ vitæ, adeoque Clericali ſtatui, ſed etiam Monaſticæ diſciplinæ offerebant; quibus proinde filiis, etiam cum ad eam pervenerint ætatem, in qua bonum a malo diſcernendi facultas eſt, interdictum erat ab ea vitæ conditione reſilire, cui adhuc infantes, vel impuberes a Parentibus deſtinati fuerant; hujuſmodi autem diſciplinæ moderationem paucis ab hinc ſæculis inductam eſſe.

4. Et quidem, quod ad eam ſpectat oblationem, qua infantes in Clerum recipiendi, ac Tonſura, & Lectoratu initiandi offerebantur, complura videre licet apud Morinum *de Sacris Ordinationibus part. 3. exerc. 5. de Tonſura Clericor. cap. 3.* apud Martene *de antiquis Eccleſiæ ritibus tom. 2. lib. 1. c. 3. n. 3.* Boſquetum *in Notis ad Epiſtolam Innocentii III. 136. lib. 2. regeſto 14. pag. 151.* Nuperrime vero aureus annulus repertus eſt, quem, ut ejus capacitas indicat, pro duorum, aut trium menſium infante confectum fuiſſe oportet. In eo aliquot litteræ impreſſæ erant, quibus infantem illum *Levitam* eſſe innuebatur; quod tamen non ita intelligendum eſt, ut illum Diaconum fuiſſe credamus, verum tantummodo in Clerum cooptatum fuiſſe, quemadmodum a viro erudito P. Baldino in ſuis notis ad Anaſtaſium Bibliothecarium *tom. 4.* ad Vitam S. Eugenii Papæ *ad pag. 61. & ſeqq.* valde appoſite demonſtratur.

5. De illa autem oblatione, per quam pueri Monaſterio dicabantur, inter cæteros P. Mabillonius *in ſua Præfatione ad Sæculum VI. Benedictinum num. 36.* quampluima diſſerit: item Muratorius *tom. 5. Antiquitatem Italiæ medii ævi diſſert. 65. col. 380. & ſeqq.* Alia, quæ ad hujuſmodi rem pertinent monumenta, a Gratiano *ad Cauſam 20. q. 1.* collecta habentur. Idem autem antiquo etiam Concilii Toletani adagio comprobatur, quod a Clemente III. in Decretali ſua: *Cum Virum, de Regularibus*, pariter uſurpatum invenitur, quod ſcilicet *Monachum aut paterna devotio, aut propria facit profeſſio*. Dartis *in Commentariis ad Decretum Gratiani part. 2. cauſ. 20. quæſt. 1.* omnia, quæ ibi continentur, ita in compendium redigit: *Olim pater poterat filium ſuum impuberem Monaſterio delegare, & tradere, nec liberum illi reverti ad ſæculum*. Si quis autem ſuper hujuſmodi re plenius omnia cognoſcere cupiat, conſulere poterit Calmetum *ſuper cap. 59. Regulæ Sancti Benedicti*, & Haeftenum *in part. 2. Diſquiſitionum Monaſticarum lib. 4. tract. 2. diſquiſit. 5.*

6. Diſciplina hujuſmodi ad uſque Cæleſtinum III. permanſit, qui Pontifex eidem moderamine adhibito, decrevit, puerum Monaſterio oblatum, cum ad diſcretionis annos pervenerit, interrogari debere, num illi remanendi, an abeundi voluntas ſit; eumque, quoties abeundi animum habeat, nullatenus ad remanendum cogi debere. Ita in Decretali ipſius *in cap. Cum ſimus, de Regularibus*, videre eſt, cum qua Innocent. III. *lib. 15. epiſt. 116.* ad Epiſcopum Lugdunenſem conſcripta etiam concordat. Cæleſtinum III. diſciplinæ illi modum impoſuiſſe dictum a Nobis eſt, eo quod non omnino, ac penitus eamdem ſuſtulerit, aut abrogaverit; quin immo hodiernis etiam temporibus, quoties non obſtent peculiares Regularium Ordinum, ſive Inſtitutorum Conſtitutiones, de quibus agit Fagnanus *in cap. Cum Virum, de Regularibus*, aut recentiores Pontificiæ Conſtitutiones, quæ certam ætatem præſtituunt pro illis, quibus intra Monaſterii ſepta pernoctandum ſit; quod ſpectat ad Jus Canonicum Decretalium, nequaquam vetita eſt (ſalva ſemper Concilii Tridentini obſervantia quantum ad ætatem, ac tempus Tyrocinii, & Profeſſionis) ea oblatio, qua filii impuberes Monaſticæ vitæ offeruntur. Ex hujuſmodi autem oblatione tres effectus exiſtunt; primo, quod filius impubes a Religione recipi poteſt; deinde, quod parenti patria uti poteſtate, ut eumdem ad ſæcularem ſtatum revocet, amplius integrum non eſt; denique, quod etiamſi filio impuberi ante pubertatis annos Religioſa Clauſtra deſerere minime permiſſum eſt, quod ipſi tamen facere licet, ubi eam attigerit ætatem, in qua poteſtatem habet, ut de ſeipſo diſponat. Poteſt nihilominus Religio proprio jure uti, ut etiam ante pubertatis annos eumdem dimittat, dummodo in eo recipiendo ea ſe obligatione non obſtrinxerit, ut uſque ad dictum tempus eumdem retineret, quemadmodum valde appoſite Suarez *de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 1. num. 13.* ediſſerit. Eadem de ſponſalibus dicenda, quæ pro filiis impuberibus ab eorum parentibus fiunt. Secundum veterum Canonum præſcriptum, filii, etiam poſtquam ad puberem ætatem pervenerant, ea ſervare tenebantur, quemadmodum colligitur ex Decretali, quæ Pontifici Hormiſdæ attribuitur, & quæ *in cap. Tua Fraternitas, tit. de deſponſatione impuberum* refertur: *Poteſt autem filium nondum adultam (voluntas enim diſcerni non poteſt) pater, cui vult matrimonio tradere; & poſtquam filius pervenerit ad perfectam ætatem, omnino debet hoc adimplere*. Verum Pontifex Bonifacius VIII. in ſua Decretali, cujus initium: *Infantes*, & quæ in titulo *de Deſponſatione impuberum, lib. 6.* unica eſt, antiquas Canonicas diſpoſitiones moderatus eſt, ſtatuitque, impuberes, poſtquam ad pubertatem pervenerint, nequaquam obligari ad ea adimplenda ſponſalia, quæ a parentibus eorum facta ſint, niſi eadem, poſtquam puberes evaſerint, aliqua ratione approbent: *Niſi per cohabitationem carnis mutuam, ſeu alias verbo, vel facto ipſorum, liquido appareat, eoſdem in eadem voluntate, factos majores ſeptennio, perdurare*.

7. Tamquamquam autem, quam hodiernis temporibus non defuere, qui diſciplinam illam auderent improbare, ſecundum quam, ut dictum paullo ante eſt, impuberi filio Monaſticæ vitæ a parentibus oblato, amplius illam deſerere interdictum erat, Rhabanus in libro ad Ludovicum Imperatorem conſcripto, invehitur in eos, a quibus id affirmabatur, contenditque, eos id aſſerere, quod ſit *contra ſuperiorum ſæculorum ſententiam, immo etiam contra Conciliorum, & Pontificum decreta*. Idem argumentum hac noſtra ætate a Joanne Petro Gibert *tom. 2. ſui Corporis Juris Canonici tit. 23. de Eccleſia ad ſect. 4.* pertractatum eſt. Hanc eamdem cauſam Ugo Menardus *cap. 66. Concord. Reg.* agendam ſuſcipit, ſtatuendo jus illud, per quod filiorum ad Monaſticam vitam oblatio fit, in effrænata patria poteſtate fundatum eſſe: *Dico hoc jus eſſe a naturali poteſtate, quam habent parentes in liberos, qui poſſunt eos etiam vendere neceſſitatis cauſa; ergo etiam devotionis cauſa Deo offerre in perpetuum ejus obſequium, tam pro ſalute ſua, quam liberorum, modo id fiat pura intentione, & devotione*. Quæ quidem ratio admitti poſſe videtur, dummodo veteri illi patriæ poteſtati non innitatur, adeo effrænatæ, ut ejus vigore licitum eſſet patri non modo filium venumdare, ſed etiam occidere, ſi ita ei collibuiſſet, quemadmodum apud Sigonium *de Jure antiquo Civium Romanorum ad c. 10.* videre eſt; ſed alteri potius mitiori patriæ poteſtati, quam Romani adoptarunt, poſtquam a Græcis, cum bonarum artium diſciplina, morum etiam humanitatem, & cultum didicerunt, quæ poteſtas reſtricta fuit ad moderatam in filios coercitionem, reſervata Magiſtratibus ſeveriore, quando ea opus foret, & ad omnimodam diſpoſitionem ſtatus filiorum, & vitæ generis, atque conditionis, quam uſque ad exitum ſervare, & profiteri deberent. His eiſdem finibus definita fuit apud Judæos patria poteſtas ſuper filios, ac filias; cum *cap. 11. lib. Judicum* legatur, Jephte votum Domino voviſſe, ſi eidem datum eſſet ſuperare filios Ammon, quicumque primus de domo ipſius egrediens ſibi redeunti occurriſſet, eum ſe holocauſtum Domino oblaturum: cum autem prima eidem occurriſſet unigenita ipſius filia, votum adimplere non omiſiſſe, atque eam Deo immolaſſe. Sane inter ſacras Interpretes diſputatio, & controverſia eſt, num Jephte, hujuſmodi votum faciendo, & adimplendo, peccatum commiſerit, necne. S. Thomas *in 2. 2. quæſt. 88. art. 2. ad ſecundum* conſiderans, Jephte in Epiſtola ad Hebræos *cap. 11.* in Sanctorum Catalogo poni, probabile eſſe ait, Jephte peccati ſui pœnitentiam egiſſe: *Probabile eſt, eum pœnituiſſe de facto iniquo*. Eiſdem veſtigiis inſiſtit Suarez *tom. 2. de Religione ad lib. 2. cap. 10. num. 12.* *Factum illud contra Legem naturalem erat, & contra Legem ſcriptam Exod. 20. de non interficiendo innocente, quæ procedit, & obligat etiam titulo Religionis, & voti, quia pater non eſt dominus vitæ filiæ, ut illam vovere, aut ſacrificare poſſit*. Atque hiſce quidem comprobatum videmus, patriæ auctoritati ac poteſtati apud Judæos jus vitæ, & necis ſupra filios nequaquam adnexum fuiſſe. Alii porro ſunt, qui Jephte a peccato excuſant, vel quod eumdem Spiritus Sancti inſtinctu, qui præcepto æquipolleat, votum feciſſe, atque adimpleviſſe dicant (quod nihil facit ad rem, de qua hic agitur;) vel quod is filiæ ſuæ non naturalem mortem, ſed civilem dederit, eamdem ab hominum commercio ſegregatam Deo conſecrando, ac perpetuæ virginitati deſtinando. Quidquid ſit de hac opinione, Nos eam in medio relinquimus, utpote quam communi Patrum, & Interpretum ſententia improbari videamus, quemadmodum tum in Diſſertatione Calmeti ſuper hac materia, tum in Suarez *loco citato*; tum docte admodum in Sylvio *in Commentariis ſupra 2. 2. quæſt. 88. articul. 2. concluſ. 7.* videre eſt. Verum ex eadem ipſa opinione comprobare poſſe videmur, etiam apud Hebræos liberam fuiſſe patri facultatem, ut filium certæ vivendi rationi deſtinaret, in qua eidem uſque ad vitæ finem permanendum foret; cum neminem deprehendetimus, qui ideo opinioni illi refragetur, propterea quod pater apud Judæos talem auctoritatem minime haberet; ſed quod illiuſmodi interpretatio litterali Divinæ Scripturæ ſenſui contraria videatur.

8. Jus igitur filios impuberes Clauſtro, ſive Monaſterio offerendi, vel cum obligatione perpetuo ibi manendi, vel cum facultate abeundi, ſi, cum ad pubertatem pervenerint, oblationem de ſe factam minime confirment, patriæ poteſtati, adeoque auctoritati innixum eſt, quemadmodum appoſite a Sancto Thoma *in quodlibet. 4. quæſt. 12. art. 23.* §. *Primo ergo* indicatur: *Pueri ante annos pubertatis ex naturali jure ſunt ſub cura parentum, propter hoc, quod patiuntur diſcretionis defectum, ſecundum quem poſſint bene regere ſeipſos: ideo in hac ætate poſſunt quidem Religioni tradi, ſi a parentibus offerantur, & erit rata traditio, præcipue ſi, cum ad annos pubertatis pervenerint, ratam habuerint paternam oblationem*. Huic diſſerendi rationi Prædeceſſoris quoque noſtri Clementis IV. Decretalis Epiſtola cohæret, *die 27. Aprilis 1267.*

Viter-

Viterbii data, & Abbatibus, Abbatiſſis, Prioribus, & Guardianis Prædicatorum, Minorum, Ciſtercienſium, & Præmonſtratenſium de Montepeſſulano, & illius ſuburbiis directa, quæ inter ejuſdem Pontificis Epiſtolas 452. numeratur *tom. 2. Theſauri Anecdotorum* a Martene collecti *col.* 459. Nihil ſane pro recto moderamine rerum tam bene, atque utiliter poteſt eſſe proviſum, quod tractu temporis malitia hominum pervertere conetur. Perlatum ad dicti Pontificis aures eſt, eum tunc temporis abuſum invaluiſſe, ut oblationes impuberum ad Monaſteria, a quacumque perſona fierent, promiſcue acceptarentur, idque privati commodi, & emolumenti gratia, ut ſcilicet Monaſteria bonis illis potirentur, quæ ad impuberem oblatum ſpectabant. Apoſtolicus Pontificis zelus tam gravi incommodo obviam ire non prætermiſit, edixitque, ut impuberes nequaquam reciperentur, niſi oblatio a patre, & matre fieret, aut a tutoribus, qui in iis, quæ pertinent ad pupillorum curam, aut diſpoſitionem, in jus paternum ſuccedunt: *Abſque, voluntate parentum, & tutorum ſuorum.* Ab hoc etiam propoſito non aliena ea quæſtio eſt, quæ a Pontificii Juris peritis diſcutitur; utrum ſcilicet, ſi filius a patre ſine conſenſu matris, vel ſi a matre ſine patris conſenſu offeratur, talis oblatio legitima ſit, atque acceptari poſſit: in qua quæſtione, quamquam ſunt, qui neutram harum oblationum legitimam eſſe contendunt, ex legalis adagii vi, quod *in re communi melior eſt conditio prohibentis*; magis tamen probanda eſt ea opinio, quæ paterno juri omnimode favet, cum in patre, non autem in matre, patria poteſtas reſideat, quemadmodum videre eſt apud Cardinalem de Turrecremata *in Commentariis ſuper Can. Addidiſtis num.* 2. 20. *q.* 1. Quod ſi quis illud objiceret, Annam Elcanæ uxorem obtuliſſe Deo in Templo inter manus Sacerdotis Heli Samuelem Filium ſuum, poſtquam ablactatus fuit, eo quod de ipſo ita Domino ſpoſpondiſſet: *Dabo eum Dominus omnibus diebus vitæ ejus*, quemadmodum *in lib.* 1. *Regum cap.* 1. habetur; facile eſſet reſpondere, id quidem ab Anna, ſed cum Elcanæ viri ſui ac reſpective patris conſenſu factum fuiſſe, juxta id, quod a Toſtato *ad quæſt.* 22. pluribus comprobatur: *ſi autem ſola fuiſſet in voto, non tenuiſſet*; quod etiam Calmetus confirmat.

9. Quorſum noſtra hæc omnis pertineat ratiocinatio, minime tibi obſcurum eſſe poteſt; cum enim ex ea colligi poſſit, legitimam impuberum oblationem patriæ poteſtatis ſequelam eſſe; cumque paterna Avia ea poteſtate minime prædita ſit: jus offerendi nepotem ex filio nunquam ad eam pertinere poteſt. Si autem id paternæ Aviæ, cum de nepote ad Clauſtrum, ſive Monaſterium offerendo agitur, interdictum eſt; potiori ratione interdictum illi eſſe debebit hujuſmodi nepotem ad Baptiſmum offerre; etenim ſecundum recentiorem diſciplinam, ut ſupra dictum eſt, impubes, qui Monaſticæ vitæ oblatus eſt, cum ad pubertatem pervenerit, Religioſum Inſtitutum deſerendi libertatem habet; ſed infanti aut impuberi Judæo ad Baptiſmum oblato, & baptizato, in Chriſtiana Fide permanendum omnino eſt, &, ſi cum ad pubertatem pervenerit, & contra facere præſumat, Canonicis pœnis punietur, ſecundum Bonifacii VIII. Decretalem, cujus initium *Contra*, ſub titulo *de hæreticis, in ſexto.* Verum quia hujuſmodi argumentationi illud valide opponendum occurrit, permultum ſcilicet diſcriminis inter Clauſtrum, ac Baptiſmum intercedere, cum ſine priori æterna ſalus obtineri poſſit, quæ ſine altero neutiquam ſperari poteſt; de Baptiſmo diſpiciendum Nobis hoc loco eſt, ac demonſtrandum, omnia, quæcunque dicta ſunt de oblatione ad Monaſterium, habere locum, etiam cum agitur de oblatione ad Baptiſmum.

10. Res hæc, de qua quærimus, tam a Theologis, quam a Pontificii Juris peritis pertractatur, quinam videlicet ſint, qui filios infantes, vel impuberes Chriſtianæ Religioni, & Sancto Baptiſmati offerendi jus habeant. Primo igitur loco, hujuſmodi jus penes parentes eſſe affirmant, ſive ii Neophyti ſint, ſive etiam Ethnici, vel Judæi; dummodo, ſi tales ſint, fide bona ab eis oblatio hujuſmodi fiat, & infantes baptizati apud Chriſtianos remaneant, neque illis, propter perverſionis periculum, reſtituantur, quemadmodum a Nobis in ſupracitata Epiſtola ad Urbis Vices Gerentem conſcripta plurimis probatum eſt. Concordat S. Thomæ doctrina *in quodlibet.* 2. *art.* 7. *in* 2. 2. *q.* 10. *art.* 12., *& in* 3. *part. q.* 68. *art.* 10., ubi docet, infantes Infidelium ſine parentum conſenſu nequaquam baptizari poſſe; eaque doctrina & ab aliis communiter recepta, & cum aliorum Tribunalium Eccleſiaſticorum, tum etiam Supremæ hujus Inquiſitionis ſententiis, atque indiciis roborata & confirmata eſt, ut etiam a Nobis in eadem Epiſtola deſuper citata *n.* 4. *& ſeq.* demonſtratum eſt.

11. Secundo loco iidem Auctores docent, quoties Maritus Chriſti fidem amplectatur, Uxore in Judaiſmo remanente, ſi hæc oblationi communis prolis ad Baptiſmum repugnet, jus offerendi penes ſolum patrem remanere, cum non in matris, ſed in patris poteſtate, ſecundum civiles leges, filius ſit; quam rationem etiam Pontifex Gregorius IX. adduxit in celebri ſua Decretali: *Ex litteris, de converſione Infidelium: Cum autem filius in patris poteſtate conſiſtat, cujus ſequitur familiam &c. reſpondemus, patri eumdem puerum aſſignandum.*

12. Tertio loco, cum, Gregorio XIII. ſummum Pontificatum tenente, controverſia exorta fuiſſet, utrum paternus avus, qui Chriſtianam Religionem amplexus, nepotem ex filio, diſſentiente matre Judæa, baptizandum offerre volebat, id faciendi jus habere; reſponſum, decretumque eſt, avum, matre etiam diſſentiente, offerre poſſe, adeoque oblationem illam admittendam eſſe, quemadmodum admiſſa fuit: quæ a Nobis in citata Epiſtola noſtra *n.* 17. relata & comprobata habentur. Hujus quoque rei mentionem factam a Sylvio *in tom.* 4. *ſuper* 3. *part. S. Th. q.* 68. *art.* 10. *concl.* 6. deprehendere licet, cujus verba hujuſmodi ſunt: *Gregorius XIII. dicitur ſtatuiſſe, ut parvulus, quem avus paternus baptizare volebat, baptizaretur, invita matre Judæa, quæ defuncto patri ſuperſtes erat, quia ſcilicet avus tamquam pater curam nepotum habet.* Neque vero deſunt judiciales ſententiæ a Tribunalibus prolatæ, quæ a Nobis *loco cit.* indicatæ ſunt, per quas avo jus offerendi nepotes permittitur, non ſolum ſi, defuncto patre, mater repugnet, verum etiamſi utique parentes ſuperſtites contradicerent; idque propter eam rationem, quod leges non tantum filium, ſed & filii filium patriæ poteſtati ſubjiciunt: *Qui igitur ex te, & uxore tua naſcitur, in tua poteſtate eſt: item qui ex filio tuo, & uxore ejus naſcitur, ideſt nepos tuus, & neptis, æque in tua ſunt poteſtate, & pronepos & proneptis, & deinceps cæteri*, ut habetur in Inſtitutionibus Imperialibus, & *in l.* 4. *de his, qui ſui, vel alieni juris*, & qui in familia naſcitur, illius capiti, qui avus paternus eſt, ſubjectus remanet; filius vero, qui avi poteſtati ſubjectus eſt, alios in poteſtate habere non poteſt, quemadmodum, *l.* 5. *eod. tit.* proſequitur.

13. Quarto loco Auctores prædicti jus offerendi tutoribus attribuunt, ſub quorum cura infantes & impuberes vivunt, cum pro eo, quod pertinet ad illorum educationem, patria poteſtas in ipſos transfuſa ſit: quare quem admodum de jure non licet, ut ſupra dictum eſt, infantes infidelium ſine parentum conſenſu baptizare; ita neque ſine tutorum conſenſu eoſdem baptizandos offerre permiſſum eſt, ut etiam in citata Epiſtola noſtra §. 14. habetur; quod tamen a Soto *in* 4. *ſententiarum diſtinct.* 5. *q. unica art.* 10. *in* 2. *concluſ. ad §. Addit* non libenter admittitur, cujus hic verba ſubjicimus; *Addit idem Paludanus, idem eſſe de puero utroque orbato parente, qui, renuentibus tutoribus, non eſt baptizandus: ſed arbitror, non eſſe tam atrocem injuriam, ac ſi parentes contradicerent.*

14. Omittimus hic verba facere de eo caſu, cum ſcilicet Judæi filius in extremo mortis diſcrimine conſtitutus ſit, quo nempe caſu, repugnantibus etiam parentibus, a quolibet ad Baptiſmum offerri, & baptiſmalibus aquis ablui poteſt; idque ratione modici damni, quod ad parentes inde provenit, graviſſimi autem æternique præjudicii, quod in prolem redundaret, niſi ſalutari lavacro regeneraretur, ut in citata Epiſtola noſtra *ad n.* 8. diſſeruimus. Nec etiam hic agendum cenſemus de altero caſu, ſi forte videlicet evenerit, ut Judæi filius a patre relictus ac deſtitutus ſit; quem, invitis etiam parentibus baptizandum offerre, cuilibet permiſſum eſt, eo quod ipſi, propter deſtitutionem ejuſmodi, patria poteſtate ceciderint, juxta reſponſum Prædeceſſoris noſtri Gregorii IX. *in cap.* 1. *de infantibus, & languidis expoſitis*, ubi ita legitur: *Si a patre, vel ab alio, ſciente ipſo, aut ratum habente (relegato pietatis officio) infans expoſitus extitit, hoc ipſo a poteſtate fuit patria liberatus*: cum iis, quæ inſuper a Nobis in citata Epiſtola *num.* 9. deducta reperiuntur.

15. Ex Auctorum ſententia, nequaquam denegatum dominis jus eſt offerendi filios mancipiorum ſuorum infidelium ad ſacrum Baptiſmatis Fontem; qua de re licet S. Thomas expreſſe verba non fecerit; cum tamen idem *citatis locis* docuerit, filios eorum, qui apud Chriſtianos Principes ſervitutem civilem ſerviunt, invitis parentibus, baptizari non poſſe, ſatis quidem dixiſſe putandus eſt, ut inferre liceat, ejuſdem doctrinam eſſe, quod filii ſervorum, qui ſervi ſunt ſervitute pœnali, poſſint a dominis ad Baptiſmum offerri; quemadmodum appoſite a Sylvio *loc. cit. ad concluſ.* 7. animadverſum fuit, atque ante eum a Suarez *tom.* 3. *ſuper* 3. *part. S. Thomæ q.* 68. *art.* 10. *diſput.* 25. *ſect.* 4. §. *Dico ſecundo* indicatum fuerat. Porro Judæi Chriſtianorum ſervi ſunt, ſed civili ſervitute, ut docet S. Thomas; & licet Innocentius III. *in cap. Etſi Judæos, de Judæis*, de iiſdem affirmet, quod eos *propria culpa ſubmiſit perpetuæ ſervitati*; cum tamen idem Pontifex ſubjungat, quod *pietas Chriſtiana eos receptat, & ſuſtinet cohabitationem illorum*, ſatis indicat ſe Judæorum ſervitutem civilem innuere voluiſſe; quod etiam Vaſquez *tom.* 2. *ſuper tertia parte Sancti Thomæ, quæſt.* 68. *art.* 10. *diſput.* 154. *cap.* 5. *in fine* probe animadvertit. Servi autem ſervitute pœnali Turcarum filii ſunt, bello capti, non autem filii Chriſtianorum; nam in bellis, quæ Chriſtianos inter geruntur, Juris Gentium rigor in eo duntaxat, quod ſpectat ad res, non autem in eo, quod ad homines attinet, obſervatur; neque homines bello capti capientium ſervi fiunt,

licet

licet hoſtium res in dominium tranſeant, qui eidem potitur. Ita in monumentis a Vinnio collectis *tom. 1. ſuarum Inſtitutionum Civilium lib. 1. tit. 3. pag. 35.* noviſſimæ editionis Venetæ habetur. Neque vero juri illi, per quod domino licet filios ſervi ſui, qui ſervituti poenali ſervus ſit, ad Baptiſmum offerre, patria genitoris poteſtas ullo modo officit: *Namque ſerviliter domino ſubjicitur, eſt in poteſtate domini, tam ratione ſui, quam aliarum perſonarum ſibi conjunctarum, puta uxoris, aut filiorum, nec amplius in res ſuas dominium retinet: quin & poteſt a domino vendi. Loquimur hic de ſervitute proprie dicta, vi cujus dominus poteſtatem habet vendendi ſervum, ut fit apud Turcas:* hiſce verbis Hon. Turnely *in ſuis Prælectionibus Theologicis de Sacramento Baptiſmi* edixerit *pag. 328.* editionis Pariſienſis *anni* 1727.

16. Probe intelligimus, dilecte Fili, nonnullos ex præcedentibus Epiſtolæ hujus paragraphis prætermitti per Nos potuiſſe, alterios Epiſtolæ noſtræ ad Urbis Vicelgerentem conſcriptæ, lectionem tibi proponendo, in qua ea omnia, quæ in præmiſſis paragraphis ſummatim indicavimus, expoſita pleniſſime ſunt; verum ita faciendum exiſtimavimus, tum majoris ordinis, & claritatis gratia, tum ut uno aſpectu legentibus tria exhiberentur: primum quidem, quod jus ad Baptiſmum offerendi ex patria poteſtate, tanquam ex origine, conſequatur; alterum, quod cum Avia paterna patriæ poteſtatis expers ſit, non ita facile ſuſtineri poſſe videatur, eamdem habere jus offerendi nepotem, dum maxime Judæa Mater tutrix, aliique pariter tutores diſſentiant; poſtremum autem, quod ſicut ob patriæ poteſtatis defectum Avia nequaquam jus habet nepotem ad Monaſterium offerendi: ita ea ejuſdem patriæ poteſtatis defectu, ne illud quidem jus habere poteſt, ut eumdem offerat baptizandum.

17. Atque hæc ea difficultas eſt, quæ Nos non modo aliquandiu hærentes, atque ſuſpenſos tenuit, verum etiam in eam partem proclives, ut paternæ Aviæ oblationem repudiaremus. Verum cum deinde animadverſum a Nobis ſit, fieri aliquando poſſe, ut etiam extra circumſtantias paullo ante indicatas, vel ſcilicet infantis in extremo mortis diſcrimine poſiti, vel ejuſdem a parentibus deſerti, ac deſtituti, vel denique pœnalis ſervitutis, liceat infantem, & impuberem Judæos baptizandos offerri ab eo, qui patriam ſuper ipſos poteſtatem minime habeat; id tandem Nobis perſuaſum remanſit, quod, licet jus offerendi competat unicuique patriam poteſtatem habenti (quod argumentis deſuper adductis ſatis comprobatum eſt;) non tamen omnino alteri cuicumque, qui patriam poteſtatem non habeat, præcluſa remanet via, quo minus oblationem hujuſmodi in aliquo peculiari caſu facere poſſit.

18. Gregorius IX. ſicut antea memoratum eſt, *in citato cap. Ex litteris, de converſione Infidelium*, decrevit, quod cum pater ad Chriſtianam Fidem converſus eſſet, mater autem in Judaiſmo remanſiſſet, filius patri aſſignari deberet, non autem penes matrem relinqui, propterea quod in illo, non vero in hac, patria poteſtas ſita eſſet; idque eo vel magis, quod ita Sanctæ Religionis favor exigeret: *Cum autem filius in patris poteſtate conſiſtat: cujus ſequitur familiam, & non matris &c. in favorem maxime Fidei Chriſtianæ reſpondemus, patri eumdem puerum aſſignandum.* Cum autem ibi nulla a Gregorio mentio habeatur de altero caſu, cum ſcilicet mater ad Chriſti Fidem converſa foret, pater vero in Judaiſmo permaneret: non tamen ea res ab Auctoribus prætermiſſa eſt, ii que omnes, debere tunc filium apud matrem permanere, atque huic jus ad Baptiſmum offerendi competere, affirmant, licet ipſa poteſtate patria nequaquam prædita ſit: idque tanta concordia inter ſe, ut, omni diligentia adhibita, neminem Nobis reperire contigerit, a quo contrarium aſſeratur. Cardinalis Oſtienſis *in Commentario ſuper memorata Decretali: Ex litteris*, n. 13. uſque eo progreditur, ut Pontificem Gregorium dicat in Decretali ſua minus plene rem explicuiſſe: *Potuiſſet ergo Dominus Gregorius hanc materiam plenius, brevius, & planius expediviſſe, ut ſic dixiſſet, ſi quis duorum Conjugum infidelium ad Fidem converſus fuerit, in infidelitate alio remanente, liberi infantes converſo adjudicentur.* Quod quidem Cardinalis Oſtienſis dictum, tum ab Abbate *in Commentariis ſuper eamdem Decretalem ad num. 6.*, tum a Petro de Ancharano *ad num. 17.*, aliique compluribus celebratur. Nobis vero quod a Card. Oſtienſi nimis fidenter dictum eſt, minime probari poteſt; ſed duo hic dicenda occurrunt: primum, quod cum ibi ageretur de patre ad Chriſtianam Fidem converſo, & matre in infidelitate remanente, eaque res ad Pontificis judicium delata fuiſſet, non aliæ Gregorii partes erant, quam ut ad rem propoſitam reſponderet; alterum quod, cum ipſe pro ratione definitionis ſuæ favorem Fidei adduxerit, jure, ac merito reſponſum ab Auctoribus eſt, quod a Gregorio in caſu patris ad Chriſti Fidem converſi, matre in Judaiſmo remanente, dictum fuerat; id ipſum in caſu etiam matris converſæ, & patris in Judaica perfidia hærentis, locum habere debere, cum in utraque facti ſpecie idem Religionis favor ita ſuadeat; idque eo vel magis, quod in Concilio Toletano IV., quod anno 633. ſub S. Iſidoro celebratum fuit, *ad Can. 63. in Collectione Conciliorum Hiſpaniæ Cardin. de Aguirre tom. 2. pag. 489.* expreſſe ſtatutum, decretumque reperitur, filium quidem ſequi debere matris Religionem, quoties ipſa ex Judæa, patre Judæo remanente, Chriſtiana facta ſit; contra vero patris Religioni adhærere debere, ſi matre in Judaiſmo remanente, pater ad Chriſtianam Fidem tranſierit: *Filii, qui ex talibus nati exiſtunt*, id eſt ex Matrimonio inter eas perſonas, quarum altera in Judaiſmo permanſerit, altera autem Chriſtianam deinceps Religionem amplexa fuerit, *Fidem, ac conditionem matris ſequantur, quæ jam in Chriſtianam tranſlata eſt Fidem; ſimiliter & ii, qui procreati ſunt de infidelibus mulieribus, & fidelibus viris, Chriſtianam ſequantur Religionem, non Judaicam ſuperſtitionem.*

19. En igitur caſum, quo, in Religionis favorem, oblatio ad Baptiſmum admittitur, etiamſi ab illo facta ſit, qui patriæ poteſtatis expers eſt; etenim patria poteſtas, ut dictum ſuperius eſt, in patre, non autem in matre conſiſtit. En, inquam, caſum, ubi poſita in altera trutinæ lance tum patria naturali poteſtate, quam pater filium generando acquirit, tum etiam illa, quæ idem tanta amplitudine a Jure Civili attributa eſt; ex altera vero parte poſita duntaxat aliquali illa poteſtate, quam mater ex naturæ lege in filii generatione acquirit ſine alio quopiam Juris Civilis præſidio, hæc trutinæ pars alteri prævalet, propter illud ponderis, quod ex favore Religionis eidem accedit. Porro hæc ratio ab antiquis peritiſſimis Decretalium interpretibus & rite æſtimata, & magni, ut par erat, momenti habita eſt; nam Pontifex Innocentius IV. *in ſuis Obſervationibus in citatam Decretalem, Ex litteris*, ſcribit, quod tam ubi judicium patris pro Baptiſmo filii matris voluntati præfertur, quam ubi matris oblatio patris diſſenſui prævalet, ratio, quæ contraria omnia exſuperat, in favore Fidei poſita eſt. Antonius vero a Budrio *ſuper idem cap. Ex litteris, num. 7.* eo uſque progreditur, ut vehementiori quadam emphaſi dicat; quod cum Judæa mater ad Chriſtianam Fidem converſa, filium ad Baptiſmum offert, diſſentiente patre, qui in Judaiſmo remanſit, dici ob favorem Fidei poteſt, quod mulier virum exſuperit, & ex matre pater effecta ſit.

20. Quoniam vero, dum ſuperius de filii ad Monaſterium oblatione a Nobis dictum fuit; tanquam plauſu dignam reputavimus eam opinionem, quod parva, aut nulla ratio habenda eſſet conſenſus matris, ſed totum ex patris conſenſu, qui patriam poteſtatem habet, dependere deberet; ex quo deduximus, idem reſpectu oblationis ad Baptiſmum dicendum eſſe. Illud hoc loco ſubdere neceſſe habemus, quod prædictæ opinionis plauſu nequaquam obſtante, communior ſententia eſt, jus ad Monaſterium offerendi penes parentes eſſe, idque non minus a patre, quam a matre exerceri poſſe: *Si pater, vel mater filium, filiamque intra ſepta Monaſterii in infantia annis ſub regulari tradiderunt diſciplina, utrum liceat eis, poſtquam ad pubertatis annos devenerint, egredi, & matrimonio copulari: hoc omnino devitamus, quia nefas eſt, ut oblatis a parentibus Deo filiis voluptatis fræna relaxentur.* Verba ſunt S. Gregorii in Epiſtola ad Bonifacium, quæ *in Can. Addidiſti 20. qu. 1.* relata habentur; & in textus hujus ſequelam Gibertus *in Corpore Juris Canonici tom. 2. tit. 23. de Eccleſ. ſect. 3. regula 14.* ita ſcribit: *Offerendi filios poteſtas tam ad matrem, quam ad patrem pertinet.*

21. Feliciter Nobis patriæ poteſtatis obſtaculum ſuperaſſe videmur, quod Nobis aliquam difficultatem ingerebat, in eoque ſuperando ratione validiſſima uſos fuiſſe, quæ in Religionis favore poſita eſt: ingenue tamen omnino agnoſcimus, aliquid præterea adhuc deſiderari, ut ſtatuere poſſimus, oblationem ad Baptiſmum ab Avia factam, tam Judæa Matre, quam Tutoribus Judæis repugnantibus, licitam, validamque eſſe, adeoque admittendam. Nam ſi in ſolo favore Fidei omnia poſita, ac fundata eſſent, exinde conſequeretur, ut a quacumque perſona, licet externa, fieret oblatio infantis Judæi ad Baptiſmum, Parentibus licet ipſius reluctantibus, eadem admittenda eſſet: contra quam docet S. Thomas, quem ceteri Theologi communiter ſequuntur, infantes ex Infidelibus natos, ſine Parentum conſenſu minime baptizandos eſſe: atque illud etiam fortaſſe eveniret, ut Chriſtianorum cuilibet permiſſum in poſterum videretur, in Hebræorum vicum penetrare, atque alicujus Judæi infantem, utroque parente invito, vel ibidem baptizare, vel foras aſportando baptizandum offerre, quod hodierno tempore non ſolum improbatur, ſed etiam a Tribunalibus Eccleſiaſticis vindicatur, ..

22. Verum, ſi caſus hic, qui in quæſtione verſatur, una cum adjunctis circumſtantiis conſideretur, haud facile quidem demonſtrari poterit, ex eo quod Aviæ oblatio admittatur, vel communem lædi Theologorum ſententiam, quam ſupra expoſuimus, vel violentiis, aut dolis aditum aperiri ad Hebræorum infantes, invitis eorum parentibus, Baptiſmati offerendos, aut re ipſa baptizandos; tum quia communis Theologorum ſententia nihil aliud docet, niſi quod minime liceet, infantes Infidelium, *invitis parentibus*, baptizare; cumque iidem nequaquam ulterius procedant ad explicandum, quinam illi ſint, qui ſub appellatione parentum veniant, locum excipit legalis diſpoſitio, quæ docet,

ſub

ſub appellatione parentum Aviam comprehendi; quam ad rem verba Textus in promptu ſunt *in L. Appellatione ff. de verbor. ſignificat. Appellatione parentum non tantum Pater, ſed etiam Avus, & Proavus, & deinceps omnes Superiores continentur, ſed & Mater, & Avia, & Proavia*; tum quia hoc ipſo in caſu non improviſa aliqua vis, aut impetus intercedit, nec talis oblatio fit a perſona penitus extranea, cum paterna Avia ſit, quæ ad Chriſti Fidem converſa Nepotem ad Baptiſmum ſponte offerat: ac præter id, quod jam dictum eſt, videlicet *appellatione Parentum* paternam quoque Aviam comprehendi. Obſervandum etiam occurrit, quod Romanis legibus a tutela mulieres omnes excludebantur: *Tutelam adminiſtrare virile munus eſt, & ultra ſexum fœmineæ infirmitatis tale officium eſt*, quemadmodum legitur *in L. Tutelam C. quando mulier tutelæ officio fungi poteſt*. Quum tamen deinde rigorem hujuſmodi mitigari placuiſſet, & mulieres etiam ad tutelam exercendam idoneas declarari: id ad ſolam Aviam, ſolamque Matrem reſtrictum fuit, ut *in Auth. Matri, & Aviæ*, eodem titulo videre eſt. Quod quidem ſignum evidens, immo argumentum ſatisclarum eſt, paternam Aviam minime extraneam dicendam eſſe, etiam in eo, quod pertinet ad nepotum, ſeu filiorum filii ſui educationem: maxime vero ubi, velut in præſenti caſu, cum Avia ipſa conſentiunt patrui: quorum quidem in Judaica Lege tanta ratio habetur, ut matri in proprii filii ſucceſſione præferant, quemadmodum *in cap. 27. libri numerorum* præſcriptum habetur, ac ſuper ipſo obſervant Expoſitores Toſtatus *quæſt. 33.* Calmetus *ad verſ. 11.* & Du-Hamel *ad verſ. 9.*

23. Hic vero novimus dictum iri, Aviam ad legitimam nepotis tutelam habilem quidem redditam eſſe, verum ſecundo loco, id eſt poſt matrem; ac præterea locum non eſſe, loquendo de Tutoribus legitimis, quoties, ut in re præſenti accidit, teſtamentarii adſunt a patre dati. Verumtamen utrique reſponſionis parti non deeſt, quod denuo reponi poſſit. Verum quidem eſt, ſecundum jam citatam Authenticam *Matri, & Aviæ*, in tutela legitima Matrem Aviæ præferri: *Matri, & Aviæ ſecundum ordinem tutelam ſubire permittimus*; quo loco Gloſſa ad verba *ſecundum ordinem* notat: *cum primo Mater, ſecundo Avia admittatur*. At ſaltem extra controverſiam non eſt, & valde incertum videtur, utrum prælatio Matris reſpectu Aviæ, Matri competat, quando ipſa Judæa ſit; cum complures, iique graves Auctores doceant, Matrem in tutela filii Aviæ præferendam eſſe, cum ipſa Chriſtiana eſt, non autem cum Judæa. Etenim Authentica *Matri, & Aviæ* deſumpta eſt ex Novella 118. *de hæredibus ab inteſtato venientibus*. In hac Novella Legislator ordinem ſucceſſionum conſtituit, ac deinde ad tutelarum ordinem gradum faciens, parem hunc ſucceſſionum ordini fore ſtatuit, ideoque Matri prælationem in tutelis ſupra Aviam tribuit. Ad extremum autem totam ſuam diſpoſitione iterum complectens, verbis hujuſmodi eamdem concludit: *Hæc autem omnia, quæ de ſucceſſione ſancimus, obtinere in iis volumus, qui Catholicæ Fidei ſunt*. Ex quo plauſu dignum, & probabile argumentum illis ſuppeditatur, qui contendunt, ac docent, in tutela legitima minime Matri ſupra Aviam prælationem deberi, cum Mater Judæa eſt, ſed tutelam Chriſtianæ Aviæ deferendam eſſe, quod ita favor exigat Religionis; cujus quidem ratio a Legislatore habita eſt in re minoris momenti, cum ſtatuerit, quod licet mater filiam dotare teneatur, quando pater id faciendi de ſuo facultatem non habet, id tamen a matre omnino præſtandum ſit, etiamſi patri divitiæ ſuppetant, quoties hic Chriſtianus, & proles Chriſtiana ſit, mater vero in infidelitate, aut in Judaiſmo remanſerit; quemadmodum, Legum Civilium diſpoſitiones referendo, pluribus oſtendunt Boſſius *de Dote ad c. 5. §. 2. n. 26. & ſeqq.* & Card. de Luca *de Dote diſc. 142. n. 54.*

24. Non inficiamur item, quod minime dubium eſt, legitimis Tutoribus nequaquam locum eſſe, ubi Teſtamentarii adſunt; verum illud videndum reſtat, num id admittendum ſit, quando Teſtamentarii ſuſpecti ſunt, cum, ſecundum Romanas Leges, Teſtamentariis etiam ſuſpicionis exceptio detur, ipſæque Leges in Urbe quidem Prætori, in Provinciis autem Præſidibus onus injunxerint, ſuſpectos Tutores removendi, & in eorum locum alios non ſuſpectos ſubſtituendi, ut in Inſtitutionibus Juſtiniani, & in titulo Codicis *de ſuſpectis Tutoribus, vel curatoribus* videri poteſt. Pontifex Gregorius IX. in controverſia, quæ per ipſum ſoluta fuit in pluries laudato *cap. Ex litteris, de converſione Infidelium*, utrum videlicet filius apud Judæam matrem remanere, an Chriſtiano patri tradi deberet, ſupradictam legum diſpoſitionem præ oculis habuit, ut ex ſubjectis ejuſdem verbis colligitur: *Non debet apud eas remanere perſonas, de quibus poſſit eſſe ſuſpicio, quod ſaluti, vel vitæ inſidientur illius*; & contra Judæam matrem pronunciavit, propter periculum perverſionis: *Materque pueri, ſi eum remanere contingeret apud eam, poſſet illum adducere ad infidelitatis errorem, in favorem maxime Fidei Chriſtianæ reſpondemus, patri eumdem puerum aſſignandum*. Hoc autem reſponſioni illi fundamentum præbet, non loquendum ſcilicet de Tutoribus legitimis, ubi Teſtamentarii adſunt, ſi Teſtamentarii ab exceptione immunes ſint; ſecus vero, quando iidem exceptionem patiuntur præjudicii, damnique notabilis, quod pupillo afferrent cum Religionis offenſa; quemadmodum omnino contingeret, ſi nunc Chriſtianæ Aviæ oblatio rejiceretur, ne jus impediretur eorum Judæorum, qui Tutores Teſtamentarii exiſtunt.

25. Nonnullos fortaſſe audieris dicentes, quod ſi oblatio Aviæ admittatur, res fiet, quæ antea nunquam facta fuiſſe memoretur. Hoc idem Nobis objectum fuit, ſed nihil plane ea res Nos commovit, cum ne caſus quidem ullus allatus fuerit, quo Aviæ oblatio repudiata ſit. Cum autem res, quæ in quæſtionem cadit, non quidem tantummodo ratione diſpicienda, ſed quoquo modo executioni mandanda ſit, & poſitiva neceſſitas adſit de ipſa in alterutram partem decernendi; nullus relictus locus eſt illius negligendæ, aut in aliud tempus differendæ, ſed videndum omnino eſt, quid ſecundum juſtitiam fieri oporteat. Idem plane contigit Gregorii XIII. tempore, quum ſcilicet ipſe decrevit, ut Avi ad Chriſti Fidem converſi oblatio reciperetur, etiamſi mater diſſentiret, quemadmodum a Nobis plene expoſitum fuit in alia Epiſtola noſtra ad Urbis Viceſgerentem conſcripta; & relatum habetur, ut ſupra innuimus, apud Sylvium, cui nunc adjungimus Valentiam *tom. 4. Commentariorum Theologicorum diſp. 4. quæſt. 3. punct. 3. §. Quarto dico*. Etenim ne tunc quidem ante ejuſmodi ſententiam a Pontifice prolatam contigerat, ut oblatio Avi, diſſentiente Matre, recepta umquam fuiſſet; ergo & ſententia illa nova extitit, & tamen executioni demandata, & cum plauſu excepta fuit; eamdemque dici poteſt, aditum iis aperuiſſe, qui in præſentia ad recipiendam Aviæ oblationem propenſi ſunt, quum pari jure cenſeri debeant Avus, & Avia in eo, quod pertinet ad curam non minus filii, quam filiorum ipſius, cum hæc a familia ſua per matrimonium in viri familiam translata, primas in hac partes una cum illo obtinuerit. Et quoniam Avi mentione redeunte, objectum illud iterum redit, patriam poteſtatem penes eumdem, non autem penes Aviam reſidere; non mirum videri debet, ſi & Nos reſponſione illa denuo occurramus, videlicet favorem Religionis id præſtare, ut patriæ poteſtatis defectus illi non officiat, qui alio cæteroquin legitimo titulo infantis oblationem facit; ad ea autem, quæ ſupra dicta ſunt de communi opinione, qua mater filium, diſſentiente patre, valide, ac licite baptizandum offert, etiamſi patria poteſtas in patre, non autem in matre ſita ſit; non injucundum fore arbitramur, ſi id adjungamus, quod ad rem hanc ſcribit Vaſquez *tom. 2. ſuper 3. part. S. Th. qu. 68. art. 10. diſp. 155. c. 3. nu. 35. Licet Jure Civili ſoli patri conceſſa ſit patria poteſtas in filium, quod attinet ad aliquot effectus in ipſo Jure peculiares, nempe ut pater uſumfructum habeat in bonis filii, non autem mater, & ut ſuus hæres dicatur, ac proinde jure (ut dicunt) ſuitatis gaudeat, quod reſpectu matris non conceditur; tamen, quod ſpectat ad retinendum filium in ſuo conſortio, & ſocietate, ut illum nutriat, æquale videtur jus matris cum jure patris; ac proinde, ſi alter conſentiat, etiamſi ſit mater, quia nimirum videtur ex conſortio filii cum altero, nempe cum patre, ei damnum ſpirituale ſequi, ratione commodi ſpiritualis, quod filio ex ſeparatione provenit, conſenſus illius repugnantiæ alterius prævalere debet*.

26. Niſi Nos memoria fallit, nihil aliud modo reliquum eſt, quam ut quæſtioni illi reſpondeamus, quomodo ſcilicet fieri poſſit, ut mater, quæ ſuper educatione filii infantis jus habet ab ipſa natura derivatum, quod ideo naturale jus appellatur, eo jure privari poſſit ab Avia, quæ aliam auctoritatem in nepotem habere nequit, quam quæ ipſi a jure civili tribuitur. In quo illud forſan ſatis eſſet reſpondere, præcipuum fundamentum illius præponderantiæ, quæ Aviæ facto tribuitur, in Religionis favore ſitum eſſe. Quod autem hic quæritur, jam antea quæſitum fuiſſe in altero caſu, quum ſcilicet Gregorius XIII. Avi factum diſſenſui matris prævalere debere judicavit; nec ullam de hujuſmodi quæſito rationem habitam fuiſſe. Sed ut ad propoſitæ interrogationis nodum propius accedamus, quærimus, utrum filii mancipiorum, & eorum, qui pleno jure ſervi ſunt, diſſentientibus eorum parentibus, baptizari poſſint? Et quidem, ſi ſecundum communem opinionem reſponſum dandum ſit, reſpondendum erit, poſſe. Iterum igitur quærimus, num hujuſmodi parentibus faveret, necne, jus naturale pro educatione filiorum ſuorum infantium? neque reſponderi poſſe arbitramur, eoſdem naturali eorum jure in proprios filios caruiſſe. Quærimus denique, quomodo filii prædicti baptizari poſſint, ſine conſenſu parentum, pro quibus ſtat jus naturale, quod immutabile dicitur? Verum ut hujuſmodi interrogationi reſponſum dari poſſit, ad Theologos recurrendum eſt. Reſpondent ipſi, jus patrum in filios infantes, pro eo, quod ad educationem pertinet, naturale dici poſſe duplici ratione; vel ſcilicet quia a natura originem habeat, vel quia lex naturæ jubeat, ut nemo alius eorum educationi, excluſis parentibus, ſe immiſcere poſſit. Admittunt Theologi, jus illud primo ſenſu naturale eſſe, non autem ſecundo; ideoque concludunt, quod cum dominium mancipii, ſeu ſervi, ejuſque filiorum, jure gentium in Dominum transferatur, poteſt Dominus filios infantes a parentibus ſeparare, eoſque baptizandos jubere, etiamſi parentes diſſentiant. Ita diſſeruit Sylvius *tom. 4. ſuper 3. part. S. Thomæ quæſt. 68. art.*

art. 10. *concluſ.* 7.; & ante eum ſatis ſolide Suarez *tom.* 3. *ſup.* 3. *part.* S. *Th. qu.* 68. *art.* 10. *diſp.* 25. *ſect.* 4. §. *Quocirca*. Jam vero nihil præter jus, & fas poſtulare Nobis videmur, dum contendimus, quod quemadmodum naturæ jus non læditur, ubi, repugnantibus parentibus, captivorum filiis Baptiſmus confertur, ita neque idem naturæ jus violari dicatur, quoties, nulla vi adhibita, ac petente perſona, quæ id faciendi jus habeat, infans Hebræus, diſſentiente matre, aut Sacro Fonte abluitur, aut baptizandus offertur. Sicut enim pro primo caſu militat jus gentium, ita pro altero favor Religionis, cujus vis eam Nobis obligationem imponit, ut eamdem promoveamus, quantum, ſeclusa cujuſlibet injuria, Nobis facere permiſſum eſt; veluti in præſentia continget, ſi oblatio Hebræi infantis, quæ ab Avia ſponte fit, recipiatur.

27. Habes igitur, dilecte Fili, eas omnes rationes, quibus adducti ſumus, ut eam, de qua quæſtio eſt, oblationem recipiendam judicaremus, quemadmodum recipiendam judicamus; quæ rationes, & cauſæ, ſive per ſe ſingulæ conſiderentur, ſive, ut in caſibus practicis fieri conſuevit, conjunctim accipiantur, magni procul dubio ponderis, atque momenti ſunt. Quod ſi in re dubia in favorem Fidei pronunciandum eſſe conſtans regula eſt, quiſnam erit, qui, perpenſis tot propoſitis rationibus, materiam hanc ſaltem pro dubia habendam, adeoque in favorem Aviæ, quod idem eſt in caſu, ac in favorem Religionis, decernendum non exiſtimet? Novimus, dilectos Filios Sanctæ Inquiſitionis Conſultores, tum Sacræ Theologiæ, tum Canonici Juris peritos, quorum ſuffragia validis rationibus innixa perlegimus, pro Avia communiter cenſuiſſe. His concordes audivimus in Congregatione coram Nobis habita Ven. Fratrum noſtrorum S. R. Eccleſiæ Cardinalium ſententias pro admittenda Aviç oblatione. Quare tam ſapientibus conſiliis inhærendo, huic Epiſtolę noſtrę finem imponimus, oblationem Aviç recipiendam eſſe decernentes, tibique impartientes Apoſtolicam Benedictionem.

DE CONFIRMATIONE.

BULLA PRIMA.

Conceditur P. Guardiano Sancti Sepulchri Ordinis Minorum de Obſervantia, ut, abſentibus Epiſcopis Latini ritus, valeat conferre Sacramentum Confirmationis cum Oleo, & Chriſmate a Catholico Antiſtite benedictis.

Extat hæc Bulla in Tom. I. num. X. data vero die 9. Januarii anno 1740. Pontificatus autem Anno Primo.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

CUM ad infraſcriptam Cardinalium Congregationem delatum fuerit dubium: *An Cuſtos, & Guardianus Sancti Sepulchi Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ex ſpeciali hujus Sanctæ Sedis delegatione, & vigore nonnullorum privilegiorum per dilectos Filios Superiores Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia nuncupatorum exhibitorum, neceſſarias facultates habeat conferendi Sacramentum Confirmationis?* Nos pro commiſſa Nobis cœlitus Paſtoralis Officii cura, omnes difficultates, ac impoſterum dubitandi hac in re occaſionem tollere cupientes, ac dilectum filium Paulum a Laurino Fratrem expreſſe Profeſſum dicti Ordinis, ac Cuſtodem, & Guardianum dicti Sancti Sepulchri, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, auditis votis Venerabilium Fratrum Noſtrum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Chriſtiana adverſus hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum auctoritate Apoſtolica deputatorum, eidem Paulo Cuſtodi, & Guardiano ejuſdem Sancti Sepulchri, durante ejus Officio, & pro Locis Terræ Sanctæ hujuſmodi, ubi non erant Epiſcopi ritus Latini in propria Diœceſi reſidentes, poteſtatem, & facultatem conferendi Sacramentum Confirmationis hujuſmodi Oleo, & Chriſmate etiam antiquis, ſi nova haberi non poſſint, per Catholicum Antiſtitem, gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicæ habentem, benedictis, dicta auctoritate, tenore præſentium concedimus, & delegamus; ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium. Non obſtantibus præmiſſis, ac Apoſtolicis, & in univerſalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

BULLA SECUNDA.

De Sacramento Confirmationis.

Ex ea; quæ extat in Tomo I. num. LVII. & Publicata an. 1742. die 2. Julii, Pontificatus vero anno II. in qua §. 3. hæc leguntur.

EPISCOPI Latini Infantes, ſeu alios in ſuis Diœceſibus baptizatos a Preſbyteris Græcis abſolute Chriſmate in fronte Conſignatos confirment, cum neque per Prædeceſſores noſtros, neque per Nos Græcis Preſbyteris in Italia, & Inſulis adjacentibus, ut Infantibus baptizatis Sacramentum Confirmationis conferant, facultas conceſſa ſit, aut concedatur. Quinimmo uſque ab anno 1595. a felic. record. Clemente VIII. Prædeceſſore noſtro fuit Preſbyteris Italo-Græcis expreſſe interdictum, ne Baptizatos Chriſmate conſignent.

2. Secus ſub conditione, & cum cautela eos confirmare debent, de quibus veroſimiliter dubitari poteſt, utrum ab Epiſcopis Græcis ordinem Baptiſmi juxta eorum Euchologium ſervantibus, fuerint baptizati.

3. Idem dicendum, ſi Epiſcopus Latinus ex diſpenſatione Apoſtolica Græcum aliquem ordinaverit, qui a Preſbytero Græco in Italia, vel adjacentibus Inſulis fuerit baptizatus, nec conſtet, illum ab aliquo Epiſcopo, ſive Latino, ſive Græco, Chriſmate in fronte fuiſſe conſignatum: debet nimirum illum antea abſolute confirmare; ſub conditione autem, ſi veroſimiliter dubium eſſe poſſit, an ab Epiſcopo Græco fuerit baptizatus.

4. Quamvis Confirmati a ſimplici Sacerdote cogendi non ſunt ejuſmodi Confirmationis Sacramentum ab Epiſcopo ſuſcipere, ſi ex tali coactione ſcandala oriri poſſent, cum Sacramentum Confirmationis ejuſmodi neceſſitatem non habeat, ut ſine eo ſalvus quis eſſe non poſſit; monendi tamen ſunt ab Ordinariis Locorum, eos gravis peccati reatu teneri, ſi cum poſſunt ad Confirmationem accedere, illam renuunt, ac negligunt.

5. Ubi Græcus Catholicus Epiſcopus haberi poteſt, prout habetur conſtitutus in Collegio Corſino Italo Græcorum in Calabria, curent omnino Latini Ordinarii, ut ab illo potius Græcis cæremoniis juxta Græcum Euchologium, quam a ſe latino ritu, Sacramentum Confirmationis ſubditis ſuis Græco ritu viventibus Chriſmate a Latinis Epiſcopis accepto miniſtretur, ne ſcilicet Eccleſiarum ritus, quoad fieri poteſt, miſceamus.

BULLA TERTIA.

De tempore conferendi Sacramentum Confirmationis, ejuſque Miniſtro.

DUBIUM.

Cum Fideles Cophti Catholicam profitentes Religionem a Baptiſmo ritu Eccleſiæ Latinæ collato hoc potiſſimum nomine abhorreant, quod Baptizatis una ſimul non conferatur Sacramentum Confirmationis: Quæritur, an in caſu, quo Sacerdos ritu Cophti commode adiri nequeat, permittendum ſit PP. Miſſionariis illico poſt Baptiſmum Confirmationem conferre?

Ex Bulla, quæ extat in Tomo I. num. CXXIX. & data ſub die 4. Maji anno 1745. Pontificatus vero Anno V.

Dilectis Filiis, Juſto Maraghi, in univerſa Ægypto Vicario Generali, & Jacobo a Cremiſir Ordinis Minorum S. Franciſci Strictioris Obſervantiæ, Præfecto Miſſionis Apoſtolicæ in Ægypto, cæteriſque Miſſionis Cophtæ Miſſionariis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecti Filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EO quamvis tempore, quo pro demandato Nobis Apoſtolicæ ſervitutis onere tot, tantiſque curis circumdamur, ut pene obruamur, delata ad Nos fuerint nonnulla Poſtulata a Religioſo Viro Jacobo a Cremiſir Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Strictioris Obſervantiæ, & Miſſionum Apoſtolicarum in Ægypto Præfecto: nihilominus in eo, qui infirmitatem noſtram miſericorditer regit, confidentes, operam, ſtudiumque Noſtrum ad propoſita enodanda dubia libenter adjecimus, in ſpirituale electi illius Gregis ſolatium, qui magno licet intercedente terrarum ſpatio a Nobis diſſitus ſit, Paterno tamen cordi Noſtro charitate proximus efficitur.

1. Quas ſane Pontificiæ ſolicitudinis & providentiæ partes cum a nemine deſiderari patiamur, qui verum Deum per veram fidem agnoſcat; peculiari ſibi illas vindicat jure

incly-

inclyta Cophtorum Natio, quæ præcipui cultus, ac filialis obſequii, quo Romanam Eccleſiam omnium aliarum Matrem, & Magiſtram proſequitur, non ſemel luculenta, & perenni digna laude præbuit ſpecimina. Præſertim vero in Sacra Oecuminica Florentina Synodo, in qua fel. rec. Eugenio Papa IV. Prædeceſſore noſtro expeditam diu Græcæ, Latinæque Eccleſiæ unionem promovente, veteri ejuſdem unionis incendi deſiderio viſa eſt, palamque edocuit, oportere membra ſub uno in Terris Capite indiviſa conſiſtere. Id ipſum quoque teſtata eſt Succeſſoribus Romanis Pontificibus Pio IV., & Gregorio XIII. omni conatu in præmiſſæ unionis ſcopum enitentibus: ac apertius etiam Clementi VIII., ad quem ſolemni, & honorifica decrera Legatione, obſequentis animi, ac devotæ in Romanam Eccleſiam voluntatis publica exhibuit teſtimonia. Hanc quoque egregiam propenſionem adhærendi Romanæ Eccleſiæ plane perſpectam habuit alter Noſter Prædeceſſor Urbanus Papa VIII., qui zelo, & ſedulitate pari in id potiſſimum incubuit, ut prædicta Eccleſiarum unio indiſſolubili charitatis fœdere pro virili parte firmaretur.

2. Alacriores tamen præ omnium rationum momentis ad hanc exequendam Paſtoralis Officii partem Nos effecit jam pridem concepta, intimeque cordi Noſtro infixa ſpes majoris incrementi Catholicæ Religionis, & lucri Animarum, quibus erudiendis in Superiori, ac Inferiori Ægypto, & in Urbe principe Cairo, ſtrenuam, invictamque navant operam Apoſtolici Miſſionarii ex Franciſcana, ut plurimum, Familia adlecti, qui nullo laborum aſpectu territi, ſed induti fortitudine ex alto, in ſumma rerum, ac temporum difficultate, Nationem illam, toto olim Orbe Terrarum celeberrimam, nunc vero aſſiduis ærumnis attritam, ac pene confectam, verbo vitæ informant, vigileſque laborant, ut novi in diem palmites in Vineam Domini traducantur.

3. Adhibitis itaque in conſilium nonnullis Ven. Fratribus Noſtris S. R. E. Cardinalibus, dilectiſque Filiis Conſultoribus in Congregatione Supremæ, & Univerſalis Inquiſitionis contra hæreticam pravitatem conſidentibus, exquiſitiſque, quo maturius deliberare poſſemus, aliorum etiam doctrina, & prudentia præſtantium Virorum ſuffragiis, eorumque præſertim, quibus Orientalium Mores, Ritus, & Inſtituta longo uſu, & experientia eſſent cognita, planeque perſpecta, privati Noſtri laboris acceſſione ſingulorum ſententias ſcripto traditas expendimus, atque libravimus. Cum tamen ad ſingula definienda dubia in præſentiarum quamplurima deſiderentur, idcirco hæc Apoſtolica ſcripta Miſſionariis exhibenda mandavimus, ut ea, quæ definitivo reliquorum dubiorum judicio facem quodammodo præferre valeant, ad Noſtri Apoſtolatus auditum quamprimum deducenda curent.

4. Quod attinet ad hunc dubium, plane compertum Nobis eſt, veteri more, & diſciplina invaluiſſe apud Cophtos, ut abluti Sacro regenerationis Lavacro, illico ab eodem Sacerdote poſt abſolutas Baptiſmatis cæremonias, Sacro Chriſmate liniantur, ut præ aliis teſtatur Thomas a Jeſu *in ſuo Tract. de Converſ. Gentium lib. 7. cap. 7.* De ſimultanea tamen utriuſque Sacramenti adminiſtratione non una, eademque fuit agendi ratio cum Græcis apud Orientales Eccleſias reſidentibus, & illis, qui commorantur in Italia, & Inſulis eidem adjacentibus. Quemadmodum enim Græcis Incolis Italiæ expreſſe vetita eſt adminiſtratio utriuſque Sacramenti ab eodem Miniſtro contemporanee facienda; ita patientia quadam, & facilitate Sedis Apoſtolicæ factum eſt, ut unum, & alterum Sacramentum ab eodem Sacerdote in Oriente Græcis conferretur. Nec defuere idcirco Theologi, qui hujuſmodi tolerantiæ veſtem, & imaginem tacitæ diſpenſationis obducerent.

5. Quo opportune præmiſſo, apte diſtinguenda ſunt, diverſoque jure cenſenda duo, quæ exinde profluunt, extrema. Aliud enim eſt, quod Cophti ex indulgentia Apoſtolicæ Sedis licitam ſibi adſtruant collationem utriuſque Sacramenti, ſervato Orientalis Eccleſiæ Ritu, ab eadem Apoſtolica Sede non expreſſe vetito, ſed tolerato. Longe vero diverſum, quod tolerantiam in pejorem partem detorquentes, abhorreant a Baptiſmo ritu latino collato, hoc potiſſimum nomine, quod ſeorſim a Confirmatione adminiſtretur. Idcirco ſicuti lenitati, & patientiæ Sedis Apoſtolicæ conſonum videri poteſt, quod Cophti in ſuo jamdiu recepto, & ab eadem Sede tolerato uſu perſeverent; ita ferendum non eſt, quod Baptiſmum ritu latino, & ſeorſim a Confirmatione collatum, acerbo, alienoque animo perhorreſcant.

6. Præterea licet apud Orientales etiam Eccleſias in more poſita quandoque fuerit Baptiſmatis, & Confirmationis ſimultanea collatio, & hæc conſuetudo in aliquibus Diœceſibus anteacto tempore inoleverit, juxta exempla relata a Vicecomite *in Tract. de confirmat. cap.* 14. & a Martene *de antiq. Eccleſ. Ritib. lib.* 1. *cap.* 2. *artic.* 1. Nihilominus abrogato prorſus a Romana Eccleſia, aliarum Matre, & Magiſtra, hujuſmodi more, conſultiſſimis Summorum Pontificum Decretis provide cautum eſt, ut renatis Fonte Baptiſmatis conferretur Sacramentum Confirmationis in ea ſolum ætate, in qua Fideles, evacuatis quæ erant parvuli, intelligerent, tantum inter ſe differre Baptiſmum, & Confirmationem, quantum in naturali vita diſtat generatio ab incremento; ſeque per Baptiſmum fuiſſe quidem ad militiam receptos, per Confirmationem vero ad pugnam roboratos, & ad perferendos agones per gratiam inſtructos. Ex quo fit, ut rigide animadverti in eos oporteat, ſi qui forte ſanctioris hujuſcæ diſciplinæ inſtituta refugerent, aut contemnerent, omnemque curam adhibendam eſſe, ut ab errore, & cæcitate, Eccleſiæ Latinæ adeo injurioſa, retrahantur.

7. Verum attributa, juxta propoſitum thema, Sacerdotibus Latinis facultate conferendi ſtatim poſt Baptiſmum Confirmationem, tantum abeſt, ut Orientales captivari poſſint in obſequium veritatis, ut immo animo ſemper obfirmatiore ſuæ adhærent ſententiæ, erga quam facilem ſe, ac pronam Apoſtolica Sedes exhiberet. Præterea Hæretici, & Schiſmatici, qui improbo, pravoque, ut plurimum ingenio, Catholicorum facta interpretantur, vel inconſtantiæ notam inurerent Latinis, a ſuſcepta ſemel, probataque diſciplina deflectentibus, vel ſuo exemplo eos commoviſſe, & in ſuas traxiſſe partes ſuperbe dictitarent; ipſa temere vertentes officia pietatis in elationis argumentum.

8. Si itaque ea ſit Nationis Cophtæ conditio, ut Fideli Populo Confirmatio adminiſtrari nequeat ab Epiſcopis, quibus hujus Sacramenti adminiſtrandi ordinaria poteſtas commiſſa eſt; minime Nos latet, eamdem adminiſtrandæ Confirmationis poteſtatem ex Indulto Apoſtolico ad Sacerdotem, vel Miſſionarium, pro modo neceſſitatis quandoque deferri poſſe. Hujuſmodi delegatio nec nova, nec innſitata videri debet, cum S. Gregorii Magni, aliorumque Romanorum Pontificum Noſtrorum Prædeceſſorum ſanctiſſimis innitatur exemplis. Cum enim ſæpe contigerit, Chriſtifideles Paſtoris ſolatio eſſe deſtitutos, & Epiſcopis ob diſtantiam locorum impoſſibile, vel difficile admodum fuerit, Populorum neceſſitatibus præſentes fieri; in hanc partem Epiſcopalis Miniſterii vocati ſunt Sacerdotes, dummodo uterentur Chriſmate ab Epiſcopo rite benedicto, & conſecrato, ne alias contingeret, Fideles rem ſanctitatis plenam cunctando, negligere, vel decedere ſine hoc Sacramento Divinis muneribus cumulato, & ad noſtram ſanctificationem inſtituto.

9. Apoſtolici igitur Miſſionarii, non ſuæ auctoritatis incremento, ſed lucro tantum Animarum inhiantes, qua par eſt ſedulitate, & diligentia inquirant: an Catholico Gregi, ſuper quo vigilias cuſtodiunt, deſit præſentia Paſtoris: an difficilis, vel impoſſibilis ſit frequens illius acceſſus: an fidelis Populus in caſu neceſſitatis verſetur: & an demum circumſtantiæ in unum collectæ præmiſſis conſonent exemplis, ac parem expoſcant providentiam. Integra porro, ſinceraque fide ea omnia quamprimum renuncient Sanctæ Sedi, ut re tota ſedulo cognita, intimeque perſpecta, deliberare poſſit, an, & cui potiſſimum Presbytero, tanquam Miniſtro extraordinario, tribuenda ſit hæc auctoritas confirmandi, & Epiſcopale hoc munus obeundi.

10. Ipſi interim Miſſionarii, quibus datum eſt exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere, ſatagant, ut fidelis Populus ab errore ad veritatem, ab odio ad obſequium erga Baptiſmum Eccleſiæ Latinæ reducatur; utque Gens illa tandem agnoſcat, pia, ſanctaque ordinatione fuiſſe diſpoſitum, ut ſeorſim a Baptiſmate conferretur Sacramentum Confirmationis iis, qui in provectiori eſſent ætate, & ad percipiendam virtutem Sacramenti accommodata.

BULLA QUARTA.

Abbati Monaſterii Campidunenſis, Ordinis S. Benedicti, ejuſque Succeſſoribus in perpetuum conceditur facultas miniſtrandi Sacramentum Confirmationis Chriſtifidelibus ſuæ Juriſdictioni ſpirituali ſubjectis.

Extat hæc Bulla in Tom. III. num. VI. data vero fuit ſub die 26. Aprilis anno 1749. Pontificatus autem anno IX.

BENEDICTUS PAPA XIV.

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

SUprema diſpoſitione, cujus inſcrutabili Providentia ordinationem ſuſcipiunt univerſa, ſuper eminenti Apoſtolicæ Dignitatis ſpecula, nullis noſtris licet ſuffragantibus meritis, ſed ſolum per ineffabilem Divinæ Bonitatis abundantiam conſtituti, & in illius domo diſpenſatores effecti, ad ea, per quæ Monaſteriorum quorumlibet, illorum præſertim, quæ ab antiquo tempore fundata, variiſque privilegiis, & gratiis a Summis Pontificibus condecorata reperiuntur, & in quibus, utpote perinſignibus, Perſonas præcipua generoſi ſtemmatis nobilitate fulgentes Altiſſimo famulatum exhibere percipimus, decori, & opportunitati, nec non illorum ſubditorum ſpiritualibus commodis, Divinique cultus augmento per novæ conceſſionem gratiæ per amplius conſulitur, vota libenter intendimus, ac in his Paſtoralis Officii Noſtri partes favorabiliter impartiri-

patti-

perſimus, prout Locorum, & Perſonarum hujuſmodi qualitatibus, ac circumſtantiis matura conſideratione penſatis, ad Omnipotentis Dei, ejuſque Glorioſiſſimæ Genetricis Virginis Mariæ laudem, & gloriam, devotionis quoque Chriſtifidelium propagationem in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

1. Sane pro parte Dilecti Filii Engelberti de, & in Sirgeſtein moderni Abbatis Monaſterii, Abbatiæ Ducalis, & Imperialis nuncupati, Beatæ Mariæ Virginis in Cœlos aſſumptæ, Oppidi Civitatis Campidonenſis Ordinis Sancti Benedicti, nullius Diœceſis, Provinciæ Moguntinæ, Sacri Romani Imperii Principis Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dictum Monaſterium, alias, & atque de anno Domini ſeptingenteſimo tertio a Beata Hildegarde fundatum, unum ex principalioribus dicti Ordinis Monaſteriis tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus exiſtit, illiuſque pro tempore exiſtens Abbas, nedum inter præcipuos Sacri Romani Imperii Principes in Dieta Ratisbonenſi Sedem, ac Votum, & Vocem habet, ſed etiam pro tempore exiſtentis Romanorum Imperatricis perpetui Archimareſcalli munere fungitur, ac in pluribus ſibi ſubjectis Oppidis, & Locis Campidunenſis Ducatus, & ditionis temporalem; in primodicto vero Monaſterio, quod Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectum exiſtit, ac in Parochiali Eccleſia Sancti Laurentii dicti Oppidi Campidonenſis ſpiritualem, ac exemptam, & Ordinariam exercet Juriſdictionem, quamplurimis etiam, tum Apoſtolica a diverſis Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris, tum Imperiali, & qualibet alia reſpective auctoritate conceſſis, & elargitis, & Monaſterium primodictum, illiuſque Abbas, & Monachi pro tempore exiſtentes gaudent Indultis, gratiis, privilegiis, facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, præeminentiis, & antelationibus, & ipſe Engelbertus Abbas nuper ſpeciali titulo Abatialem Ducalem nuncupatam Eccleſiam ſub invocatione Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, & Sanctorum Gordiani, Epimachi, & Caſtoli Martyrum noviter reſtauratam, conſecrandi facultate a Nobis decoratus fuit.

2. Si autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, aliud valde quidem opportunum dicto Engelberto Abbati, illiuſque Succeſſoribus primodicti Monaſterii Abbatibus pro tempore exiſtentibus, a Nobis, & Sede Apoſtolica præfata concederetur Indultum, videlicet, ut ipſe Engelbertus Abbas, ejuſque Succeſſores primodicti Monaſterii Abbates pro tempore exiſtentes præfati, Sacramentum Confirmationis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus ſubditis primodicti Monaſterii, & Parochialis Eccleſiæ prælatæ Parochianis tantum miniſtrare poſſint: hoc profecto, & ad Catholicæ Religionis bonum, & ad dictorum ſubditorum animarum ſalutem plurimum conferret. Quandoquidem cum dicti ſubditi, non ſine gravi eorum incommodo, & moleſtia, ad alia Loca pro dicto Sacramento Confirmationis ſuſcipiendo ſe conferre coguntur, inde evenit, quod ipſi aut Sacramentum hujuſmodi nonniſi in provecta ætate ſuſcipiunt, vel, ut ſæpius accidit, abſque dicto Sacramento vitam miſere ducentes, ab humanis decedunt. Hinc dictus Engelbertus Abbas, qui hæreticos in dicto Oppido degentes ad Fidem Catholicam amplectendam pari ſolicitudine, & zelo, & non ſine effectu perducere curat, dictos ſubditos, & Parochianos Catholicos, & præſertim noviter ad dictam Fidem converſos, ad hoc ut ipſi fortius, & validius in ſpirituali lucta contra animæ inimicos dimicare queant, Confirmationis Sacramento hujuſmodi in congrua, & conveniente ætate muniri ſummopere exoptat. Quare pro parte dicti Engelberti Abbatis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus dictorum ſubditorum, & Parochianorum indemnitati, eorumque animarum ſaluti in præmiſſis opportune conſulere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

3. Nos igitur, qui, quantum cum Domino poſſumus, ſpiritualem Chriſtifidelium conſolationem, & utilitatem pii Patris affectione proſequimur, operamque, & operas noſtras ad id impendimus efficaces, præfato Engelberto Abbati ſpecialem gratiam facere volentes, ipſumque Engelbertum Abbatem a quibuſvis Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa, latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eidem Engelberto Abbati, illiuſque Succeſſoribus primodicti Monaſterii Abbatibus pro tempore exiſtentibus præfatis, ut ipſi indumentis Pontificalibus induti, recepto prius Oleo Sacro a quocumque Catholico Antiſtite, gratiam, & communionem dictæ Sedis Apoſtolicæ habente confecto, dictum Confirmationis Sacramentum ſubditis dicti Monaſterii, & Parochialis Eccleſiæ prælatæ Parochianis, ſpirituali Juriſdictioni ipſius Engelberti Abbatis, & pro tempore exiſtentis Abbati primodicti Monaſterii ſubjectis tantum quocumque tempore conferre poſſint & valeant, Apoſtolica auctoritate earumdem tenore præſentium perpetuo concedimus, & indulgemus, ac plenam, & liberam, & omnimodam facultatem, & poteſtatem deſuper impertimur.

4. Necnon ipſum Engelbertum Abbatem, ejuſque Succeſſores primodicti Monaſterii Abbates pro tempore exiſtentes præfactos deſuper a quoquam quavis auctoritate fungente, vel dignitate fulgente, ſub quovis prætextu, colore, vel ingenio, cauſa, & occaſione inquietari, perturbari, aut quovis modo impediri nullatenus unquam poſſe; ſicque & non alias per quoſcumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos, Sediſque Apoſtolicæ præfatæ Nuncios judicari, & definiri debere; & ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibuſque Conciliis editis, vel edendis ſpecialibus, vel generalibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ac, quatenus opus ſit, dicti Ordinis Monaſterii primodicti, etiam Juramento, Confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, perpetuæ conceſſionis, indulti, licentiæ, & facultatis, impartitionis, decreti, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

BULLA QUINTA.

PRO COPHTIS CATHOLICIS.

Indultum recipiendi Sacramentum Confirmationis a Preſbytero Miſſionis Præfecto.

Dilectis Filiis Fr. Jacobo a Creſimir Presbytero Ordinis Minorum S. Franciſci Strictioris Obſervantiæ, Præfecto Miſſionis Apoſtolicæ in Ægypto, cæteriſque Miſſionis Cophicæ Miſſionariis.

Extat hæc Bulla in Tom. III. num. XXX. data vero fuit die 19. Junii anno 1750. Pontificatus autem anno X.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Dilecti Filii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Anno vertente reparatæ ſalutis milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo quinto, Pontificatus autem Noſtri quinto, tum ut partes Apoſtolici Noſtri Miniſterii impleremus, tum etiam, ut præclaram ſignificationem paterni animi Noſtri, ac dilectionis, qua ſemper complexi ſumus, complectimur, ſemperque complectemur inclytam Nationem Copham, præberemus, auditis gravium, ac prudentum hominum ſententiis, noſtriſquoque laboribus, ac privato ſtudio adjunctis, Paſtoralem Inſtructionem ſuper quibuſdam, de quibus ambigebatur, ad eorum ritus, & mores ſpectantibus, edidimus.

2. Ea vero in Inſtructione, quæ typis impreſſa fuit, Noſtroque Bullario inſerta, actum eſt de Ritu Cophtorum, quo Sacramentum Confirmationis a ſimplici Sacerdote ſtatim poſt Baptiſmum confertur. Agitur etiam de more, ac conſuetudine eorumdem, conferendi Ordinem Diaconatus pueris adhuc in infantili ætate exiſtentibus: quibus de rebus ea, quæ conſentanea erant, & opportuna, conſtituta ſunt; nonnulla autem indefinita remanſerunt, quia, priuſquam de illis reſponſum a Nobis daretur, neceſſarium viſum fuit, plura, quæ haud ſatis nota, & perſpecta erant, exquirere, ut in eadem Inſtructione videre licet. Interea vero omnes curas, ac diligentias adhibere non prætermiſimus, ut eorum, quæ adhuc deerant, cognitionem aſſequeremur. Collectis deinde omnibus, quoad fieri potuit, quæ neceſſaria videbantur, *die 22. Martii anni currentis* 1750. nonnullos S. R. E. Cardinales, alios in Sacræ Theologiæ facultate Magiſtros, alios autem in Jure Canonico peritos, coram Nobis, rimatis antea per Nos omnibus, & perpenſis, congregari juſſimus. In hac autem Congregatione dubia, quæ proponebantur, in duas claſſes diſpertita fuerunt: una eorum fuit, quibus neque adhuc ullum reſponſum præberi poterat; altera vero eorum, quibus & tunc reſponderi poterat, & quæ opportuna videbantur, decerni.

3. Inter dubia, quæ indefinita relicta fuerunt in ſupernius laudata Inſtructione, reperitur illud: *An rebus in eo, in quo hodie ſunt, ſtatu manentibus, expediat tribui uni, vel pluribus Presbyteris facultatem extraordinariam adminiſtrandi Sacramentum Confirmationis. Cui, vel quibus dicta facultas tuto delegari poſſit, ut Sacro Chriſmate præcipue liniantur Filii orti a Parentibus Catholicis poſt hæreſim ejuratam, & ablati Sacro Baptiſmati ſaltem a Sacerdote Latino.* Et illud quoque: *An in caſu conceſſionis hujuſmodi facultatis expediat monere Sacerdotes, ne ea utantur adminiſtranda Confirmationem Infantibus immediate poſt Baptiſmum (niſi caſu neceſſitatis) ſed in ea tantum ætate, qua Confirmandus virtutem Sacramenti valeat mente percipere.*

Hæc

Digitized by Google

Hæc autem duo dubia in ultima Congregatione poſita fuerunt in claſſe eorum, quibus reſponſum præberi nunc poteſt.

4. Itaque eorum examine aſſumpto, auditiſque Congregatorum ſententiis, Decretum fieri placuit in hunc modum: *Sanctiſſimus conſtataneum judicavit delegare Præfecto Miſſionum Ægypti facultatem extraordinariam conferendi, Chriſmate tamen ab Epiſcopo benedicto, Sacramentum Confirmationis illis, qui a Sacerdotibus Latinis Baptiſmum acceperunt. Caveat autem Præfectus hujuſmodi Sacramentum illis conferre, qui ſeptimum ætatis annum nondum attigerint, niſi forte periculum mortis immineret, ne, ingraveſcente morbo, ſine hoc Sacramento decedant. Denique Sanctitas Sua facultatem elargiri ſolum intelligit, donec neceſſitas id poſtulaverit, videlicet, donec aliquis Catholicus Epiſcopus in Ægypto habeatur.*

5. Hujuſmodi Decretum etiam in præſenti a Nobis confirmatur: cum in omnibus, ac per omnia conveniens, ac conſentaneum ſit tum iis, quæ expoſita fuerunt in præcedenti noſtra Inſtructione *anni* 1745. §. *Quod attinet*; tum etiam iis, quæ fuſe a Nobis tractata ſunt in noſtro Opere *de Synodo Diœceſanâ* impreſſo *anno* 1748. *l.* 7. ubi *c.* 7. actum eſt de conſuetudine Presbyterorum Græcorum impertiendi Sacramentum Confirmationis ſtatim poſt Baptiſmum, & de Epiſcopo, qui eſt Miniſter ordinarius hujus Sacramenti; *& cap.* 8. de neceſſitate, quam habet Sacerdos Latinus, ſi a Summo Pontifice conſtituatur Miniſter extra ordinem Sacramenti Confirmationis, utendi Chriſmate ab Epiſcopo benedicto; *& cap.* 9. reſumpta integra materia, exponitur, quouſque ſe proferat tolerantia Apoſtolicæ Sedis, & in quibus Græcorum Regionibus locum habere valeat vetus conſuetudo, qua eorum Sacerdotes Fidelibus ſtatim, ubi Sacro Lavacro abluti ſunt, Sacramentum Confirmationis conferunt; adeo ut non aliud hic addere opus ſit, quam Præfecto Miſſionum Ægypti eamdem a Nobis concedi facultatem, quæ data eſt Guardiano Sancti Sepulchri, qui ex beneficentia, & gratia Sedis Apoſtolicæ, durante ejus Officio, ubi Epiſcopi Latini in ſuis Diœceſibus reſidentes non adſunt, in Terræ Sanctæ Locis Sacramentum confert Confirmationis; facultatem videlicet conferendi Sacramentum hujuſmodi, Oleo, & Chriſmate, etiam antiquis, ſi nova haberi non poſſint, per Catholicum Antiſtitem gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicæ habentem benedictis: quemadmodum quiſque legere poterit in Noſtra Conſtitutione, quæ decima eſt in Tomo primo Noſtri Bullarii. Quamvis enim, juxta ea, quæ in Pontificali Romano præſcripta ſunt, ſingulis annis Feria quinta in Cœna Domini Sacrum Chriſma renovari debeat, neque liceat uti Chriſmate anno præcedenti conſecrato, id tamen locum non habet, ſi aut Chriſma recipi nequeat, niſi ab Epiſcopo, qui a Communione Apoſtolicæ Sedis ſeparatus ſit, aut etiam ſi aliquis Epiſcopus adſit in Communione Eccleſiæ Catholicæ degens, ea tamen ſit locorum diſtantia, vel aliud intercedat impedimentum, ut ab eo novum Chriſma accipi nequeat; tunc quippe licere cenſetur uti vetere Chriſmate ab Epiſcopo Catholico annis præcedentibus benedicto, ſicut a Nobis late demonſtratum eſt in Noſtra Notificatione XIV. *Tom.* 4. *Bononienſ. editionis*, cum in ea Urbe degentes Archiepiſcopi munere fungeremur.

5. Quod autem pertinet ad ætatem, qua Sacramentum Confirmationis dari debet, aut conferri permittitur etiam iis, qui adhuc per ætatem capaces non ſunt probe, ac bene percipiendi vim, ac valorem Sacramenti, id, quod reſponſum eſt, apprime concordat cum iis, quæ a Nobis collecta, & fuſe expoſita ſunt in laudato Noſtro Tractatu *de Synodo Diœceſana lib.* 7. *cap.* 10.

BULLA SEXTA.

Confirmationis Sacramentum Infirmis in Archi-Hoſpitali Sancti Spiritus in Saxia de Urbe degentibus conferri poſſit a Præceptore, ſeu Commendatario in Epiſcopali dignitate conſtituto, vel, ipſo, aut Priore mandante, ab alioquocumque Catholico Antiſtite, nullius alterius obtenta licentia.

Extat hæc Bulla in Tom. III. num. XXXVI. data autem fuit die 12. Januarii anno 1751. Pontificatus vero anno XI.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Magiſter Octavius Buſalini Præceptor, ſeu Commendatarius Archi-Hoſpitalis S. Spiritus in Saxia de Urbe, quod alias fel. rec. Nicolaus Papa IV. Prædeceſſor Noſter per quaſdam ſuas ſub Plumbo, ſexto Nonas Martii, Anno ejus tertio expeditas litteras conceſſit, & indulſit, ut Magiſter, ſeu Præceptor, aut Commendatarius, ac Fratres, ſeu Canonici dicti Archi-Hoſpitalis pro tempore exiſtentes, utriuſque ſexus Infantes in illo expoſitos, & pro tempore exponendos, de Sacro Fonte renatos, per quemcumque, quem maluerint, Catholicum Antiſtitem, gratiam, & communionem hujus Apoſtolicæ Sanctæ Sedis habentem, confirmari facere valerent, & alias prout in dictis litteris, quarum tenorem præſentibus pro expreſſe haberi volumus, uberius continetur.

1. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, interdum accidere ſoleat, ut inter tot Infirmos, qui ad memoratum Archi-Hoſpitale, ut ex eorum morbis, aliiſve corporis infirmitatibus mederi poſſint, accedunt, aliquis magno cum vitæ periculo inveniatur, qui in provecta etiam ætate conſtitutus, Sacra Confirmatione minime inauguratus exiſtat, itaut illam, omni dilatione poſtpoſita, etiam intempeſtive conferre neceſſe ſit, ac propterea dictus Magiſter Octavius Præceptor, ſeu Commendatarius, ut hujuſmodi neceſſitati conſulere valeat, Indultum prædictum favore Infantium expoſitorum, ſicut præmittitur, conceſſum, etiam ad Infirmos per Nos extendi plurimum deſideret; Nobis propterea humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune providere, & ut infra, indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

2. Nos igitur ipſum Octavium Præceptorem, ſeu Commendatarium ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a Jure, vel ab Homine quavis occaſione, vel cauſa latis, quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eidem Octavio moderno, necnon pro tempore, exiſtenti Præceptori, ſeu Commendatario, vel Priori Archi-Hoſpitalis prædicti, ut ipſe, vel aliquis eorum, Infirmis ad illud pro tempore accedentibus, ſi Sacra Confirmatione inaugurati non fuerint, illam, ſi neceſſitas id poſtulaverit, a quocumque, quem maluerint, Catholico Antiſtite gratiam, & communionem Sedis prædictæ habente, nulla etiam a quocumque obtenta licentia, Sacram Confirmationem conferri facere. Si Præceptorem vero, ſeu Commendatarium in Epiſcopali Dignitate conſtitutum eſſe contingat, illam per ſeipſum conferre, libere, & licite, poſſint, & valeant, reſpective facultatem, & auctoritatem, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus, & indulgemus.

3. Decernentes, eaſdem præſentes Litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, pleniſſime ſuffragari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit, attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ *ET* MISSÆ SACRIFICIO.

BULLA PRIMA.

Mercimonia ſuper eleemoſynis Miſſarum vetantur ſub pœna Cenſurarum, quarum abſolutio Summo Pontifici reſervatur.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis univerſis, gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicæ habentibus.

Extat hæc Bulla in Tom. I. num. XXII. data die 30. Junii anno 1741. Pontificatus vero anno I.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUANTA cura adhibenda ſit, ut Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium non ſolum omni Religionis cultu, ac veneratione celebretur, verum etiam, ut a tanti Sacrificii dignitate cujuſvis generis mercedum conditiones, pacta, & importunæ, atque illiberales eleemoſynarum exactiones potius, quam poſtulationes, aliaque hujuſmodi, quæ a ſimoniaca labe, vel certe a turpi quæſtu non longe abſunt, e medio tollantur, nemo eſt ex Catholicæ Fidei cultoribus, qui ignoret.

1. Verum eouſque tandem progreſſa eſt, ſicut non ſine ingenti cordis noſtri mœrore undique accepimus, nonnullorum, ſive Eccleſiaſticorum, ſive Laicorum Virorum avaritia, quæ eſt idolorum ſervitus, ut eleemoſynas quidem, ſeu ſtipendia propter Miſſarum celebrationem, juxta locorum conſuetudines, vel Diœceſanarum Synodarum ſanctiones, in ſubſidium alimentorum unuſquiuſque Sacerdotis duntaxat, pro regionum opportunitatis præſcripta, colligant; Miſſas vero celebrari curent alibi, ubi eleemoſynæ, ſeu ſtipendia, vel conſuetudine, vel Synodali lege, pro ſingulis Miſſis attributa ſunt minoris pretii, quam illic, ubi accipiuntur, darentur.

2. Id quam abſonum ſit, atque alienum ab ipſa, ſive expreſſa, ſive tacita pie offerentium voluntate, omnes plane intelligunt. Nec aliter exiſtimandum eſt; in illa enim potius Miſſas eſſe celebrandas quiſque vult, ad quam, religionis, & pietatis ſtimulis ductus, eleemoſynas confert, aut in qua quiſpiam fortaſſe tumulatus eſt, quam in alia Eccleſia ſibi prorſus ignota. Quod ſane, veluti mercaturis faciendis a turpis lucri cupiditate inductum, non ſolum ab avaritiæ ſuſpicione, & vitio, verum etiam a furti crimine, unde reſtitutioni ſubjacet, haud immune; in cauſa eſt, ut bonorum quamplurimi, ad quorum notitiam mercatura hujuſmodi venit, graviter offenſi, ab eleemoſynis ad celebrandas Miſſas amplius offerendis ſeſe abſtineant.

3. Execrabilem hujuſmodi abuſum alicubi ſenſim irrepentem deteſtantes Romani Pontifices Prædeceſſores Noſtri, de conſilio tum Congregationis S. R. E. Cardinalium Univerſalis Inquiſitionis contra hæreticam pravitatem, tum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, decretum voluerunt, nimirum a quolibet Sacerdote, ſtipendio, ſeu eleemoſyna majoris pretii pro celebratione Miſſæ a quocumque accepta, non poſſe alteri Sacerdoti Miſſam hujuſmodi celebraturo ſtipendium, ſeu eleemoſynam minoris pretii erogari, etſi eidem Sacerdoti Miſſam celebranti, & conſentienti, ſe majoris pretii ſtipendium, ſeu eleemoſynam accepiſſe indicaſſet.

4. Eapropter Vos, Venerabiles Fratres, in Apoſtolici Miniſterii, & ſolicitudinis Noſtræ partem adſcitos, rogamus, & maximopere in Domino hortamur, ut cuſtodientes vigilias ſuper Gregibus veſtris enitamini, ne ea peſtis amplius pervagetur, ſed ut penitus extinguatur. Ab avaritia enim, tanquam a radice, mala omnia germinant; quam quidam appetentes, erraverunt a Fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Avaritia quidem nulla potior contagio, quæ conceptam apud omnes Sacerdotalis dignitatis, perfectioniſque opinionem magis inficiat, evellatque: Avaritia opibus Deum poſthabere, ac ſervire Mammonæ docens, efficit, ut Avari hæreditatem non habeant in Regno Chriſti, & Dei. Quod ſi hæc in Laicis hominibus minime toleranda, atque adeo legibus coercenda, quid in Eccleſiaſticis Viris, qui terrenis rebus nuntium miſerunt, qui in ſortem Domini vocati, qui Deo mancipati ſunt? Quid, quod non per mundana lucra, ſed per Altaris miniſterium, tam ſordide, & cum ſanctiſſimarum legum contemptu, & cum Sacerdotalis characteris dedecore in avaritiam præcipiti animo rapiuntur? Contendite igitur, Venerabiles Fratres, quibus Chriſti Ovium cura demandata eſt, non ſolum ut verbo, & exemplo præeuntes, Chriſti ſitis bonus odor in omni loco, unde populi veſtigia veſtra ſequantur, verum etiam ut Eccleſiaſticos primum, deinde Laicos viros ab infectis vitiorum paſcuis avertentes, per viam mandatorum Dei ad Cæleſte Ovile currere doceatis.

5. Quoniam autem ita comparatum eſt, ut præſentis pœnæ metu ſalutaribus monitis facilius obtemperetur; per Edictum in veſtris Diœceſibus proponendum, affigendumque, univerſis notum facite, quemcumque, qui eleemoſynas, ſeu ſtipendia majoris pretii pro Miſſis celebrandis, quemadmodum locorum conſuetudines, vel Synodalia Statuta exigunt, colligens, Miſſas, retenta ſibi parte earumdem eleemoſynarum, ſeu ſtipendiorum acceptorum, ſive ibidem, ſive alibi, ubi pro Miſſis celebrandis minora ſtipendia, ſeu eleemoſynæ tribuuntur, celebrari fecerit, Laicum quidem, ſeu Sæcularem, præter alias arbitrio veſtro irrogandas pœnas, Excommunicationis pœnam, Clericum vero, ſive quemcumque Sacerdotem, pœnam Suſpenſionis ipſo facto incurrere; a quibus nullus per alium, quam per Nos ipſos, ſeu Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, niſi in mortis articulo conſtitutus, abſolvi poſſit. Fore autem in Domino confidimus, ut unuſquiſque memor conditionis ſuæ, poſthac bene conſultum velit animæ ſuæ, nec tam ſalutares leges, cenſuraſque Eccleſiaſticas parvipendat. Interea Fraternitatibus Veſtris Apoſtolicam Benedictionem, in populos etiam curæ veſtræ commiſſos redundaturam, peramanter impertimur.

6. Volumus autem, ut præſentium litterarum tranſumptis, ſive exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

BULLA SECUNDA.

De eodem argumento breve encyclicum ad Epiſcopos Provinciæ Pedamontanæ.

Extat in Tomo I. num. XXIII. data autem die 30. Junii anno 1741. Pontificatus vero anno I.

Venerabili Fratri Archiepiſco Taurinenſi.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PRo eximia tua pietate, obſervantiaque, quam Canonicæ diſciplinæ præſtare debes, Vener. Frater, quem paſtoralis creditarum Tibi Ovium cura jamdiu laudabiliter impenſa commendat, plane non dubitamus, quin permoleſtum quoque Fraternitati Tuæ accidat, quod Nos per alias Noſtras in ſimili forma Brevis litteras ad univerſos Catholici Orbis Antiſtites, hac ipſa die datas, ac typis impreſſas, Tibique cum hiſce infimul reddendas, non ſine effuſis lacrymis communicamus. Etſi autem deteſtabilem in Miſſarum celebratione mercaturam, de qua tantopere querimur, alibi etiam fieri accepiſſemus, non ea tamen, nec tanta cum turpis lucri aviditate exerceri noveramus, quam a nonnullis Pedemontii Eccleſiaſticis, & Laicis viris frequentari recentibus nuntiis certiores facti fuimus, ut ſalutare, ad tam ſordidæ negotiationis, & criminis notam a Diœceſibus Pedamontii penitus delendam, remedium adhibere ſatageremus. Verum Nos, ne opinionem, quam omnes de Eccleſiaſticæ diſciplinæ decore, & obſervantia in Pedemontii Diœceſibus vigente habent, minuere videremur, & ut debitis Apoſtolicæ ſolicitudinis officiis faceremus ſatis, id ſcribendi inivimus conſilium.

1. Itaque quemadmodum facile hinc perſpicis, Venerabilis Frater, non obſcurum hac in re peculiaris Noſtræ erga unumquemque Pedemontii Antiſtitem caritatis teſtimonium; ita vehementer enitaris oportet, ut omnem tam pro negotii gravitate, quam pro Noſtræ providentiæ ratione operam colloces, ut de contagione mercaturæ hujuſmodi penitus extincta tecum gratulemur.

2. Verum ſi malorum hominum pervicacia tanta fuerit, ut, pœnis per eaſdem litteras Noſtras irrogandis arroganter deſpectis, ad eam contringendam brachii ſæcularis auxilio Tibi opus ſit, illud invocare ne omittas, minime dubitans, quin libentius, quam optas, Tibi præſto ſit.

3. Tanta namque eſt Cariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Caroli Emanuelis Sardiniæ Regis illuſtri in Nos, & Apoſtolicam hanc Sanctam Sedem obſervantia, ſæpiſſime rebus ipſis probata, ut majora in dies Regiæ, non ſolum erga Nos ipſos, ſed etiam erga Fraternitatem Tuam pietatis, & pro Eccleſiaſtica diſciplina zeli, ac patrocinii argumenta No-

ta Nobis certo polliceamur. Interea Fraternitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.

BULLA TERTIA.

Indultum pro celebratione Miſſarum ſuper Triremibus Militiæ Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani.

Extat hæc Bulla in Tom. I. num. XLI. data vero die 15. Januarii anno 1742. Pontificatus autem Anno II.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Magnus Magiſter Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani, quod ipſe, conſiderans tam Fratres Milites, quam Officiales, Nautas, & Turmam Catholicam, qui ſuper claſſe Triremium Hoſpitalis præfati reperiuntur, tempore expeditionum, præſertim in Littore Maris Africi, & Lybici, aliiſque partibus communi Chriſtiani nominis hoſti ſubjectis, longo tempore, & multoties in ſolemnioribus anni Feſtis diebus, prout etiam quando in oris maritimis Catholicorum Principum, & in illorum portubus exiſtunt, tum propter anni tempeſtates ſibi adverſas, quæ minime permittunt tentorium in terra figere, & obtendere, ſub quo Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrari poſſit, tum propter diſtantiam Terræ firmæ, Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium hujuſmodi audire non poſſe; ut incommodis, & inconvenientibus hujuſmodi, ne pietas, & devotio Fratrum, Subditorumque ejuſdem Hoſpitalis minuatur, occurri poſſit, idem Miſsæ Sacrificium in Triremibus prædictis celebrari poſse plurimum deſiderat. Nobis propterea dictus Magnus Magiſter humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

1. Nos igitur piis dicti Magni Magiſtri votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere; eumque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibusvis Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa, latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, moderno, ac pro tempore exiſtenti Magno Magiſtro, & dilectis Filiis Conſilio Hoſpitalis Præfati, petitam facultatem celebrari faciendi Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium hujuſmodi, tum tempore Navigationis, quo Triremes hujuſmodi anchoratæ ſunt, in quibuſvis oris, littoribus, & portubus habitatis, & non habitatis, & dummodo celebratio Miſsæ hujuſmodi eo tempore, quo Mare tranquillum, & Cœlum ſerenum reperiatur, & cum aſſiſtentia alterius Presbyteri, ſeu Diaconi, fiat, itaut periculum effuſionis Sanguinis in dicta celebratione minime adſit; auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

BULLA QUARTA.

De Sacramento Euchariſtiæ, & Miſſæ Sacrificio.

Ex ea, quæ extat in Tomo I. num. LVII. & poblicata anno 1742. die 26. Maji, Pontificatus vero an. II. in qua §. 6. hæc leguntur.

1. SAcerdotes ad Pœnitentiæ Sacramentum frequenter accedant, ut cum Divinum Myſterium peracturi ſunt, nulli coram Deo criminu ſint obnoxii, ſed cor habeant omni pravitate vacuum, mundum, quoad fieri poteſt, ac purum. Indignum enim, ac auribus plane horrendum eſt, ut qui animum habet aliquo ſcelere fœdatum, Sanctum Sanctorum impuris manibus contrectet, & placare Deum attentet, qui in peccatis exiſtens, ipſius Dei furorem, & iracundiam provocat.

2. Item permittitur eiſdem, facta jam Conſecratione, antequam Sacerdos communicet, juxta ritum in Liturgia præſcriptum, aquam ferventem, ſeu tepidam in Sacrum Calicem infundere.

3. Tollatur abuſus tundendi, vel etiam miſcendi Sacro Oleo, ac iterum coquendi, vel alias exſiccandi ſpecies Sacramenti Sacræ Euchariſtiæ Feria quinta Cœnæ Domini, ut deinde illud aſſervent.

4. Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quod pro Infirmis aſſervatur, ſinguli octo diebus, aut ſaltem quindecim renovetur.

5. Non aſſervetur idem Sacramentum toto anno: ſi tamen aſſervatum fuerit, in fine anni ſumatur.

6. In Celebratione Solemnium, & aliarum Miſſarum, & de hora celebrandi eas, dummodo in confectione, vel conſecratione formam verborum a Domino expreſſam, & traditam obſervent, & celebrando non tranſgrediantur horam nonam, ſuam ſequi conſuetudinem permittantur; ita tamen, ut jejunii lex unica comeſtione in die religioſe ſervetur; & ſi alicubi viget conſuetudo producendi jejunium cum Miſſa uſque ad veſperam, minime aboleatur, ſed in ſuo robore, ac firmitate permaneat.

7. Si inter Græcos, qui in Italia, & Inſulis adjacentibus degunt, viget abuſus, quem in Orientalibus Regionibus vigere perhibent, ut Monachi Euchariſtiæ particulam ſuſpenſam ad collum, vel aliter ſecum deferant; necnon in privatis Domibus, ubi eos commorari contingat, retineant, ut eo auxilio freti, liberi a quibuſcumque periculis evadant; vel cum in longiora itinera ſe committunt, ex refici valeant, eum omnino aboleri volumus, & expreſſe mandamus; præfatiſque Monachis, ne id impoſterum facere audeant, ſeveriſſime prohibemus. Obſequium enim, ac reverentia, qua ſinguli Fideles Auguſtiſſimum hoc Sacramentum proſequi debent, non patitur, ut privatim, ac latenter, cujuſcumque arbitrio, & voluntate domi illud retineatur, aut in itineribus, ac peregrinationibus aſportetur.

8. Cum in Parochialibus Eccleſiis ipſorum Græcorum, ex antiquiſſimo, & hactenus ſervato ritu, nonniſi ſemel in die per unum Sacerdotem celebrare liceat, permittitur quidem Presbyteris Græcis ſuum, ſi velint, morem hac in parte ſervare. Interdicitur autem Latinis Sacerdotibus, ne Miſſas, & alia Divina Officia in dictis Græcorum Eccleſiis, & ſuper eorum Altaribus Majoribus, extra caſum alicujus neceſſitatis, & aliorum Altarium, Eccleſiarumque defectus, & niſi ex Parochi Græci conſenſu, quem nullatenus hujuſmodi in caſibus negare poſſit, celebrent.

9. Quia tamen ipſi Græci, & Albanenſes Presbyteri Nobis humillime ſupplicarunt, ut ſibi liceat pro Sacerdotum numero plures in die ſuis Eccleſiis Miſſas celebrare: Nos ipſorum precibus annuere volentes, per præſentes Noſtras concedimus, ac indulgemus ut in ſuis Parochialibus, vel aliis Eccleſiis, præter Altare majus, alia etiam minora Altaria, ſeu Cappellas, Sacris Indumentis Græcorum, ſeu Latinorum more ornata, ſeu ornatas, erigant, in quibus Latini, vel Græci Presbyteri reſpective ſuo quiſque ritu celebrare valeant.

10. Cum in Sacro Generali Florentino Concilio præſcriptum ſit, ut unuſquiſque Sacerdos Euchariſtiam juxta Eccleſiæ ſuæ ritum, ſive Latinæ, ſive Græcæ, in azymo, ſeu fermentato conficere debeat, vetitumque a Summis Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris, ne Latinus Sacerdos Græco ritu, aut Græcus Latino utatur; diſtrictius inhibemus, etiam ſub pœnis perpetuæ ſuſpenſionis a Divinis, ne Presbyteri Græci Latino more, & Latini Græco ritu, ſub quovis licentiarum, & facultatum Miſsas, & alia Divina Officia, Græci Latino more, & Latini Græco ritu celebrandi, ab Apoſtolica Sede, vel ejus Legatis, ac etiam Majori Pœnitentiario pro tempore exiſtente obtentarum prætextu, Miſsas, & alia Divina Officia celebrare, vel celebrare facere præſumant.

11. Eadem quoque ratione, tam ubi ſunt duæ Parochiæ, Latina altera, & altera Græca, quam in una, eademque Parochiali Latinorum, vel etiam Græcorum Eccleſia, in qua, ut præmittitur, præter Altare Majus, quod pro ſolis Græcis Sacerdotibus erectum eſt, Minora quoque Altaria pro Latinorum Sacerdotum uſu extructa conſpiciuntur, ſtatuimus, & decernimus, ut neque Latinus Parochus Pyxidem in Ciborio cum Particulis ſub ſpecie fermentati pro Communione Græcorum, neque Parochus Græcus ſub ſpecie azymi pro Communione Latinorum, in quocumque Eccleſiæ ſuæ Altari retineat; ſed unuſquiſque Sacerdos nonniſi in ſuo ſive Græco, ſive Latino ritu Euchariſtiam Fidelibus porrigere debeat.

12. Ne Laici autem Latini Communionem a Græcis Presbyteris ſub ſpecie fermentati recipiant, prohibemus omnino, & interdicimus.

13. Græcis tamen Laicis permittimus, ut, ubi Parochiam Græcam non habent, poſſint, ſi velint, in Eccleſia Latina Euchariſtiam ſub ſpecie azymi a Latinis Sacerdotibus ſumere.

14. Quod ſi in Locis, in quibus Græci, & Latini ſimul moram trahunt, & ſunt utriuſque ritus Eccleſiæ, Latini quidem in fermentato, & Græci in azymo Sacram Euchariſtiam quandoque ſumere ſoleant, ſiquidem hæc conſuetudo ſine Populi offenſione, animorumque commotione removeri non poteſt, Ordinarii etiam ſuam ſuaviſſimis modis impendant, ut Latini ſemper in azymo, Græci autem, ubi propriam Parochiam habent, in fermentato communicent.

15. Ut autem iidem Laici Græci Euchariſtica ſub utraque ſpecie Communione refici valeant; permittimus, in illis duntaxat locis, in quibus ejuſmodi ritus introductus eſt & ad præſentem uſque diem ſervatur, ac viget; ita tamen, ut ſub altera tantum ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi firmiter credant, ac propterea, quoad fructum attinet, nulla gratia ad ſalutem neceſsaria eos fraudari, qui unam ſpeciem ſolam accipiunt. Ubi vero præfatus ritus conſuetudine hactenus receptus non eſt, Epiſcopis, quorum

Google

juriſdictioni Græci ſubjiciuntur, curæ ſit, ne impoſterum admittatur.

16 Volentes autem ſpecialem ipſis Græcis, & Albanenſibus Presbyteris gratiam facere, tenore præſentium, ut tempore jejunii quadragesimalis, quo, exceptis Dominicis, Sabbathis, & nonnullis ſolemnioribus Feſtivitatibus, ex antiquo more, nonnisi Miſſa Præſanctificatorum celebratur, Græci, & Albanenſes prædicti, ſervato tamen nec prætermiſſo in Parochialibus Eccleſiis Præſanctificatorum ritu, in aliis Altaribus, ſeu Eccleſiis, ſive Capellis, pro ſua, ac Fidelium Populorum devotione, Miſſas integras quibuslibet hebdomadæ diebus, ac præſertim cum dies Feſti de præcepto Latinæ Eccleſiæ occurrunt, quos obſervare tenentur, excepto poſtremo Majoris Hebdomadæ triduo, celebrare poſſint, & valeant, concedimus, & indulgemus.

17. Si Græci velint accipere Altaria portatilia ab Epiſcopis Latinis conſecrata, bene erit, ſin minus, tolerentur eorum Antimenſia, ſive Throni, ſuper Altaria lapidea ponendi, cum celebrant.

18. Corporalia ut Latini habeant, niſi Thronis etiam pro Corporalibus utantur.

19. Latinis Presbyteris Latino ritu in Græcorum Catholicorum Eccleſiis celebrantibus, ſi careant proprio Altari portatili lapideo, ſuper Antimenſiis, ſeu Thronis Græcorum Sacrum facere non licet.

20. Unuſquiſque Sacerdos in aureo, vel argenteo ſolum, aut ſaltem ſtanneo Calice ſacrificet, habens Thronos, ſeu Corporale de lino candidum, & nitidum, & Altare mundis veſtimentis opertum, vel decenti paratu ornatum.

21. Mulieres autem ſervire ad Altare non audeant, ſed ab illius miniſterio repellantur omnino.

BULLA QUINTA.

Indultum celebrandi Miſſas ſuper Triremibus Pontificiis.

Extat hæc Bulla in Tom. I. num. LII. data vero die 28. Aprilis anno 1742. Pontificatus autem Anno II.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

EXponi Nobis nuper fecit Dilectus Filius Magiſter Marius Bolognetti, Noſter, & Apoſtolicæ Sedis Notarius, Protonotarius nuncupatus de numero Participantium, Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ Theſaurarius Generalis, ac Claſſis, & Triremium Noſtrarum Commiſſarius Generalis, quod ipſe conſiderans, tam Officiales, & Milites, quam Nautas, & Turmam, qui ſuper Claſſe Triremium Noſtrarum reperiuntur, tempore expeditionum, in Littore Maris, aliiſque partibus tum Catholicis, tum communi Chriſtiani Nominis hoſti ſubjectis, interdum longo tempore, & multoties in ſolemnioribus anni Feſtis diebus, prout etiam quando in oris maritimis Catholicorum Principum, & in illorum portubus exiſtunt, tum propter anni tempeſtates ſibi adverſas, quæ minime permittunt tentorium in terra figere, & obtendere, ſub quo Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrari poſſit, tum propter diſtantiam Terræ firmæ, Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium hujuſmodi audire non poſſe; ut incommodis, & inconvenientibus hujuſmodi, ne pietas, & devotio perſonarum ſupradictarum minuatur, occurri poſſit, idem Miſſæ Sacrificium in Triremibus præfatis celebrari facere poſſe plurimum deſiderat. Nobis propterea dictus Magiſter Marius Theſaurarius Generalis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

1. Nos igitur piis ejuſdem Magiſtri Marii Theſaurarii Generalis votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere, eumque ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibus Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa, latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eidem Magiſtro Mario, ac pro tempore exiſtenti Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ Theſaurario Generali, petitam facultatem celebrari faciendi Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium hujuſmodi qualibet die in Triremibus noſtris præfatis, tum tempore, quo Triremes hujuſmodi anchoratæ ſunt, in quibuſvis oris, littoribus, & portubus habitatis, & non habitatis, & dummodo celebratio Miſſæ hujuſmodi tempore navigationis facienda, dum Mare tranquillum, & Cœlum ſerenum reperiatur, & cum aſſiſtentia alterius Presbyteri, ſeu Diaconi, fiat, itaut periculum effuſionis Sanguinis in dicta celebratione minime adſit; auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

BULLA SEXTA.

Sacerdotes Miſſam celebrantes non teneri Sacram Euchariſtiam omnibus petentibus infra ipſam actionem miniſtrare.

Extat hæc Bulla in Tomo I. num. LXIV. data ſub die 13. Novembris anno 1742. Pontificatus vero Anno III.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis & Epiſcopis Italiæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CErtiores effecti, pullulare in nonnullis Italiæ Diœceſibus controverſiam de obligatione, qua Sacerdotes Miſſas celebrantes adſtringantur, Euchariſtiam miniſtrare intra eaſdem Fidelibus iis, qui ad ipſam accipiendam paratos ſe exhibent, ac petunt Sacrificii, cui adſtant, participes fieri; Noſtro proinde animo reputavimus, gliſcenti malo Apoſtolicæ hujus paginæ documento obviam ire, ne ulterius, haud abſque Fidelium eorumdem ſcandalo, progrediatur. Itaque, Venerabiles Fratres, ſermonem Noſtrum ad Vos convertimus, ut ipſi quoque Paſtoralis hac in re Officii partes minime negligatis.

1. Ac primo quidem dicendum Nobis occurrit, nemini ex Fidelibus in mentem venire poſſe, Miſſas privatas in quibus Sacerdos ſolus Sacram ſumit Euchariſtiam, propterea veri, perfecti, & integri Sacrificii incruenti a Chriſto Domino inſtituti rationem amittere, ideoque illicitas eſſe exiſtimandas. Nec enim ignorant Fideles, aut ſaltem facile edoceri poſſunt, Sacroſanctum Tridentinum Concilium, innixum doctrinæ, quam perpetua Eccleſiæ traditio ſervavit, huic adverſantem novam, falſamque Lutheri ſententiam damnaſſe *ſeſſ. 22. c. 6. & can. 8. Si quis dixerit, Miſſas, in quibus ſolus Sacerdos Sacramentaliter communicat, illicitas eſſe, ideoque abrogandas; anathema ſit.*

2. Nihilominus quandoquidem vetus Eccleſiæ praxis, & diſciplina, juxta quam Fideles Miſſis adſtantes participare paſſim, atque in publicis Conventibus, ſolebant Sacroſanctum Sacrificium, inſtitutioni, & exemplo Chriſti Domini omnimode convenit, verba ejuſdem Concilii eo ipſo ſpiritu, quo ab eodem prolata ſunt, iteramus: *Optaret quidem Sacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis Fideles adſtantes, non ſolum ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent, quo ad eos Sanctiſſimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret.* Utinam autem eo ipſo Chriſtianæ pietatis fervore, quo priſcorum Sæculorum Fideles exardebant, noſtrorum quoque temporum homines inflammati, avide ad publicam Sacram Menſam advolare, Sanctorumque Myſteriorum ſolemnitati non adeſſe tantum, ſed religioſe eorumdem participationem expetere conſpicerentur. Nulla certe res eſt, qua utilius Epiſcopi, Parochi, Confeſſarii ſtudium ſuum omne impendere valeant, quam in excitandis Fidelibus ad eam mentis puritatem ſectandam, unde digni reddantur frequenti ad Sacram Menſam acceſſu; & non ſpirituali tantum, ſed ſacramentali etiam participatione illa Sacrificii, quod a Sacerdote, tanquam publico Eccleſiæ Miniſtro, non pro ſe tantum, ſed pro ipſis, & ipſorum nomine offertur.

3. Et quamvis de eodem Sacrificio participent præter eos, quibus a Sacerdote celebrante tribuitur, in ipſa Miſſa portio Victimæ a ſe oblatæ, ii etiam, quibus Sacerdos Euchariſtiam reſervari ſolitam miniſtrat; non tamen idcirco, aut vetuit unquam Eccleſia, aut modo vetat, ſatiſfieri ab ipſo Sacerdote pietatis, & juſtæ eorum petitioni, qui Miſſæ adſtantes, ad conſortium admitti poſtulant ejuſdem Sacrificii, quod & ipſi pariter offerunt ea ratione, quæ ipſos decere poteſt: imo probat, atque cupit, ne id omittatur, eoſque Sacerdotes increparet, quorum culpa, & negligentia Fidelibus participatio illa denegaretur.

4. At quoniam in Eccleſia Chriſtiana opus eſt cuncta ordinate, & congruenter diſponi; Paſtores vigilantiam, & curam ſuam conferent, ut ex una parte Fidelium pietas minime fraudetur eo acceſſu, eaque participatione; ex alia vero ita utrumque ſortiatur, quin ulla in laudabilibus aliis inſtitutis oriatur perturbatio, unde facile confuſio etiam, & ſcandalum oriretur. Quare Paſtores monere debent eoſdem Fideles, ut participes eſſe cupientes Sacræ Menſæ, (quod maximopere probandum diximus) ſtudeant tempus, locum, & circumſtantias naneiſci, quibus & ipſi juſtorum votorum ſuorum compotes evadant, nec inſtituta illa pietatis impediant, hiſque Paſtorum ſuorum monitis Fideles ſeſe dociles præbentes cavebunt, ne ſibi injuriam factam querantur, ſi quandoque pro tempore, loco, & perſonis, Epiſcopus minime opportunum cenſuerit, a Sacerdote celebrante Euchariſtiam diſtribui iis, qui adſtant; quibus ſcilicet eo ipſo tempore facilis, & obvia ſuppetit ratio ad eamdem Menſam accedendi, pluribus aliis locis cuivis inſtructam.

5. Haud ægre Epiſcopi, & Parochi id Fidelibus perſuadebunt, quoties ipſis ſignificent, ex Eccleſiæ diſciplina, quæ

quæ modo viget, non quidem difficiliorem, ſed faciliorem evaſiſſe eidem participationem, quam optant. Siquidem veteri more in ſingulis Eccleſiis paſſim unica Miſſa celebrabatur, cui Fideles adſtabant, indeque participabant; quin a ſolis propriis Paſtoribus, quemadmodum reliqua Sacramenta, ita etiam Euchariſtiam licite accipere valebant. Hiſce vero temporibus, ex Sacerdotum celebrantium, ex locorum, Altariumque, quibus ea celebratio publice peragitur, multiplicitate, patet cuilibet facile parabilis Sacræ Menſæ, & ad Sacrum Convivium admiſſio. Sin autem iidem Fideles ita moniti, importune inſiſterent pro recipienda Euchariſtia in iis temporis, loci, & perſonarum circumſtantiis, quas excipiendas cenſuiſſet Epiſcopus, Ritualis Romani auctoritate etiam fretus, hæc illorum petitio, utpote nec juſta, nec rationabilis, contumacem, ac refractarium animum demonſtraret, cupidumque perturbationis, ac proinde minime compoſitum Euchariſtiæ, qua par eſt pietate, percipiendæ.

6. Dum Paſtores erga Fideles ita ſe gerent, dumque Fideles Paſtorum dictis pronas ita aures accomodabunt, orietur abſque ulla dubietate pax illa perfecta, atque concordia, qua capita invicem, & membra magnopere colligari decet; delinentque importunæ illæ controverſiæ, quæ eo tandem tendunt, ut turbas gignant, ac ſcandalum, verique animarum fructus, quo nihil Paſtori carius eſſe debet, perniciem. Verbis itaque Apoſtoli Pauli ad Corinthios utimur: *Obſecro vos, Fratres, per nomen Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata, ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia.* Quæ quidem dum Vobis, Venerabiles Fratres, per hæc Apoſtolica ſcripta nota eſſe volumus, in felicitatis auſpicium, & Paternæ dilectionis pignus, Apoſtolicam Benedictionem impertimur.

BULLA SEPTIMA.

Contra Surripientes, & Aſportantes, aut apud ſe Retinentes Sacras Hoſtias, vel Particulas conſecratas.

Extat hæc Bulla in Tomo I. num. CXIII. data autem fuit die 5. Martii anno 1744. Pontificatus vero Anno IV.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

AB Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, in quo Salvator Noſter, & Dominus JESUS CHRISTUS ſe ipſum nobis, tanquam gratiarum omnium fontem uberrimum, atque pretioſum æternæ gloriæ pignus, amandum, atque fruendum exhibere ineffabili benignitate dignatur, cui curvari venit omne genu, omneſque gentes, & populos, & linguas perenne adorationis, & honoris tributum offerre; ſceleratorum hominum audaciam, multoque magis ſacrilegas impiorum manus arcendas eſſe; in primiſque a Nobis Apoſtolicæ auctoritatis clypeo, ac diſtricto pœnarum gladio, quantum cum Domino poſſumus, longius propulſandas, tum ipſo Miniſterii Noſtri Officio, tum etiam Prædeceſſorum Noſtrorum exemplis admonemur.

1. Et ſane, cum alias ven. mem. Prædeceſſor Noſter Innocentius Papa XI. per ſuam Conſtitutionem datam 4. Idus Martii anno Incarnationis Dominicæ 1676. ſtatuerit, ut omnes, & ſinguli utriuſque ſexus, qui de execrabili furto Hoſtiæ conſecratæ, ſive unius, vel plurimum Particularum conſecratarum, cum Sacra Pyxide, vel ſine illa, legitime, & judicialiter confeſſi, aut convicti fuerint, quive propria malitia, vel de alterius mandato, Hoſtiam ejuſmodi, ſive unam, vel plures Particulas conſecratas, ad malum finem, apud ſe retinere, vel alio transferre, ſeu aſportare præſumpſerint, condignis pœnis, & animadverſionibus pro facinoris atrocitate plectantur, & pro prima etiam vice Curiæ Sæculari tradantur; non obſtante minori ætate, dummodo vigeſimum annum attigerint; eaſdemque pœnas conſtituerit etiam contra Mandantes. Immediatus illius Succeſſor ſel. pariter rec. Alexander Papa VIII. æquali zelo ad tam nefarium ſcelus eliminandum armatus, prædictam Innocentii XI. Conſtitutionem confirmavit, per aliam in ſimili forma datam 11. Kalendas Januarii anni 1690. in qua etiam illud addidit, ut ſub antedictæ Conſtitutionis diſpoſitione intelligi deberent comprehenſæ omnes, & ſingulæ perſonæ tam Sæculares, quam Eccleſiaſticæ, etiam Regulares, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, Ordinis, Congregationis, Societatis, & Inſtituti, quibuſcumque privilegiis, exemptionibus, & indultis munitæ, & quavis ſpeciali nota, aut individuatione dignæ, nulla prorſus excepta; eaſque omnes, ſi quas atrociſſimi hujus criminis, quocumque modo, etiam ſine qualitate furti, per ſe ipſas, vel per alios quoſcumque, aut de alterius mandato commiſſi, reas eſſe conſtaret, omnibus, & ſingulis pœnis tum antiquis, tum in dicta Innocentii XI. Conſtitutione innovatis, etiam, quoad Eccleſiaſticos, degradationis realis, & traditionis brachio ſæculari, omnino, & irremiſſibiliter obnoxias fuiſſe, & eſſe, atque impoſterum fore declaravit.

2. Nos igitur, quibus horrendæ hujuſmodi impietatis magis, magiſque præcavendæ non minor cura pectori inſidet, ſupradictas Prædeceſſorum Noſtrorum Innocentii XI., & Alexandri VIII. Conſtitutiones, (quarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſertæ forent, haberi volumus) atque omnes, & ſingulas diſpoſitiones, ordinationes, declarationes, & extenſiones in illis contentas, prout jacent, motu proprio, & ex certa ſcientia, & deliberatione Noſtri, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac Noſtra perpetuo valitura Conſtitutione confirmamus, approbamus, & innovamus, eaſque inviolabiliter, & inconcuſſe ſervari volumus, & mandamus.

3. Cum autem, ſicut Nos ipſi pluries agnovimus, dum adhuc in Minoribus exiſtentes, in Romana, atque univerſali Inquiſitione Conſultoris munere fungebamur, in hujuſmodi Cauſarum tractationibus, quæ coram Sacro prædictæ Inquiſitionis Tribunali agitantur, hæ plerumque exceptiones a Reis, atque Reorum Advocatis proponi ſoleant; quod ſcilicet ſubreptarum Particularum, ſive Hoſtiarum conſecratio, & Surripientium, ſive Aſportantium, vel reſpective Retinentium intentio ad malum finem directa, minime a Fiſco probentur; & propter hujuſmodi exceptiones, & deficientes in Fiſco probationes ad eaſdem repellendas, hujus generis cauſas in longum protrahi contingat, atque etiam ipſi aliquando Rei delictorum ſuorum impunitatem, aut pœnarum minorationem peſſimo exemplo obtinere tentaverint. Cumque ſuper relevantia iſtarum exceptionum, quæ ex prædictarum Innocentii XI., & Alexandri VIII. Conſtitutionum contextu oriri aſſeruntur, & ſuper eo, an ipſis Reis, vel Fiſco potius incumbat onus conficiendi probationes pro ſupradictis exceptionibus fundandis, vel reſpective deſtruendis, novam aliquam declarationem Pontificia auctoritate ſuffultam memoratis Conſtitutionibus adjungi deſperaretur. Idcirco Nos, volentes omnia ſacrilegis Hominibus adimere ſubterfugia, per quæ condignas tantæ impietatis pœnas declinare, vel earum minorationem, & relaxationem prætendere, vel obtinere poſſent, motu, ſcientia, deliberatione, ac poteſtatis plenitudine paribus, atque etiam Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Chriſtiana adverſus hæreticam pravitatem generalium Inquiſitorum a Sancta Sede ſpecialiter deputatorum ſenſui, & conſilio Nobis alias ſuper hac re inſinuato inhærentes ea, quæ ſequuntur, opportune ſtatuenda, & declaranda cenſuimus.

4. Quoties igitur per legitimas probationes conſtiterit, vel Hoſtiam, vel Particulas a Reo ſubreptas, ſive alio modo aſportatas, atque retentas, in Sacro prius Repoſitorio, ſeu Tabernaculo, vel in Sacra Pyxide, aut Oſtenſorio aſſervatas, indeque ſacrilego auſu extractas, atque aſportatas fuiſſe; vel eidem Reo conſtituto, aut alteri perſonæ, in actu Communionis a Sacerdote traditas, deindeque vel in eodem Communionis actu, vel poſt illum, ab ipſo Sumente ex proprio ore extractas fuiſſe; tunc ſatis, & abunde fundatam præſumptionem Fiſco ſuppetere declaramus, pro aſſerenda earumdem Hoſtiarum, ſeu Particularum conſecratione, ad quam excludendam nonniſi claras, & concludentes in contrarium probationes admitti debere decernimus; quarum perficiendarum onus ad ipſum Reum pertinere dubitandum non eſt, ac ne in poſterum dubitari contingat, præſentis declarationis tenore ſtatuimus.

5. Inutiliter etiam a Reis, vel ab eorum Defenſoribus, proponeretur exceptio non probatæ pravæ intentionis abutendi Sacramento ad malum, vel ſacrilegum finem, niſi concludentibus, & juridicis probationibus, adſtruendis pariter ab ipſis Reis, in quos tale onus præſentis declarationis vigore expreſſe refundimus; hujuſmodi exceptio conſtabilita fuerit, & juſta, aut excuſabilis ratio aſportationis, aut retentionis Sacramenti plene comprobetur. Alias etenim Fiſco ſemper aſſiſtet valida, & legitima præſumptio de intentionis pravitate; quotieſcumque probaverit ipſam Sacræ Hoſtiæ, vel Particulæ ſubreptionem, aſportationem, aut retentionem; abſque eo, quod ſuper malo, vel ſacrilego fine, ſpeciales probationes debeat cumulare. Itaque neque iſtam, neque aliam ſuperius memoratam exceptionem, ubi ſufficienter, ut ſupra, probatæ non fuerint, impiis tanti Sacramenti Violatoribus ullatenus ſuffragari volumus, quo minus omnibus, & ſingulis pœnis, etiam pro prima vice, traditionis brachio Sæculari; & quoad Eccleſiaſticos, degradationis realis, & traditionis, pariter pro prima vice, brachio Sæculari, in præfatis, & antiquioribus Prædeceſsorum Noſtrorum, & Juris ſanctionibus, contra hujuſmodi nunquam ſatis deteſtandi facinoris Reos juſte, ac ſapienter conſtitutis, ſubjiciantur, & cum effectu plectantur, & puniantur.

6. Decernentes præſentes Noſtras Litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet in præmiſſis, ſeu eorum aliquo jus, vel intereſse habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis exiſtant, ſive

ve alias ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione digni, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati; & audiri, neque cauſæ, propter quas eædem præſentes emanaverint, adductæ, verificatæ, vel ſufficienter, aut ullo modo juſtificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in Corpore Juris clauſo, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali, & ſubſtantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut etiam motu pari, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſimili concesſo, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſſe; ſed ipſas præſentes ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter, & inconcuſſe obſervari.

7. Sicque, & non aliter in præmiſſis cenſeri, atque ita per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis prædictæ Nuncios, alioſque quoslibet quacumque præeminentia, ac poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

8. Non obſtantibus, quatenus opus ſit, Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de jure quæſito non tollendo, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, exemptionibus, & indultis, etiam in Corpore Juris clauſis, aut Litteris Apoſtolicis quibuſvis Perſonis, Collegiis, Locis, Ordinibus, etiam Militaribus, Congregationibus, Societatibus, & Inſtitutis, etiam Societatis Jeſu, & S. Joannis Hieroſolymitani, aliiſve quibuslibet ſpecifica, & individua mentione dignis, etiam ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam clauſulis, & decretis, etiam irritantibus in genere, vel in ſpecie, etiam motu ſimili, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſeu conſiſtorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & individua mentio, ſeu quævis alia expreſſio ad id ſervanda foret, illorum tenores, formas, cauſas, & occaſiones præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & exactiſſime ſervatis, & ſpecificatis reſpective habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris; hac vice duntaxat, ad præmiſſorum effectum pleniſſime, & ampliſſime motu pari derogamus, & derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

9. Volumus inſuper, & eadem auctoritate prædicta mandamus, ut eædem præſentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quiſquam de eis ignorantiam prætendere valeat, ipſas præſentes, ſeu earum tranſumpta, ad Valvas Eccleſiæ S. Joannis in Lateranen, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, necnon Cancellariæ, & in Acie Campi Floræ per aliquem ex Curſoribus Noſtris, ut moris eſt, publicari, & affigi; ſicque publicatas, & affixas, omnes, & ſingulos, quos concernunt, ſeu concernent in futurum, perinde afficere, & arctare, ac ſi unicuique illorum perſonaliter intimatæ, & notificatæ fuiſſent.

10. Utque earumdem præſentium tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, ac Sigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

11. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Noſtrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, ſtatuti, decreti, declarationis, ampliationis, & extenſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

BULLA OCTAVA.

Contra non promotos ad Sacrum Presbyteratus Ordinem, Miſſam celebrantes, aut Sacramentales Confeſſiones excipientes.

Extat in Tomo I. num. XCVII. data autem die 20. Aprilis anno 1744. Pontificatus vero Anno IV.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

SAcerdos in æternum Chriſtus Dominus, dum ipſa nocte, in qua tradebatur, Apoſtolis a ſe ipſo delectis conſecrandi Corporis ſui, ejuſdemque offerendi, & miniſtrandi poteſtatem conceſſit: mox eiſdem poſt reſurrectionem ſuam, inſufflato Spiritu Sancto, ampliſſimam peccata remittendi, ac retinendi contulit facultatem; hoc ſimul exemplo præceptoque ſuo conſtituit, & ſanxit, ut ea deinceps in univerſam Eccleſiam poteſtas, atque facultas per legitimam tantummodo Sacerdorum ordinationem transfundi, & propagari deberet; unde evacuato veteri Levitarum miniſterio, & Sacerdotio filiorum Aaron, qui exemplari, & umbræ deſerviebant Cœleſtium, omnibus quidem adoptionis ſuæ Filiis ad novum Sacerdotium ſecundum ordinem Michiſedech aditus pateret; ſed non alii reipſa ad ſublimem fungendum honorem aſſumerentur, quam qui a Deo vocati, atque ab Apoſtolis, ſeu ab eorum Succeſſoribus, rite inſtituti, atque ordinati fuiſſent. Quod ſi, juxta Legem Moyſi, accedentes ad Sanctuarium illud manufactum, aut Thuribulum aureum, ab hominibus effictum, manu arripientes, præter eos, qui ex deſignata Tribu, & Familia originem ducerent, ſine ulla miſeratione morti deputabantur; quanto magis putandum eſt deteriora ſupplicia mereri eos, qui, profani cum ſint, adeo præſtantiori Novæ Legis Miniſterio ſe ingerere, atque oblationem, & diſpenſationem Myſteriorum Dei ſibi arrogare præſumpſerint; quum præſertim ea nulliter, & irrite celebrantes, puram ipſam Panis, & Vini ſubſtantiam publicis adorationis actibus, atque receptis Latriæ proteſtationibus impie proſequantur, & quantum in ipſis eſt, in idem Idololatriæ crimen fideles Populos, licet ignorantes, inducant. Mendaces vero illi, qui abſque legitima auctoritate, in Pœnitentiæ Tribunalibus, tanquam Judices animarum, ſedere audent, eamque ſibi falſo aſſerere facultatem, emundandi conſcientias hominum ab operibus mortuis, quam æterni fœderis Sponſor Dei Filius nemini ſe, niſi per Eccleſiaſticam Ordinationem, communicaturum promiſit, ſeverioribus profecto pœnis plectendi ſunt, cum Sacramentum reconciliationis humanæ conculcent, & Sanguinem Teſtamenti, a quo virtus illius omnis promanat, pollutum ducant, confitentibus vero fideliter peccata ſua impiam in ſe graviſſima fraudem faciant.

1. Et quidem graviſſima hujuſmodi ſcelera execrantes Romani Pontifices Prædeceſſores Noſtri Paulus IV. & Sixtus V. decreverunt, ut qui ad Presbyteratus Ordinem non promoti, Miſſarum celebrationem uſurpare, & Sacramentum Pœnitentiæ miniſtrare præſumpſerint, a Judicibus Sanctæ Inquiſitionis tradi deberent Curiæ Sæculari, debita animadverſione puniendi. Eorumque veſtigiis per omnia inhærens fel. record. Clemens Papa VIII. etiam Prædeceſſor Noſter, ne circa pœnam hujuſmodi delinquentibus irrogandam ullus dubitationi locus ſupereſſet, in ſuis Litteris incipientibus: *Et ſi alias*, datis in forma Brevis apud S. Petrum ſub die prima Decembris anni milleſimi ſexcenteſimi primi, diſtinctius conſtituit, ut omnes, & ſinguli, qui ad Sacerdotium, ut ſupra, non promoti, reperti fuerint Miſſarum celebrationem uſurpaſſe, vel Sacramentalem Confeſſionem audiſſe, a prædictis Judicibus S. Inquiſitionis, vel Locorum Ordinariis, tanquam Eccleſiæ miſericordia indigni, a Foro Eccleſiaſtico abjiciantur, & ab Ordinibus Eccleſiaſticis, ſi quos habuerint, rite degradati, ſtatim Curię Sęculari tradantur, per Judices Sęculares debitis pœnis plectendi.

2. Et ſucceſſive rec. pariter mem. Prędeceſſor Noſter Urbanus Papa VIII. per ſimiles Litteras datas die vigeſimatertia Martii anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo octavo, quarum initium eſt: *Apoſtolatus Officium*, ſupradictas Decretorum diſpoſitiones ita confirmavit, & ampliavit, ut quicumque ſe prefatis ſceleribus obſtrinxerint, mandaverint eos privilegio ætatis minoris annis vigintiquinque, nullatenus excuſari, dummodo vigeſimum annum expleverint, quominus ad normam dictę Conſtitutionis Clementinę, ſtatim Curię Sęculari, condignis pœnis afficiendi, tradantur. Quas quidem omnes, & ſingulas Conſtitutiones, atque Ordinationes, Apoſtolica Noſtra auctoritate approbamus, & confirmamus, & quatenus opus ſit, innovamus, atque in poſterum ab omnibus, ad quos ſpectat, inviolabiliter obſervari precipimus, earum omnium tenores, ac ſi preſentibus de verbo ad verbum inſertę forent, pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes.

3. Quia

3. Quia vero propria nonnunquam experientia cognovimus, dum adhuc in Minoribus exiſtentes in Romana, atque Univerſali Inquiſitione Conſultoris munere fungebamur, ab hujuſmodi criminum Reis, ſeu ab eorum Defenſoribus, complures alias exceptiones proponi, quarum prætextu pœnarum, ut ſupra juſte indictarum, condonationem, aut ſaltem minorationem obtinere contendunt; & ſignanter contra probationes a Fiſco adſtructas opponi ſolere, quod aut Teſtes cumulaverit in ſua quemlibet depoſitione ſingulares, dum, exempli gratia, unus ex ipſis Reum viderit Sacris ſe Sacerdotalibus Veſtibus induentem, alter eundem ad Altare progredientem, alius vero unam, alius aliam Miſſæ partem recitantem audierit; aut etiam, quod ab eodem Fiſco non ſatis excluſa fuerit, promotio Rei ad Ordinem Presbyteratus, juxta prætenſum onus, quod ipſi Fiſco incumbere contendunt. Ad elevandam vero delicti gravitatem, illud aliquando audivimus allegari, quod Reus integram Miſſam non celebraverit, ſed antequam illam expleret, ab Altari diſceſſerit; vel quod, ſi unam Miſſam integre celebraſſe convictus fuerit, id, juxta aſſertum ſenſum prædictarum Conſtitutionum, nequaquam ſufficiat ad incurrendas pœnas in eiſdem propoſitas; vel denique, etiamſi plures hujuſmodi ſacrilegas Miſſas celebraverit, minime probari poſſit formam Conſecrationis ab eo prolatam fuiſſe.

4. Idcirco Nos, frivola hujuſmodi Reorum effugia de medio tollere volentes, re mature a Nobis ipſis, & accurate perpenſa, atque etiam audito conſilio Ven. Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Chriſtiana adverſus hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum a Sancta Sede ſpecialiter deputatorum, motu proprio, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſtatuimus primo, & declaramus; quod licet delictum celebrationis Miſſæ non ſatis plene probatum dici poſſit, ad effectum deveniendi ad realem delinquentis traditionem brachio Sæculari, quando Teſtes inducti in ſuis quiſque depoſitionibus ſingulares dignoſcuntur; nihilominus indicia per hujuſmodi depoſitiones acquiſita ſatis relevantia judicari debeant, ut Reus tormentis ſubjiciatur, ad eliciendam veritatem.

5. Ad dignoſcendum autem, utrum Reus in Ordine Presbyteratus revera conſtitutus fuerit, necne; laudabilem quidem commendamus praxim Tribunalis S. Inquiſitionis, qua conſuevit in hujuſmodi caſibus exquirere per literas ab Epiſcopo illius loci, unde Reus originem ducit, vel in quo domicilium habet, an ipſe eumdem Reum promoverit, ſive ad alium Epiſcopum Literas Dimiſſoriales pro ejuſdem Ordinatione direxerit, ut hic deinde requiratur, an ad earum executionem devenerit. Verum ubi, hoc peracto, ex hujuſmodi extrajudicialibus Epiſcoporum Literis conſtet, minime Reum fuiſſe promotum; id ſatis ſuperque eſſe volumus, ut Fiſci intentio probata dicatur. Declarantes, non aliter Fiſco incumbere onus probandi non promotionem Rei ad Ordinem Presbyteratus, ſed ad ipſum potius Reum pertinere, quatenus contrarium prætendat, ſuam promotionem ad prædictum Ordinem concludenter oſtendere.

6 Sub diſpoſitione vero præſentis Noſtræ, necnon præmiſſorum omnium Conſtitutionum comprehendi decernimus omnes & ſingulos, qui, abſque Sacerdotali gradu, & ordine, non modo unam Miſſam celebrare auſi ſint, ſed etiam unius Miſſæ partem celebraſſe judicialiter fateantur, ſeu legitime convicti fuerint, dummodo elevationem Hoſtiæ, vel Calicis, ſeu utriuſque, in Altari peregerint; quamvis de prolatione formæ conſecrationis non conſtet; cum ex hujuſmodi verborum prolatione tremendi quidem Sacrificii contemptus, & delinquentis audacia, & crimen augeatur; ſed ex eorum reticentia nequaquam imminuatur peccatum idololatriæ, quod per actus adorationis a Celebrante, non promoto erga puram Panis, & Vini ſubſtantiam exhibitos, admittitur, & in quod Populus etiam fidelis, materialiter ſaltem, inducitur. Quod ſi, non peracta Elevatione, Reum ab Altari diſceſſiſſe probetur, tunc ſolum concedimus, ut contra ipſum ad mitiorem pœnam deveniatur, arbitrio, & prudentia Judicis Eccleſiaſtici præfiniendam.

7. Omnes denique exceptiones ſupra expreſſas, quæ ab hujuſmodi Reis, eorumque Defenſoribus, in ipſorum excuſationem prætendi ſolent, ſeu ſingulatim, ſeu conjunctim conſiderentur, nullatenus attendi, ſeu iiſdem Reis ſuffragari debere ſtatuimus, quominus ad realem eorum traditionem brachio Sæculari, vel, ſi de Clericis in aliquo Eccleſiaſtico Ordine conſtitutis agatur, ad eorum degradationem, & traditionem pariter brachio Sæculari, etiam pro prima vice, procedatur, ad hoc ut condignis tantæ impietatis pœnis a jure, ſeu alias ſtatutis, & comminatis, cum effectu puniantur, & afficiantur.

8. Eaſdem declarationes, & ordinationes a Nobis contra Celebrantes non promotos huculque ſtatutas, ad eos etiam extendimus, & pertinere decernimus, qui cum Sacerdotes non ſint, Confeſſiones Sacramentales audire, & abſolutionem pœnitentibus impertiri præſumant; quos pariter eiſdem pœnis traditionis brachio Sæculari, ſeu reſpective degradationis, & traditionis pariter brachio Sæculari, etiam pro prima vice, ſubjici debere præcipimus; non obſtantibus præmiſſis exceptionibus, ſi quas ab hujuſmodi Reis ad proprium caſum aptabiles, in ſui defenſionem, ſeu excuſationem adduci contingat: ſed unam duntaxat exceptionem, ad effectum mitigandæ pœnæ, attendi debere mandamus. Ubi nimirum concludenter probetur, abſolutionem a Reo minime prolatam fuiſſe, tunc enim concedimus, ut Judex Eccleſiaſticus mitiorem pœnam, pro ſuo arbitrio & prudentia, delinquenti valeat irrogare.

9. Decernentes præſentes noſtras Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet in præmiſſis, ſeu eorum aliquo, jus, vel intereſse habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, cujuſvis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel dignitatis exiſtant, ſive alias ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione digni, illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, & auditi, neque cauſæ, propter quas eædem præſentes emanaverint, adductæ, verificatæ, vel ſufficienter, aut ullo modo juſtificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in Corpore Juris clauſo, nullo unquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut intereſse habentium conſenſus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali, & ſubſtantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controverſiam vocari, aut ad terminos juris reduci, ſeu adverſus illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut etiam motu pari, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſimili conceſſo, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare ullo modo poſse; ſed ipſas præſentes ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, inviolabiliter & inconcuſse obſervari.

10. Sicque, & non aliter in præmiſſis cenſeri, atque ita per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac contra hæreticam pravitatem Generales Inquiſitores, & alios ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis prædictæ Nuntios, alioſque quoslibet quacumque præeminentia, ac poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi & interpretandi facultate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

11. Nonobſtantibus, quatenus opus ſit, Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ regula de jure quæſito non tollendo, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, exemptionibus, & indultis, etiam in Corpore Juris clauſis, aut Litteris Apoſtolicis quibuſvis Perſonis, Collegiis, Locis, Ordinibus, etiam Militaribus, Congregationibus, Societatibus, & Inſtitutis, etiam Societatis Jeſu, & S. Joannis Hieroſolymitani, aliiſve quibuslibet ſpecifica, & individua mentione dignis, etiam ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam clauſulis, & decretis, etiam irritantibus in genere, vel in ſpecie, etiam motu ſimili, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ſeu conſiſtorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiam pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorum totis tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & individua mentio, ſeu quævis alia expreſſio ad id ſervanda foret, illorum tenores, formas, cauſas, & occaſiones præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis; & exactiſſime ſervatis, & ſpecificatis reſpective habentes; illis alias in ſuo robore permanſuris; hac vice duntaxat, ad præmiſſorum effectum pleniſſime, & ampliſſime motu pari derogamus, & derogatum eſse volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

12. Volumus inſuper, & eadem auctoritate prædicta mandamus, ut eædem præſentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quiſquam de eis ignorantiam prætendere valeat, ipſas præſentes, ſeu earum tranſumpta, ad Valvas Eccleſiæ S. Joannis in Laterano, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis Innocentianæ in Monte Citorio, & in Acie Campi Floræ per aliquem ex Curſoribus Noſtris, ut moris eſt, publicari, & affigi; ſicque publicatas, & affixas, omnes, ſingulos, quos concernunt, ſeu concernent in futurum, perinde afficere, & arctare, ac ſi unicuique illorum perſonaliter intimatæ, & notificatæ fuiſsent.

13. Utique earumdem præſentium tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, ac Sigillo Perſonę in Eccleſiaſtica Dignitate con-

ſtitutæ munitis, eadem prorſus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

14. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Noſtrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, ſtatuti, decreti, declarationis, ampliationis, & extenſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

BULLA NONA.

De applicatione Miſſæ Parochialis pro Populo, Conventualis vero pro Benefactoribus Eccleſiæ.

Extat hæc Bulla in Tom. I. num. CIII. data vero fuit ſub die 19. Auguſti anno 1744. Pontificatus autem anno V.

Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, cunctiſque Locorum Ordinariis per Italiam conſtitutis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabiles Fratres, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm ſemper oblatas Nobis occaſiones Apoſtolica ſcripta dirigendi ad Fraternitates Veſtras libenter amplectimur, ut ſinceræ Noſtræ erga Vos dilectionis argumenta frequenter eluceant; tum vero majori animi alacritate idipſum præſtamus, quum ad excitandum Fraternitatum Veſtrarum zelum pro conſervatione rectæ diſciplinæ in Clero regimini Veſtro commiſſo, præſentibus rerum, aut temporum conditionibus commovemur. Nec enim impoſitum imbecillitati Noſtræ omnium Eccleſiarum ſollicitudinis onus aliter ſuſtinere Nos poſſe confidimus, quam ſi Divini Cultus augmentum, atque exactam Eccleſiaſticarum Sanctionum in ſingulis Diœceſibus cuſtodiam, religioſæ vigilantium Paſtorum curæ, identidem inculcando, commendemus.

1. Hujus porro Epiſtolæ ad Vos ſcribendæ occaſionem Nobis, atque argumentum in primis præbet onus illud, quod omnibus animarum curam gerentibus incumbit, applicandi Miſſam Parochialem pro Populo ipſorum curæ commiſſo; tum etiam applicatio Miſſæ Conventualis, quæ pro Benefactoribus in genere facienda eſt ab iis, qui Miſſas canunt in Eccleſiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis; tum denique debitum pſallendi, quo tenentur Canonici prædictarum Eccleſiarum Choro aſſiſtentes. Cujus quidem argumenti minime nova, ſed a Scriptoribus frequenter habita tractatio eſt; cumque ea res in hujus Almæ Urbis Noſtræ Congregationibus, & potiſſimum in Congregatione Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, cujus Secretarii munere olim in Minoribus conſtituti multos annos perfuncti ſumus, multoties diſcuſſa, ac definita fuerit; quamvis earumdem Congregationum Decreta plerumque circa eam uniformia, & ſibi conſona prodierint, eorumque Decretorum nonnulla etiam Pontificiam Prædeceſſorum Noſtrorum approbationem & confirmationem meruerint; minime tamen mirandum eſſet, eorum notitiam ad ſingulos quoſque Veſtrum non adhuc perveniſſe. Quapropter non modo opportunum, verum etiam neceſſarium duximus, Encyclicam hanc Epiſtolam ad Vos ſcribere, per quam, ſublata demum diverſarum, in quas Scriptores abierunt, opinionum varietate, conſtans hujus Apoſtolicæ Sedis ſententia prædictis de rebus cuilibet innoteſcat, & Fraternitatibus Veſtris quædam veluti norma, ac regula ſuppetat, juxta quam Synodales, aliaſque Veſtras circa præmiſſa Conſtitutiones, Ordinationes, ſeu Edicta, quorum publicationem Vobis injungimus, dirigere valeatis. Eorum vero executionem, dum, juxta ea, quæ in præſentibus tenenda, atque ſervanda præſcribimus, omni, qua decet, ſollicitudine, ac vigilantia urgere ſtudebitis, minime dubitandum Vobis erit, ne Statutorum Veſtrorum implemento obicem, aut moram afferre valeant recurſus ad hujus Noſtræ Curiæ Tribunalia forſitan habendi; utpote quos omnino rejiciendos eſſe præcipimus, ac jubemus. Quamobrem has ipſas Litteras Noſtras in ſingulorum Tribunalium Regeſtis aſſervari volumus, atque ad earum præſcriptum, tam ipſorum Tribunalium reſolutiones, quam de Veſtris Decretis, quæ ipſis præſentibus inhærentes edituri eſtis, judicia exigi & conferri mandamus.

2. Et quidem quod nuper enunciavimus, Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium a Paſtoribus animarum applicari debere pro Populo ipſorum curæ commiſſo, id veluti ex Divino præcepto deſcendens, a Sacra Tridentina Synodo diſerte exprimitur *ſeſſ. 23. cap. 1. de Reformat.* per hæc notabilia verba: *Cum præcepto Divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his Sacrificium offerre.* Et quamvis minime defuerint, qui per inanes, & frivolas interpretationes hujuſmodi obligationem a Sancta Synodo memoratam de medio tollere, vel ſaltem extenuare contenderint; quum tamen relata Concilii verba ſatis clara & perſpicua ſint; quumque prædicta Congregatio ejuſdem Concilii interpretationi privative præpoſita, conſtanter edixerit, eos quibus animarum cura demandata eſt, non modo Sacrificium Miſſæ celebrare, ſed illius etiam fructum medium pro Populo ſibi commiſſo applicare debere, nec illud pro aliis applicare, aut pro hujuſmodi applicatione eleemoſynam percipere poſſe; quodque magis intereſt, quum hæc intelligentia a Prædeceſſoribus Noſtris Romanis Pontificibus approbata fuerit, & confirmata; nihil jam amplius ulli Veſtrum deſiderandum ſupereſt, ut eam amplecti, eidemque obſequi, necnon illius promptam executionem in Veſtris reſpective Diœceſibus omni ſtudio procurare debeatis.

3. Neque Nos tamen, qui, ut ſuperius innuimus, in Minoribus adhuc degentes munus Secretarii prædictæ Congregationis Concilii Tridentini Interpretis plures annos obivimus, alioſque non paucos partim in Anconitanæ Cathedralis, partim in Metropolitanæ Bononienſis, Patriæ noſtræ dilectiſſimæ, quam adhuc retinemus, gubernatione aſſidue tranſegimus, non, inquam, Nos latent multiplicis generis effugia, per quæ nonnulli prædictæ obligationis implementum declinare ſatagunt, quibuſque proinde opportune a Nobis eſt occurrendum.

4. Quum enim Sacrum Tridentinum Concilium, ne Animarum cura negligatur, non uno in loco Epiſcopis mandet, ut quotieſcumque opus fuerit, idoneos Vicarios cum certorum fructuum aſſignatione ad eamdem curam exercendam eligant, ac deputent, uti videre eſt *in ſeſſ. 6. c. 2. ſeſſ. 7. c. 5. & 7. ſeſſ. 21. c. 6. ſeſſ. 25. c. 16.* non raro autem eveniat, ut, aliqua Eccleſia Parochiali vacante, Vicarius pariter ad implenda hujuſmodi Eccleſiæ onera, uſque ad novi Rectoris electionem, ab Epiſcopo deputari debeat, eodem Concilio Tridentino id jubente *ſeſſ. 24. c. 18. de Reform.* nonnulli ex hujuſmodi Vicariis nituntur ſe ipſos a prædicta obligatione ſubtrahere, vel ex eo, quod, habituali cura penes alium, ſeu alios reſidente, ipſi actualem duntaxat exerceant; vel quod ipſi ſint ad nutum amovibiles, vel ad breve tempus hujuſmodi curæ ſint addicti; ut nihil hic loquamur de Parochis Regularibus, qui a prædicta applicatione Miſſæ pro Populo nonnunquam alienos ſe oſtendunt. Itaque mens Noſtra, & ſententia eſt, ſicuti etiam pluries a prælaudatis Congregationibus judicatum fuit, ac definitum, quod omnes, & ſinguli, qui actu Animarum curam exercent, & non ſolum Parochi, aut Vicarii Sæculares, verum etiam Parochi, aut Vicarii Regulares, uno verbo, omnes, & ſinguli, de quibus ſupra dictum eſt, atque alii quicumque, etiam ſpecifica, & individua mentione digni, teneantur Miſſam Parochialem applicare pro Populo, ut præfertur, ipſorum curæ commiſſo.

5. Nonnulli vero, ad evitandum hujuſmodi obligationis implementum, allegare ſolent, congruos ſibi Parochiæ ſuæ reditus non ſuppetere; alii denique ad inveteratam conſuetudinem confugiunt, ſuſtinentes id neque ſibi, neque deceſſoribus ſuis per longum tempus, quod immemorabile affirmant, unquam in uſu fuiſſe. Nos autem ad præcedentes prædictæ Congregationis Concilii reſolutiones Noſtram approbationem, & confirmationem extendimus; &, quatenus opus ſit, auctoritate Apoſtolica, iterum tenore præſentium decernimus, & declaramus, quod licet Parochi, ſeu alii, ut ſupra, Animarum curam habentes, congruis præfinitis reditibus deſtituantur; & quamvis antiqua, ſeu etiam immemorabili conſuetudine in ipſorum Diœceſibus, ſeu Parochiis obtinuerit, ut Miſſa pro Populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino in poſterum ab ipſis debeat applicari.

6. Dum tamen diximus, omnes Animarum curam habentes, Miſſæ Sacrificium pro Populo ſibi commiſſo applicare debere; non ideo ſtatuere volumus, eoſdem aut quotidie, aut quotieſcumque celebraverint, ad prædictam applicationem pro Populo teneri. Et quidem Sacroſancta Tridentina Synodus *ſeſſ. 23. cap. 14.* præcipit Epiſcopis curare, ut Sacerdotes ſaltem diebus Dominicis, & Feſtis ſolemnibus, Miſſarum Sacra faciant: *Si autem curam habuerint Animarum, tam frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſas celebrent.* In pluribus autem Synodalibus Epiſcoporum Conſtitutionibus novimus provide conſtitutos, ac deſignatos eſſe dies, quibus Animarum Paſtores Miſſas celebrare debeant. At vero Nos id unum in præſenti ſuſcepimus decernendum, quando nimirum iidem pro Populo celebrare, & applicare teneantur; & quamvis compertum habeamus id, quod alias a Congregatione Concilii reſponſum fuit, Parochum nempe pinguibus reditibus dotatum, quotidie pro Populo celebrare, & applicare debere; eum vero, qui uberioribus hujuſmodi reditibus non gaudeat, Feſtivis tantum diebus idipſum præſtare teneri. Quum tamen pariter Nobis perſpectæ ſint, tum controverſiæ ſuper hoc ipſo exortæ; nimirum ad quam ſummam pertingere debeant Eccleſiæ Parochialis proventus, ut pingues, & uberes appellari poſſint; quoniam pingues minime habendi ſunt reditus, etiam copioſi, quibus tamen multiplicia, & gravia ſint onera adnexa; tum

etiam

etiam multorum querelæ adverſus hujuſmodi Decretum, tanquam plus æquo rigidum, excitatæ, Nobis innoteſcant. Idcirco opportunum cenſemus Fraternitatibus Veſtris declarare, Nobis abunde ſatisfactum fore, Vobiſque proinde ſatis eſſe poſſe, dum ii, qui Animarum curam exercent, Sacrificium Miſſæ pro Populo celebrent, atque applicent in Dominicis, aliiſque per annum diebus Feſtis de præcepto; quum prædicti Dominici, aliique Feſti dies ii ſint, in quibus, juxta præceptum Concilii Trident. *ſeſſ. 5. cap. 2. & ſeſſ. 24. cap. 4.* quilibet Animarum curæ præpoſitus, Populum ſibi commiſſum ſalutaribus verbis paſcere debet, docendo ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem; iidemque ſint dies, de quibus eadem Sancta Synodus ſtatuit: *ut moneat Epiſcopus Populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, ubi commode id fieri poteſt, ad audiendum Verbum Dei;* & quibus Parochi Subditos ſuos in Doctrina Chriſtiana erudire debent, juxta id quod a prædicto Concilio in *cit. cap. 4.* Epiſcopis præcipitur, ut nempe *ſaltem Dominicis, & aliis Feſtivis diebus Pueros in ſingulis Parochiis Fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & Parentes, diligenter ab iis, ad quos ſpectabit doceri curent.*

7. Et quia in nonnullis Diœceſibus numerus dierum Feſtorum de præcepto, de Apoſtolica noſtra auctoritate, & conſenſu eatenus eſt imminutus, ut nempe in aliquibus Feſtis Chriſtifideles & Miſſam audire, & ab operibus ſervilibus abſtinere debeant; in aliis vero Populo permiſſum ſit opera ſervilia exercere, firma remanente obligatione audiendi Miſſæ Sacrificium. Nos, ut obortæ jam dubitationes circa onus applicationis Miſſæ Parochialis in hujuſmodi diebus Feſtis, penitus eliminentur, ſtatuimus, & declaramus, quod etiam iiſdem Feſtis diebus, quibus Populus Miſſæ intereſſe debet, & ſervilibus operibus vacare poteſt, omnes Animarum curam gerentes, Miſſam pro Populo celebrare, & applicare teneantur.

8. Quia vero propria nonnunquam experientia ſatis agnovimus, aliquos eſſe Parochos adeo pauperes, ut ferme ex eleemoſynis, quas a Fidelibus pro Miſſarum celebratione accipiunt, vivere cogantur; eos vero, qui, Eccleſia Parochiali vacante, ad Animarum curam exercendam, ſub Vicarii, ſeu Oeconomi nomine, deputantur, aliquibus in locis adeo illiberaliter tractari, aut exigui reditus ipſis conſtitui, & pauca incerta emolumenta eiſdem obvenientia, ægre ad eorum vitæ neceſſaria ſufficiant; quod iis quoque non raro evenire ſolet, qui in aliquibus Eccleſiis, habituali cura apud alios manente, actuali tantum exercitio ſunt addicti; proindeque cum iſtis ſevere nimis agi videretur, ſi diebus Feſtis, quibus potiſſimum hujuſmodi occaſio ſe offert, eiſdem vetitum eſſet eleemoſynam pro applicatione Miſſæ recipere. Idcirco Nos tam iſtorum, quam illorum inopiam ſummopere miſerentes, eiſdemque, quantum Nobis integrum eſt, conſulere volentes; quamvis, ut ſupra dictum eſt, omnes, & ſinguli prædicti teneantur diebus Feſtis Miſſam pro Populo celebrare, & applicare. Attamen quod pertinet ad prædictos Parochos egentes, unicuique veſtrum facultatem concedimus, cum iis, quos revera tales eſſe noveritis, opportune diſpenſandi, adhoc ut, etiam diebus Feſtis hujuſmodi, eleemoſynam ab aliquo pio offerente recipere; & pro ipſo Sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere, & licite poſſint, & valeant, dummodo ad neceſſariam Populi commoditatem, in ipſa Eccleſia Parochiali Miſſam celebrent; ea tamen adjecta conditione, ut tot Miſſas infra hebdomadam pro Populo applicent, quot in diebus Feſtis infra eandem hebdomadam occurrentibus, juxta peculiarem intentionem alterius pii Benefactoris obtulerint.

9. Quod autem ſpectat ad Vicarios, ſive Oeconomos Eccleſiarum vacantium, quum a Sacro Trident. Concilio *ſeſſ. 24. cap. 18.* cuilibet Epiſcopo tribuatur facultas eos deputandi, & conſtituendi, *cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis aſſignatione;* veſtrum erit, Ven. Fratres, cum iis agere, qui vacantis Eccleſiæ fructus exigunt, ut egenti Vicario, qui exigua hujuſmodi certorum fructuum aſſignatione, pauciſque incertis proventibus gaudeat, congruum aliquod augmentum præbeatur pro onere celebrandi, & applicandi Miſſam pro Populo diebus Feſtis. Quapropter pro iis locis, in quibus Eccleſiarum vacantium fructus ad commodum Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ exiguntur, opportuna Theſaurario Noſtro Generali mandata dirigimus, quæ is denunciare non prætermittet peculiaribus dictorum locorum Collectoribus, cum quibus Epiſcopi Eccleſiaſticæ Noſtræ Ditionis, cæterorumque locorum, in quibus, ut præfertur, Eccleſiarum vacantium fructus ad Cameram prædictam pertinent, officii ſui partes in eum finem, de quo ſupra diximus, interponere debebunt.

10. Ac demum, quoad illos, qui tanquam Vicarii, ſive perpetui, ſive ad tempus conſtituti, Animarum curam adminiſtrant, quæ apud alios habitu reſidet, ratione alicujus Eccleſiæ Parochialis, ipſorum Eccleſiis, ſeu Monaſteriis, Collegiis, aut Locis Piis olim unitæ; quamvis a recol. mem. Prædeceſſore Noſtro S. Pio Papa V. præfinita fuerit, certa pars fructuum hujuſmodi Vicariis aſſignanda, prout in ipſius Conſtitutione, quæ incipit: *Ad exequendum*, data Kalendis Novembris Anni 1567. diſtincte ſtatuitur. Nihilominus ubi præſcripta fructuum portio vel nullo modo, vel non integre Vicariis prædictis aſſignata reperiatur, vel etiam ubi ea, quæ ad normam prædictæ Conſtitutionis eiſdem fuerit attributa, minime ſufficiens a vobis reputetur, propter temporum circumſtantias, & ſignanter pro implendo onere celebrandi, & applicandi Miſſam pro Populo diebus Feſtis de præcepto; utendum vobis erit poteſtate, quam fecit Epiſcopis Synodus Tridentina *ſeſſ. 7. cap. 7.* dum illorum arbitrio permiſit, juxta temporum, atque injunctorum onerum rationem, congruam prædictis Vicariis fructuum portionem aſſignare; quam ob cauſam Nos etiam Fraternitatibus Veſtris, quatenus opus ſit, neceſſarias omnes, & opportunas facultates impertimur, quibuſcumque appellationibus, privilegiis, aut exemptionibus, ut in eodem Concilio ſancitur, adverſus ea, quæ ſalubriter a Vobis conſtituta fuerint, minime ſuffragantibus.

11. Hæc igitur circa Miſſam Parochialem ſtatuenda, & Fraternitatibus Veſtris denuncianda judicavimus. Indeque gradum facientes ad ea, quæ pertinent ad Miſſam Conventualem, neminem Veſtrum latere putamus Sacrorum Canonum ſanctiones, quibus præcipitur, ut ſingulis diebus in Eccleſiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis, tum Horæ Canonicæ debitis modis, & forma recitentur, tum etiam Miſſa Conventualis celebretur; quæ adeo claræ ſunt, ut nulla ſuper iis oriri poſſit dubitatio; eaque de re perſpicuæ pariter, & per omnia uniformes exiſtunt Reſolutiones ab hac Congregatione Venerabilium Fratrum Noſtrorum Concilii Tridentini Interpretum repetitis vicibus emanatæ, quas omnes Apoſtolica auctoritate Noſtra confirmamus, & approbamus, earum executionem Vobis enixe inculcantes: ut ſcilicet Miſſa Conventualis, quæ ſingulis diebus canitur a Clero prædictarum Eccleſiarum, pro earumdem Benefactoribus in genere quotidie applicetur; eodem prorſus modo, quo Miſſam Parochialem ab iis, qui curam Animarum gerunt, pro Populo ſibi commiſſo, ſingulis ſaltem diebus Feſtis de præcepto, applicari debere ſuperius declaravimus.

12. Itaque date operam, ut falſam quorumdam opinionem eliminetis, quam in aliquibus Eccleſiis ejuſmodi, ſive dolo malo, ſive per errorem invectam eſſe novimus: quod nempe dum Miſſa Conventualis pro certo aliquo Eccleſiæ Benefactore, vel grati animi ergo, vel ex vi oneris impoſiti, celebratur, & applicatur, ſatis impletum cenſeatur debitum applicationis Miſſæ Conventualis. Etenim hujuſmodi debitum non quidem reſpicit ſingulares aliquos Benefactores, ſed Benefactores in genere cujuslibet Eccleſiæ, cujus ſervitio addicti ſunt quicumque in eadem ſive Dignitates, ſive Canonicatus, ſive Manſionariatus, ſive Beneficia Choralia obtinent, & Miſſam Conventualem ſuis reſpective vicibus celebrant.

13. Neque minus improbandam noveritis aliorum ſententiam, qui ſatis putant ſupradictam obligationem impletam eſſe, dum in earum Eccleſiis pro Benefactoribus in genere aliquæ interdum preces fiunt, vel anniverſaria ſtatis diebus Sacrificia pro illis peraguntur. Nemo enim id ſibi arrogare debet, ut impoſitæ obligationi alia ratione ſatisfacere poſſit, quam ea, quæ a Lege Eccleſiaſtica multories præſcripta fuit; nimirum Miſſam Conventualem ſingulis diebus pro Benefactoribus celebrando, eamdemque pro illis in genere applicando.

14. Profecto non ſolum prioribus Eccleſiæ ſæculis, verum etiam temporibus haud longe a noſtra ætate remotis, (quod Vos ex Hiſtoria Eccleſiæ didiciſſe non dubitamos) ſervabatur olim in ſingulis Eccleſiis ſeries accurata omnium, & ſingulorum, quorum liberalitate unaquæque aucta fuerat, eorumque nomina ſacris Diptychis, ſic enim vocabantur, ideo conſignata erant, ut eorumdem recordatio nunquam interiret, utque pro iis tum preces funderentur, tum etiam Miſſæ Sacrificium offerretur; quam ob cauſam etiam prædictus Catalogus in pleriſque Eccleſiis ob oculos Presbyteri Celebrantis apponi conſuevit, licet iidem pii Benefactores in ſuis donationibus nihil penitus pro ſe pacti eſſent, ſed tantummodo pro peccatorum ſuorum remiſſione ſe bona ſua Deo offerre declaraſſent. Eccleſiarum ſiquidem Præſules preces pro iis imperandas eſſe duxerunt; quamvis illi propria bona offerentes, ne verbum quidem ea de re feciſſent. Sacrorum hujuſmodi Diptychorum uſus ſenſim defecit, ob idque in oblivione jacent alicubi complurium Benefactorum nomina: at non idcirco deſerere fas eſt uſum, & diſciplinam orandi pro iis, & Sacrificium Miſſæ pro illis offerendi. Atque inde præceptum applicandi Miſſam Conventualem pro Benefactoribus in genere originem, atque rationem deſumit.

15. Quemadmodum vero, loquendo de Miſſa Parochiali, ſuperius dictum eſt, varias excuſationes afferri ſolere ad declinandam illius applicationem pro Populo diebus Feſtis de præcepto; ita pariter uſuvenit, quod applicationem quotidianam Miſſæ Conventualis pro Benefactoribus in genere offerrent. Ut autem ſuperiores illæ, ſic etiam hæ poſteriores, provide e medio ſublatæ fuerunt per opportunas Congregationis Concilii Tridentini reſolutiones, quas proinde in his etiam auctoritate Noſtra approbamus, & confirmamus.

16. Non-

16. Nonnulli ſiquidem obtentu contrariæ conſuetudinis, etiam immemorabilis, in propria Eccleſia vigentis, ſe ab hujuſmodi onere eximi poſſe ſibi perſuaſerunt. Verum jam pluries reſponſum fuit, hujuſmodi conſuetudinem, licet immemorabilem, quæ potius abuſos, & corruptela dicenda eſt, nemini ſuffragari.

17. Alii a Miſſa pro Benefactoribus in genere applicanda ſe excuſatos voluiſſent ex eo, quod alio quopiam Miſſarum onere obſtricti inveniantur, vel ratione proprii Canonicatus, aut alterius Beneficii Eccleſiaſtici, quod inſimul cum Canonicali præbenda obtinent; vel quia, præter munus Canonici, ſeu Beneficiati, aut Manſionarii in Eccleſia Cathedrali, ſeu Collegiata, quum etiam in eadem, vel in alia Eccleſia Parochialem curam exerceant, dum Miſſam Conventualem canunt diebus Feſtis de præcepto, debens pro Populo ſibi commiſſo eam applicare; ac proinde nequeunt eamdem pro Eccleſiæ Benefactoribus ſpecialiter offerre. Sed his quoque obviam itum eſt, jubendo ſingulis prædictis, ut Miſſam Conventualem, quam canunt, pro Eccleſiæ Benefactoribus in genere applicent; pro aliis vero, pro quibus ipſi peculiariter Miſſam applicare tenentur, alterum ſubſtituant, qui ipſorum loco Miſſam hujuſmodi celebret, applicetque.

18. Aliorum pariter exceptio fuit, quod Miſſa Conventualis non ſemper a Canonicis, aut Dignitatibus celebretur, ſed aliquando etiam a Beneficiatis, aut Manſionariis; quos minus æquum videtur pro Miſſæ celebratione omni eleemoſyna carere, quæ unde deſumi valeat, ignoratur. Cui tamen rei pariter conſultum eſt, demandando, ut ea deſumatur ex maſſa diſtributionum.

19. Alii denique obtenderunt exiguitatem hujuſmodi diſtributionum, quæ, ob detractam eleemoſynam quotidianam pro Miſſa Conventuali, ad nihilum fere redactæ vix fores, ut ab aliquo curarentur, cum magno detrimento ſervitii Eccleſiæ præſtandi. Tridentina quidem Synodus *ſeſſ.* 24. *cap.* 15. opportunas rationes oſtendit, quibus Canonicalium præbendarum inopiæ valeas provideri. Si vero deſignatam a Concilio viam, ut fere evenire ſolet, nequaquam iniri poſſe contingat, reliquum erit ad Congregationem Concilii recurſum habere; cujus erit, perſpecto ex veſtris relationibus rerum ſtatu, auctoritate Apoſtolica a Prædeceſſoribus Noſtris eidem impartita, & a Nobis etiam præſentium tenore confirmata, quotidianam applicationem Miſſæ Conventualis pro Benefactoribus in genere, ut alias, ad Feſtos tantummodo dies reducere.

20. Non modo Eccleſiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis injunctum reperitur, ut quotidie Miſſa Conventualis in eiſdem canatur; ſed etiam in Rubricis generalibus, quarum exactiſſimam Fraternitatibus Veſtris cuſtodiam commendamus, præſcribitur, ut certis diebus non una, ſed binæ, atque etiam aliquando tres Miſſæ Conventuales uno die celebrentur. Itaque quum nuper a Nobis dictum fuerit, primam Miſſam Conventualem quotidie pro Benefactoribus in genere celebrandam, & applicandam eſſe; nunc expendendum ſupereſt, an earumdem Eccleſiarum Capitula juriſdictioni Veſtræ reſpective ſubjecta adigere debeatis, ut alias quoque Miſſas, ſi plures, ut præfertur, celebrari contigerit, pro Benefactoribus in genere ſimiliter applicent.

21. Hujuſmodi quæſtio ab aliquibus ex Vobis Eccleſiaſtico zelo flagrantibus ſupradictæ Congregationi Venerabilium Fratrum Noſtrorum Concilii Tridentini Interpretum propoſita eſt; jamque ante illius propoſitionem compertum fuerat, alias ab eadem Congregatione reſponſum fuiſſe, concedendam eſſe exemptionem ab onere applicandi ſecundam, ac tertiam Miſſam Conventualem pro Benefactoribus in genere, attenta Canonicatuum, & Beneficiorum tenuitate; ex quo inferri poterat, hujuſmodi applicationis debitum manere, ubi de Eccleſiis pauperibus non ageretur.

22. Verum quum hanc definiendæ quæſtionis regulam apud prædictam Congregationem non admodum veteri obſervantia firmatam probe noverimus; cumque hujuſce dubii ſolutionem eadem Congregatio nuper judicio Noſtro remittendam eſſe cenſuerit; Nos ita judicamus, idque Vobis tenendum indicimus: laudandos nempe, & confirmandos eſſe, quotquot ſponte ſua ſecundam, aut tertiam Conventualem Miſſam pro Benefactoribus in genere applicant; qui vero idem agunt, ex vi conſuetudinis in ipſorum Eccleſia vigentis, iis imperandum, ut in ea conſuetudine perſeverent: ubi vero id uſu receptum non invenitur, liberam omnino ſecundæ, tertiæque Miſſæ Conventualis applicationem Celebrantibus relinquendam eſſe, dummodo in Commemoratione pro Defunctis, Eccleſiæ Benefactorum in genere non obliviſcantur.

23. Huic demum Epiſtolæ noſtræ finem imponentes, &c.

BULLA DECIMA.

Super Celebratione duarum Miſſarum eadem die per unum Sacerdotem.

Extat hæc Bulla in Tom. II. num. III. data autem fuit die 26. Martii anno 1746. Pontificatus vero Anno VI.

Venerabili Fratri Antonio Epiſcopo Oſcenſi.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Declaraſti Nobis, in ſacra Viſitatione, qua Diœceſim tuam perluſtraſti, deprehendiſſe, nonnullos Rectores Eccleſiarum Parochialium, quibus alia quoque Eccleſia a Parochiali longe ſejuncta commendata eſt, quam ob exiguos proventus alii Sacerdoti committere nequeunt, qui Pro-Rectoris munus ſuſtineant, hinc fieri, ut Rectores ipſi rem Divinam in utraque Eccleſia Feſtis diebus conficere non dubitent, ut populus uterque parere poſſit Eccleſiæ præcipienti Fidelibus, ut feſtis diebus Miſſæ Sacrificio interſint. Nobis etiam expoſuiſti, decreviſſe in ſua Synodo id minime licere Rectoribus Eccleſiarum Parochialium, quoties alius Sacerdos præſto ſit, qui Sacrum facere poſſit in una ex iis Eccleſiis, quæ Rectoribus ſubjiciuntur, id autem attuliſſe tam gravem Rectoribus ipſis moleſtiam, ut Synodalis Decreti executionem parumper differre cenſueris, donec ſententiam in hac re Noſtram, Noſtramque voluntatem intelligeres. Quamobrem prudentiam tuam in primis commendamus, totiuſque Hiſpanæ gentis in hanc Sedem Apoſtolicam obſervantiam, ob quam, ſi forte aliquid incerti, dubiique contigerit, ad Romanum Pontificem confugere, conſiliumque ad explicandas difficultas depoſcere conſuevit. Deinde tuæ Synodi Decretum æquitati ac diſciplinæ Eccleſiæ maxime conſentaneum eſſe reſpondemus; ita ut demandari executioni debeat, nec vanis omnino Rectorum querimoniis imminui, vel labefactari.

Quamvis nonnulli ex Theologis Moralibus (& quidem nimis indulgenter) plures rationes, & cauſas excogitaverint, ob quas Sacerdos eodem die Sacrificium Miſſæ bis offerre poſſe videatur, quemadmodum facile videri poteſt 3. *Summæ* Sancti Antonini *tit.* 3. *cap.* 6. *num.* 5. item *lib.* 3. *Summæ* Sancti Raymundi *tit.* 24. & in Summa Hoſtienſis *ad tit. de celebratione Miſſarum num.* 14. *& ſeqq.* & in Summa Sylveſtrina *in verb. Miſſa primo*, *§. Septimo quæritur*, & in Summa Armilla *in verb. Miſſa num.* 55. id tamen unanimi conſenſu permittitur Sacerdoti, qui duas Parochias obtinent, vel duos populos adeo ſejunctos, ut alter ipſorum Parocho celebranti per dies feſtos adeſſe nullo modo poſſit ob locorum maximam diſtantiam: tunc enim abſque ulla dubitatione licere exiſtimant ejuſmodi Rectori, cum Feſti dies incidunt, bis Sacrum conficere, ut Populo utrique ſatisfaciat. Et Suarez *in* 3. *part. Divi Thomæ tom.* 3. *quæſt.* 73. *art.* 2. *diſput.* 80. *ſect.* 3. de hac hypotheſi loquens, inquit, in ea tantum hodie licere duas Miſſas eodem die celebrare: *Caſus de pluribus Parochiis eſt proprius, ac fere ſolus in uſu*. At vero ſi in altera ex his Parochiis Sacerdos aliquis deprehendatur, qui rem Divinam facere poſſit, tum illarum Rectori nequaquam licet in utroque loco Sacrificium iterare, eo quod alterius Sacerdotis opera populi neceſſitati ſatis conſulatur. Ita probant unanimes Paſqualigus *de Sacrificio Miſſæ tom.* 1. *q.* 381. *num.* 2. Vericellus *de Apoſtolicis Miſſionibus tit.* 1. *de Privilegiis Regularium dub.* 18. *§.* 31. *num.* 201. Gibaldus *de Sacramentis tract.* 5. *cap.* 7. *dub.* 2. *num.* 15. Rotarios *in Theologia Morali Regularium t.* 3. *cap.* 2. *punct.* 11. *n.* 5. Tournelius *in Prælectionibus Theologicis*, *de Sacramento Euchariſtiæ part.* 2. juxta Pariſienſem editionem *pag.* 346. Schmalzgrueberius *tit. de celebratione Miſſarum n.* 45. Quod ſi Scriptores illi veſtras in manus nondum pervenerint, aliorum teſtimoniis rem plane cognoſcetis, nempe Cardinalis Zabarellæ *in cap. Conſuluiſti*, *num.* 3. *de celebratione Miſſarum*, ubi hæc habentur: *Si eſt alius, qui celebrare poſſit, non celebrabit Sacerdos alia vice, dummodo ille alius ſit paratus celebrare, & ſit jejunus*: Petri de Ancharano *in Commentariis ad eumdem Textum n.* 1. *Intellige, ſi non ſit alius ibi paratus ad celebrandum, & ille ſit jejunus*: Cardinalis Toleti *in Summa lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 4. Layman *in Theolog. Morali lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 6. Salmanticenſium *Theolog. Moral. tom.* 1. *tract.* 5. *de Sacrificio Miſſæ c.* 5. *punct.* 5. *nu.* 12. juxta quartam editionem, quæ Matriti facta eſt *anno* 1717. Gavanti *ad Rubricas Miſſalis part.* 3. *tit.* 12. *num.* 7.

At ſupervacaneum eſt plures auctoritates præſtantium virorum congerere, cum id ſatis ſuperque conſtet ex ſeptima Synodo Diœceſana, quam Sanctus Turribius *anno* 1592. celebravit *cap.* 3. *num.* 4. Conciliorum Hiſpanorum, quæ ſimul collegit vir eximius inter Hiſpanos Cardinalis de Aguirre *pag.* 687. Porro hæc ſunt verba: *Juxta diſpoſitionem Concilii Provincialis celebrati in hac Civitate anno* 1567,

no 1567. quantum convenit, & per locum juris poſſumus, licentiam concedimus omnibus Indorum, Hiſpanorumque Parochis noſtri diſtrictus, ut diebus Dominicis, & feſtivis ex præcepto ſervandis, poſſint celebrare duas Miſſas in duabus Eccleſiis tam inter ſe diſtantibus, ut qui in loco unius Eccleſiæ aſſiſtunt, non poſſint commode accedere ad audiendam Miſſam in altera.

Ex his apertiſſime deprehenditur concedi Parocho, qui duas Eccleſias diſtantibus omnino locis poſitas habeat, bis Sacrificium Miſſæ inſtituere, ne diebus feſtis Eccleſiæ præceptum a populo violetur; ea tamen conditione, ut legitimam pro re gerenda facultatem prius obtinuerit, uti Nos inferius explicabimus. Ex verbis autem depromptis ex eodem Capite tertio Limanæ Synodi, quæ mox ſubjiciemus, certi limites eidem Parocho ſtatuuntur, ipſique præſcribitur, ut uno tantum loco Sacrum conficiat, ſi in altero Sacerdos occurrat, qui populo rem Divinam operari poſſit: *Cum autem habuerint alium Sacerdotem, qui poſſit celebrare in altera dictarum Eccleſiarum, non poterit Parochus celebrare in utraque, ſed unam Miſſam tantum in una, quandoquidem alter Sacerdos poſſit ſatisfacere neceſſitati alterius populi.*

Non ignoramus, auctoritatem Limanæ Synodi ſuæ Diœceſis finibus ſolum concludi. At, cum Sanctus Turribius regendæ Eccleſiæ peritiſſimus, & virtutum omnium gloria clariſſimus ſemper habitus ſit, ipſius legibus, ac Diœceſanis inſtitutis eam ſaltem fidem, atque auctoritatem, vimque, ut ajunt, directivam, adhibendam, & adſcribendam nemo inficiabitur, quam Itali omnes, aliique extra Italiam S. Carolo Borromæi Synodis omni tempore præſtiterunt: neque in dubium quis revocare poterit, Sanctum Turribium, virum adeo ſingularem (pro cujus Canonizatione, cum Promotoris Fidei munus adhuc in Minoribus gereremus, plurimum laboris impendimus) conferre plurimum, ut, ſi propoſitæ rei examen inſtituamus, illius ſententia reliquis anteponatur; lætandumque idcirco Nobis jure merito videmus, qui Commentarium *de Sacrificio Miſſæ* in lucem proferentes, Italico ſermone a Nobis conſcriptum, cum Bononienſem Sedem adminiſtraremus, idem plane aſſeruimus; quod pro illuſtranda præſenti quæſtione ſuperius attulimus, & opinionem noſtram auctoritate confirmavimus ejuſdem Synodi S. Turribii, uti liquido conſtat ex noſtro Commentario, quod commemoravimus *tom.* 2. *part.* 4. *ſect.* 2. *num.* 38. *& ſeqq. & præcipue num.* 40. quod quidem primo Bononiæ Typis evulgatum fuit, ac nuper latine redditum, ac typis impreſſum Patavii, lucem publicam rurſus aſpexit.

Quod ſi Limanæ Synodo alia quoque Concilia adjungi velint, illud in medium proferri poterit, quod ſub Mauritio Archiepiſcopo Rothomagenſi *anno* 1231. coactum eſt, quemadmodum legitur in Collectione Regia Maxima Conciliorum ab Harduino compilata *tom.* 7. *pag.* 186. *Nullus audeat Miſſam bis in die celebrare, aut cum duplici Introitu, niſi in humana neceſſitate &c. & hoc, ubi non eſt, niſi unus Sacerdos*: alterum, quod Nemauſi *anno* 1284. coactum fuit, cum Martinus IV. Apoſtolicam hanc Sedem obtineret, uti patet ex Collectione Labbeana *t.* 11. *part.* 1. *pag.* 1213. *Si omnes Parochiani ad unam Miſſam ſimul non poſſint convenire, eo quod in diverſis locis habitant diſtantibus ab Eccleſia, & remotis, ſicut eſt in montanis, nec ſunt in Eccleſia duo Sacerdotes, & dicta prima Miſſa, poſtmodum Parochiani venientes poſtulent Miſſam aliam ſibi dici, poterit tum Sacerdos Miſſam aliam celebrare. Tamen ſi in prima Miſſa, poſt receptionem Corporis, & Sanguinis profuſionem acceperit, non debet ſecundam Miſſam in prædictis caſibus celebrare.*

Ea potiſſimum verba diligenter obſervari debent: *Ubi non eſt, niſi unus Sacerdos*: nec non alia: *nec ſunt in Eccleſia duo Sacerdotes*: ex quibus clare perſpicimus, non licere Parocho, ſi alius Sacerdos præſto ſit, duo Sacra perficere diebus feſtis, ut populus Miſſæ Sacrificio interſit, ſive Miſſa celebranda ſit in duabus Eccleſiis inter ſe diſtantibus, ut in ſupra citata Synodo Limana, ſive una tantum ſit Eccleſia, in qua Miſſa celebratur, & ad quam inſimul univerſus populus convenire non poteſt, ut in Synodo Nemauſenſi. Hi quippe duo caſus eodem jure cenſendi ſunt, uti præcipue advertit Theophilus Raynaudus *tom.* 17. *Operum* editionis Lugdunenſis *pag.* 8.

Quæ huc uſque dicta ſunt, Canonicis etiam generalibus Sanctionibus innituntur. Neque vero copiam Eccleſiaſticæ eruditionis oſtentabimus, ut cognitum id perſpectumque faciamus, quod tamen facili negotio, ſi opus eſſet, conſequeremur, cum duo præclari Scriptores poſtremis his temporibus congeſſerint caſus omnes, quibus ante Decretales Prædeceſſorum Noſtrorum Innocentii III. atque Honorii III. plures uno die Miſſæ ab eodem Sacerdote celebrantur. Hi ſunt Saintebeuvius *t.* 3. *Reſolutionum caſuum conſcientiæ caſ.* 83. & Pontas *in Dictionario caſuum conſcientiæ, in verb. Miſſa caſ.* 15. De hoc ipſo argumento luculenter diſſeruit is, qui ſuis adnotationibus undecimam Sancti Leonis Epiſtolam illuſtravit juxta editionem, quæ ultimo facta eſt. De ipſo Nos quoque verba fecimus *in Commentario de feſtis diebus Domini Noſtri, ac Beatæ Virginis Mariæ part.* 1. *num.* 667. *& ſeqq.* Quamobrem, his prætermiſſis, illud affirmabimus, ex communi totius Eccleſiæ diſciplina permitti tantum Sacerdotibus hoc tempore, ut die Natali Salvatoris Noſtri ter Sacrum faciant, vel quia inſtitutum id fuit a S. Teleſphoro Pontifice, ut eam celebritatem ſingulari honore proſequerentur Fideles, uti oſtendit Canon: *Nocte ſancta de Conſecratione diſt.* 1. vel quia (ſi plurimi facienda videantur argumenta, quibus auctor Teleſphorus illius Canonis impugnatur) Parens, ac Magiſtra Eccleſia eum ritum die Natalis Domini conſervandum cenſuit, ut poſteris perpetuo commendaret veterem diſciplinam, ob quam Sacerdos idem plura Sacra conficiebat, cum alii quoque feſti dies per annum occurrebant. Id Nos teſtimoniis præſtantium virorum indicavimus in Commentario noſtro, quod ſuperius nominavimus, *part.* 1. *num.* 665. *& ſeqq.*

Excepta die Dominicæ Nativitatis, juxta hodiernam diſciplinam non licet Sacerdoti eodem die Sacrificium iterare. Argumenta minime deſumimus ex Decreto Alexandri Papæ II. *Can. Sufficit, de Conſecratione diſt.* 1. ubi Pontifex ita decrevit: *Sufficit Sacerdoti unam Miſſam in die una celebrare, quia Chriſtus ſemel paſſus eſt, & totum Mundum redemit. Non modica res eſt, unam Miſſam facere; & valde felix eſt, qui unam digne celebrare poteſt*; etenim Pontifex ita rem proſequitur: *Quidam tamen pro Defunctis unam faciunt, & alteram de die, ſi neceſſe fuerit*: quibus verbis Alexander II. non improbare videtur eum Sacerdotem, qui ſaltem ob allatam cauſam bis uno die celebraret. Deinde ſic Pontifex concludit: *Qui vero pro pecuniis, aut adulationibus Sæcularium una die præſumunt plures facere Miſſas, non æſtimo evadere damnationem.* Porro ex his facili conjectura perſpicere quiſque poteſt, Alexandrum II. Decreto ſolum cavere, ne ſordidæ utilitatis, ſive aſſentationis gratia Sacrificium iteretur. Vaſqueſius idem Decretum ſic explicat *in* 3. *part. Divi Thomæ tom.* 3. *quæſt.* 83. *art.* 2. *cap.* 5. *num.* 43. *In prædicta Epiſtola ſolum damnantur, qui pro pecuniis, aut adulationibus Sæcularium una die præſumunt plures Miſſas celebrare: de iis vero, qui ex ſola devotione plures celebrarent, nihil dicitur.* Eamdem rem maxime declarant ea, quæ Thomaſſinus ſcripta reliquit *de veteri, & nova Eccleſiæ diſciplina part.* 3. *lib.* 1. *cap.* 72. *num.* 6. ubi clare oſtendit, libertatem pluries una die celebrandi neceſſario coercendam fuiſſe, ut quorumdam Sacerdotum avaritiæ modus imponeretur.

Igitur omittentes Alexandri II. Decretum, alterius Prædeceſſoris Noſtri, nimirum Innocenti III. auctoritate, ac Decretali rem noſtram comprobamus, *Cap. Conſuluiſti, de Celebrat. Miſſarum*: *Reſpondemus*, inquit, *quod excepto die Nativitatis Dominicæ &c. ſufficit Sacerdoti ſemel in die unam Miſſam ſolummodo celebrare.* Equidem Alexander II., uti ſuperius commemoravimus, & Innocentius III. uſi ſunt hoc eodem verbo *ſufficit*: at ſecundo tantum loco per id verbum præceptum indicitur; nam ſi quis integram Innocentii Decretalem percurrat, aperiſſime cognoſcet, id petitum fuiſſe a Pontifice, *utrum Presbyter duas Miſſas in eadem die valeat celebrare.* Porro illud *valeat*, idem prorſus ſignificat, ac *liceat*: Cum igitur reſponſum dederit Pontifex, *ſufficere Sacerdoti ſemel in die unam Miſſam ſolummodo celebrare*, illud *ſufficit*, Sacerdotes adigit præcepto, ne plura Sacrificia uno die faciant.

Ita Vaſqueſius interpretatur eo loco, quem paullo ante indicavimus *num.* 44. *Nam quod quæſitum fuit, utrum valeat celebrare, idem eſt, ac ſi quæreretur, utrum liceat ei celebrare. Cum ergo reſpondit Pontifex*, ſufficit &c. *hoc verbum denotat præceptum prohibens, pluſquam ſemel celebrare.* Neque mirari quis debet, ſi idem verbum *ſufficit*, conſilium uno loco, alio autem præceptum præſeferat. Id ipſum quippe etiam contigit in verbo *non oportet*: quod juxta varias rerum circumſtantias, in Jure Canonico modo ſolum honeſtatis officium, ac decentiam denotat, modo vero neceſſitatem, atque præceptum, uti pluribus exemplis demonſtrat Baldellus *diſp. Theolog. tom.* 1. *lib.* 5. *dub.* 21. *num.* 4. Verum ex Honorio III., qui poſt Innocentium III. Pontifex renuntiatus fuit, in textu *Te referente*, ſub eodem titulo *de celebratione Miſſarum*, manifeſte deprehenditur, illud verbum *ſufficere*, de quo in Decretali Innocentii III., cum præcepto conjungi. Rem totam, ſicuti geſta eſt, recenſebimus, uti conſtat ex Gonzalez, qui Decretalem integram ejuſdem Honorii deſcribit.

Sypontinus Archiepiſcopus (eam modo Civitatem vulgo Manfredoniam appellant) Feria V. Majoris Hebdomadæ Sancta Olea de more in Eccleſia Cathedrali rite conſecrabat. Eadem die mane ſe conferebat ad Montem Garganum, ut peregrinos exciperet, qui magna frequentia in eo locum Religionis cauſa confluebant. Ejus loci Clerus, ac Populus Archiepiſcopum magno ſtudio rogarunt, ut Sacrum iteraret; quod tamen ille facere recuſavit, donec ſuper hac re Pontificis Honorii III. reſponſum ſibi redderetur. Pontifex initium deſumit a verbis ipſis Innocentii III. Prædeceſſoris ſui, nempe: *Cum cuilibet Sacerdoti, quacumque dignitate præfulgeat, unam*

in die

in die celebrare Miſſam ſufficiat, nam & valde eſt felix, qui celebrat digne unam. Poſt hæc præcipit Archiepiſcopo, ut Syponti rem Divinam peragat, ubi Sacrum Chriſma conficere debebat, & in Eccleſia Montis Gargani Sacrificium offerre prætermittat; hiſque utitur verbis, quibus illud *ſufficit*, ab Innocentio III. ſcriptum cum præcepto, omnino copulari declarat: *Fraternitati tuæ mandamus, quatenus die Cœnæ Domini in Eccleſia Sypontina duntaxat, in qua teneris Chriſma conficere, Miſſarum ſtudeas ſolemnia celebrare.* Innocentius, qui, excepto die Nativitatis Dominicæ, prohibuit Sacerdoti plures Miſſas una die celebrare, *in cit. Cap. Conſuluiſti, de celebrat. Miſſarum*, addidit: *niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat.* At Honorius, qui *in Cap. Te referente, eodem tit. de celebrat. Miſſarum*, Archiepiſcopo Sypontino reſcripſit, ipſi fas non eſſe, poſt rem Divinam peractam, dum Sacrum Chriſma conficiebat in Eccleſia Sypontina, aliam Miſſam celebrare in Eccleſia Montis Gargani, declaravit, cauſam neceſſitatis ab Innocentio admiſſam nunquam adeſſe, cum alius inveniatur Sacerdos, qui ſecundam Miſſam celebrare poteſt: ſecundam quippe Miſſam noluit ab Archiepiſcopo in Eccleſia Montis Gargani celebrari, ex quo veriſimile ipſi viſum eſt, quod alius non adeſſet Sacerdos, qui Miſſam in eadem Eccleſia celebrare poſſet, juxta monitum Cardinalis de Turrecremata *in Can. Sufficit, ſub num. 4. de Conſecr. diſt. 1.* En ejus verba: *Quod autem in Decretali,* Te referente, *Epiſcopus videtur reprehendi, quod bis celebraverat die Cœnæ, eſt propter hoc, quia non erat neceſſe, quod Epiſcopus celebraſſet, niſi in illa Eccleſia, in qua de conſuetudine debebat Chriſma conficere, quia hoc non poteſt, niſi Epiſcopus, & aliam Miſſam celebrare poterat ſimplex Sacerdos, quia veriſimile eſt, Epiſcopum poſſe per Vicarium celebrare, & in illa Eccleſia plures Sacerdotes fuiſſe.* Quod etiam ante Cardinalem a Turrecremata jam fuerat adnotatum ab Hoſtienſi *in Cap. Te referente num. 4.* ab Antonio de Butrio *ſuper eodem textu num. 3.* & ab Abbate *ſuper eodem quoque textu in fine tit. de celebrat. Miſſarum.*

Præterea caſum proponunt Epiſcopi, qui præeſſet duobus Epiſcopatibus inter ſe vicinis; ut in Archiepiſcopo Sypontino contigiſſet, ſi Summi Pontifices Alexander III. & Innocentius III. ſententiam non protuliſſent contra Garganicos contendentes, Eccleſiam ſuam Epiſcopalem eſſe, & unitam Eccleſiæ Sypontinæ, quemadmodum legitur apud Ughellium de Metropoli Sypontina tractantem *tom. 7. Italiæ Sacræ*; quæruntque, an ſub obtentu Chriſma conficiendi in utraque Eccleſia, quod ſine celebratione Miſſæ confectari decenter nequit, poſſet ea die bis Sacrificium offerre; & unanimiter reſpondent, id non licere: & ſic rem componunt, quod uno anno in una Eccleſia celebret Miſſam Feria quinta in Cœna Domini, & conficiat Chriſma, & alio anno idipſum faciat in alia Eccleſia; & ab una ad aliam Chriſma confectatum, uti moris eſt, tranſmittat: neque ſic compoſita, aſſerunt, nullam ex ſuis Eccleſiis Chriſmate cariturum eſſe, ſubditoſque unius, vel alterius Epiſcopatus nullatenus excludi a commoditate audiendi Miſſam quinta Feria in Cœna Domini, in qua maximopere expedit, ut audiant Miſſam; ea quippe celebrari poterit a Sacerdote in Eccleſia, in qua eo anno Epiſcopus Chriſma non conficit, cum veroſimile non ſit, alium non reperiri Sacerdotem, qui ea ipſa die Sacrum in ea facere poſſit; veluti proſequuntur Hoſtienſis, Antonius a Butrio, & Abbas *locis citatis.*

Hæc ſunt, quæ ex Jure Canonico deſumpſimus. Sed cum Gloſſa *in Cap. Conſuluiſti, in verb. Neceſſitatis, de celebrat. Miſſarum*, neceſſitati addat utilitatem, & vel utilitatem, vel neceſſitatem ſatis eſſe dicat, ut unus Sacerdos eodem die bis Miſſam celebrare poſſit, bene deprehendimus, Parochos, de quibus agitur, poſſe tum utilitatem, tum neceſſitatem prætexere, ut ſibi putent fas eſſe bis in die celebrare, etiamſi alius ſit Sacerdos, qui Sacrum facere valeat: utilitatem quippe in eo conſtituent, quod, bis ipſi celebrando, non ſubminiſtrabunt Sacerdoti celebraturo eleemoſynam pro Miſſa, quam celebrabit; neceſſitatem in ſua inopia conſtituent, ob quam nequeunt prædictam eleemoſynam alteri Sacerdoti Miſſam celebranti elargiri. At neutrum eis ſuffragari poteſt.

Et utilitas quidem non ſuffragatur: quidquid enim ſit de titulo utilitatis, qui illum admittunt, illum explicant, & intelligunt, non de utilitate Celebrantis, ſed Miſſam audientis. Sic docet Cardinalis Zabarella *in Cap. Conſuluiſti, num. 3. de celebratione Miſſarum.* En ejus verba: *Conſidera, quod in hoc attenditur cauſa utilitatis reſpectu audientis, non celebrantis.* Et concordant ſuper eodem Capitulo Antonius a Butrio *num. 4.* Abbas *num. 2.* & cæteri, quos vocant *Repetentes*; & præclare inter Recentiores docuit Vericellus *de Apoſtolicis Miſſionibus tit. 1. de Privilegiis Regularium dub. 18. num. 201.* Utilitas autem propoſita non populum, ſed Parochum reſpicit, & ſic Celebrantem, & non Audientem.

Minus quoque prodeſt neceſſitas ex inopia deſumpta, cum plura ſint expendenda, antequam titulus neceſſitatis ex inopia deſumptus admittatur. Primo, an revera Parochi tanta premantur egeſtate, ut alteri Sacerdoti ſtipendium Miſſæ nequeant ſuppeditare: ſi enim inopia adeo magna non ſit, Epiſcopali auctoritate juxta Caput quartum Concilii Tridentini *ſeſſ. 21. de Reformatione*, adigi poterunt, ut Sacerdoti Miſſam celebraturo eleemoſynam elargiantur, uti ſapienter admonet Engel *ad tit. Decretalium de celebratione Miſſarum num. 3.* Secundo, ſi Parochis tenues omnino, anguſtique proventus obveniant, videndum, an Populus etiam in eadem paupertate verſetur: quemadmodum enim Epiſcopus adigere poteſt Sacerdotem, ut Populo Sacrum faciat diebus Feſtis; ita etiam poteſt indicere Populo, ut celebranti Sacerdoti conſuetum ſtipendium elargiatur. Id etiam ex Tridentino Concilio deſumitur *ſeſſ. 23. cap. 14. de Reformatione*, ubi hæc leguntur: *Curet autem Epiſcopus, ut ii ſaltem diebus Dominicis, & Feſtis ſolemnibus &c. Miſſas celebrent.* Siquidem illud verbum *Curet*, præceptum inferre in hac graviſſima cauſa, non eſt dubitandum. Hoc pacto Concilii ſententiam explicat Paſqualigus, qui ſcriptum ita reliquit *de Sacrif. Miſſæ quæſt. 844. num. 11. Si in aliquo Oppido ſit unus tantum Sacerdos, qui tenetur celebrare diebus Feſtis, & adſint alii ſimplices Sacerdotes, poterit Epiſcopus eos cogere ad celebrandum diebus Feſtis. Ratio eſt, quia adeſt indigentia Populi, eo quod difficile ſit, quod omnes eadem hora conveniant ad audiendam Miſſam; & ideo cum Sacerdotes habeant ratione Ordinis munus ſuum addictum Populo, poterit Epiſcopus eos cogere, ut impendant Officium ſuum Populo, offerendo Sacrificium, ut abſque difficultate poſſit adimplere præceptum audiendi Sacrum. In tali tamen caſu tenebitur Populus aliquid contribuere iis Sacerdotibus pro ſuſtentatione, quia, cum miniſtrent Populo, æquum eſt, quod accipiant aliquid pro ſuſtentatione.*

Porro difficile protſus videtur, omnia hæc ſimul copulata deprehendi. Quod ſi res ita ſe haberet, tunc, Vener. Frater, ex iis eleemoſynis, quas ipſe egenis elargiri large conſueviſti, ſtipendium pro re Divina Sacerdotibus erogare deberes, nec ullo modo perferre, ut Sacrificium iterent Parochi, quibus non deeſt alius Sacerdos, qui diebus Feſtis Populo miniſtret.

Poſt hæc, quæ a Nobis prolata ad veritatem illuſtrandam dici poſſunt, ad ea ſermonem transferimus, quæ ab ipſis Parochis proponi audimus. Vehementer ipſi conqueruntur, ſi facultas iterandi Sacrificii diebus Feſtis ipſis adimatur; eo quod munere ſuo perfungi nequeant, quod non ſolum conſtituitur in celebranda, & applicanda Miſſa pro Populo, cum Feſti dies peraguntur, ſed etiam in explicandis Religionis Myſteriis, tradendaque Pueris Chriſtiana diſciplina, cum ad Sacrum audiendum in Eccleſiam conveniunt.

Incredibilem ex hoc voluptatem ſane percepimus, etiam quum olim fel. rec. Prædeceſſor Noſter Innocentius Papa XIII ad diſcutienda Hiſpani Cleri graviſſima negotia ab inſigni viro bon. mem. Ludovico hujus S. R. E. Card. Belluga nuncupato propoſita, peculiarem Congregationem præſtantium aliquot ejuſdem S. R. E. Cardinalium deputaſſet; Nobiſque tunc in Minoribus conſtitutis ipſius Congregationis Secretarii munus demandaſſet, meminimus non parum temporis, plurimumque laboris Nobis opus fuiſſe, ut falſam omnino probaremus opinionem, ob quam Parochi Hiſpani ſe immunes, ac liberos dictitabant ab educendis, inſtruendiſque Chriſtiana Doctrina Pueris, eo quod hujuſmodi exercitationes in aliis quoque Eccleſiis haberentur; aut quia Concionatorum opera, ſtudioque ſatis Fideles inſtruerentur; aut etiam ob vetuſtiſſimam conſuetudinem, quæ Parochos ipſos ab hoc onere vindicare videbatur. Quæ omnia leguntur in Conſtitutione, quæ incipit: *Apoſtolici Miniſterii*, quam præfatus Innocentius Prædeceſſor promulgavit, in qua §. 9. recenſentur, ac refelluntur ea omnia, quæ modo commemoravimus.

His autem per tranſennam adnotatis, jam reſponſum quæſtioni faciamus, videlicet non eſſe iterandum die Feſto Sacrificium, ſi Parocho alius Sacerdos operam ſuam navare poſſit, etiamſi Catechiſmus eodem die, Fideique Myſteria Populo explanari debeant. Hæc enim fieri poſſunt ejuſdem Sacerdotis miniſterio, qui ad Sacrum conficiendum inducitur: quemadmodum Nos ipſi ſtatuimus in Bononienſi Diœceſi, cum in ea Sedem haberemus, haud ignorantes, id conſentaneum eſſe Decretis, quæ ſuper hac re Pontifices Romani non ſemel ediderunt. Id Nos oſtendimus *Inſtitut. 3. tom. 3. Noſtrarum Inſtitutionum Eccleſiaſticarum*, quæ Bononiæ impreſſæ fuerunt. Accedit, quod Parochus, qui die Feſto Fideles inſtituendos in utraque Eccleſia libenter ſuſcepiſſet, ſi iterandi Sacrificii facultas traderetur, id facilius conſequi poſſit, ſi in altera ſolum Eccleſia rem Divinam faciat, ac Populum educeat, deinde ad aliam ſe conferat Eccleſiam, ubi a Sacrificio abſtineat, & Chriſtianæ Legis inſtituta duntaxat Populo declaret.

Tui præterea Parochi queruntur, quod ipſis hanc facultatem impertiri dubites, quam a tuis Deceſſoribus ſemper impetrarunt. Certiſſimum illud eſt, Miſſionariis tantum a Sede Apoſtolica poteſtatem aliquando fieri, ut uno die Sacrificium bis operentur; reliquis vero Sacerdotibus opus

eſſe,

eſſe, ut hac de re facultatem ab Epiſcopo conſequantur, etiamſi cauſa neceſſitatis intercedere videatur; cujus ſane judicium ad ipſos Sacerdotes nequaquam pertinet. Ita teſtatur Verricellus *de Apoſtolicis Miſſionibus tit. 4. de Privilegiis quæſt. 19. num. 202. Quæres primo, an ad celebrandas duas Miſſas in locis, ubi adeſt talis neceſſitas, requiratur licentia Epiſcopi? Reſpondetur affirmative, ſeclusis privilegiis Miſſionariorum. Ita a Sacra Congregatione reſolutum.* Certum quoque eſt, facultates ejuſmodi, niſi neceſſitas id poſtulet, nunquam concedi; vel, ſi aliquando conceduntur, non haberi tanquam alicujus Sacerdotis privilegium, ſed tantum ob cauſam peculiarem neceſſitatis. Pagnanus id fatetur *Cap. In ordinanda, num. 37. de Simonia: Miratur Sacra Congregatio agi de his licentiis concedendis; nam id nonniſi ex magna neceſſitate fieri debet, & magna cautela, ut puta in locis, ubi perpauciſſimi ſunt Sacerdotes, vel adſunt impedimenta adverſariorum Fidei, vel quid ſimile &c. Nec concedi poteſt hæc licentia ab Epiſcopo generaliter, quaſi privilegium alicujus Sacerdotis, ſed tantum in aliquo caſu particulari, neceſſitatis cauſa ab Epiſcopo examinanda.* Itaque cum ejuſmodi cauſam neceſſitatis haud deprehenderis, nunquam Parochos tuos probabimus, ſi ipſi de te conquerantur. Nos prudentiam Fraternitatis Tuæ magnopere commendamus, Teque agnoſcimus animum, mentemque tuam conformaſſe exemplo prædicti Sancti Caroli Borromæi, qui in *prima Synodo Provinciali cap. 5.* abrogavit *licentias a ſuis Prædeceſſoribus conceſſas plures Miſſas celebrandi.*

Parochi poſtremo, ut cauſam ſuam tueantur, vetuſtiſſimam adducunt conſuetudinem. Nos, utrum ratione, an temere id afferant, examinare prætermittimus. Solum inquirimus, utrum ea conſuetudo rationem præſcriptionis, aut præſumptionis ſibi comparaverit; & utrumque falſum, & alienum judicamus. Non utique Jus Divinum, ſed Jus Eccleſiaſticum prohibet, eadem die ab eodem Sacerdote Sacrificium iterari: at non omnia, quæ Juris tantum Eccleſiaſtici ſunt, præſcribi poſſunt. Si etenim, juxta Civiles Leges, *ſanctæ res* præſcribi non poſſunt, abſonum undique eſt aſſerere, fuiſſe per præſcriptionem aliquid obtentum, vel acquiſitum, quod adverſetur Sanctionibus univerſalibus Eccleſiæ, quarum obſervantiam Sacrum Tridentinum Concilium in Miſſarum celebratione Sacerdotibus omnibus præcipit, uti colligitur ex Decreto *de obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſæ.*

In nonnullis Regionibus mos inoleverat, quod Parochi duarum Parochiarum Feria ſexta Majoris Hebdomadæ Officium faciebant, primum in una ex Parochiis, & deinde illud iterabant in altera. Jejunii præceptum in ſumptione Euchariſtiæ non eſt Juris Divini, ſed Eccleſiaſtici, teſte Cardinali Bona *Rerum Liturgicar. lib. 1. cap. 21. num. 2.* ubi refert, initio non omnibus in locis univerſos prædicta lege obſtrictos fuiſſe: cumque, hoc minime obſtante, animadverſum fuiſſet, Parochum celebrantem Officium in ſecunda Parochia, non jejunum ſumere Euchariſtiam ſub ſpecie panis; ſumpſerat enim in Officio, quod celebravit in prima Parochia particulam Hoſtiæ conſecratæ die præcedenti, una cum vino non conſecrato, & ſic jejunium fregerat naturale; reprobata fuit conſuetudo, etſi, uti aſſerebatur, pietati, & devotioni innixa. Hoc exemplo perculſi alii Parochi duarum Parochiarum, aliam induxerunt conſuetudinem, ut in utraque Parochia Officium Feriæ ſextæ Majoris Hebdomadæ celebrare poſſent; prætermittendo videlicet hauſtum vini in primo Officio, quod in prima Parochia celebrabant, ſumentes tantummodo ſpeciem panis, ut jejuni in ſecunda Parochia Officium facerent, Miſſamque, quæ dicitur Præſanctificatorum, celebrarent. At hæc quoque conſuetudo fuit reprobata, utpote contraria ritui Eccleſiaſtico, quem & Ordo Romanus, & Sacramentarium S. Gregorii præſcribunt, & adhibet univerſalis Eccleſia. Franciſcus Sylvius magni nominis Theologus *tom. 5. ſacrorum Operum* editionis Antuerpienſis *Orat. 1.* quæ eſt unica *de Officio Paraſceves*, rem graphice exponit, nec Parochorum conſuetudini cenſet eſſe ullo modo deferendum. De hac eadem re plura habentur apud Suarez *in 3. part. Divi Thomæ tom. 3. quæſt. 73. art. 2. diſp. 80. ſect. 3.* Et Nos ipſi hæc omnia expoſuimus *in noſtro Tractatu de Sacrificio Miſſæ*, typis Patavinis edito, *ſect. 2. §. 39.* & *in alio Tractatu de Feſtis D. N. Jeſu Chriſti part. 1.* typis quoque Patavinis edito, *§. 336. & ſeqq.* confutavimus errorem Græcorum Schiſmaticorum, qui volunt, in Miſſa Præſanctificatorum, per immiſſionem particulæ in Calicem ex Sacratiſſima Hoſtia detractæ, tranſubſtantiationem fieri Vini in Sanguinem Chriſti, & diximus, Sacerdotem in Officio Feriæ ſextæ Majoris Hebdomadæ ſumere Chriſti Corpus & Sanguinem, cum utrumque revera ſit ſub ſpecie panis, præcedenti licet die conſecrati.

Præſcriptionem excipit præſumptio, de qua modo ſermo habendus eſt. Equidem non ignoramus Juriſperitorum commune adagium, nempe ratione conſuetudinis immemorabilis afferri poſſe in medium quemcumque gratioſum titulum, & etiam privilegium Apoſtolicum, quod utpote nullo certo documento probatum, præſumptum appellatur. Sed, cæteris prætermiſſis, ne hæc Epiſtola longior evadat, ſubdimus, hæc intelligi poſſe de illis privilegiis, quæ impetrari potuiſſent a Sede Apoſtolica, ſi quis ea poſtulaſſet; non vero de illis, quæ cum poſtulantur, negari omnino conſueverunt; ne præſumptio plus habeat roboris, & momenti, quam veritas.

Romanis Pontificibus mos eſt, ut ea negotia, quæ ipſi per ſe expedire nolunt, ad Congregationes rejiciant examinanda, ut earum conſilio rem expediant. Anno 1657. cum in Civitate, quam dicunt *de Aſſumptione*, in Provincia Paraguarienſi, pars magna Nobilium domi ſe contineret, utpote decenti apparatu veſtium carens, nec accederet ad Eccleſiam, ut Sacrum die Feſto audiret, Epiſcopus exoravit, ut ſibi facultas daretur celebrandi Miſſam Antelucanam Nobilium prædictorum gratia, & aliam ante meridiem, ut reliquus Populus Miſſæ præcepto diebus Feſtis ſatisfaceret. De hac re actum fuit in Congregatione Concilii *die 1. Septembris* 1657. nec petitio fuit exaudita, ea potiſſimum de cauſa, quod imperceptibile viſum eſt, alium non adeſſe Sacerdotem, qui Miſſam Antelucanam celebraret pro Nobilibus; quemadmodum colligitur *ex lib. 21. Decretorum pag.* 56.

Prætérea vobis omnibus notum eſt, in Regnis Aragoniæ, Valentiæ, & in Comitatu Catalauniæ, die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, quemlibet Sacerdotem Sæcularem bis Miſſam celebrare poſſe, & ter quemlibet Sacerdotem Regularem; quod ſingulare privilegium antiquæ conſuetudini, & famæ Apoſtolici privilegii conceſſi vel a Julio III vel a Paulo III. Summis Pontificibus innititur. De dicto privilegio egimus *in ſupra citato noſtro Commentario de Sacrificio Miſſæ ſect. 2. §. 31.* & latius dum munere fungebamur Secretarii Congregationis Concilii, cum Cauſa quædam *Caſtellana* pertractaretur, quemadmodum videri poteſt in Theſauro Reſolutionum prædictæ Congregationis *tom. 2. pag.* 168. & plura quoque de dicto privilegio relata fuerunt a bon. mem. Cardinali Lanfredino, dum ipſum Secretarii munus obiret, & de quadam Cauſa *Oriolen.* ageret, de qua *tom. 5. ejuſdem Theſaur. pag. 384. & ſeqq.* Viri, qui dignitate, & præſtantia ſupra cæteros eminebant, Summis Pontificibus humillime ſupplicarunt, non ut quidem rem novam permitterent, ſed ut tantum ad quaſdam alias Regiones memoratum privilegium extenderent, ob quod Presbyteri tum Sæculares, tum Regulares, in die Commemorationis omnium Defunctorum rem Divinam iterato faciebant, preceſque ſuas ſingulari pietate, & rationibus undequaque petitis cohoneſtarunt: negotioque a Summis Pontificibus remiſſo ad Congregationem Concilii, hæc precibus hujuſmodi morem haud geſſit, ſed petentes, uti fieri cum principibus viris conſuevit, urbane dimiſit, quemadmodum recenſuimus *in citato noſtro Tractatu de Sacrificio Miſſæ ſect. 2. §. 32.* editionis Patavinæ.

Porro ſi denegatum fuit Epiſcopo petitum privilegium celebrandi bis in die Feſto, ut Nobiles ſatisfacerent præcepto audiendi Miſſam, eo quod alius adeſſet Sacerdos, qui Sacrum facere poterat; ſi principum virorum vota exaudita non fuerunt, qui tantum pro extenſione privilegii precabantur, & talis privilegii, quod unicam tantum diem quolibet anno reſpiciebat; unuſquiſque facili negotio cognoſcere poterit, quid a Sede Apoſtolica factum eſſet, ſi ſimplices Parochi facultatem petiiſſent bis celebrandi, ubi alius non adeſſet Sacerdos, qui Parocho operam ſuam præſtare poſſet, & bis celebrandi non unica die intra annum, ſed tot diebus, quot per anni curſum Feſti dies celebrandi Fidelibus præcipiuntur.

Ut Fraternitatis Tuæ poſtulatis reſponderemus, negotium unico verbo cognoſcimus Nos abſolvere potuiſſe, dicendo nimirum, tuam Conſtitutionem Synodalem obſervandam eſſe. Henricus enim Boich, antiquus Juris Canonici Profeſſor *in Comment. ad Cap. Te referente, num. 2. de celebratione Miſſarum*, docet, a nemine binas Miſſas eadem die celebrari poſſe, ſi id ſit vetitum in Conſtitutione Synodali; ſed hæc ſcribenda ad Te putavimus, ut tuum religioſum eximium ſtudium noſtris laudibus proſequeremur, certamque normam, ac rationem ante oculos propoſitam haberes, ad quam conſilia tua, tuamque mentem tutiſſime conformares. Quapropter tres dies in privata noſtra Bibliotheca mane inſumpſimus, quos vacuos, ac liberos ab audiendis Miniſtris, moleſtiſque negotiis nacti ſumus, ut has litteras conſcriberemus. Poſtremo Te summopere iterumque commendantes, qui hujus Sedis Apoſtolicæ in dubiis rebus ſententiam, conſiliumque exquiſieris, Benedictionem tibi Noſtram, Venerabilis Frater, peramanter impertimur.

BULLA

BULLA UNDECIMA.

De retinenda Crucifixi Salvatoris Imagine palam, & viſibiliter ſuper Altaribus, ad quæ Miſſarum Sacrificia peraguntur.

Extat hæc Bulla in Tom. II. num. XVII. data vero fuit ſub die 16. Julii anno 1746. Pontificatus autem Anno VI.

Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Ordinariis Ditionis Eccleſiaſticæ.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ACcepimus præſtantium Virorum teſtimoniis jampridem in quibuſdam Pontificiæ Ditionis Civitatibus inductam eſſe conſuetudinem, quæ licet pietatem, ac religionem præſeferat, Eccleſiæ tamen inſtitutis, ac diſciplinæ plurimum adverſatur. Idem Nos ipſi deprehendimus in aliquibus Eccleſiis hujus noſtræ Romanæ Urbis, & aliis pariter, quæ Epiſcopis Suburbicariis ſubjiciuntur. Quapropter muneri Noſtro deeſſe magnopere videremur, niſi de hac re monerentur illi, qui pro ſpirituali hujus Civitatis regimine Miniſtri a Nobis conſtituti ſunt, & alii, qui Suburbicarios Epiſcopotus, vel alterius Civitatis in Ditione Pontificia Sedem obtinentes curam gerunt Animarum.

In Altaribus, quæ per Eccleſias erecta ſunt, & in quibus Sacrum fieri conſuevit, præter majorem Tabulam, quę vel depictam, vel inciſam exhibet imaginem Sancti, in cujus nomen, & memoriam Altare conſecratum eſt, adjungi cœpit alia minor Tabula, in qua vel coloribus exprimitur, vel ære, ligno, aut marmore inciditur Effigies alterius Sancti, ita ut Crux auferatur, quæ, juxta Rubricas, inter Candelabra collocari debet. Cum vero neminem lateat, rem Divinam confici non poſſe, niſi Crux cum Imagine Sanctiſſimi Crucifixi ſuper Altari conſtituatur, hinc minori Tabulæ ſuperadditur exiguus adeo Crucifixus, ut neque Presbyteri celebrantis oculis facile occurrat, neque ab ullo alio diſtingui ferme poſſit, niſi hic diligenter perſcrutetur, utrum ſuper Altari revera Crucifixi Imago propoſita fuerit.

Equidem non improbamus, quod idem Altare in plurium Sanctorum nomen, ac memoriam dedicetur, quodve in majori Tabula aut unus tantum, aut plures etiam Sancti pingantur, vel denique, quod alia minor Tabula collocetur inferior, aut alio quocumque modo, ubi unus, vel plures Sancti Fidelium venerationi proponantur. Illud permittere nullatenus poſſumus, quod Miſſæ Sacrificium in his Altaribus celebretur, quæ careant Imagine Crucifixi, vel ipſa incommode ſtatuatur ante Presbyterum celebrantem, vel ita tenuis, & exigua ſit, ut ipſius Sacerdotis, & Populi aſſiſtentis oculos pene effugiat; id enim alienum eſt a Legibus, & Inſtitutis Eccleſiæ, quæ in Rubricis, aliiſque Eccleſiaſticis Sanctionibus continentur. Id etiam maxime contrarium eſt ſacræ antiquitati, & Eccleſiarum, etiam Orientalium, conſuetudini; ita ut certiſſimum ſit violari Leges Eccleſiæ, ſi exigua ſolum Imago Crucifixi præfigatur minori Tabulæ, vel Statuæ Sancti, qui ſuperadditur, ut illum Fideles venerentur.

In Rubricis Miſſalis *tit. de præparatione Altaris, & ornamentorum ejuſdem*, hæc leguntur: *Super Altare collocetur Crux in medio, & Candelabra ſaltem duo cum Candelis accenſis hinc, & inde in utroque ejus latere.* In Romano Pontificali *tit. de Conſecratione electi in Epiſcopum*, cum ſermo eſt de Altari, ubi conſecrandus Epiſcopus Sacrum operatur uſque ad Offertorium; quo peracto Miſſæ Sacrificium proſequitur in alio Altari, ubi Epiſcopus conſecrans rem Divinam facit; in eo, inquam, Pontificali hæc habentur: *In Cappella vero minore pro Electo, quæ a majore debet eſſe diſtincta, addatur Altare cum Cruce, & duobus Candelabris.* Cæremoniale autem Epiſcoporum, poſtquam *lib. 1. cap. 12.* commemoravit Candelabra, & Candelas, hæc addit: *In quorum medio collocabitur Crux ex eodem metallo, & opere, præalta, ita ut pes Crucis æquet altitudinem vicinorum Candelabrorum, & Crux ipſa tota Candelabris ſuperemineat cum Imagine Sanctiſſimi Crucifixi verſa ad anteriorem Altaris faciem.*

Nos ipſi verba fecimus de hoc veteri ritu collocandæ Crucis in Altari, cum Sacrum peragitur, in Noſtris Commentariis *de Sacrificio Miſſæ*, quæ Italico ſermone a Nobis confecta fuerunt, *part. 4. ſect. 1. n. 17. ac ſeqq.* Plura deinde addidimus *ſect. 1. §. 18. & 19.* cum ipſa latine reddita lucem iterum publicam adſpexerunt. His etiam adjungimus, ob vetuſtatem præſertim hujuſce ritus, tantam venerationem, cultumque ſemper exhibitum fuiſſe Cruci, quæ in medio Altari collocatur, cum Miſſæ Sacrificium conficitur, ut Novatores ipſi magis inſenſi illam, de medio auferre pertimuerint, cum ſuam Cœnam inſtituunt. Hæc teſtatur Gretſerus *in ſuo Tractatu de Cruce cap. 23. n. 1.* ejus editionis, quæ poſtremo typis vulgata fuit.

Si vero diſciplinam Orientalium inſpiciamus, Græcis in more poſitum eſt, ut ad Portam Regiam Sanctuarii utroque latere Imagines Chriſti Domini, ac Beatæ Virginis, & ſuper Altari Crucem una cum Libro Sanctorum Evangeliorum conſtituant. In Lyturgia vero Cophto-Arabica, quæ deſumpta ex manuſcriptis Codicibus Vaticanis impreſſa fuit anno 1736. in Collegio Urbano de Propaganda Fide, *pag. 33.* indicitur Sacerdoti celebranti, ut Benedictionem cum Cruce Populo impertiat, eam deinde oſculetur, ac Diacono tradat, qui ipſam ſuper Altari collocat. Poſtremo ritus Syriacus Maronitarum eadem prorſus decernit, quæ in Rubricis Romani Miſſalis præſcribi ſuperius indicavimus. Nam Patriarcha Stephanus *lib. 3. tract. 2. ſect. 4.* ita ſcriptum reliquit: *Mos iſte in omnibus Eccleſiis inolevit, ut ſuper Altaris gradum ſalutiferæ Crucis vexillum collocetur.* In Synodo etiam Nationali, quæ coacta fuit anno 1736. in Monte Libano, quam Litteris Apoſtolicis Nos ipſi confirmavimus, *part. 2. cap. 13. de Sacroſancto Miſſæ Sacrificio can. 8.* ita ſancitum eſt: *Super Altare collocetur Crux in medio, & Candelabra ſaltem duo cum Candelis accenſis hinc, & inde in utroque ejus latere.*

Scriptores, qui Sacros Ritus explicarunt, nonnullas diſputationes inſtituunt; ac primo, utrum ſatis ſit nudam Crucem in Altari ſtatuere, an Imago Crucifixi addenda ſimul videatur? Equidem Rubricæ Miſſalis ſolam Crucem commemorant: cum tamen Cæremoniale Epiſcoporum Crucem una & Crucifixum nominet, idque communi Eccleſiæ conſuetudini conſentaneum ſit, hanc ideo ſententiam probandam nemo ſapiens dubitavit. Ita ſentiunt Gavantus, Claudius la Croix, qui *lib. 6. part. 2. de Sacrificio Miſſæ nu. 318.* fatetur ob veterem, communemque uſum, ſine Imagine Crucifixi, quæ pendeat e Cruce, rem Divinam fieri non poſſe, niſi neceſſitas intervenerit. Et profecto initio Eccleſiæ, cum Fideles concitare ad furorem Gentiles magnopere timerent, ſi Chriſtum Crucifixum publice adorandum proponerent; Crucem tamen pluribus modis exornatam palam exponebant, atque inciſum, vel depictum Cruci apponebant Agnum, qui Typus amantiſſimi Salvatoris ſemper habitus eſt, ut eo ſaltem modo Crucifixi Imaginem exhiberent. Id conſpicitur adhuc in nonnullis hujus Civitatis Eccleſiiis, & teſtimonio etiam Magrii comprobatur *in ejus Hierolexico in vocabulo* CRUX.

Secundo loco inquiritur, utrum Crucifixus pendens a Cruce debeat in Altari conſtitui, etiamſi Salvator noſter Crucifixus in majori Tabula Altaris depictus, aut cælatus appareat. Gavantus id quidem probat; alii vero neceſſarium id minime arbitrantur, dummodo tamen Crucifixus in majori Tabula vel pictus, vel cælatus, primum locum obtineat præ cæteris omnibus, quæ in eadem Tabula exprimuntur. Ita cenſent Paſqualigus *de Sacrificio Miſſæ quæſt. 716.* Quartus *ad Rubricas Miſſalis part. 1. tit. 20. dub. 10.* & Giribaldus *de Sacramentis in tract. 5. de Sacrificio Miſſæ cap. 9. dub. 2. num. 20.* Huic pariter ſententiæ ſe conformavit Congregatio Sacrorum Rituum, uti conſtat ex reſponſione, quam ipſa promulgavit *anno* 1663. & quam Meratus recenſet *tom. 1. part. 1. tit. 20. de præparatione Altaris num. 6.* & in Indice Decretorum *eodem tom. part. 2. num. 400.*

Tertio loco quæritur, utrum Crucifixus in Altari collocari debeat, cum Sacrificium Miſſæ in eo conficitur Altari, ubi poſitum eſt Tabernaculum, in quo Pyxis cum Sacris Particulis continetur; cum præſertim eidem Tabernaculo parva Crux cum Imagine Salvatoris Crucifixi ſemper præfigatur. Equidem in Cæremoniali Epiſcoporum hæc habentur: *Non incongruum, ſed maxime decens eſt, ut in Altari, ubi Sanctiſſimum Sacramentum eſt, Miſſæ non celebrentur, quod antiquitus obſervatum eſſe credimus.* In veteri Cæremoniali, cum Clemens VIII. Pontificatum gereret, ita legebatur: *quod antiquitus obſervatum eſſe videmus.* Attamen id prorſus difficile nonnullis videtur, ob eam cauſam, quod, ut ipſi argumentantur, cum unicum Altare in veteribus Templis extrui ſoleret, aut Divina Euchariſtia in eis conſervata non fuiſſet, aut nullum Miſſæ Sacrificium in eis eſſet inſtitutum. Aliter vero ſentiunt ii, quibus cognitum, perſpectumque eſt, eum morem fuiſſe antiquitus, ut Sacra Euchariſtia in Eccleſiæ Sacrario ſervaretur, vel in decenti Armario, quod parieti configebatur, uti nunc etiam perſpicimus in Baſilica Sanctæ Crucis in Jeruſalem. Idem perpendit Mabillon *in Muſæo Italico tom. 1. pag. 89. ac tom. 2. pag. 139.* At quod in præſenti ingerit difficultatem, nec ullum ab examine propoſitæ controverſiæ liberum facit, illud eſt, quod, juxta vigentem diſciplinam, Sacra Euchariſtia conſervatur in Tabernaculo; quod eſt poſitum ſuper uno ex Altaribus Eccleſiæ, & quod in eo paſſim Miſſa celebratur; cum, ſedulo perpenſo Cæremonialis textu deprehenſum ſit, eum prædictæ celebrationi abſolute non obſtare; uti Chriſtianus Lupus expendit *tom. 11.* recentioris editionis in Diſſertatione *de Sacris Proceſſionibus pag. 356.* Hanc itaque controverſiam, quum alias Nos ipſi expenderemus in ſupracitatis Commentariis *de Sacrificio Miſſæ part. 4. ſect. 1. num. 18.* illorum ſententiam probavimus, qui exiſtimant, Crucifixum inter Candelabra ſtatui debere, neque parvam Crucem, quæ Tabernaculo præfigitur, ſatis eſſe,

ne Ru-

ne Rubrica violetur, quemadmodum inferius explicabimus; idemque cenſuit Congregatio Sacrorum Rituum anno 1563. uti perſpicitur ex Indice Decretorum, quem Meratus exhibuit, *part. 2. tom. 1. num. 400.* ubi hæc leguntur verba: *Crux parva cum Imagine Crucifixi poſita ſuper Tabernaculum, in quo aſſervatur incluſum Sanctiſſimum Sacramentum in Altari, non eſt ſufficiens in Miſſa, ſed poni debet alia Crux in medio Candelabrorum.*

Quarto loco diſputatur, utrum Crucifixus inter Candelabra collocandus videatur, cum Sacrum peragitur in eo Altari, ubi Divina Euchariſtia non includitur Tabernaculo, ſed publicæ Fidelium venerationi exponitur. Id neceſſarium eſſe putavit Sacrorum Rituum Congregatio *die 14. Maji anno 1707.* Hoc enim petitum fuerat: *An ſuper Altare, in quo Sanctiſſimum Sacramentum expoſitum eſt, Crux de more collocari debeat.* Sic autem reſponſum eſt: *Nunquam omittendam Crucis cum Imagine Crucifixi appoſita collocationem.* Porro quum Nos ipſi tunc in Minoribus conſtituti Coadjutorem Promotoris Fidei gerentes, ipſius loco eidem Congregationi præſentes adfuerimus, adhuc memoria retinemus, in illa ſententia ferenda varia fuiſſe, ac diſcrepantia ſuffragia, cautumque deinde fuiſſe, ne ipſa ſententia in lucem ederetur. Itaque res iterum deducta eſt in examen initio Pontificatus Noſtri *die 2. Septembris anno 1741.* in eadem Congregatione Sacrorum Rituum, quæ poſtquam omnia diligenter, accurateque perpendit, decrevit, ut quælibet Eccleſia morem, & inſtitutum, quod antea ſervaverat, impoſterum quoque retineret. Et quidem pro Cruce ab Altari removenda, dum Miſſa in eo celebratur, & ſuper eo publicæ venerationi Euchariſtia expoſita eſt, parum urget, quod nonnulli aſſerunt, indecens eſſe, ut Chriſti Imago in eo loco ſit, in quo Chriſtus ipſe ſub ſpecie panis realiter præſens eſt, & ab omnibus ſub eadem ſpecie panis videtur: id quippe prorſus contingit, quoties Sacerdos in quolibet Altari rem Divinam faciens, materiam Euchariſtiæ conſecravit; nec enim Eccleſia unquam decernendum putavit, ut, peracta Conſecratione, Crux ab Altari removeatur. Quemadmodum nec aſſerentibus Crucem neceſſario eſſe debere in Altari, in quo expoſitum eſt Sacramentum publicæ venerationi, ſi in eo Miſſa celebretur, quidquam prodeſſe poteſt, quod in publica Euchariſtiæ expoſitione ſignificetur triumphus, & gloria Salvatoris: in Miſſæ autem Sacrificio ejuſdem mors repræſentetur, cum Eccleſia, tam in actione Miſſæ, in qua Euchariſtia conſecratur, quam in concluſione precum, quæ coram eadem jam conſecrata, & Fidelium venerationi palam expoſita recitantur, una, eademque Collecta æque utatur, quam S. Thomas Aquinas confecit, nimirum: *Deus, qui nobis ſub Sacramento mirabili Paſſionis tuæ memoriam reliquiſti, tribue, quæſumus, ita nos Corporis, & Sanguinis tui ſacra Myſteria venerari, ut redemptionis tuæ* (hoc eſt paſſionis, ac mortis) *fructum in nobis jugiter ſentiamus.* Quæ cum ita ſe habeant, Rituumque Interpretes, & Scriptores, ob ea, quæ mox relata ſunt, in varias abierint ſententias, ſatis commendari non poſſunt ea, quæ prudenter, ſapienterque decreta fuerunt a prædicta Sacrorum Rituum Congregatione, nempe, ut quælibet Eccleſia, vel Diœceſis ſuam retineat conſuetudinem; ita ut nihil immutetur in ea Diœceſi, ubi Crux in Altari conſtitui ſoleat, dum Miſſa celebratur, etiamſi Sacra Euchariſtia publice proſtet: neque nova diſciplina excitetur in ea Diœceſi, ubi contraria hujuſce rei conſuetudo jampridem invaluerit.

Hæc omnia diligenter expoſuimus, non quidem ut hac de re plenum, juſtumque tractatum adornaremus, ſed ut ex eis cognitum eſſet, atque perſpectum, quam alienum ſit a Sacris Ritibus id, quod plures temere, & inconſulto peregerunt, nempe, ut Sacrum facerent ad Altaria, in quibus Crux haud promineat inter Candelabra, ſed exiguus tantum Crucifixus præfigatur Tabulæ alicujus Sancti, qui vel depictus, aut cælatus majori Tabulæ Altaris adjungi conſuevit.

Si etenim, juxta Rubricas Miſſalis, Crux inter Candelabra ſtatuenda eſt; ſi, juxta Cæremoniale Epiſcoporum, Crux ipſa cum Imagine Crucifixi Candelabris ſupereminere debet; ſi, juxta ſenſum Congregationis Sacrorum Rituum, non ſatis eſſe judicatus exiguus Crucifixus Tabernaculo infixus, cum Miſſa celebratur ad Altare, ubi Pyxis cum Sacris Particulis in Tabernaculo includitur; ſi in præſenti non agitur de Altari, in cujus Tabula Imago Salvatoris Crucifixi primo loco Fidelibus exhibeatur, nec minus de Altari, in quo Sacra Euchariſtia publice adoranda propoſita ſit; nemo eſt, qui non videat, praxim, de qua agitur, recentes inductam, proprioque marte a privatis perſonis uſurpatam, ex ſupradictis dicendam eſſe omnino improbatam; eoque magis, cum ex exiguo Crucifixo, qui præfigitur Tabulæ ejus Sancti, qui Altari ſuperadditur, ea profecto utilitas non conſequitur, quam proponit Eccleſia, dum Crucem inter Candelabra collocandam decernit. De hac re præclariſſimus Vir Card. Bona ita ſcriptum reliquit *Rerum Liturgicarum lib. 1. cap. 25. num. 8. Ab aſpectu ſiquidem Crucis Sacerdoti celebranti Paſſio Chriſti in memoriam revocatur, cujus Paſſionis viva imago, & realis repræſentatio hoc Sacrificium eſt, mortem cruentam Salvatoris noſtri incruente exprimens; tanquam idem Sacrificium, quod in Cruce oblatum eſt, quamvis diverſo modo offeratur.* His poſtremis verbis indicatur orthodoxa doctrina, quam Tridentina Synodus declaravit *ſeſſ. 22. de Sacrificio Miſſæ cap. 2.*

Itaque Vos omnes, Venerabiles Fratres, ad quos hæc Apoſtolica ſcripta dirigimus, curam magnopere impendite, ne veſtras in Diœceſes irrepat conſuetudo, quam ſuperius explicavimus; quod ſi jam ipſa invaluerit, humanitatem prius, ac deinde ſeveritatem, ſi opus fuerit, adhibentes, illam penitus convellite. De Sacrificio Miſſæ res agitur, ideoque nemo veſtrum ignorat, a Tridentino Concilio eam tribui auctoritatem Epiſcopis, & Ordinariis Locorum, ut etiam, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, corrigere valeant pravas conſuetudines, quæ Ritui Miſſæ celebrandæ adverſantur. Ita clare deſumitur *ex ſeſſ. 22.* in Decreto *de obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſa.* Neque Vos latet, nullum eſſe privilegium, aut immunitatem, quæ delinquentibus in hac re ſuffragari poſſit, ut veſtra ab auctoritate, pœniſve per Vos irrogatis vindicentur. Idem ſæpius confirmavit Sacra Congregatio Tridentini Concilii Interpres, Decreto inhærens ejuſdem Synodi, quod paullo ante memoravimus. Id Fagnanus teſtatur ad *Cap. Grave, n. 46. de officio Ordinarii,* his verbis: *Et generaliter hoc Decretum* (de quo ſuperius dictum eſt) *cenſuit Sacra Congregatio comprehendere etiam Regulares, quantumvis exemptos, eoſque ea omnia, quæ ab Ordinariis Locorum circa obſervanda, & evitanda in Miſſarum celebratione ſtatuta fuerint, omnino ſervare teneri, ad idque etiam pœnis, & cenſuris Eccleſiaſticis ab iiſdem Ordinariis cogi, & compelli poſſe.* Nos quidem his Litteris eamdem auctoritatem, qua jam præditi eſtis, iterum Vobis confirmamus. Illud monendum ſupereſt, eam Nobis mentem haud eſſe, ut Imagines Sanctorum, quæ majori Tabulæ Altaris ſuperadditæ ſunt, de medio auferatis, cum fortaſſe deſituri non eſſent invidi, qui ut pietati veſtræ maculam inurerent, in vulgus diſſeminarent, Vos nulla duci religione in eum Sanctum, cujus Imaginem Fidelium venerationi ſubducitis. Illud Vobis præcipimus, ut nullo modo patiamini, rem Divinam fieri ad hujuſmodi Altaria, niſi Crucifixus inter Candelabra ita promineat, ut Sacerdos celebrans, & Populus Sacrificio aſſiſtens eumdem Crucifixum facile, & commode intueri poſſint; quod evenire nequit, ſi exigua ſolum Crux minori Tabulæ defixa Fidelibus exhibeatur. Si ejuſmodi corruptela in Diœceſim non valde propagata eſt, facile extingui poterit, ſi privatim Regulares, aut Sæculares Eccleſiarum Superiores de hac re moneantur: ſin autem late per Diœceſim invaluerit, tunc a Vobis Edictum neceſſario promulgandum erit, quod his Noſtris Litteris conformetur. Plura ſcribere Vobis prætermittimus, quos prudentiæ, ac doctrinæ laude ſatis præſtantes exiſtimamus. Auctoritatem Noſtram, ut rem perficiatis, & quoties opus fuerit, Vobis petentibus nunquam defuturam pro certo habeatis. Interim Fraternitatibus Veſtris, & Populis curæ veſtræ commendatis, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur.

BULLA DUODECIMA.

Indultum celebrandi tres Miſſas in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, pro Regnis, & Dominiis Hiſpaniarum, & Portugalliæ.

Extat hæc Bulla in Tomo II. num. LXI. data vero fuit die 26. Auguſti an. 1748 Pontificatus autem anno IX.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

QUod expenſis omnium rationum momentis, & graviſſimis ſuffragiis virorum dignitate, pietate, ac ſapientia inſignium concurrentibus, alias a Nobis decretum eſt, id, ut ſolemnioribus Apoſtolicæ auctoritatis Noſtræ documentis confirmatum, quemadmodum eſt hoc in more poſitum, laudabilique Prædeceſſorum Noſtrorum Romanorum Pontificum inſtituto commendatum, majori cum obſervantia debitæ executioni mandetur; novo Apoſtolicæ confirmationis Noſtræ patrocinio communire exoptamus. Sane nuper edidimus Decretum tenoris ſequentis: BENEDICTUS PAPA XIV. Cum Nobis Chariſſimus in Chriſto Filius Noſter Ferdinandus VI. Hiſpaniarum Rex Catholicus enixam, piamque petitionem exhibere feciſſet, ut quæ diſciplina viget in ſuo Aragoniæ Regno, (cujus appellatione tum ipſa Aragonia, tum etiam Valentiæ, Cataloniæ, & Majoricæ Ditiones comprehenduntur) ut ſcilicet in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum quilibet Sacerdos Sæcularis duas, Regularis autem tres Miſſas celebrare poſſit; eadem ad cætera quoque Regna, & Dominia eidem Ferdinando Regi ſubjecta auctoritate noſtra extenderetur; cumque eodem fere tempore Chariſſimus quoque in Chriſto Filius Noſter Joannes V, Portu-

Digitized by Google

Portugalliæ, & Algarbiorum Rex Illuſtris ſimilem inſtantiam apud Nos promoveri feciſſet, ut nempe in omnibus Regnis, atque Dominiis ſibi ſubjectis, cuilibet Sacerdoti tam Sæculari, quam Regulari, facultas per Nos fieret tres Miſſas præfato die celebrandi: Nos quidem hujuſmodi petitionum gravitatem penſantes, ac memores ſimilium poſtulationum, quæ aliis Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus Noſtris parum felici exitu exhibitæ fuerunt, neceſſarium omnino putavimus totam rei ſummam maturo examini ſubjicere. Quamvis minime hoſpites in ea Nos reputare poſſemus; ſiquidem olim ipſius momenta, pro Officio, quod tunc gerebamus, Secretarii Congregationis S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini executioni, & interpretationi propoſitæ, diligenter Nobis expendenda fuerunt; cumque etiam hac de re plura ſcripſerimus in Noſtro Opere *de Feſtis Domini part.* 1. *pag.* 247. item in Tractatu *de Sacrificio Miſſæ ſect.* 2. *pag.* 169. juxta editionem Patavinam, & in una ex Inſtitutionibus Paſtoralibus pro Noſtro Bononienſi Clero, Populoque editis, quæ eſt XXXVI. in Latina verſione Romæ impreſſa *pag.* 184. *&* 186. ac demum in Noſtris Litteris ad Epiſcopum Oſcenſem datis die 14. Martii anni 1746., quæ jam ſeorſim Typis vulgatæ, in Bullarii Noſtri Tomo II. propediem edendo locum habebunt.

Sane cum Nos in Minoribus conſtituti, præfatæ Congregationi Concilii, ut ſupra diximus, a Secretis eſſemus, oblatuſque fuiſſet ſupplex Libellus, in quo ex parte clar. mem. Philippi V. Hiſpaniarum Regis idipſum ſtudioſiſſime petebatur, quod nunc a Ferdinando Rege ipſius filio iterum petitur; Officii Noſtri eſſe putavimus, inſtantiam hujuſmodi majori cum apparatu, quemadmodum Catholici Regis dignitas poſtulabat, Congregationi repræſentare. Idcirco peculiaris Diſſertatio a Nobis elucubrata fuit, quæ inſerta eſt in conſueto folio Relationis Cauſarum, quod a Secretario confici, & ſingulis Cardinalibus tradi conſuevit; in qua primum Diſſertatione rem ipſam accuratiſſime pro viribus expoſuimus, neque omiſimus originem inveſtigare illius diſciplinæ, quam diximus in Aragoniæ Regno vigore; deinde nonnullas in contrarium indicavimus reſolutiones, quæ alias ad hujuſmodi poſtulata prodierant. Tum aliam memoravimus petitionem, quæ olim pro Portugalliæ Regnis facta fuerat Prædeceſſori Noſtro Clementi Papæ IX. ut trinas liceret Miſſas in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum celebrare, de qua tamen ob immaturam Pontificis mortem nihil decretum fuit. Quibus omnibus addidimus, quod, cum hoc idem ab Hiſpaniarum quondam Rege Philippo IV. pro omnibus tam Sæcularibus, quam Regularibus Regnorum ſuorum Sacerdotibus poſtulatum fuerit, vel ſaltem poſtulandum fuiſſe non ignoraretur; ideoque plura rationum, factorumve monumenta, pro hujuſmodi conceſſione impetranda, collecta tunc fuiſſe conſtaret; Nobis datum non fuerat hujuſmodi Collectiones ad cauſam maxime opportunas reperire, ut videre eſt in folio pro Congregatione diei 11. Maji anni 1722. a Nobis conſcripto, quod nunc in Theſauro Reſolutionum præfatæ Congregationis Concilii *Tom. II. pag.* 169. *& ſeq.* impreſſum reperitur. Cum autem bon. mem. Ludovicus Cardin. Belluga Congregationi prædicta die habitæ interfuiſſet, meminimus ipſum de noſtra Diſſertatione favorabiliter loquutum, in noſtram quoque ſententiam deveniſſe, ut neceſſarium putaret allegationes illas tempore Philippi IV. adornatas inſpicere, ipſumque in ſe recepiſſe, ut ipſas diligentiſſime conquiri curaret. Quapropter Reſcriptum prodiit: *Non propoſita*: eoque Reſcripto factum eſt, ut Inſtantia tunc quidem pro rerum circumſtantiis minime admiſſa cenſeretur, non tamen omnino, & perpetuo rejecta; quin potius relictus fuerit locus ulteriori rationum, atque factorum examini, ſi quæ aliquando ad ipſam petitionem magis juvandam deducerentur.

Cum itaque nunc ad Nos ipſos in Apoſtolica Sede, inſcrutabili Dei judicio, collocatos præfatæ petitiones, jamdudum deſertæ, inſtantibus præfatis Chariſſimis in Chriſto Filiis noſtris, delatæ fuerint; omnia, quæ ad plenam rei cognitionem, quomodocumque pertinerent, colligi mandavimus, quæque olim deſiderata ſunt, in lucem proferri. Ut autem nihil ſine aliorum prudenti conſilio ſtatueremus, peculiarem delectorum Virorum Congregationem ad negotii hujus examen deputavimus; in qua adſcriptos voluimus Venerabilem Fratrem Noſtrum Antonium Xaverium Epiſcopum Præneſtinum S. R. E. Cardinalem *Gentili* nuncupatum, prædictæ Congregationis Concilii Præfectum, Dilectoſque Filios Noſtros ejuſdemque S. R. E. Cardinales Preſbyteros, Sylvium *Valenti* Congregationis de Propaganda Fide Præfectum, Carolum Albertum *Cavalchini* Præfectum item Congregationis ſuper negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium, Fortunatum *Tamburrini* Præfectum Congregationis Sacrorum Rituum, & Joachimum *Beſozzi* Majorem Pœnitentiarium; ac præterea Venerabilem Fratrem *Sylveſtrum Merani* Epiſcopum Porphyrienſem, Apoſtolici Sacrarii Præfectum, quem peculiaris hujuſce Congregationis Secretarium declaravimus; ac Dilectos Filios, Magiſtrum *Ludovicum Valenti* in utraque Signatura noſtra Referendarium, Protonotarium Apoſtolicum, & Fidei Promotorem, Fratrem *Michaelem a S. Joſeph* Priorem Generalem Ordinis Diſcalceatorum Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, *Cæleſtium Orlandi* Procuratorem Generalem Congregationis Monachorum Cœleſtinorum, *Joannem Andream Onofrii* Ordinis Eremitani S. Auguſtini Procuratorem Generalem, *Thomam Sergium* Presbyterum Congregationis Piorum Operariorum, S. Inquiſitionis Conſultorem, & Præfectum Studiorum in Collegio Urbano de Propaganda Fide, Fratrem *Joachinum Pucci* Ordinis Prædicatorum Magiſtrum, Epiſcoporum, & Cleri Romani Examinatorem, *Dominicum Turanum* Societatis Jeſu Presbyterum, Apoſtolicæ Pœnitentariæ Conſultorem Theologum, & *Ægydium Giuli* ejuſdem Societatis Presbyterum, alterum Examinatorem Epiſcoporum, & Sacrorum Canonum Profeſſorem in Collegio Germanico-Hungarico ad S. Apollinarem. His omnibus, & ſingulis exhiberi mandavimus quæcumque ad cauſam pertinebant, eaque potiſſimum, quæ nuper reperta ſunt, ſed in præcedentibus propoſitionibus exhibita non fuerant; quæ omnia juſto volumine comprehenſa typis edita ſunt Romæ hoc anno 1748., datoque aliquot menſium ſpatio, quo res accurate perpenderetur, juſſimus, ut ſinguli ſententiam ſuam ſcripto traditam, ac ſigillo obſignatam ad Nos tranſmitterent: quæ omnia diligentiſſime ſunt peracta.

Denique Nos ipſi aliorum laboribus laborem noſtrum, privataque ſtudia noſtra eorum ſtudiis adjunximus; & inſpectis, libratiſque tum novis documentis, tum ipſorum Conſultorum ſuffragiis, (ex quibus, cum quatuordecim numero fuerint, duo duntaxat petitionem rejiciendam eſſe, reliqui vero duodecim Indultum concedi poſſe cenſuerunt) omnibus rite, ac mature penſatis, invocato etiam Divini Luminis adjutorio, piis, ac religioſis precibus dictorum Chariſſimorum in Chriſto Filiorum Noſtrorum Ferdinandi VI. Hiſpaniarum Catholici, & Joannis V. Portugalliæ, & Algarbiorum Regum Illuſtrium libenter annuentes, omnibus, & ſingulis in eorum Regnis, atque Dominiis actu commorantibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus Sacerdotibus nunc exiſtentibus, ac pro tempore futuris, quamdiu in prædictis Regnis, atque Dominiis moram traxerint, & non alias, facultatem perpetuis futuris temporibus duraturam concedimus, & impertimur, ut ſingulis annis die ſecunda Novembris, ſeu die ſequenti, juxta Rubricas Miſſalis Romani, qua nempe Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum ab Eccleſia Univerſali recolitur, tres Miſſas ſinguli celebrare poſſint, & valeant, contrariis quibuſcumque Conſtitutionibus, Litteris, Regulis, Ritibus, & Conſuetudinibus minime obſtantibus.

Novimus ſane, inter Scriptores rerum Moralium non ſatis convenire, an Sacerdotibus celebrantibus Miſſam pro Defunctis, juxta prædictas Rubricas, in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, liceat hujuſmodi Miſſæ fructum medium, quem vocant, alicui peculiari Defuncto applicare; an vero pro omnibus omnino Defunctis Fidelibus illum applicare teneantur. Utcumque autem ſe res habeat de hac controverſia, Nos eos quidem, quibus in Aragoniæ Regno licitum erat ante hoc Noſtrum Indultum duas, vel tres reſpective Miſſas prædicta die celebrare, hortamur in Domino, ut earum fructum medium omnibus in Chriſto quieſcentibus applicent. His vero, qui in poſterum hujus Indulti vi, aut tertiam in eodem Regno Miſſam, aut ſecundam, & tertiam in aliis Regionibus, ad quas hoc idem Indultum extenditur, celebraturi ſunt, diſtricte jubemus, atque præcipimus, ut earum fructum medium non quidem alicui peculiari Defuncto, ſed in ſuffragium omnium Fidelium Defunctorum omnino applicent; expreſſe declarantes, hanc eſſe Noſtram mentem, & voluntatem: neque Nos alias, abſque hujuſmodi lege, & conditione, hoc ipſum Indultum unquam conceſſuros fuiſſe.

Scimus etiam, antiquis, juſtiſque titulis innixum eſſe uſum, quo ſolent Presbyteri Eleemoſynam accipere pro celebrandis, ſive pro applicandis Miſſis; juxta offerentium mentem; qua de re late diſſeruimus in Noſtra *Inſtitutione Eccleſiaſtica LVI.*, fuſius autem in Opere nuperrime vulgato *de Synodo Diœceſana lib.* 5. *cap.* 8. *&* 9. An vero, cum retroactis temporibus in Regno Aragoniæ duæ Miſſæ a Sacerdotibus Sæcularibus, tres autem a Regularibus in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum celebrarentur, duplex quoque ab illis, ſeu reſpective triplex eleemoſyna acciperetur, id ignoramus; ſed facile credimus id uſitatum fuiſſe, cum ubique fere receptum ſit, ut in ſolemnitate Nativitatis Domini pro tribus Miſſis tria recipiantur charitativa ſtipendia. Ideoque de illis, qui ante hoc tempus in Aragoniæ Regno duas, vel tres reſpective Miſſas prædicta die celebrantes, duas, vel tres eleemoſynas accipiebant, nihil innovandum cenſemus. Iis vero, qui impoſterum in eodem Regno tertiam Miſſam vigore præſentis Indulti celebrabunt, juſtis de cauſis, ac ſub pœnis inferius dicendis, diſtricte prohibemus, ne pro ipſa Miſſa ullam eleemoſynam accipere præſumant; ſicut etiam iis, qui in aliis locis hoc eodem Indulto comprehenſis, ſecundam, tertiamque Miſſam celebrabunt,

ſimili

ſimili ratione, ac ſub iiſdem pœnis præcipimus, atque jubemus, ut nonniſi unam accipiant eleemoſynam, videlicet pro prima Miſſa dumtaxat, & in ea tantum quantitate, quæ a Synodalibus Conſtitutionibus, ſeu a Loci conſuetudine regulariter præfinita fuerit; decernentes nullam omnino cauſam, nullumque prætextum, aut obtentum, ad declinandam hujus præcepti Noſtri obſervantiam ſuffragari poſſe, ne voluntariam quidem Fidelium oblationem; nam nec a ſponte dantibus quidquam recipi poſſe ſtatuimus; nec alium quemcumque colorem, quod nempe eleemoſyna detur pro celebratione, non autem pro applicatione Miſſæ; aut quod applicatio facienda ſit pro omnibus Fidelibus Defunctis, ſive quod offerentes cupiant ipſo dumtaxat oblationis merito Defunctos juvare; hi enim poterunt per alia pia opera, ſive per alias eleemoſynas in alios quoſcumque, quam in Sacerdotem, eique conjunctos, erogandas, Defunctorum Animabus ſuffragari. Non item gravem indigentiam, aut paupertatem Sacerdotis celebrantis, aut Eccleſiæ, aut Cœnobii; quibus nimirum aliisquibuſcumque rationibus ſubveniendum erit: nec magnam copiam eleemoſynarum, quæ congeſtæ fuerint pro Miſſis celebrandis ipſa die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, quibuſque aliter ſatisfieri non poſſit; cum minime liceat eleemoſynas accipere pro Miſſis; quæ celebrari nequeunt intra tempus ab offerentibus, aut a legibus præfinitum: neque porro Miſſarum onera non adimpleta, pro quibus eleemoſynæ jam receptæ, aut attributi reditus jam percepti fuerint; Nos enim nolumus hujuſmodi onera impleri per celebrationem Miſſarum, quæ Indulto noſtro permittuntur: neque demum legem fundationis jam factæ, aut in poſterum faciendæ cum augumento eleemoſynæ pro ſecunda, & tertia Miſſa, cum Nos hujuſmodi fundationes, ſive factas, ſive faciendas, etiam ex nunc, prout ex tunc, & e contra, hac in parte nullas, & irritas eſſe, & fore decernamus. In ſumma volumus, & ſtatuimus, hujuſmodi Miſſas de novo conceſſas omnibus in communi Fidelium Defunctorum Animabus, abſque ulla prorſus eleemoſynæ perceptione, applicari; contrafacientes autem pœnam ſuſpenſionis a Divinis ipſo facto incurrere decernimus, ejuſque relaxandæ facultatem Nobis, & Succeſſoribus Noſtris Romanis Pontificibus expreſſe reſervamus. Hanc vero facultatem communicavimus Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ſive aliis Locorum Ordinariis, ut auctoritate Noſtra Apoſtolica, & tamquam Apoſtolicæ Sedis Delegati, ubi ſic expedire prudenter in Domino judicaverint, eadem canonice utantur erga quoſcumque præcepti hujus Noſtri violatores, qui ad ipſos humiliter recurſum habuerint, ſive Sæculares, ſive Regulares, ſive alio quocumque modo ab eorum Juriſdictione exemptos, hac tamen appoſita lege, ut incurſam hujuſmodi ſuſpenſionem numquam relaxare valeant, niſi prius eleemoſynas a delinquentibus ratione prædictarum Miſſarum perceptas, ab ipſis reipſa receperint; quas ipſi Ordinarii in alios pios uſus (non tamen in ſubventionem eorumdem Sacerdotum, aut perſonarum ipſis vel ſanguine, vel neceſſitudine conjunctarum, aut in eorumdem Cœnobiorum, Domorum, & Eccleſiarum utilitatem, quantumvis ipſi, aut perſonæ, Cœnobia, Domus, & Eccleſiæ hujuſmodi notoria paupertate laborarent) arbitrio ſuo erogare debebunt. Sciant tamen, quod facultas hujuſmodi, quam ad relaxationem ſuſpenſionis eo modo incurſæ iiſdem delegamus, nequaquam extenditur ad diſpenſationem ab irregularitate, in quam inciderent, qui poſt ſuſpenſionem, ut præfertur, incurſam, in Sacro Altari miniſtrare præſumerent; hujus enim diſpenſationis concedendæ facultatem Nobis, & Succeſſoribus Noſtris Romanis Pontificibus privative, & perpetuo reſervamus.

Ad hunc igitur ſolum, & unicum finem, ut in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, multiplicatis Eccleſiæ Militantis ſuffragiis, piorum Animæ in Purgatorio detentæ ſubleventur, omnibus tam e Sæculari, quam e Regulari Clero Sacerdotibus in Regnis, atque Dominiis duorum prædictorum Regum Ditioni ſubjectis, nunc, & in poſterum pro tempore exiſtentibus, concedimus, & indulgemus, ut prædicta die tres Miſſas ſinguli celebrare poſſint, & valeant. In quo ſicuti prædictorum Conſultorum concordibus fere ſententiis, conſiliiſque adhæſimus, ita a piæ Matris Eccleſiæ ſpiritu nequaquam diſceſſiſſe Nos arbitramur. Siquidem animadvertimus, minime alienam fuiſſe Eccleſiam a permittenda Sacerdotibus Miſſarum iteratione in unico die, ubi de juvandis Defunctorum Animabus ageretur, & quidem etiam poſtquam defierat vetus illa diſciplina, de qua infra ſermo erit, qua ſcilicet Sacerdotibus licebat pluries in die rem Divinam peragere, ac poſt latam legem de unica tantum Miſſa, præterquam in die Natalis Domini, ab unoquoque Sacerdote celebranda.

Noſtra hæc diſciplina a Prædeceſſoribus Noſtris Innocentio III., & Honorio III. Romanis Pontificibus ſtabilita fuit, quorum hac de re leges extant in libris Decretalium, titulo *de celebratione Miſſarum*; Innocentii quidem in Cap. *Conſuluiſti*; Honorii vero in Cap. *Te referente*. Cum autem Innocentius in cit. Cap. hæc verba poſuiſſet: *Excepto die Nativitatis Dominicæ, niſi cauſſa neceſſitatis ſuadeat*; non ſolum Gloſſa Canonica eidem Capitulo appoſita hujuſmodi neceſſitatis cauſſam tunc fore dicit, cum celebranda ſit Miſſa pro aliquo recens defuncto; ibi: *ſed quam dicit neceſſitatem? Reſpondeo: ſi celebravit de die, & poſtea etiam moriatur aliquis*. Verum etiam in Synodo Oxonienſi, poſt ipſius Innocentii obitum, ſedente jam Honorio III., celebrata, decretum videmus, ut ſi Defuncti corpus Eccleſiaſticæ ſepulturæ mandandum exiſtat, Sacerdos duas Miſſas eodem die celebret, unam de Officio diei, aliam pro Defunctis, ut videre eſt in Collectione Conciliorum Angliæ Londini edita anno 1737. *Tom. I. pag.* 586. *numer.* 7. Idque etiam diſtinctius in aliis Conciliis traditum invenitur, a quibus præſcriptum eſt, ut Sacerdos in prima Miſſa purificationem non ſumat, utque tunc ſolum ſecunda Miſſa pro Defunctis ab eodem Sacerdote celebretur, quando cadaveris præſentia occurrat die Dominico, ſeu alio die Feſto, nec alius adſit Sacerdos, qui hujuſmodi ſecundam Miſſam celebrare poſſit, quemadmodum habetur in Conſtitutionibus Sodorenſibus anno 1291. conditis *capit.* 36. in eadem Anglicana Collectione *Tom. II. pag.* 179.: itidemque in Concilio Rotomagenſi habito anno 1231. *numer.* 14. *in Collect. Harduini Tom. VII. pag.* 186. *& ſeqq.* Qua de re Nos ipſi olim egimus in Noſtra Inſtitutione Eccleſiaſtica XXXVI. *pagin.* 186. Neque vero hæc in præſenti a Nobis commemorantur, quaſi nunc etiam, præſente cadavere, duæ Miſſæ ab eodem Sacerdote celebrari poſſint; cum, juxta hodiernam diſciplinam, liceat Presbytero, relicta Miſſa de die, Miſſam pro Defuncto, ſi præſens ſit corpus, cum cantu celebrare, niſi tanta fuerit diei ſollemnitas, quæ Miſſam pro Defunctis omnimode excludat. Sed ideo hæc dicta ſunt, ut appareat, quam propenſa fuerit Eccleſia ad permittendam Miſſarum iterationem, quantumvis generaliter interdictam, ubi de procurandis Fidelium Defunctorum ſuffragiis ageretur. Quo nempe ſpiritu Nos etiam adducti, Miſſarum Sacrificia in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum a ſingulis prædictorum Regnorum, atque Ditionum Sacerdotibus ter celebrari poſſe conceſſimus.

Sed duæ aliæ præterea cauſſæ, eæque ſatis graves, ad id concedendum Nos impulerunt. Prima eſt, quod cum antiquiſſima ſit in Regno Aragoniæ conſuetudo, ut prædicta die tres Miſſæ a Sacerdotibus Regularibus, duæque a Sæcularibus celebrentur; eaque non modo numquam reprobata fuerit, ſed etiam a Prædeceſſore Noſtro Julio III. aut Paulo III. vivæ vocis oraculo confirmata aſſeratur, (ut jam olim adnotavimus in folio pro Congregatione Concilii a Nobis, ut ſupra diximus, exarato) utpote quæ nec Divino, nec Naturali Juri contraria, ſed ſolum a Jure communi Eccleſiaſtico vetita dignoſcitur; cumque conſtet eamdem conſuetudinem non ſolum in Regno Aragoniæ proprie dicto, atque in alio Valentiæ, & in Comitatu Cataloniæ, ſed etiam in Regno Majoricæ longius diſſito, tamquam ipſius Aragoniæ Regni Appendice, viguiſſe, & vigere; utique nec novam omnino rem, nec in exemplum alibi trahendam Nos feciſſe cenſemus, dum hujuſmodi conſuetudinem, ſive ritum, auctoritate Noſtra extendimus ad alia Regna, & Dominia eidem Hiſpaniarum Regi ſubjecta, atque inſuper ad ea, quæ alteri quidem Principi, nimirum Luſitaniæ Regi parent, ſed magna ex parte finitima, & proxima ſunt prædictis Hiſpanici Regis Ditionibus. Regula quippe canonica eſt, ut in Regionibus conterminis, atque inter ſe proximis, rituum, ac diſciplinæ uniformitas ſtatuatur, atque ſervetur. Unde etiam Prædeceſſor Noſter S. Siricius Pontifex Maximus, cum ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſem ſcripſiſſet de variis Eccleſiaſticæ diſciplinæ capitibus, de quibus ille S. Damaſum ipſius Deceſſorem conſuluerit, eidem mandavit, ut Apoſtolica reſcripta non ſolum cum Provincialibus ſuis communicaret, ſed ea etiam tranſmitteret *ad Carthaginenſes, ac Bæticos, Luſitanos, atque Gallæcos*.

Alteram vero cauſſam, eamque plurimi apud Nos momenti cum magno paterni animi noſtri gaudio, Nobis ſuppeditavit enixum ſtudium duorum Cariſſimorum in Chriſto Filiorum Noſtrorum Hiſpaniæ, & Luſitaniæ Regum, tantis in Eccleſiam promeritis illuſtrium, qui unico, & ſincero devotionis inſtinctu acti, nec retardati ob parum felicem exitum ſimilium petitionum, quas a Prædeceſſoribus ſuis propoſitas fuiſſe noverant, iſtorum pietatis heredes erga Fidelium Animas purgatorio igne cruciatas ſeſe profeſſi ſunt, auctoreſque ſe præſtiterunt, ut in earum levamen, recurrente quotannis generali Fidelium Defunctorum Commemoratione, in ſuis reſpective Regnis, atque Dominiis ſuffragia multiplicarentur. Quapropter Magni Prædeceſſoris Noſtri S. Gregorii Papæ verba, quæ is ad Brunichildem Francorum Reginam conſcripſit (*Epiſt.* 50. *lib.* 6. ipſius Operum *Tom. II. pag.* 858.) jure, ac merito ad prædictos Reges transferre Nos poſſe cenſemus: *Epiſtolarum veſtrarum ſeries, quæ religioſum animum, & piæ mentis ſtudium continebat, non ſolum voluntati veſtræ fecit Nos laudare propoſitum, ſed etiam libenter invitavit poſtulata concedere*. Tum etiam ea, quæ alter rec. mem. prædeceſſor Noſter Innocentius Papa III. ad

Regem Caſtellæ ſcripſit (*Epiſt.* 154. *lib.* 14.) *Cum Perſonam tuam inter Catbolicos Reges ſpeciali diligamus in Domino caritate, in bis, quæ ſecundum Deum requiris a Nobis, favorem tibi Apoſtolicum libenti animo impertimur*; atque alia, quæ idem (*Epiſt.* 24. *lib.* 15.) ſcripſit ad Regem Luſitaniæ: *Æquum eſt autem, ut quos ad Populi regimen, & ſalutem diſpenſatio cæleſtis eligit, Apoſtolica Sedes ſincero proſequatur affectu: & in juſtis poſtulationibus ſtudeat efficaciter exaudire*; eadem ſane præſentium Hiſpaniæ, ac Portugalliæ Regum pietati, ac dignitati mirum in modum congruere videntur. Quorum præterea conſimiles poſtulationes hac de re Nobis exhibitas, & parem pro Religione zelum, eximiumque Chriſtianæ Fidei in remotiſſimis etiam Regionibus propagandæ ſtudium, perſpicuis argumentis Nobis aſſidue comprobatum, dum læti ſuſcipimus, hæc etiam utrique ſimul aptanda cenſemus, quæ Noſter quoque Prædeceſſor S. Leo Magnus ad Theodoſium Auguſtum ſcribebat *Epiſt.* 22. *ipſius Operum Tom. I. pag.* 238. *Quantum præſidii Dominus Eccleſiæ ſuæ in fide Veſtræ Clementiæ præpararit, bis etiam litteris, quas ad me miſiſtis, oſtenditur, ut vobis non ſolum Regium, ſed etiam Sacerdotalem animum ineſſe gaudeamus. Siquidem præter Imperiales, & publicas curas, piiſſimam ſollicitudinem Chriſtianæ Religionis habetis*.

Quamvis vero antehac in Regno Aragoniæ Sacerdotibus Regularibus prædicta die tres Miſſas celebrantibus, Sæculares Presbyteri duas tantum celebrarent, Nos tamen æquum judicavimus, hos illis per omnia exæquare, ut eſſet inter ipſos Ritus uniformitas; quæ res in cauſſa fuit, ut in Eccleſia Catholica aliæ quoque diverſitates ſublatæ fuerint, quantumvis tolerabiliores videri poſſent. Ita cum in Gallias, regnante Carolo Magno, inductus fuiſſet, una cum Ordine Romano, ritus celebrandi tres Miſſas in die Natali Domini Noſtri Jeſu Chriſti, cum antea duæ tantum celebrari ſolerent; novum hunc ritum ſoli primum Epiſcopi adoptarunt, ac ſibi, ſuæque Dignitati proprium fecerunt; ſed poſtea, ad evitandam diſformitatem, hujuſmodi facultas ad omnes inferioris quoque Ordinis Sacerdotes extenſa fuit; quemadmodum a Nobis demonſtratum eſt in Tractatu *de Feſtis Domini part. I. pagina* 248.

Applicationem autem Miſſarum hoc Noſtro Indulto conceſſarum, tertiæ nimirum a Sacerdotibus Sæcularibus in Regno Aragoniæ, ſecundæ vero, ac tertiæ ab omnibus exiſtentibus in aliis Regionibus hoc Decreto comprehenſis, juſſimus fieri, non quidem pro aliquo peculiari Defuncto, ſed pro omnibus Fidelibus Defunctis in genere; tum quia id magis conſentaneum viſum eſt piæ, ac religioſæ menti duorum Regum hujuſmodi Indultum expetentium; tum quia Eccleſiæ ſpiritus id maxime poſtulabat. Siquidem conſtat generalem Commemorationem omnium Fidelium Defunctorum ſecundæ diei menſis Novembris affixam, uſque a Sæculo IX. ab Amalario Fortunato propoſitam, vertente autem Sæculo XI. a Beato Odilone Abbate pro omnibus Monaſteriis ſibi ſubjectis receptam, atque ab his demum, Prædeceſſoris Noſtri Joannis Papæ XIX. auctoritate, ad univerſam Eccleſiam propagatam fuiſſe; ea potiſſimum de cauſſa, ut poſt celebratam præcedenti die Feſtivitatem in honorem Sanctorum omnium cum Chriſto regnantium, omnium quoque Juſtorum Animæ in Purgatorio detentæ, ac cæleſtis gloriæ conſortium expectantes, generalibus Eccleſiæ ſuffragiis adjuventur. De hac re latius diſſeruimus in Opere, quod ſcripſimus in Acta nonnullorum Sanctorum, quorum Officia celebrantur in noſtra Bononienſi Civitate, ac Diœceſi, *in editione Patavina cap.* 22. Unde ſatis patet, quam juſta de cauſſa prædictas Miſſas non aliquibus peculiaribus Defunctis, ſed omnibus in communi Fidelibus in Chriſto dormientibus applicandas eſſe voluerimus.

Quam vero Nobis ſemper cordi fuerit, ut, juxta Sacrorum Canonum præſcriptum, a celebratione Sacroſancti Miſſæ Sacrificii omnem avaritiæ ſpeciem, omnemque ſordidi captandi lucri prætextum longiſſime arceremus, ſatis compertum eſſe putamus ex his, quæ tum in Archiepiſcopatus Bononienſis, tum in Supremi Pontificatus adminiſtratione, in hunc finem præſtitimus. Etenim inter Paſtorales Inſtitutiones Noſtras, præter *LVI.* in qua plures hac de re Eccleſiaſticæ diſciplinæ regulas demonſtravimus, & omnino obſervari præcepimus, adeſt etiam *XCII.*, in qua Sanctiſſimis Apoſtolicæ hujus Sedis Decretis inhærentes, pravam quamdam damnavimus conſuetudinem, qua contendebant nonulli, licitum eſſe Miſſas ita celebrare, ut earum fructum medium in anteceſſum applicarent pro iis, qui poſtea eleemoſynam offerendo illius applicationem expeterent. Inter noſtras vero Apoſtolicas Conſtitutiones *in Bullarii Noſtri Tom. I.* impreſſas, extant *XXII. & XXIII.*, quibus ſeveriſſime vetitum per Nos eſt, ne eleemoſynæ pro Miſſarum celebratione colligantur in iis locis, in quibus major eſt earum Taxa Synodalis, ut deinde Miſſæ alibi celebrandæ committantur, ubi hujuſmodi Taxa in minori quantitate ſtatuta eſt. In noviſſimo autem Tractatu Noſtro *de Synodo Diœceſana lib.* 5. *capit.* 8. *numer.* 9. & 10. alia complura ad hanc rem pertinentia ſtudioſe collegimus.

Ab hoc itaque tramite neutiquam recedendum Nobis eſſe judicantes, decrevimus ſupra, atque ſtatuimus, ut pro celebratione, aut applicatione Miſſarum hoc noſtro Indulto conceſſarum, nullum prorſus ſtipendium quocumque prætextu, aut colore accipi valeat; quod ut a Nobis in præſenti caſu decerneretur, ſpecialis quædam, & urgens ratio Nos impulit, præter generales haſce, quas paullo ante indicavimus. Perſpectum eſt enim omnibus in Eccleſiaſtica Hiſtoria paullum modo verſatis, plures olim fuiſſe dies polilyturgicos, quibus nimirum ſinguli Sacerdotes plus quam ſemel Miſſarum Sacrificia peragebant, ut erat, præter Natalem Domini, prima dies menſis Januarii, Feria V. in Cœna Domini, Vigilia Aſcenſionis, tres dies Jejunii infra Octavam Pentecoſtes, aliique dies Feſti nonnullorum Sanctorum memoriæ dicati, ut Nativitas S. Joannis Baptiſtæ, & Natalitium Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, de quibus Nos ipſi monumenta protulimus in Opere *de Feſtis D.N.J.C. part. I. pag.* 247.

Ut autem hujuſmodi conſuetudo generaliter tolleretur, & facultas celebrandi plures Miſſas uno die, ad ſolum diem Natalis Domini coarctaretur, non alia de cauſſa factum eſt, quam ut avaritiæ, & ſordidis quæſtibus adimeretur occaſio, vel ſaltem oblocutionibus ſilentium imponeretur; quæ ſcilicet ex eleemoſynis pro Miſſarum numero multiplicatis, aut ortum habuerant, aut oriri poſſe videbantur. Hunc eſſe proprium ſenſum Canonis *Sufficit*, *de Conſecrat. diſt.* I. jam demonſtratum per Nos eſt in Litteris ad Venerabilem Fratrem Epiſcopum Oicenſem datis, §. *Excepta*, & *ſequentibus*. Ideo autem ſcripta Noſtra in hoc Decreto frequenter in medium protulimus, ne quæ jam alibi a Nobis dicta ſunt, hic denuo explicare, & quæ alibi demonſtravimus, iterum rationibus comprobare cogeremur. Id vero, quod ſupra poſuimus, a duobus præterea Scriptoribus in Eccleſiaſticis rebus apprime verſatis aſſeritur. Eorum alter eſt Thomaſſinus in Opere *de veteri*, & *nova Eccleſiæ diſciplina part.* 3. *lib.* I. *cap.* 74. *numer.* 6. ubi poſt allatam Conſtitutionem Odonis Epiſcopi Pariſienſis, videlicet: *Nullus bis in die Miſſam audeat celebrare, aut cum duplici Introitu, niſi in magna neceſſitate*; hæc ſubdit: *Cum pecunia tunc ut plurimum ad Miſſam offerretur, binc avaritiæ ſpecies, vel ſuſpicio quædam iterationi Miſſarum affricabatur*. Alter eſt Vicecomes in Tractatu *de antiquis. Miſſæ Ritibus lib.* 3. *cap.* 28. *circa finem*, ubi poſtquam antiquam expoſuit diſciplinam, qua permittebatur Sacerdoti plures Miſſas in die celebrare, de ipſius diſciplinæ mutatione deinde ſic ait: *Abrogationis autem cauſſam, quantum equidem divinare poſſum, dedere nundinatores quidam, qui majoris pietatis materiam ad turpe lucrum detorquere non ſunt veriti, & fecerunt, ut libertas priſca ſaltem biſce Regionibus erepta ſit, ac deſierit*.

Si igitur multiplicitas Miſſarum, quæ Sacerdotibus olim pluribus per annum diebus permittebatur, ideo ſublata fuit, ut avaritiæ quæſtibus, aut obloquentium ſuſpicionibus obviam iretur, jure, ac merito Nos Indultum hoc Noſtrum, quo Sacerdotibus in præfatis Regnis, atque Dominiis commorantibus tres Miſſas in die Commerationis omnium Fidelium Defunctorum celebrare permiſimus, hujuſmodi expreſſa lege, atque diſtricta ſanctione communire debuimus, ut ne quis eorum pro Miſſis de novo conceſſis, ullum ſtipendii genus, quacumque de cauſſa, & quolibet prætextu, aut colore recipere poſſet.

His accedit, quod cum petitiones inſpexerimus ab aliquibus peculiaribus Epiſcopis Apoſtolicæ Sedi olim oblatas pro conceſſione celebrationis duarum, aut trium Miſſarum in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum; ſimulque contraria expenderimus Reſcripta tunc reſpective emanata; agnovimus prædictas petitiones huic potiſſimum rationi innixas fuiſſe, quod ſcilicet tanta eſſet eleemoſynarum copia, quæ ea die pro Miſſarum celebratione a piis Fidelibus offerebantur, ut aliter illis ſatisfieri non poſſe aſſererent, quam ſi facultas indulgeretur Sacerdotibus, ut plures Miſſas ea ipſa die celebrare poſſent: contra vero in rejiciendis iiſdem petitionibus, id maxime ſpectatum fuiſſe agnovimus, ne per hujuſmodi conceſſiones Ordo Sacerdotalis apud detractores in aviditatis ſuſpicionem, & infamiam adduceretur. Qua etiam de cauſſa Nos hanc conceſſionem Noſtram, prædicta lege adjecta, ſuſpicionibus hujuſmodi nullum locum præbere poſſe voluimus.

Hæc ſunt, quæ concedenda eſſe judicavimus, quæque de præmiſſorum conſilio, & Apoſtolica auctoritate Noſtra conceſſimus; atque hæc ſunt, quæ in hujuſmodi Indulti conceſſione præ oculis habuimus; quæque omnia exponenda duximus præſenti Decreto, quod a Nobis conditum, manu Noſtra ſubſcripſimus hac die 21. Auguſti Anni 1748. Anniverſaria Coronationis Noſtræ, ineunte Pontificatus Noſtri Anno IX.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Porro præinſertum Noſtrum Decretum, atque in eo omnia, & ſingula contenta, ac præſcripta, quo firmius ſubſiſtant, & ſerventur exactius, atque etiam quatenus opus ſit, aucto-

auctoritate Noſtra Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus; illique, & omnibus, ac ſingulis contentis, & præſcriptis, Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, atque ita, ut præmittitur, omnino ſervari mandamus. Decernentes, eaſdem præſentes Litteras firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective ſub irrogatis pœnis, & cenſuris inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari: Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut præſentium Litterarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitatæ conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur iiſdem præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

BULLA DECIMA TERTIA.

Latini Ritus Presbyteris in Ruſſia Polonica degentibus permittitur in Ruthenorum Unitorum Eccleſiis, deficientibus Lapideis Altaribus, ſeu Tabulis conſecratis, & Calicibus aureis, ſive argenteis, Miſſarum Sacrificia ſuper eorumdem Ruthenorum Antimenſiis, & cum Calicibus e ſtanno celebrare.

Extat hæc Bulla in Tom. III. num. XLIII. data vero fuit ſub die 29. Martii anno 1751. Pontificatus autem Anno XI.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

IMpoſito Nobis Apoſtolicæ ſervitutis officio, convenit univerſæ Chriſti Familiæ toto Terrarum Orbe diffuſæ neceſſitatibus animum diligenter intendere, maxime vero fidelium Eccleſiæ Miniſtrorum in remotis Regionibus pro Animarum ſalute laborantium, preces benigne ſuſcipere, eorumque opportuno levamini, ac ſpirituali conſolationi, etiam per congruæ diſpenſationis Indulta, prout rerum, locorum, & temporum rationes, ac veneranda Majorum Noſtrorum exempla ſuadent, conſulere, & providere.

Sane dudum dilecti Filii Presbyteri Latini ritus Apoſtolicas Miſſiones per Ruſſiam Polonicam exercentes, Congregationi Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpoſitorum exponi curarunt, quod cum in tota Ruſſia, ac potiſſimum in Montibus Pokuciæ, in Podolia, in vaſtiſſimis Ukrainæ Regionibus, & in univerſa fere Ruſſia Alba nuncupata, frequentes quidem ſint Ruthenorum Unitorum Eccleſiæ, rariſſimæ vero Latini ritus; cumque ipſi pro Miſſarum celebratione lapideas ſacratas Tabulas, & Calices aureos, vel argenteos, per longa, & difficilia itinera, ſine gravi incommodo, & ſine periculo confringendi eaſdem Tabulas, & Calices, ſecum deferre non valeant; idcirco, niſi facultas ipſis concederetur celebrandi Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium ſuper dictorum Ruthenorum Antimenſiis, ut vocant, & Calices eorumdem e ſtanno, ut moris apud illos eſt, confectos adhibendi, neceſſe ipſis erit ab ejuſdem Sacrificii celebratione plerumque abſtinere; multique præterea Latini ritus Fideles, qui ab Eccleſiis ejuſdem ritus longe degunt, Sacerdotis Latini præſentia, a quo Sacra Myſteria peragantur, eiſque diſtribuantur, omnino carebunt; prout reipſa ſæpe, graviſſimo cum Animarum detrimento, per plures annos carere dignoſcuntur: proindeque demiſſis precibus poſtularunt, ut ſibi concederetur hujuſmodi facultas, Sacroſanctum nempe Miſſæ Sacrificium, etiam ſine lapidea ſacrata Tabula, celebrandi ſuper Antimenſiis Ruthenorum Unitorum, atque in Miſſarum celebratione eorumdem Ruthenorum ſtanneos Calices adhibendi.

2. Cum autem hujuſmodi Miſſionariorum preces a dicta Cardinalium Congregatione Propagandæ Fidei negotiis præpoſita, alterius Congregationis Venerabilium quoque Fratrum Noſtrorum ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium adverſus hæreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum, examini, & judicio, de more, remiſſæ fuerint; & conſequenter de iis actum fuerit in Conſeſſu coram Nobis habito die 22. Januarii elapſi anni 1750. Nos tunc, ut ad generale Reſcriptum ſuper his edendum mature procederemus, quidquid olim in hac materia ab hac eadem Apoſtolica Sede decretum fuiſſet, in unum colligi juſſimus, ac præterea Venerabili Fratri Epiſcopo Zenopolitano, qui tunc opportune in Curia præſens aderat, quique, & antea diu in Polonici Regni Ditionibus, atque in Eccleſiaſticis Catholicorum Latinorum, Græcorumque Unitorum negotiis, Apoſtolicæ Sedi egregiam operam navando, verſatus fuerat; & deinde ad eaſdem Regiones, & ad eoſdem labores laudabiliter proſequendos, non obſtantibus itinerum difficultatibus, expenſiſque redire non dubitavit; mandavimus, ut Nos ſuper expoſitorum veritate inſtructos redderet, ſuamque Nobis ſententiam ſuper hujuſmodi poſtulatis, tam voce, quam ſcripto aperiret. Nunc vero, exhibitis Nobis præcedentium Decretorum monumentis, iiſque per Nos accurate perpenſis, atque omnibus, quæ in dictis precibus narrata fuerant, præfati Epiſcopi Zenopolitani teſtimonio comprobatis; cum is præterea Nobis retulerit, complures eſſe in iis Regionibus Presbyteros Latini ritus, & quidem Deum timentes, qui in ſupradictis neceſſitatibus conſtituti, minime dubitant ſuper Antimenſiis Græcorum Unitorum abſque lapidea Tabula Miſſarum Sacra facere; ejuſdemque conſilium fuerit, quod ſicuti Græcorum Unitorum Presbyteri, quoties id rerum opportunitas ſuadet, propriis Antimenſiis relictis, Miſſarum Sacrificia offerunt ſuper lapideis Latinorum Tabulis; ita ad conſtitutam feliciter Unionem magis, magiſque ſtabiliendam non parum conduceret, Latinis Presbyteris liberam facultatem concedere, ut, ubi neceſſitas ſic exigere dignoſcatur, deficiente nimirum lapidea Altaris Tabula, Miſſas celebrare valeant ſuper eorumdem Græcorum Unitorum Antimenſiis. His omnibus attente perpenſis, in hanc denique ſententiam devenimus, ut prædictis Sacerdotibus Latini ritus in Ruſſia Polonica degentibus permitteremus in Ruthenorum Unitorum Eccleſiis, deficientibus lapideis Tabulis de more conſecratis, & Calicibus aureis, ſive argenteis, Miſſarum Sacrificia ſuper eorumdem Ruthenorum Antimenſiis, & cum Calicibus e ſtanno, qui apud illos in uſu ſunt, ſine ullo conſcientiæ ſcrupulo celebrare.

3. Porro, quod attinet ad Calices ſtanneos, omiſſis iis, quæ repeti poſſent ex priorum Eccleſiæ Sæculorum memoria, cum ſcilicet & lignei, & vitrei Calices in Altaris miniſterio adhibebantur, ut oſtenſum a Nobis eſt in Tractatu *de Sacrificio Miſſæ ſect. 1. §. 26. & ſeq. latinæ editionis Patavinæ*: nullum generale Decretum proferri poteſt, quo vel hodie vetitum ſit hujuſmodi Calicibus e ſtanno confectis in Miſſa uti, ſi Eccleſiarum, vel Sacerdotum paupertas tanta ſit, ut majoris pretii vaſa comparari nequeant. Quin immo *in Can. Ut Calix, de Conſecrat. diſtinct.* 1. hæc expreſſa verba leguntur: *Si quis autem tam pauper eſt, ſaltem vel ſtanneum Calicem habeat*. Et quidem ad comprobandam, aſſerendamque hujuſmodi Eccleſiæ Indulgentiam plura leguntur apud S. Thomam 3. *part. quæſt.* 83. *art.* 3. *ad ſextum*, alioſque Scriptores de hoc diſciplinæ capite agentes. Quartus *ad Rubricas Miſſalis part.* 2. *tit.* 1. *ſect.* 1. *dub.* 1. §. *Colligitur*. Paſqualig. *de Sacrificio Novæ Legis tom.* 2. *quæſt.* 764. & *quæſt.* 765. Biſſus *Hierurgia Sacra in verb.* Calix §. 2.

4. Quod vero ſpectat ad alteram optati Indulti partem, ſatis quidem conſtat in Eccleſia Latina nequaquam celebrari poſſe incruentum Miſſæ Sacrificium, niſi ſuper Altari, quod vel totum rite conſecratum fuerit, vel ſaltem ſuperimpoſitum habeant conſecratum Lapidem, qui *Tabula Altaris* nuncupatur; qua etiam de re egimus in dicto Tractatu *de Sacrific. Miſſæ cit. ſect.* 1. §. 2. & *ſeq.* In Græca autem Eccleſia hujuſmodi Sacrati Lapides minime ſunt in uſu; ſed ibi a pluribus jam Sæculis in more poſitum eſt, ut, ubi Altare ſollemni conſecratione totum dedicatum non fuerit, loco Lapideæ hujuſmodi Tabulæ, ſuper Altaris Menſa aptetur Linteum quoddam Epiſcopali benedictione conſecratum, in cujus angulis Sanctorum Reliquiæ reconditæ ſunt, quodque vocatur *Antimenſion*, & ſuper ipſo Sacra Myſteria conficiantur: ut apud Auctores de rebus Liturgicis tractantes videri licet: Goar *in notis ad Eucholog. Græcor. pag.* 521. *Venetæ editionis*. Chriſtianus Lupus *in Synodos General. & Provincial. in diſſert. de S. Leonis IX. Actis cap.* 13. *Bruxellen. edit. par.* 3. Renaudot *in Collectione Liturgiarum Oriental. tom.* 1. *pag.* 182. *edit. Pariſien.* Magri *in notitia Vocabulor. Eccleſiaſticor. in verba Antimenſia*. Card. Bona *Rer. Liturgicar. lib.* 1. *cap.* 20. §. 2. ejuſque Commentator Robertus Sala *tom.* 2. *pag.* 70. *num.* 4. *Taurinen. editionis*.

5. Cum vero numquam Eccleſiæ Latinæ mens fuerit, ut Græcorum ritus deſtrueret, quin potius eorum ſemper conſervationi, quantum fas eſſet, necnon eorumdem apud Græcos Fideles obſervantiæ proſpexerit; numquam proinde Miſſarum celebrationem, quæ ſuper hujuſmodi Antimenſiis a Græcis Catholicis fit, improbavit; ſed eam, & quidem non in partibus Orientis dumtaxat, verum etiam inter Italo-Græcos, permitti expreſſe declaravit; ut videre licet tum in Inſtitutione per ſel. rec. Prædeceſſorem Noſtrum Clementem Papam VIII. edita, tum in noſtra Conſtitutione, quæ incipit: *Etſi Paſtoralis, Bullarii noſtri tom.* 1. *Conſtit.* 57. §. 6. *num.* 17.

6. Cum vero in iis Regionibus, in quibus Italo-Græci ſunt, Latini quoque frequentes habitent, atque ibidem tam unius, quam alterius ritus Eccleſiæ adſint, ita ut abſque ullo impedimento, & ſine gravi incommodo unuſquiſque Presbyter proprii ritus Eccleſiam adire valeat; nulla ſane

ſane cauſſa eſt, ob quam Latinis earum partium Presbyteris permitti debeat, contra conſtantem Eccleſiæ Latinæ diſciplinam, ſine ſacratis Altaris lapidea Tabula Miſſas celebrare, eaſque ſuper Græcorum Antimenſiis offerre; quod ipſis proinde in citata noſtra Conſtitutione vetitum fuit *eodem* §. 6. *num.* 19.

7. Sed aliter res habent, ubi de Regionibus agitur, in quibus Latini Presbyteri ab Eccleſiis Latini ritus longe degentes, cum ſacratas lapideas Tabulas per longa itinera ſine gravi incommodo, & ſine periculo eas contingendi, ſecum deferre nequeant, vel Miſſæ celebrationem penitus omittere, & ſic Latinos Fideles ſine Sacrificio proprii ritus, & ſine Myſteriorum participatione relinquere, vel eam ſuper Græcorum Antimenſiis peragere compelluntur. In hujuſmodi rerum circumſtantiis, Apoſtolicæ Sedis provida Indulgentia jamdudum enituit; cum ſcilicet anno 1602. ad ſupplicationem tunc exiſtentis Epiſcopi Vilnenſis prædictæ Cardinalium Inquiſitorum Generalium Congregationi hac de re exhibitam, ipſo etiam Prædeceſſore Noſtro Clemente Papa VIII. approbante, reſcriptum fuit: *Sacerdotes Rutheni non Schiſmatici in Eccleſiis Catholicorum ritus Latini, Altaribus, Calicibus, & Veſtibus Sacris eorumdem Catholicorum uti, & Miſſam celebrare poſſint in caſu neceſſitatis, ac etiam ſolum devotionis cauſſa, dummodo ritu Rutheno celebrent. Et e contra Sacerdotes ritus Latini in Eccleſiis Ruthenorum non Schiſmaticorum, Altaribus, & Calicibus, ac Veſtibus Sacris uti, & Miſſam celebrare valeant, ritu tamen Latino. Et prædicta ſerventur ſecluſo omni ſcandalo, & de licentia Prælatorum, & Rectorum ipſarum Eccleſiarum.*

8. Nos igitur, præmiſſæ neceſſitatis intuitu, atque etiam hujuſmodi Decreti conſideratione adducti, præſentium Litterarum tenore, atque ex certa ſcientia, & Apoſtolicæ auctoritatis plenitudine, ſalvis præfati Clementis VIII. Noſtriſque ſuper Ritibus Italo-Græcorum editis Conſtitutionibus, & Ordinationibus, non modo relatum ſuperius Decretum approbamus, & confirmamus, verum etiam præfatis omnibus Miſſionariis, aliiſque Sacerdotibus Latinis in tota Ruſſia Polonica nunc, & pro tempore commorantibus, ut ipſi, & eorum quilibet in Eccleſiis Ruthenorum Unitorum, deficientibus lapideis Altarium Tabulis rite conſecratis, ſuper Sacris eorumdem Ruthenorum Antimenſiis Miſſarum Sacrificia celebrare, atque etiam, ut ſupra dictum eſt, in hujuſmodi celebratione eorumdem Calicibus ſtanneis uti libere, & licite poſſint, & valeant, concedimus, & indulgemus: Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ſeu Generalium, aut Provincialium, vel Synodalium Conciliorum contrariis Conſtitutionibus, & Ordinationibus, ſive Locorum, Perſonarum, aut Ordinum Statutis, Ritibus, Uſibus, & Conſuetudinibus etiam immemorabilibus, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque.

9. Volumus autem, ſicut in præmiſſo Decreto expreſſe cautum reperitur, ut dicti Miſſionarii, & Sacerdotes Latini, etiam cum eos, vigore præſentis conceſſionis, ſuper Ruthenorum Unitorum Antimenſiis Miſſam celebrare contigerit, Latino ſemper ritu eamdem celebrare teneantur; firma nimirum, & in ſuo robore permanente Apoſtolica Conſtitutione a ſel. rec. Prædeceſſore quoque Noſtro Sancto Pio Papa V. edita, quæ incipit: *Providentia Romani Pontificis, Conſtit.* 12. *tom.* 2. *Bullar. Roman. editionis, Luxemburg.*, per quam omnes facultates, & indulta tam Græcis, ut Miſſas, & Divina Officia Latino ritu celebrare poſſent, quam etiam Latinis conceſſa, ut eadem Græco ritu peragere valerent, revocata, atque perpetuo ſublata fuerunt, quamque Nos etiam earumdem præſentium tenore, quatenus opus ſit, dictaque auctoritate confirmamus, & innovamus.

10. Volumus inſuper, ut iidem præſenti Indulto celebrandi ſuper Græcorum Antimenſiis in prædictorum Ruthenorum Eccleſiis dumtaxat (quemadmodum etiam in præmiſſo Decreto legitur) uti, & gaudere poſſint; ſi vero eoſdem in aliqua Latina Eccleſia, ſeu in domeſticis Latinorum Oratoriis, quæ forſan auctoritate Apoſtolica in hujuſmodi Latinorum privatis Domibus, cum licentia celebrari faciendi, quæ adhuc vigeat, erecta fuerint, Sacroſanctum Sacrificium offerre contigerit, illud vel ſuper Altari conſecrato, vel ſuper lapidea pariter conſecrata Tabula, quæ etiam *Altare portatile* appellatur, non autem ſuper Antimenſiis hujuſmodi, celebrare omnino debeant.

11. Volumus denique, ut præſentium litterarum exempla, etiam impreſſa, publici Notarii ſubſcriptione, & Perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ Sigillo munita, eamdem omnino, ac ipſæ præſentes, ubicumque opus fuerit, fidem, & auctoritatem obtineant.

12. Nulli ergo hominum liceat paginam hanc Noſtræ Conceſſionis, Indulti, Statuti, Decreti, & Voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

SYNO-

SYNOPSIS
OMNIUM INSTITUTIONUM, ATQUE DOCTRINARUM,
QUÆ A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO
BENEDICTO XIV.

In ſuis vel Edictis, vel Synodo Diœceſana, vel Tractatu de Sacrificio Miſſæ editæ fuerunt in ordine ad Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, & Miſſæ Sacrificium, prout in hoc Volumine continentur.

DE BAPTISMO.

I. Baptiſmus non eſt Pueris differendus ultra nonam diem ſub pœna Excommunicationis. *Extat Notificatio lib. 5. num. 10. & in hoc Volumine appoſita ad Tractatum II. de Baptiſmo, cap. 1. dub. 3. num. 17.* fol. 26

II. Præſcriptio temporis, quo Infantes ſunt baptizandi, non eſt ita firma, ut ubique, & ſemper eamdem vim habeat, ſed relinquitur judicio prudentum, & ut id exequatur quam primum poteſt, ſemper conducit. ibidem.

III. Obſtetrices, utpote in Baptiſmo quandoquidem Miniſtræ neceſſitatis ſuum exercere nequeunt officium, niſi prius in examen vocatæ fuerint, & idoneæ in ipſo examine ad Sacramentum hoc adminiſtrandam fuerint inventæ. *Extat Notif. in lib. 1. n. 8. & in hoc Volumine appoſita ad Tract. 2. cap. 3. dub. 1. de Miniſt. Bapt. n. 1.* fol. 31

IV. Miniſter Sollemnitatis Baptiſmi olim ſoli erant Epiſcopi, proinde uſus invaluit in ſolis Eccleſiis, in quibus reſident Epiſcopi, multis in locis Baptiſteria ſervari. Si vero in aliqua alia Eccleſia, vel in Civitate, vel in Agris a Civitate longe disjunctis Baptiſteria pro Populi commoditate ſerventur, Fontes ipſi Baptiſmi, Sabbato Majoris Hebdomadæ ab Epiſcopo, vel, ipſo impedito, ab alio inter ceteros digniori, Sacri fieri debent, & Collegium Canonicorum, ceterique Eccleſiæ adminiſtri, vel Clerici, qui nomen ſuum Eccleſiæ ipſi dederunt, quinimmo omnes ſubjecti Parochi intereſſe, ſub variis propoſitis pœnis, debent. *Extat Notific. in lib. 1. num. 1. & hoc Volum. appoſita ad Tract. 2. de Sacram. Bapt. cap. 3. dub. 2. num. 7.* fol. 32

V. Baptiſmus conferendus a Parochis juriſdictionem habentibus, niſi neceſſitas aliter urgeat; non ab omnibus Parochis, ſed ab iis, qui Eccleſiis Matricibus, aut Baptiſmalibus præſunt. *Extat Notific. in lib. 5. num. 10. & in hoc Volum. appoſita ad Tract. 2. cap. 3. dub. 2. n. 10.* fol. 33

VI. Baptiſmus, præter caſum neceſſitatis, non eſt conferendus Domi, aut in privatis Oratoriis, & ſine ſollemnitate, ac ritibus ab Eccleſia præſcriptis: quinimmo curandum, ut Infantes cito ad Eccleſiam deferantur, ut cæremoniæ Eccleſiæ adimpleantur. *Extat Notificat. in lib. 5. num. 10. & in hoc Volum. appoſita ad Tract. 2. cap. 3. de Miniſt. Bapt. num. 19.* fol. 35

VII. Baptizantes *ſub conditione*, antequam diligenter examinent, utrum alias collatus fuerit Baptiſmus; & Rebaptizantes nulla adhibita conditione, pœnam contrahunt irregularitatis. *Extat Notific. in lib. 4 num. 17. & in hoc Volum. appoſita ad Tract. 2. cap. 4. dub. 1. de Subject. Bapt. num. 7.* fol. 36

VIII. Sacramenta Characterem imprimentia numquam ſub conditione ſunt reiteranda, niſi gravis urgeat neceſſitas. Baptiſmi vero reiteratio fieri debet ex Edicto Alexandri III. quod emanatum fuit Sæculo XII. ſub conditione illa: *Si nondum baptizatus es, ego te baptizo in Nomine &c.* quotieſcumque prudens, & probabilis ſubeſt dubitatio, an quis fuerit rite baptizatus, nec, diligenti præmiſſa indagatione, potuit rei veritas innoteſcere. Non excuſatur tamen a Sacrilegio, neque ab irregularitate abſolvitur Sacerdos ſub conditione rebaptizans, quem ſcit domi baptizatum, & nihil eſt, quod collatum ei Baptiſma rationabiliter ſuſpectum reddat. *Ex Synodo Diœceſana lib. 7. cap. 6. & in hoc Volume ibid. dub. 4. num. 27.* fol. 38

IX. Non Obſtetrices præſentes, ſed Sacerdotes ipſi, vel Parochi de Baptiſmo privatim a ſe ipſis collato teſtimonium vel ſcripto, vel voce firmatum, facere debent, quotieſcumque Baptiſmum ipſum adminiſtrarunt; & hoc ſub pœnis Superioris arbitrio decernendis, cum decretum fuerit uti Baptiſmus etiam privatus referatur in Librum, in quo Pueri omnes baptizati adnotantur. *Extat Notif. in lib. 5. num. 10. & in Volum. appoſita ad Tract. 2. cap. 4. dub. 4. n. 30.* fol. 39

X. Baptiſmus conferendus eſt Infantibus expoſitis ſub conditione, etiamſi habeant appenſam collo Schedulam teſtantem de Baptiſmo collato, excepto caſu, quo deprehendi poſſit auctor Schedulæ, cui fides præſtari poſſit, cum unico tantum teſtimonio comprobari poſſit Baptiſmus. Numquam tamen præſtari debet fides Pagano, vel Judæo, quod clarius habetur ex Can. 112. de Conſecrat. diſt. 4. *unius teſtimonio quandoque credendum eſt, & ſic hoc caſu tantum credendum eſſe Chriſtiano, & non Pagano, vel Judæo teſtificanti. Extat Notific. in lib. 1. n. 8. & in hoc Volum. ibid. ad num. 32.* ibid.

XI. Baptiſmus non eſt iterum ſub conditione conferendus Infantibus, qui privatim per Obſtetricem abluti fuerunt, niſi forte, re diligenter examinata, legitima dubitandi cauſſa exhibeatur: an Baptiſmus per Obſtetricem rite peractus ſit. Hoc tamen animadvertendum, quod ſi Infantes baptizati domi ab Obſtetricibus, vel ab aliis in actuali periculo mortis, a periculo incolumes evaſerint, debebunt deferri ad Eccleſiam, in qua Fons Baptiſmi conſervatur, ubi cæremoniæ omnes, quæ ob neceſſitatem omiſſæ fuere, religioſe perficiantur. *Extat Notif. in lib. 1. num. 8. & in lib. 4. num. 17. in Volum. ibid. ad num. 33.* fol. 40

XII. Quotieſcumque Baptiſmus, ſeu quodcumque ex iis Sacramentis, quæ iterari nequeunt, adminiſtratur, omni adhibito externo ritu, ſed intentione retenta, aut cum deliberata voluntate non faciendi, quod facit Eccleſia, urgente neceſſitate; erit Sacramentum iterum ſub conditione perficiendum; ſi vero res moram patiatur, exquirendum erit Oraculum Sedis Apoſtolicæ: Quod attinet ad intentionem in adminiſtratione Sacramentorum requiſitam. *Ex Synodo Diœceſana lib. 7. cap. 4. in hoc Volumine in additione ad Sacramentum Baptiſmi.* fol. 43

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

XIII. Confirmationem inter Sacramenta recenſendam eſſe, nullus ſupereſt ambigendi locus: quinimmo in Eccleſia hoc Sacramentum perpetuo viguiſſe, & perpetua conſuetudine, & SS. Patrum auctoritate comprobatur. *Extat Notific. in lib. 1. num. 6. appoſita in hoc Volumine ad Tract. III. cap. 1. dub. 1. de Confirmat. num. 2.* fol. 44

XIV. Conſuetudo Confirmationis adminiſtranda fuit in Eccleſia perpetua. *In Notific. ead. in hoc Volum. ibid. appoſita num. 4.* ibid.

XV. Sacramentum Confirmationis non eſt neceſſarium ad ſalutem obtinendam neceſſitate medii, ſed neceſſitate præcepti. Verumquamvis ſit tantum de neceſſitate præcepti, cavendum tamen ne prætermittatur ex contemptu Sacramenti; unde habetur ex D. Bonaventura: *Ex inſtitutione Eccleſiæ eſt, quod nullus ab hoc Sacramento excipiatur ſed omnes ſuſcipere debent, ut ſint ſtrenui pugnatores; & ideo ſi quis, cum habet locum, & tempus, & opportunitatem, negligendo contemnit, periculo ſe exponit. In allata Notific. appoſita ibid. ad dubium 2. num. 6.* fol. 45

XVI. Materia Sacramenti Confirmationis eſt compoſitio quædam Olei, ac Balſami, quæ ſolummodo Feria VI. Majoris Hebdomadæ ſollemni Epiſcopi conſecratione confici ſolet. Hac compoſitione uſa eſt Eccleſia vel a primis Sæculis. In Balſamo, quod Oleo componitur, triginta quinque diverſæ aromatum ſpecies, & exigua vini copia adjunguntur. Propoſitum fuit Oleum pro materia hujus Sacramenti, ad ſignificandam in ipſo Spiritus Sancti gratiam; propoſitum fuit Balſamum propter fragrantiam odoris, quæ ad Confirmatos, qui Chriſti bonus odor dicuntur Deo, redundat. *Extat Notific. in lib. 1. num. 6. appoſita in hoc Volum. ad Tract. 3. cap. 1. de Confirmat. dub. 3. num. 14.* fol. 46

XVII. Simplices Sacerdotes per diſpenſationem Summi Pontificis poſſunt Sacramentum Confirmationis exhibere: poſſunt itidem per eamdem diſpenſationem præparare, ac conficere Sacramenti hujus materiam. *Hoc habetur in Synodi Diœceſanæ lib. 7. cap. 7. & 8. & in hoc Volumine legi poteſt ibidem appoſitum ad num. 17.* fol. 46

XVIII. Confirmandus ungitur Sacro Chriſmate in fronte, ut Chriſtianum nomen, ac Religionem coram omnibus præferendum moneatur. *In allata Notific. poſita ſub nu. 6. lib. 1. & in hoc Volumine ad id caput, & dubium 4. num. 19.* fol. 47

XIX. In Confirmatione conferenda adhibetur ſignum Crucis, quo univerſi ritus, ac Eccleſiaſticæ cæremoniæ perficiuntur, *ibid. n. 20.* ibidem.

XX. Epiſcopus Latinus nullo modo poteſt delegare ſimplici Sacerdoti poteſtatem exercendi, ſeu conferendi Sacramentum Confirmationis, ſed hoc ad ſolum ſpectat Romanum Pontificem. *Videre hoc poteris in loco cit. Synodi Diœceſ. quod in hoc Volumine appoſitum fuit ad cap. 2. de Confirmat. dub. 1. num. 3.* fol. 48.

XXI. Sacramentum Confirmationis valide confertur omnibus Baptizatis abſque ulla differentia ætatis; & olim Adulti æque ac Pueri ſtatim poſt Baptiſmum confirmabantur: noſtris vero temporibus in Confirmando, ad hoc ut tanti Sacramenti ſit capax, rationis uſus præcipitur. Attamen plurimi in hoc conveniunt, quod ſancte, ac licite etiam juxta præſentem diſciplinam Sacro Chriſmate inungi poſſint pueri ante ſeptennium, cum aut prævidetur diutina abſentia Epiſcopi, aut pueri iidem in diſcrimine vitæ verſentur, aut alia urgeat neceſſitas. *Hoc idem habetur in Synodo Diœceſ. lib. 7. cap. 10.* Et in Notif. 6. *lib.* 7. ſtatuitur, neminem confirmandum eſſe, qui ſeptimum ætatis annum non excesſerit: præcipitur tamen Parochis, ut denuncient pueros ægrotos, qui in periculo lethali verſantur, ut confirmari poſſint. *Hæc omnia appoſita in hoc Volumine invenies ad dictum caput dub. 3. num. 11.* fol. 50

XXII. Sacramentum Confirmationis non eſt denegandum Pueris ante ſeptennium in mortis articulo. *Hoc habetur in cit. lib. & cap. Synod. Diœceſanæ, & in hoc Volum. ad cap. 2. dub. 3. de Miniſtro, & Subjecto Confirmat. num. 14.* fol. 50

XXIII. Suſcipientes hoc Sacramentum debent eſſe jejuni; & hoc de decentia tanti Sacramenti. *Ibid. n.* 15. Ibid.

XXIV. Ritus obſervandi in collatione hujus Sacramenti ex ordine deſcribuntur in Notif. 6. lib. 1. quos percurrere unuſquiſque poterit *in hoc Volumine appoſitos ad dub. 4. cap. 2. n. 17.* fol. 51. Item de Patrinis eligendis &c. *num.* 19. ibid.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

XXV. Vinum ſubacidum numquam adhibendum in Miſſæ Sacrificio; qui etenim eo utitur, criminis labe carere nullo modo poteſt. Habendus tamen immunis a culpa Sacerdos ille, qui Sacrum facere debet, nec tamen immutandi vini poteſtatem habet, quod Regularibus contingit; tunc enim, niſi vinum corruptum penitus fuerit, ſed aceſcere ſolum incœperit, in Præſides, aut Miniſtros, qui vinum pro Miſſæ Sacrificio ſuppeditare tenebantur, omnis culpa eſt conferenda.

Itidem nullo modo eſt idoneum cenſendum in Sacris conficiendis illud vini genus, quod Lora, ſeu Loream, vulgo *acquaticie* nuncupatur. Habetur ſiquidem apud Card. de Lugo cum de Sacram. Euchariſt. diſp. 4. ſect. 1. nu. 9. *infertur ſecundo, Loram non eſſe materiam validam, quia non eſt vinum, ſed aqua infuſa in racemis expreſſis, ſeu in acinis.*

Aliud etiam vinum a Sacris eſt prorſus amovendum, quod dicitur *vinum longam*, quod idem intelligendum eſt de *vineta*, de quo ita Bartholomæus Fumus in ſua Sum. autiq. verbo Euchariſt. n. 9. *Multum adaquata non poteſt confici Euchariſtia, quia vinum non eſt: ſecus quando parum eſſet de aqua, ita quod non mutaſſet ſpeciem vini. Non tamen liceret, niſi cum aliud non poſſet haberi.* Hoc unum tandem præcipitur, ut primum vinum, quocumque alio inferioris notæ ſecluſo, in Conſecratione ſolum adhibeatur: de quo, licet aquæ plurimum in eo admiſceatur, ſemper dicendum quod ſit vinum primum, juxta communem uſum Civitatis, quod proinde dici poſſit, quod ſit *vinum commune, & uſuale patriæ*, ut habetur ex Paſſerino in ſuis Commentariis pag. 3. D. Thom. q. 74. art. 5. comm. 7. num. 10. *ſi tantam aquæ adhibeatur, quantum communiter juxta morem patriæ adhiberi ſolet ad hoc, ut melius decoquatur, vel conſervetur, nullum peccatum incurritur ex uſu talis vini in Conſecratione. Extat hæc Inſtitutio in lib. 4. num. 10. appoſita in hoc Volumine ad Tract. 4. cap. 2. de Mater. Euchar. dub. 3. n. 15.* fol. 55

XXVI. Sæculares, qui Monialibus, aut Regularibus inſerviunt, tenentur, ad hoc, ut ſatisfaciant præcepto, conferre ſe ad Parochiam pro Paſchali Communione ſumenda, quotieſcumque aliqua ex iis conditionibus carent: *inſerviant alia: reſideant intra eorum ſepta, ac domos: ſub eorum obedientia vivant.* Nec ſufficit, quod verſentur in æde, quæ pertineat ad Monaſterium, eique conjungatur, ipſiuſque circuitu per muros exteriores includatur, cum per *Domum* Monaſteria, per *Septa* Clauſtra a Tridentina Synodo intelligantur. Id Sacræ Concilii Congregat. ſententiis variis comprobatur; cum etenim propoſitum fuerit: *An Famuli, & Famulæ Monialium Sæculares, degentes in Manſionibus ſitis in atriis Monaſteriorum, muro circumvallatis, & quæ ſunt contigua Monaſteriis, & habent portam, quæ clauditur, teneantur recipere Sacramentum Euchariſtiæ tempore Paſchali a Parochis, in quorum Parochiis Monaſterium, & Manſiones ſitæ ſunt?* die 19. Septemb. ann. 1722. reſponſum fuit: *Affirmative, & amplius &c. Extat hæc Notif. in lib. 3. num. 14. in hoc vero Volum. appoſita ad Tract. 4. cap. 6. dub. 5. num. 23.* fol. 70

XXVII. Omnes Chriſti-fideles utriuſque ſexus ad annuam Communionem tempore Paſchatis teneri incipiunt non ſtatim ac, ut volunt plerique, ſunt doli capaces, ſicut Sacramentalis Confeſſionis præcepto obſtringuntur, & ad annos diſcretionis pervenerint, ſed ad perfectiorem rationis uſum deveniunt. Quo vero ætatis anno eam maturitatem adveniſſe ſit præſumendum, non poteſt certa regula definiri, cum alii tardius, alii citius perfectum rationis uſum, rerumque ſpiritualium intelligentiam aſſequantur. Id autem intra decimum, & decimum quartum ætatis annum communiter evenire tenent Theologi &c. *Videre hoc poteris in lib. 7. cap. 12. Synodi Diœceſ. & in hoc Volumine poſt num. 4. dub. 1. c. 7. de oblig. ſumendi Euchariſtiam.* fol. 72

XXVIII. Poteſt, immo debet Parochus SS Viaticum in eadem infirmitate iterum, ac tertio Ægroto eidem adminiſtrare, præſertim ſi ipſemet Ægrotus iterum cæleſtem illum panem eſuriat: nec multum in ea immorandum quæſtione, quantum ſcilicet temporis ſpatium intercedere debeat, ut intra eamdem infirmitatem poſſit iterum non jejuno dari Euchariſtia. *Habentur hæc in lib. 7. cap. 12. §. 4. Synodi Diœceſanæ, & in hoc Volum. ad num. 17. dub. 3. ejuſd. cap.* fol. 73

XXIX. Succurrere SS. Chriſti Corporis Viatico, adveniente repentino mortis periculo, illi ipſi, qui eadem die, cum nondum ulla laborant corporis infirmitate, Euchariſtiam accepit, vel non, erit abſolute integrum Parochis; cum nullo modo fas ſit Epiſcopis de ejuſmodi controverſia quidquam decernere. Sententia tamen communior hæc eſt: Quilibet Chriſti-fidelis, qui mane bene valens ad Euchariſtiam acceſſit, & deinde in periculoſum incidit morbum, poteſt, ſi vult, denuo Euchariſtiam ſumere per modum Viatici; nullo tamen præcepto ad id faciendum obſtringi. *Vide in lib. 7. cap. 11. Synodi Diœceſ. in hoc Volumine ad num. 22. dub. 4. cap. 7.* fol. 74

XXX. Singuli Fideles utriuſque ſexus tenentur præcepto Sacroſanctam ſumendi Euchariſtiam ſaltem ſemel in anno tempore Paſchali ſub pœna Excommunicationis, juxta illud Trident. *ſeſſ. 13. de Euchariſt. can. 9. Si quis negaverit, omnes, & ſingulos Chriſti-fideles utriuſque ſexus, cum ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis annis ſaltem in Paſchate ad communicandum, juxta præceptum Sanctæ Matris Eccleſiæ; anathema ſit.* Hoc intelligitur, quando de proprii Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſſam ad tempus ab hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum. Parochi itaque ſuos per Quadrageſimam Parochianos admoneant de præcepto Paſchalis Communionis; eos diligenter deſcribant, qui huic præcepto ſatisfaciunt, & illos pariter, qui juſſa detrectant: pervicaces ſæpius objurgent, quorum nomina ad Epiſcopum deferant &c. *Extat Notific. in lib. 3. num. 4. in hoc Volum. appoſita ad cap. 8. dub. 1. num. 1. de præcepto Eccleſiaſt.* fol. 75

XXXI. Præceptum Paſchale a Dominica Palmarum prorogatur uſque ad diem octavam menſis Septembris, cum Feſtum Nativitatis Beatæ Virginis peragitur: & die decima octava ejuſdem menſis in porticu Metropolitanæ exponebuntur nomina illorum, qui hoc tempore Paſchali præcepto non paruerunt. Singulis interim Parochis tum Civitatis, tum Diœceſis præcipitur, ut intra deſignatum temporis ſpatium nomina illorum, qui ad Divinam Euchariſtiam in Paſchate non acceſſerunt, ſcripto referant Patri Pœnitentiario, & ipſius Pœnitentiarii juſſu ad pronunciandum in Contumaces Interdictum deveniant. *Extant Notificationes prima in lib. 3. num. 4. ſecunda in lib. 3. num. 14. In hoc autem Volumine ibid. ad nu. 2.* fol. 76

XXXII. Dictum eſt, ex mandato Lateranenſis Concilii, debere quemlibet Fidelem ſemel & ſaltem in anno Sacramenta ſuſcipere Confeſſionis, & Communionis in Paſchate, niſi forte de *proprii Sacerdotis* conſilio ob aliquam rationabilem cauſſam ad tempus ab hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum: nunc explicatur, quiſnam ſit cenſendus *proprius Sacerdos*, & ſtatuitur ita: ſatis implebit Lateranenſis Concilii mandatum, quicumque peccata ſua cuilibet probato Sacerdoti confitebitur; tamen pro Communionis præcepto ſatis haud erit Euchariſtiam qualibet in Eccleſia percipere, ſed in Parochiali

id

id neceſſario erit gerendum. *Extat Notific. in lib. 1 n. 18. & in hoc Volumine appoſita ibidem ad num. 3.* ibid.

XXXIII. Definire Prudentis Parochi judicio permittitur, an puer moriturus ſit capax, necne, Sacroſanctæ ſumendæ Euchariſtiæ, ſpectata potiſſimum pueri ejuſdem indole: ſi Parochus tamen compererit puerum ipſum tantam aſſequutum maturitatem, ut cibum iſtum cæleſtem a communi, & materiali diſcernat, nunquam ſinat, eum ex hac vita migrare ſine Viatico. *Hoc videre poteris in l. 7. Synodi Diœc. c. 12. & in hoc Volum. ib. ad n. 8.* fol. 77

XXXIV. Sacerdotes nulli Eccleſiæ præpoſiti, niſi ſolemnioribus Feſtis Sacrum conficiant lethale crimen admittunt: & inſuper, niſi Sacrum peragant, ne in Paſchate quidem, aliquo detenti impedimento, ex manibus ſui Parochi ſuſcipere ipſam debent Euchariſtiam, ut præcepto ſatisfaciant. *Extat Notific. 4. in lib. 3. in hoc Volum. appoſita ad dub. 5. cap. 8. tract. 4. num. 25.* fol. 79

XXXV. Ad ſatisfaciendum Paſchali præcepto circa Sacroſanctam Euchariſtiam ſumendam, non ſufficit, ut quis Metropolitanam, vel Cathedralem adeat Eccleſiam; ſed juxta mentem Lateranenſis Concilii debet unuſquiſque Fidelis in Parochiali tantum, & a proprio Parocho, vel ſi ab alio, ſaltem de Parochi ejuſdem conſenſu, ad Euchariſtiæ Sacramentum accedere. *Extant Notificationes, altera ſcilicet in lib. 1. poſita n. 18. §. 7., altera in l. 3. n. 14. & in hoc Volum. ibid. appoſitæ ad n. 28.* ibid.

XXXVI. Circa quotidianum ad Menſam Sacram acceſſum nihil certi definitur; bene tamen hortantur Parochi, ut bene advertant, ne aliqui a frequenti, aut quotidiana Sacræ Communionis ſumptione deterreantur, aut ſumendi dies generaliter conſtituantur, ſed magis quid ſingulis ſit permittendum bene perpendat; illudque omnino provideant, ut nemo a Sacro Convivio, ſeu frequenter, ſeu quotidie acceſſerit, repellatur; ſedulam tamen dent operam, ut unuſquiſque digne pro devotionis, & reparationis modo rarius, aut celebrius Dominici Corporis ſuavitatem deguſtet. *Hoc videndum in lib. 7. cap. 12. Synodi Diœceſanæ, quod in hoc Volum. appoſitum fuit ad dub. 7. ejuſd. cap. ad num. 35.* fol. 81

XXXVII. Fideles hortantur, ut frequentes congregentur, quotieſcumque comitatus præſtandus eſt Sanctiſſimo Sacramento in publicis Supplicationibus ineundis.

Parochi admonentur, ut niſi aliquam habeant Sodalitatem ſuæ addictam Eccleſiæ, aliquam ſufficiant, quæ iiſdem pie fungatur muneribus.

Præcipitur, ut quotieſcumque SS. Euchariſtiæ Sacramentum per publicas circumfertur vias, Plauſtra, Rhedæ, Nobilium Carpenta ſuſtineant curſum, donec Supplicatio tranſierit: Ruſtici flectant poplites, neque e terra aſſurgant, donec Sacerdos, qui Sacram Euchariſtiam manibus geſtat, e conſpectu abierit: & Rhedarii detecto capite corpus humiliter inclinent. Qui vero ſellis geſtantur, vel curru feruntur, ſtatim proſiliant, in genua provolvantur, & Sancta Myſteria, ſi poſſunt, pie comitentur.

Quotieſcumque in Templi Sacroſancta exponenda eſt Euchariſtia, fiat ſolummodo de Ordinarii conſenſu, qui ſolus impertiri hanc debet facultatem, non ſolum in ſuis Eccleſiis, ſed etiam in illis, quæ pertinent ad Regulares, & quæ a Juriſdictione Epiſcopi penitus immunes judicantur.

Aut nunquam, aut raro cuilibet Eccleſiæ concedendum Sacram exponere Euchariſtiam, quando vel Effigies Beatiſſimæ Virginis exponitur, vel Feſtum alicujus Sancti celebratur

Privatim exponi poteſt Euchariſtia de ſolo Parochi conſenſu, ſed his conditionibus, ut ſolum Euchariſtiæ Tabernaculum aperiatur, & Sacra Pyxis clauſa, ſuoque velamine obtecta populi oculis ſubjiciatur, vel ſi proferenda ſit e Tabernaculo, Sphæra intra Cryſtallum incluſa ſub umbella ſtatuatur, ita ut Sacræ Hoſtiæ adſpectus impediatur.

Circa vero honorem, ac religionem, qua exponi ipſa debet, hæc potiſſimum proponuntur obſervanda;

I. Ut collocetur in majori Altari Eccleſiæ.

II. Ut contegatur quælibet alia Effigies, ſeu Simulacrum.

III. Ne ſupra ipſum Altare Sanctorum quorumcumque ſtatuantur Reliquiæ.

IV. Ut ſaltem duodecim ardeant candelæ.

V. Ne quis ad colligendas eleemoſynas circumeat.

VI. Ut Campanulæ ſonus, cum in Sacrificio Miſſæ elevatur Hoſtia, prætermittatur.

VII. Ne Conciones eo tempore habeantur.

VIII. Ut quilibet vel accedens, vel recedens ab eo Altari utrumque genu deflectat.

IX. Ut Sacerdos ad aliud pergens Altare Sacrum facturus, cum ante Divinam Euchariſtiam pertranſit, illam flexis genibus, apertoque capite adoret, aliaque plura, quæ videre eſt *in Notific. 10. lib. 2. ſicuti in Notific. 5. lib. 1. & in hoc Volumine in additione ad Tract. 4. de Cultu Euchariſtiæ.* fol. 90

DE SACRIFICIO MISSÆ.

XXXVIII. In Miſſa ſemper, non raro, aut certis quibuſdam temporibus orandum pro Defunctis, ſicuti vel ab Apoſtolis traditum eſt, quod pluribus confirmatur Scripturarum, ac Patrum teſtimoniis.

Hinc habetur in Miſſa quinta Canonis oratio, in qua Sacerdos præſentes animo eos habere debet Defunctos, pro quibus intendit orare. Hanc autem orationem ſemper pro Juſtis, nunquam vero pro Damnatis applicandam cenſetur.

Olim nomina Mortuorum, pro quibus Sacrificium offerebatur, alta voce recitabantur. Quod ſi quando forte contingat, ut vel pro Damnatis, vel pro iis, qui Cœlo beata vita perfruuntur, Sacrificium offeratur; tunc illius Sacrificii fructus in Eccleſiæ theſauro remanet, quem Deus diſpertit, & applicat iis Animabus, quæ poſſint fructum ejuſmodi conſequi. *Vide in Tract. de Sacrificio Miſſæ lib. 2. cap. 18. in hoc Volum. ad tract. 5. c. 2. dub. 4. num. 24.* fol. 100

XXXIX. Miſſæ Sacrificium eſt *Latreuticum*, & *Euchariſticum*, idest, Sacrificium laudis, & gratiarum actionis pro acceptis beneficiis: eſt Sacrificium *propitiatorium*, quo peccata expiantur: eſt denique *impetratorium*, ex eo, quod nobis obtinet a Deo ſpiritualia, & temporalia bona *Ex Tract. de Sacrif. Miſſæ lib. 2. cap. 13. in hoc Volum. cap. 3. dub. 1. de valore Sacrificii num. 8.* fol. 102

XL. Fructus Sacrificii triplex eſt: alter internus, qui ſi applicetur, ſemper operatur, dummodo nullum obſtet impedimentum, & dicitur fructus *ex opere operato*: alter, qui oritur ex univerſa Eccleſia, & hic dicitur *ex opere operantis*, qui augeri poteſt, & minui pro majori, vel minori ſanctitate eorum, a quibus Eccleſiæ corpus componitur: tertius tandem, qui pariter dicitur *ex opere operantis*, & ex ipſo proficiſcitur Sacerdote, ex quo fructu nihil detrahitur per pravam Sacerdotis vitam, quamvis ipſe Sacerdos graviori ſe adſtringat crimine. *Ex tract. de Sacrif. Miſſæ lib. 2. cap. 13. in hoc Volum. ad dub. 2. tract. & cap. eod. num. 12.* fol. 105

XLI. Contra Walafridum Strabonem aſſeritur, & demonſtratur, non improbandam ſpecialem Sacrificii applicationem illi, qui eleemoſynam largitur; ſed poſito, quod effectus Sacrificii, non ex parte rei oblatæ, ſed ita volente Chriſto inſtitutore, ſit finitus, jam prodeſſe exiſtimandum eſt plus ei, cui applicatur, quam aliis. *Ex Synod. Diœceſ. lib. 3. cap. 86. in hoc Volum. ad dub 4. tract. & cap. eod. num. 32.* fol. 105

XLII. Sacerdos celebraturus non accipit pecuniam in pretium Miſſæ contra Walafridi, & Wicleffiſtarum errorem, ſed quaſi ſuſtentationem vitæ: *nihil enim æquius, quam qui Altari ſervit, de Altari & vivat.* In arbitrio autem Epiſcoporum poſitum fuit præfinire quantitatem eleemoſynæ pro ſingulis Miſſis. Hoc etiam animadvertendum, neceſſe non eſſe, ut ea ſit ſtatuenda eleemoſyna, quæ integram Celebrantis ſuſtentationem ea die, qua celebrat, ſuppeditet: hac de cauſa requiritur in Ordinando ſufficiens vel Beneficium, vel Patrimonium, ut integram habere poſſit ſuſtentationem. Regulares etiam ſtare debent judicio Epiſcopi Miſſarum eleemoſynam taxantis; quicumque vero aliquid exigit ultra præfinitam taxam, delinquit, & contra legem Eccleſiæ, & contra juſtitiam commutativam. Quod ſi quis forte accipit manualem eleemoſynam conſueta pinguiorem, alterique Sacerdoti eam committat Miſſam celebrandam, non poteſt illius partem ſibi retinere, ſed totam, quam accepit, erogare debet Sacerdoti celebranti. Quandoquidem vetita fuit quædam conſueta eleemoſynæ remiſſio, utpote aliis Sacerdotibus obnoxia. *Hæc ex Synod. Diœceſ. lib. 5. cap. 8. §. 6. & 10. & cap. 9. in hoc vero Volum. ibid. ad num. 34.* ibid.

XLIII. Illorum opinio refellitur, qui ſuſtinent, Sacrificia non minus prodeſſe Defuncto, pro quo inſtituta ſunt, quam cæteris omnibus, immo magis aliis, ſi majori charitate præditi fuerint: credendum etenim potius, cum ex libera intentione Sacerdotis offeratur Sacrificium, huic eidem intentioni reſpondere certum, & taxatum gradum ſatisfactionis, qui ſi applicatur ſingularibus perſonis, erit major, quam ſi dividatur inter plures. Hinc occaſio captatur excitandi Fideles, ut pro uno ſaltem Sacrificio pecuniam conferant, quo illorum animæ ſubleventur, quæ ob ſummam rerum inopiam ſine ullo ſtipendio a Parochis ſepulchro mandantur. *Extat Not. in Tom. 1. poſita num. 16. & in hoc Volumine ibidem ad num. 35.* fol. 105

XLIV. Fructus Sacrificii applicandus eſt in præparatione ad Miſſam, antequam ſacris ſe Veſtibus induat Sacerdos, & ii ſpecialiter, & nominatim, non in confuſo, & generaliter videntur exprimendi, pro quibus offerre vel debet, vel determinat. *Ex Tract. de Sacrif. Miſſæ lib. 3. cap. 16. §. 8. in hoc Volum. ad Tract. 5. cap. 4. dub. 1. num. 5.* fol. 107

XLV. Sacerdotes nullo modo poſſunt anticipata applicatione offerre pro eo, qui primus ſtipem eſt oblaturus. *Extat Notif. in lib. 5. poſita num. 4. in hoc vero Volum. ibid. ad dub. 3. num. 17.* fol. 109

Digitized by Google

XLVI. Decet maximopere, ut Sacerdos nullam Animarum curam habens, celebret ſaltem diebus Dominicis, & Feſtis ſolemnibus: ſi autem curam habuerit Animarum, tam frequenter Miſſas celebret, ut ſuo muneri ſatisfacere poſſit. Quod ſi nunquam per annum ſacrificat, etiamſi nullo officio ſit ad celebrandum adſtrictus, gravi ſe tamen peccato obſtringit; & qui ſtatuiſſet nunquam ſe per totum anni curſum Sacrificium facere velle, abſolutione Sacramentali videretur indignus. In quæſtione vero, utrum convenientius ſit celebrare quotidie Miſſam, an non, concluditur plurimis Patrum, atque exemplorum teſtimoniis, magis conſentaneam eſſe Jeſu Chriſti, & Eccleſiæ ſenſui quotidianam Miſſæ celebrationem, modo cum iis, quibus æquum eſt, diſpoſitionibus celebretur. *Hoc pertractatur in lib. 3. de Sacrif. Miſſæ cap. 1. & 2. quod in hoc Volum. videre poteris ad litteram fideliter translatum in tr. 5. c. 5. dub. 1. n. 6.* fol. 110

XLVII. Parochus tenetur celebrare, aut legitime impeditus ut Miſſa celebretur curare diebus cunctis Dominicis, aliiſque Feſtis diebus, quoties ſcilicet Populus audire obligatur, & quotieſcumque contingat, ut Infirmo Viaticum miniſtrare opus ſit, nec Sacramenti ſit copia.

Itidem Canonici, aliique Sacerdotes Cathedralibus, ſeu Collegiatis Eccleſiis addicti, & omnes tenentes Beneficium, ſeu Capellaniam cum onere Miſſæ quotidie celebrandæ, ſtricte obligantur ad Conventualem quotidie celebrandam. *Hæc ex Tract. de Sacrif. Miſſæ lib. 3. c. 3. in hoc Volum. ad tract. 5. cap. 5. dub. 2. de obligatione celebrandi num. 8.* fol. 114

XLVIII. Quicumque curam habet Animarum, hac maxime indiſpenſabili obſtringitur obligatione, ſingulis diebus Feſtis, atque Dominicis offerre pro Populo. *Extat Notificatio in lib. 1. num. 10. Multa etiam leguntur in lib. 3. cap. 8. Tract. de Sacrif. Miſſæ; itidemque in Appendice ad id caput: quæ omnia in Volumine hoc invenies appoſita ibidem ad num. 13.* fol. 116

XLIX. Sacerdotes, qui habent onus celebrandi per ſe ipſos, poſſunt interdum celebrationem Miſſæ omittere, ſi legitima cauſa intervenerit; ſed nequeunt eo ipſo die vel Miſſam pro alio celebrare, vel eleemoſynam accipere. Hinc aliquot reſolvuntur a Sacr. Concilii Congregatione propoſita dubia.

Primo: *an Sacerdotes obligati ratione Beneficii, Capellaniæ, Legati, aut Stipendii celebrare per ſe ipſos Miſſam quotidie, poſſint aliquando vacare a celebratione?* & reſpondetur *affirmative, concurrente aliqua legitima cauſa*.

Secundo: *quando, & quoties poſſit a tali celebratione vacare?* & reſpondetur *ut ad proximum*.

Tertio: *an diebus licitæ vacationis poſſint Miſſam pro ſe ipſis, vel aliis, præterquam pro Fundatoribus celebrare?* & reſpondetur *negative*.

Quarto: *an, pro aliis celebrando, poſſint ſtipendium pro hujuſmodi celebratione recipere?* & reſpondetur *negative*.

Quinto: *an illis diebus, quibus licite vacant a celebratione, teneantur Miſſam ab aliis celebrari facere, juxta intentionem Fundatorum?* & ad hoc diſtulit reſolutionem.

Sexto: *an Sacerdotes obligati celebrare quotidie abſque onere celebrandi per ſe ipſos, poſſint aliquando a celebratione vacare?* & reſpondetur *negative*. *Hæc ex Tract. de Sacrif. Miſſæ lib. 3. c. 3. in hoc Volum ad Tract. 5. c. 5. dub. 4. num. 23.* fol. 119

L. Quotieſcumque ingens eleemoſynarum copia in unam confertur Eccleſiam, ut tot Miſſæ celebrentur in uno certo, & deſignato Eccleſiæ ejuſdem Sacello, quot tamen ibidem celebrari nequeunt; Sacra Congregatio cenſuit, Miſſarum celebrationem non eſſe ultra hebdomadam differendam, ſed in aliis ſaltem ejuſdem Eccleſiæ Sacellis eſſe explendam &c. *Vide in Appendice VIII. ad lib. 3. cap. 8. & 9. Tract. de Sacrif. Miſſæ, & in hoc Volum. ib. ad dub. 10. num. 53.* fol. 123

LI. A Sacerdotibus accipi poteſt pro Sacro faciendo eleemoſyna, ſed nunquam pactiones, aut conditiones faciendæ, ſicuti habetur apud D. Thomam *diſt. 25. qu. 3. art. 2. qu. 1. ad 4. Facere pactionem de Miſſa celebranda, eſt ſimonia; ſi tamen non habet alios ſumptus, & non tenetur ex officio Miſſam cantare, poteſt accipere denarios, ſicuti conducti Sacerdotes faciunt, non quaſi pretium Miſſæ, ſed quaſi ſuſtentamentum vitæ. Hæc ex Notif. 15. lib. 3. in hoc Volum. ad tract. 5. cap. 6. dub. 1. num. 2.* ibid.

Quomodo vero invaluerit mos offerendi pro Sacro faciendo eleemoſyna, *videre eſt in Synodo Diœceſ. lib. 5. cap. 8. in hoc Volum. ibid.* fol. 124

LII. Celebrans dicendo unam Miſſam non poteſt ſatisfacere pro duobus, pro quo utroque promiſit ſpecialiter, & in ſolidum celebrare. *Videre hoc poteris in lib. 5. Synodo Diœceſ. c. 9. & in hoc Volum. ib. ad dub. 2. n. 7.* fol. 125

LIII. Paupertatis titulo Sacerdos non poteſt tranſgredi legem taxantem Miſſarum eleemoſynam; ex ea quippe eleemoſynam integram non debet ſibi ſuſtentationem deſumere. *Ex Notif. 15. l. 3. in hoc Volum. ib. ad n. 8.* fol. 126

LIV. Quotieſcumque ſtipendium quis pro Sacro accepit faciendo, tenetur ipſum conficere, & tribuere ei fructum, a quo eleemoſynam accepit, etiamſi eleemoſyna ipſa non exæquet ſtipendium conſtitutum in Diœceſi.

Ubi Teſtator nullam certam reliquit eleemoſynam, præſcribenda congrua eleemoſyna ab Epiſcopo juxta Civitatis morem.

Sors pro Miſſa perpetua in Bononienſi Diœceſi redacta fuit ad ſexaginta Scutata Romana. *Ex prælaudata Notific. 15. lib. 3.*

Ad Locorum Ordinarios ſpectat Miſſarum ſtipem taxare. Taxantis Epiſcopi judicio ſtare debent Sæculares non ſolum, ſed, & Regulares.

Prohibentur autem Sacerdotes remiſſionem aliquam facere ſtatutæ eleemoſynæ, ne ob nimiam quorumdam liberalitatem debita ſibi ſtipe cæteri priventur. *Ex lib. 5. Synodi Diœceſ. c. 8. & 9. & in hoc Volum. ib. ad n. 11.* ibid.

LV. Fructus ſpecialiſſimus, qui convenit ſolum Sacerdoti, tribui non poteſt pro altero novo ſtipendio. *In prælaudata Notific., appoſita ad num. 15.* fol. 128

LVI. Regulares ſtare debent judicio Epiſcopi Miſſarum eleemoſynam taxantis. *Ex Synod. Diœceſana lib. 2. appoſita ibidem ad num. 17.* ibid.

LVII. Qui manualem eleemoſynam conſueta pinguiorem accepit, & alteri Sacerdoti Miſſam celebrandam committit, non poteſt aliquam illius partem ſibi retinere, ſed totam, quam accepit, erogare debet Sacerdoti celebranti. *Ex Notific. 15. l. 3. in hoc Volum. ad dub. 5. n. 31.* fol. 130

LVIII. Nihil detrahi poteſt ex eleemoſynis manualibus in commodum Eccleſiæ ſubminiſtrantis ſacra Indumenta, aliaque utenſilia ad Miſſæ celebrationem neceſſaria; ex ſtipendiis vero pro Miſſis perpetuis poſſunt quidpiam percipere Eccleſiæ illæ, quæ alios non habent reditus, quibus ſacra ſuſtinere poſſint utenſilia. *Ex prælaud. Notific. 15. lib. 3. ibid. appoſita ad num. 32.* ibid.

LIX. Celebratio Miſſarum non differenda eſt ultra hebdomadam, ſed explenda potius in aliis Sacellis ejuſdem Eccleſiæ: & ne imponatur Fidelibus eleemoſynas erogantibus, notificandum eſt per ſcriptam Tabellam viſibili Eccleſiæ loco exponendam, ſatisfactum iri in Altari deſignato, ſi fieri poterit, infra hebdomadam; ſin minus, in aliis ejuſdem Eccleſiæ Altaribus. Si vero aliquis Sacerdos accepit eleemoſynam pro celebratione, applicare tenetur eodem tempore, quo offerens ſibi applicari pro rerum ſuarum conditione petit: & niſi hoc potuerit, tenetur eleeſynam reſtituere. *Ex eadem Notific. 15. lib. 3. Ex Tract. de Sacrif. Miſſæ lib. 3. cap. 9. Ex Synod. Diœceſ. lib. 7. c. 70. iterumque in Append. 8. ad l. 3. 8. & 9. quæ omnia in hoc Volumine appoſita invenies ibid. ad dub. 6. n. 40.* fol. 131

LX. Nequeunt hodie Epiſcopi minuere, vel moderari onera Miſſarum, ſed ad Apoſtolicam Sedem recurrere debent, quæ, re diligenter perſpecta, id ſtatuet, quod in Domino expedire arbitrabitur. A Pontificibus tamen nonnullis conceſſum fuit privilegium id exequendi, in ſuis reſpectivis Religionibus, Superioribus Generalibus fere omnium Religioſorum Inſtitutorum: & hæc eadem facultas facta fuit omnibus Epiſcopis, qui per ſe, vel per ſuos Procuratores interfuerunt Concilio Romano habito anno 1725. *Ex Synod. Diœceſ. lib. 5. c. 10. in hoc Volum. ad dub. 7. ejuſd. cap. num. 48.* fol. 132

LXI. Nequeunt Sacrum facere Sacerdotes Feria quinta in Cœna Domini, & duobus ſequentibus diebus, nec in privatis Sacellis, nec in publicis Sæcularium, vel Regularium Templis, quibuſcumque privilegiis prædita ſint, præter Conventuale. Si vero incidat Feria V. Feſtum S. Joſephi, vel Annunciationis B. Mariæ Virginis, Locorum Ordinarii permittant, ut ea die quædam privatæ Miſſæ celebrentur ante Miſſam Conventualem; ut Fideles poſſint ſatisfacere præcepto audiendi Miſſam: & ſi hæ Feſtivitates occurrant in Sabbato Sancto, celebratio Miſſarum privatarum omnino prohibetur in quibuſcumque vel Eccleſiis, vel Oratoriis. *Extat Notif. in lib. 2. num. 18. Hoc idem in Tract. de Sacrific. Miſſæ lib. 3. cap. 3. §. 8. In hoc Volum. ad Tract. 5. cap. 7. de temp. & hor. celebrandi dub. 1. num. 10.* fol. 135

LXII. Non licet Sacerdoti, niſi unam tantum Miſſam celebrare, excepto die Nativitatis, dummodo ea die in duabus primis Miſſis purificationem non ſumpſerit. De hac re, & de pluralitate Miſſarum, vera urgente neceſſitate multa, multaque eruditione conferta, legi poſſunt *in Tract. de Sacrif. Miſſæ lib. 3. c. 4. §. 13. & in eod. lib. c. 27. & in Notif. 16. l. 2. quæ omnia in hoc Volum. appoſita invenies ad Tract. 5. cap. 7. dub. 2. n. 18.* fol. 137

LXIII. Miſſæ celebrari nullo pacto poſſunt, niſi ante Auroram tertia pars horæ defluxerit, & ſtatuendus finis tertia horæ parte jam emenſa poſt meridiem. *Habetur Notificat. in lib. 1. num. 13., itidem in lib. 2. num. 14., itidem in lib. 4. num. 1., pluraque etiam in Tract. de Sacrif. Miſſæ lib. 3. cap. 7. ibid. appoſita in hoc Volum. ad dub. 3. num. 25.* fol. 140

LXIV. Miſſa celebrari debet in Templis conſecratis ab Epiſcopo, aut benedictis ab aliquo Sacerdote ex permiſſu pariter Epiſcopi; itidem in Oratoriis privatis, vel domeſticis Sacellis ex privilegio. Notandum hoc loco, Epiſcopis facultatem non eſſe concedendi aliis auctoritatem celebrandi in privatarum domorum Oratoriis; bene tamen jubere poſſunt, ut domi ſuæ Miſſa celebretur &c. *Vide in lib. 3. capit. 6. Tract. de Sacrificio Miſſæ,*

& in

& in hoc Volumine ad cap. 8. dub. 1. de loco ad celebrandum requiſitu, num. 1. col. 508 *Itidem ad dubium* 2. *num.* 10. *&* 14. fol. 144

LXV. De neceſſitate, & legitima cauſa poteſt Sacrum celebrari etiam extra Templa, & Capellas, dummodo locus, in quo ſit, nihil habeat indecori, cæteraque ad id officium pertinentia ibi affuerint. *Ibid. & ad num.* 2. *appoſita*. fol. 142

LXVI. Nullus Epiſcopus, vel majoris etiam dignitatis Prælatus, etiam Cardinalatus fulgens ſplendore, ullo modo poteſt extra domum propriæ habitationis, in domibus ſcilicet Laicis, etiam in propria Diœceſi, erigere Altare, & ibi celebrare, vel celebrare facere Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium. Excipitur caſus, quo Epiſcopi ipſi vel occaſione viſitationis, vel itineris, hoſpitio excipiantur &c. *Ibid.* §. 5. *& in hoc Volum. ad num.* 4. fol. 143

LXVII. In Oratoriis, ſeu privatis Epiſcoporum, ſeu Cardinalium Oratoriis, quotidie plures Miſſæ celebrari poſſunt, ipſo etiam abſente Epiſcopo, ſeu Cardinali, idque a quocumque Sacerdote; & qui diebus Feſtis ibi Miſſam audit, tametſi ex familia non ſit, præcepto tamen ſatisfacit. *Ibid. ad num.* 6. ibid.

LXVIII. In privato Oratorio olim quotieſcumque favore Infirmi facultas concedebatur celebrandi Miſſam in die Natalis Christi Domini, intelligebatur, pro una tantum Miſſa, non pro tribus facultatem conceſſam; in privatis ſiquidem Oratoriis una ſolummodo Miſſa ſingulis diebus celebrari poteſt: nunc autem ex Decreto Sacræ Congregationis ſub die *16*. Decemb. an. 1724. definitum habemus, licere in Natali Domini tres Miſſas etiam in privatis Oratoriis celebrare. *Ex lib.* 3. *cap.* 4. *Tract. de Sacrif. Miſſæ, in hoc Volumine ibid. ad dub.* 3. §. 6. *n.* 29. fol. 146

LXIX. Poteſt, impetrato peculiari privilegio a Pontifice, celebrari Miſſa in Mari ſub illis conditionibus, ut Navigium ſit tutum; quod longe abſit a litore; quod Mare ſit tranquillum, & Celebranti adſit alter vel Sacerdos, vel Diaconus, qui poſſit ab omni periculo manu Calicem evertere. *Vide in lib.* 3. *cap.* 6. §. 8. *Tract. de Sacrif. Miſſæ, in hoc Volum. ad id caput dub.* 5. *n.* 65. fol. 150

LXX. Qui celebrat in loco polluto, ſeu violato, nullam incurrit cenſuram: bene tamen ſi Epiſcopi conſenſus non accedat, peccat. *Ex lib.* 3. *cap.* 7. §. 4. *Tract. de Sacrific. Miſſæ, in hoc Volum. ibid. ad dub* 6. *num.* 76. fol. 152

LXXI. Altare, ſuper quo Miſſæ Sacrificium peragendum eſt, debet eſſe lapideum, & conſecratum ab Epiſcopo. Ut inſtructum ſit oportet Petra Sacra ab Epiſcopo conſecrata, eaque tanta magnitudine, quæ capiat Hoſtiam, & majorem Calicis partem. Tectum eſſe debet ternis linteis mundis benedictis ab Epiſcopo, vel quovis alio, cui ſit poteſtas ea benedicendi. Longum eſſe oportet ſuperius linteum utrinque ad terram uſque demiſſum; reliqua duo breviora: quin unum tantummodo linteum ſatis eſſe poteſt, ſi duplicetur. Anterior Aræ facies auriculo, ſeu pallio, ut vocant, contegenda, cui color ille ſit, qui Feſtivitati, ſeu Officio congruat.

In medio Altari ſit Crux erecta, cujus ab utraque parte Candelabra ſint cum Candelis accenſis ſaltem duabus. Ad inferiorem Crucis partem ponatur ea, quæ Tabella dicitur Secretarum. In cornu Epiſtulæ pulvinus Miſſali ſupponendus, & ab eadem Epiſtolæ parte paretur Cereus ad elevationem Sacramenti accendendus, parva Campanula, binæ Ampullæ vitreæ, quarum altera vino, altera aqua plena ſit, cum pelvicula, & manutergio mundo in parva menſa ad hæc præparata. *Hæc, eliaque ſimilia diſtinctius videre poteris in lib.* 1. *cap.* 2. *Tract de Sacrificio Miſſæ, in hoc Volum. ad Tract.* 5. *cap.* 9. *dub* 1. *num.* 8. ibid.

LXXII. Miſſam celebrare nemini licet, niſi ſuper Altare Crucifixi Imago, vel Crux erecta ſit. *Plura leguntur in libr.* 1. *cap.* 3. *Tract. de Sacrific. Miſſæ, ubi de Altaris ornatu, & in hoc Volum. videre poteris ibidem appoſita ad dub* 2. *num.* 22. fol. 155

LXXIII. Calix in Sacrificio Miſſæ adhibendus aureus eſſe debet, vel ſaltem argenteus, cujus cuppa interne ſit auro illita: Patena itidem vel aurea ſit oportet, vel ſaltem ea argento deaurata. Super os Calicis ponendum Purificatorium: ſuper illud Patena cum Hoſtia, quæ Palla operiatur. Calix tandem cum iis omnibus obducto tegatur velo, & huic Burſa ejuſdem coloris, quo cætera ſunt Paramenta, in quam Corporale conjectum ſit plicatum, e lino, ab omni vel ſerica, vel aurea fimbria nudum, omnique ornatu detracto. Calix, & Patena ab Epiſcopo eſt conſecranda: Purificatorium vero, & Palla vel ab Epiſcopo, vel a quolibet alio eſt benedicenda, cui talis benedictionis ſit poteſtas. *Perlege cap.* 4. *&* 5. *lib.* 3. *in Tract. de Sacrif. Miſſæ, ubi plura his de rebus invenies, appoſita in hoc Volum. ibid. ad dub.* 8. *num.* 29. fol. 157

LXXIV. Veſtes Sacerdotis propriæ in celebrando ſunt hæ, quæ præſcribuntur: Veſtis prima eſt *Amictus*, quo collum undique Sacerdos cingere debet. Secunda eſt *Alba*, quæ Camiſus, & Camiſile etiam appellatur, quæ debet eſſe linea, non lanea, albi coloris. Tertia *Cingulum*, quod circumduci debet non circa pectoris mammas, ſed circa renes. Quarta eſt *Manipulus*, qui ejuſdem materiæ, & operis eſt, ac Planeta, & Stola. Quinta eſt *Stola*, quæ Orarium etiam appellabatur; hæc Veſtis olim erat oblonga, quæ totum corpus tegebat, & nomen illud traxit ex quadam faſcia ad ejus Veſtis oram circumducta, quæ Stola dicebatur. Sexta Veſtis eſt *Planeta*, quæ etiam Caſula appellatur, quæ olim a collo ad pedes uſque Sacerdotem tegebat. Hæc ſupremum omnium indumentorum eſt, quæ olim omnia interius per ſuum munimen tegebat; nunc vero mutata eſt forma, cujus aliqua nunc etiam extat memoria apud nos, & eſt, quod ubi Hoſtia conſecrata a Sacerdote elevatur, Miniſter Sacrificantis Caſulam complicat, ne Sacerdoti genua flectenti ſit impedimento.

Sacrarum Veſtium colores quinque recenſentur: Albus, Rubeus, Viridis, Violaceus, Niger, quos adhibet Eccleſia juxta ordinem Solemnitatum. Tandem nonnulla & de Birreto, & de tempore, quo ipſo uti Sacerdotes debent, dicuntur: iidemque plurima de myſtico Sacrarum Veſtium ſignificatu diſſeruntur: quæ omnia *in cap.* 7. 8. 9. *&* 10. *lib.* 1. *Tract. de Sacrif. Miſſæ invenies; & in hoc Volum. ad dub* 4. *de Veſtib. Sacris appoſita n.* 37. fol. 160

Eodem loco multa dicuntur & de Veſte, ſeu Habitu Sacerdotis ordinario. Eſſe enim debet Veſtis talaris nigri coloris, de qua ſic præcipitur: nunquam Sacrum facturi Sacerdotes ad Eccleſiam accedant ſine Veſte talari; nec adhibendæ Togæ, ſeu Clamydes, quæ in Sacrariis præſto ſunt; & hoc ſub pœnis ex arbitrio Ordinarii infligendis: *de quo extat Notific.* 16. *in lib.* 2. §. 4.

De Sacerdotum vero ornatu, ac veſte ordinaria hæc habentur. Primo deferant Collare, & Coronam capitis. Secundo, veſtem, ſeu longam, ſeu brevem, nigri ſemper coloris, adhibeant, necnon tibialia, & femoralia. Tertio, veſte utantur oblonga. Quarto, ſi aliquando pro ſuis privatis negotiis expediendis Urbem circumeant, uti poſſint veſte contractiori; ſed nigrum colorem, ac decentem honeſtatem præſeferat &c. multaque alia, quæ percurrere poteris circa Clericorum ornatum, ac veſtes *in Notificatione, quæ extat num.* 4. *lib.* 4. *in hoc Volum. ibid.* fol. 166

De Sacrarum Veſtium benedictione extat pariter *Notif.* 1. *lib.* 2. *num.* 1. *in hoc Volum. ibid.* fol. 168

LXXV. Matutinum una cum Laudibus recitare præſtat ante Miſſæ celebrationem; nec inter Matutinum, ac Laudes ullum intercedere debet tempus, præterquam in Pervigilio Natalis Domini. De neceſſitate tamen recitandum eſt ex communi Theologorum conſenſu Matutinum cum Laudibus ab initio crepuſculi matutini uſque ad ortum ſolis. *Plura de hac re videre poteris in lib.* 3. *cap.* 13. *Tract. de Sacrif. Miſſæ, & in Notif.* 4. *lib.* 2. *quæ omnia appoſita invenies in hoc Volum. ad dub.* 5. *n.* 41. fol. 170

LXXVI. Antequam Miſſam Sacerdos celebret, ſerio de præparatione cogitet, eſt neceſſe, quod faciet lavando manus, & Pſalmos aliquos recitando, qui ſunt 83. *Quam dilecta tabernacula* &c. 84. *Benedixiſti Domine* &c. 85. *Inclina Domine* &c. 115. *Credidi* &c. & cum ad Altare pervenerit 42. *Judica me Deus* &c. *Hæc ex lib.* 1. *cap.* 12. *Tract. de Sacrif. Miſſæ, in hoc Volum. ibid. ad num.* 42. fol. 171

LXXVII. Nemini licet in celebratione Miſſæ Pileolum, & Comas fictitias gerere, niſi facultas a Summo Pontifice obtineatur: quo loco multa invenies de fictitia coma, & quomodo, & a quibus, quibuſve caſibus geri poſſit.

Præterea a Sacra Congregatione Sacerdotibus univerſis, licet Protonotariis Apoſtolicis, aut qualibet Dignitate, & Canonici titulo præditis, etiam in Eccleſiis Cathedralibus, aut Metropolitanis Anulum in digitis, dum celebrant Miſſam, gerere vetatur. Vetatur itidem uti *Bugia*; Adminiſtrum habere, qui dum ipſi celebrant, Miſſali aſſiſtat, pagellas evolvat, Calicem detergat, vinum & aquam infundat, ipſumque Calicem, cum opus eſt, tegat, & detegat: & Abbatibus peculiariter in Miſſis privatis nihil amplius, quam cæteris Sacerdotibus permittitur, quoad Indumenta, Miniſtros, Altaris ornatum, & Benedictionis largitionem. *Extat Notif. in lib.* 5. *num.* 8.

De Coma fictitia, vel Pileoli uſu eadem prorſus, quamvis copioſioribus conſerta eruditionibus invenies *in lib.* 7. *c.* 6. *Synod. Diœceſ. in hoc Volum. ib.* fol. 172. & 176

LXXVIII. Non licet celebrare Miſſam, niſi ſit, qui Sacerdoti miniſtret. Hic autem Miniſter maſculus eſſe debet, non femina. *Ex Tract. de Sacrif. Miſſæ lib.* 1. *c.* 11. *In hoc Volum. ad n.* 49. col. 633.: *& in lib.* 3. *cap.* 7. hæc eadem, adhuc clarius recenſendo caſus, quibus abſque Miniſtro poſſet quis celebrare. col. 634

LXXIX. Qui celebrat Miſſam in aliqua Eccleſia Regularium, aut Monialium, in qua de Feſto duplici fiat, habente Miſſam propriam, quæ non ſit conceſſa omnibus, Miſſam dicat de Feſto, ſed cum Miſſali Romano. Confeſſarii vero, & Capellani, alicui Monialium ſervitio addicti, Miſſas Sanctorum, de quibus ipſæ recitant Officium, celebrare poſſunt, ſed cum Miſſali Romano, & de Communi, non vero Miſſas proprias eorumdem Sanctorum variis Ordinibus a Sacra Congregatione conceſſas.

Miſſæ triginta Sancti Gregorii vetantur, non tamen

tollitur

tollitur pia conſuetudo, ut per triginta dies continuos Sacrificium offeratur pro Mortuis, dummodo ſi eo dierum ſpatio Sacrum pro Defunctis fieri nequeat, id ipſum facere caveant.

Miſſæ pro Defunctis ſolemnes poſſunt haberi, quotieſcumque pro iiſdem privatæ conceduntur; idque permittitur, etiamſi Officium duplex agatur, quotieſcumque Anniverſaria alicujus Defuncti ſint celebranda.

Iidem diebus Dominicis, aut Feſtis de præcepto Miſſæ hujuſmodi celebrari nequeunt; bene tamen præſente corpore, niſi obſtet magna ſolemnitas, quæ ſit duplex primæ Claſſis, Miſſa propria pro Defunctis celebrari poterit. *Hæc, aliaque plura circa Miſſarum qualitates celebrandarum invenies in lib. 3. cap. 23. Tract. de Sacrif. Miſſæ appoſita in hoc Volum. ibid. ad num. 62.* fol. 179

LXXX. Nemini licet ab Altari recedere, & alii Sacerdoti committere Miſſam abſolvendam; & hoc ſub pœnis variis. *Ex lib. 3. cap. 14. Tract. de Sacrif. Miſſæ, in hoc Volum. ad dub. 8. num. 63.* fol. 181

LXXXI. Si forte contingat, ut Sacerdos, dum Miſſam celebrat, vel morte inopinata concidat, vel repentino morbo perculſus deficiat animo, & impediatur, quominus Sacrificium poſſit perficere: ſi hoc ante Conſecrationem eveniat, non eſt neceſſe Miſſam continuari ab alio; ſi vero facta ſit Conſecratio Corporis tantum, aut Corporis, & Sanguinis, Miſſa perficienda eſt ab eo loco, ubi primus deſiit, & ab alio, qui tamen ſit Sacerdos (ſi enim Sacerdos haberi non poſſit, & Laicus adſit ſolum, quamvis paratus, & bene diſpoſitus, non debet tamen perfici Miſſa, ſed eo caſu Hoſtia, & Calix in Tabernaculo eſt condenda) ſit jejunus, ſit in gratia; tametſi in caſu neceſſitatis poteſt & non jejunus Miſſam perficere, & Sacramentum ſumere; qui autem non eſt in gratia, Confeſſarium quærere tenetur, & ſi non reperiat, Contritionis actum elicere, ut Miſſam ſuppleat. Quod ſi nemo inveniatur, qui hoc perficere ante meridiem poſſit, Hoſtia, & Calix in Tabernaculo condenda, ut poſtero die, qui Miſſam celebret, ea ſumat ante ablutionem. Si autem Sacerdos obierit ſemiprolata forma Sanguinis; tunc alter proſequatur Miſſam, & ſuper eumdem Calicem repetat integram formam, ab eo loco incipiendo: *Simili modo &c.* Si tandem conſtat, utramque ſpeciem fuiſſe conſecratam, ſed incertum quanam in Miſſæ parte Sacerdos fuerit morbo correptus, qui ſupplet incipere debet ab iis verbis: *Unde & memores Domine &c. Hæc, pluraque etiam videre poteris in lib. 3. cap. 14. Tract. de Sacrificio Miſſæ, in hoc Volumine ad dub. 8. ejuſdem cap. num. 63.* fol. 181

LXXXII. Si quis non eſt jejunus poſt mediam noctem, etiam per ſumptionem ſolius aquæ, vel alterius potus, aut cibi, vel per modum medicinæ, vel in quacumque parva quantitate, non poteſt communicare, nec celebrare. Ex quo intelligi poteſt, quod hoc jejunium, quod naturale dicitur, non admittit parvitatem materiæ. Non frangitur hoc jejunium, ſi exiguæ aliquot cibi reliquiæ dentibus, vel gutturi hærentes poſt mediam noctem forte tranſglutiantur; vel ſi, lavando os, ſtilla aquæ præter intentionem deglutiantur.

In dubio, num quis fregerit jejunium poſt mediam noctem, debet vel a Miſſa celebranda, vel a ſumendo Sacramento abſtinere.

In quæſtione utrum naturale jejunium per qualemcumque Tabaci uſum violetur, hæc præſtanda reſolutio, nulla ratione per Tabaci uſum, ſive etiam maſticationem naturale frangi jejunium, & ab omni abeſſe ſive inhoneſtate, ſive indecentia. *Ex lib. 3. cap. 12. Tract. de Sacrif. Miſſæ, & ex lib. 8. cap. 63. Synod. Diœceſ., necnon & in Append. IX. &c. In hoc Volum. ibid. ad n. 66.* fol. 182

LXXXIII. Inter impedimenta, quæ ad licitam Miſſæ celebrationem perficiendam occurrere poſſunt, ſunt: ſi Sacerdos, cœpta jam Miſſa, recordetur ſe peccatum mortale commiſiſſe, neque eo ſe per Sacramentalem Confeſſionem expiaſſe: ſive illi in memoriam veniat, ſe non eſſe jejunum, vel aliqua eſſe cenſura implicatum, dummodo nullum timeatur ſcandalum, & facta non ſit Conſecratio. *Hæc ex lib. 3. cap. 11. Tract. de Sacrif. Miſſæ. In lib. autem 3. cap. 14. ejuſd. Tract.* nonnulli alii recenſentur caſus, & ſunt, violatio, vel pollutio Templi; cum nuntiatur prope eſſe hoſtes, a quibus immineat Sacerdoti cædis periculum, vel alluvio, vel Templi immineat ruina: quæ omnia ſemper intelliguntur, niſi facta fuerit Conſecratio. Quod ſi peracta Conſecratione hoc contingat, tunc Sacerdos, omiſſis cæteris, Corpus, & Sanguinem ſumere debet.

In dubio, utrum Sacerdoti, qui conſecravit Hoſtiam, & tempus non ſuppetat Sanguinis conſecrandi; liceat ſic abire, vel teneatur conſecrare etiam Sanguinem, eumque ſumere, ne Sacrificium imperfectum remaneat; reſpondetur, eum poſſe, ut ſeſe a periculo mortis ſubripiat, ſumere Hoſtiam, dummodo nullum timeatur ſcandalum, vel Religionis contemptus.

Item interrumpi debet celebratio ſi ſuperveniat Excommunicatus, qui jam talis declaratus ſit: pariter ſi habenda ſit Concio; vel baptizare oporteat moribundum Infantem; vel ad excipiendam Confeſſionem Infirmi morituri ſine Sacramento Pœnitentiæ. *Omnia in hoc Volumine ibid. ad num. 71.* fol. 185. & 187

LXXXIV. In Miſſæ celebratione omnia, quæ clara voce dicenda ſunt, proferri debent diſtincte, appoſite, & non admodum feſtinanter.

Spatium temporis, quod in Miſſæ celebratione debet impendi, duplex conſtituitur: interius primum, quod conſiſtit in recta, atque integra verborum pronunciatione, in precibus, cæteriſque rebus, quæ a Sacris Ritibus præſcribuntur: exterius ſecundum, quod pietati Sacerdotis liberum relinquitur, ſed nec prolixius, nec celerius quam par ſit admittendum; imo ex Scriptorum opinione ad tertiam horæ partem debet ſaltem pertingere, neque horæ dimidium excedere.

Monentur tamen Sacerdotes, ut bene perpendant, quid maxime acturi ſint, cum ad tantum conficiendum Sacrificium accedunt, ne proinde ex Foro, aut ex publicis Urbis Officinis, ubi vanis rebus detinentur, ad Sacrarium properent, ut ſacrificent, & qua maxime decet pietate, ac ſtudio, & morum pietate ſacras prorſus cæremonias obſervantes ad ſacrum accedant Altare &c. *Hæc omnia ex Notif. 14. lib. 2. §. 6., & ex lib. 3. cap. 24. Tract. de Sacrif. Miſſæ, quæ tranſcripta invenies fideliter in hoc Volumine, & appoſita ad Tract. 5. cap. 9. dub. 9. num. 77.* fol. 188

LXXXV. Defectus, qui in Miſſa celebranda occurrere poſſunt, vel eveniunt in pane, ſi nempe ſit corruptus, vel non ſit e frumento: quod ſi contingat, remota prima Hoſtia, alia ponatur, & ab eo loco proſequatur Sacerdos, ubi deſiit, dummodo peracta non fuerit Conſecratio. Si vero id poſt Conſecrationem advertit, tunc ſi eam jam ſumpſerit, aliam ſumat Hoſtiam, offerat, atque conſecret, incipiendo ab illis verbis: *Qui pridie &c.* & ne prætermittat eam ſumere, quamvis non amplius jejunus; ſi vero eam nondum abſumpſerit, abſumat poſt ſumptum Corpus, & Sanguinem. Quod ſi Sacerdos hoc advertat poſt etiam ſumptionem Sanguinis; tunc novum oportet parare panem, novumque vinum cum aqua, & utrumque rurſus conſecrare, ſumpto initio ab illis verbis: *Qui pridie &c.* & panem, ac vinum ita conſecratum ſumere.

Vel haberi poſſunt in vino, puta ſi acetum in Calicem pro vino infuſum, ſeu quivis alius liquor, qui conſecrari non poſſit: quo caſu, ſi id ante Sanguinis Conſecrationem advertit, novum vinum jubeat afferri, idque offerat, & conſecret, incipiendo ab illis verbis: *Simili modo*: ſi vero id poſt Conſecrationem Calicis comperiat, ſi Miſſa celebretur in loco publico, ubi plures adſint, ad evitandum ſcandalum, poterit apponere vinum cum aqua, &, facta oblatione, conſecrare, & ſtatim ſumere, ac proſequi cætera: ſi autem celebret ſecreto, ubi nullum adſit periculum ſcandali, apponenda alia hoſtia, & vinum cum aqua, quæ primum offerri, tum conſecrari, ac deinde ſumi deberet; incipiendo in priori caſu ab illis verbis: *Unde & memores;* in ſecundo ab illis: *Qui pridie &c.*

Vel poſſunt occurrere in pane, & vino: quo caſu, ſi id advertat Sacerdos ante Conſecrationem, materias idoneas afferri jubeat, quæ niſi reperiantur, Miſſam omittat: ſi id advertit poſt Conſecrationem, omittat Miſſam, quia invalida eſt Conſecratio; ſi id poſt ſumptionem, omittat pariter Miſſam poſt aliquam orationem, iis omiſſis, quæ perceptionem deſignant, ad vitandum ſcandalum, & facta benedictione ad populum, legat Evangelium S. Joannis &c.

Vel poſſunt contingere in aqua, quod ſi advertit ante Conſecrationem, eam rurſus infundat in Calicem, ſi poſt, proſequatur Miſſam.

Alii etiam recenſentur defectus, vel caſus, qui in Miſſæ celebratione occurrere poſſunt, quos omnes percurrere poteris *in lib. 3. cap. 15. Tract. de Sacrif. Miſſæ, in hoc Volum. ad Tract. 5. cap. 9. dub. 10. num. 88.* fol. 190

Quomodo vero ſe gerere debeant Sacerdotes in pluribus caſibus, qui proponuntur poſſibiles, & practici in Sacro faciendo, circa nempe fractionem Hoſtiæ, circa ſumptionem Sacramenti, circa Fragmentorum collectionem, circa parvi moduli Hoſtias ſumendas, vel ſervandas; circa guttas ſeparatas a Sanguine. Itidem circa varios caſus, qui contingere poſſunt in Hoſtia, vel ſervanda pro Proceſſione, vel conſecranda in Miſſæ celebratione.

Nonnullæ etiam recenſentur difficultates circa Communionem tum Sacerdoris ipſius extra Miſſam, tum Adſtantium in ipſa Miſſa faciendam.

De Conſecratione etiam agitur peragenda, ubi aliquot reſolvuntur dubia.

Num Adſtantes in Miſſis Defunctorum poſſit Sacerdos communicare, vel in Pervigilio Nativitatis, vel in Feria VI. in Paraſceve?

Multa tandem recenſentur, quæ ſunt obſervanda a Sacerdotibus in miniſtranda Populo Euchariſtiam extra Miſſam, potiſſimum quoad debitam ritus obſervantiam.

Et hæc omnia colligere poteris ex capitib. 17. 18. 19. & 20. prælaudati Tract. de Sacrif. Miſſæ, quæ in hoc Volum. in fine extant totius Tract. 5. fol. 193

INDEX

INDEX RERUM NOTABILIUM,

Quæ in Prima Parte hujus Operis continentur.

Prior numerus Paginam, ſecundus Notas marginales deſignat.

A

ABBAS.

Abbates non poſſunt eſſe Patrini in Baptiſmo. fol. 42. 15
Si de facto aliquem ſuſciperent de Sacro Fonte, contraherent cognationem ſpiritualem. 43. 15

ACCIDENTIA.

Accidentia realia panis, & vini remanent in Sacramento Euchariſtiæ. 64. 33
Remanent abſque ſubjecto ſubſtantiali. 64. 34
Remanent ſubjectata in quantitate. ibid. 35
Poſſunt in Sacramento agere, e pati. ibid. 36
Poteſt ex illis produci forma ſubſtantialis. ibid. 37
Quanto tempore durent in ſtomacho ſumentis Euchariſtiam. 65. 39

ADULTUS.

In Adultis, qui aliquando uſum rationis habuerunt, requiritur intentio aliqua, ſaltem habitualis, ad valorem Baptiſmi. 36. 9
Non requiritur in illis fides ſupernaturalis pro validitate, ſed pro fructu, & gratia. 37. 13
Requiritur Attritio ſupernaturalis, ſi habent peccata actualia. ibid. 14
Non tenentur præmittere Confeſſionem ante Baptiſmum. ibid.

ALTARE.

Altare ad Miſſæ Sacrificium celebrandum debet eſſe lapideum, ab Epiſcopo conſecratum. 152. 1
Altare duplex eſt, fixum, & portatile, ſeu viaticum. ibid. 2
Qualiter conſecratio deperdatur. ibid. 3
Particulæ conſecratæ debent remanere in Altari uſque ad conſummationem Sacramenti. ibid. 8
Qualiter ornari debeat Altare pro Sacrificio celebrando. 154. 9
Obligatus celebrare in aliquo Altari regulariter non ſatisfacit alibi celebrando. 120. 27
Obligatus celebrare in Altari privilegiato debet in eo celebrare. 122. 49
An ſatisfaciat applicando Defunctis Indulgentiam Medaliæ, ſeu Calculi benedicti. ibid. 50
Altare privilegiatum habet majorem certitudinem Indulgentiæ, quam Medalia benedicta. 123. 52

AMENS.

Poteſt baptizari, ſi ante amentiam Baptiſmum petiit. 36. 10
Etiamſi Amens, aut Furioſus in actuali ſuſceptione Baptiſmi obſtare videtur. ibid.
Si dubitatur, utrum ante amentiam petierit Baptiſmum, baptizandus eſt ſub conditione. ibid. 11
Secus ſi conſtaret, Amentem in ſtatu peccati permanſiſſe. ibid.
Amentibus, qui numquam uſum rationis habuerunt, nec in vita, nec in morte eſt miniſtranda Euchariſtia. 78. 10
Eſt miniſtranda in articulo mortis, ſi habuerunt uſum rationis, & non conſtat fuiſſe in peccato mortali, quando inciderunt in amentiam. ibid.
Dummodo non adſit periculum vomitus, aut alterius irreverentiæ, quæ raro abeſſe ſolet. ibid.
Sunt capaces Extremæ Unctionis. ibid.
Quid faciendum ſit, ſi amentia non ſit perpetua, ſed habeat lucida intervalla. ibid. 11

APPARITIO.

Apparitio Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ poteſt fieri, de facto tamen non ſit in propria ſpecie. 64. 28
Fieri ſolet per immutationem noſtri ſenſus, vel accidentium in objecto. ibid. 29
Sub tali Apparitione permanet Chriſtus. ibid.
An debeant tales ſpecies ſumi a Celebrante. ibid. 32
An debeant aliæ conſecrari. ibid.

APPLICATIO MISSÆ.

Ad conſequendos fructus Sacrificii Miſſæ requiritur applicatio Sacerdotis, quæ ſufficit, ſi ſit habitualis. 107. 3
Applicatio Sacerdotis fieri debet ante Miſſam, vel ante Conſecrationem. ibid. 5
Si contingat, unum Sacerdotem conſecrare Hoſtiam, & alium conſecrare Calicem, iſte poteſt Sacrificium applicare. 108. 6
Valet applicatio Sacerdotis facta contra voluntatem Prælati, & contra juſtitiam. ibid. 8
Non poteſt applicatio fructus ſuſpendi in futurum. ibidem 13
Nec poteſt Sacerdos anticipate applicare pro eo, qui primo ſtipem eſt oblaturus. ibid. 15
Talis applicatio aliquando poteſt eſſe valida, ſed ſemper eſt illicita. 109. 16
An poſſit Capellanus prævenire, applicando Miſſas hebdomada præcedente. ibid. 18
Si Sacerdos nulli applicet fructum Sacrificii, prodeſt Celebranti. 110. 26
Non poteſt licite Sacerdos aliquem excludere a generali fructu Sacrificii. ibid. 27
An peccet non applicando, qui Miſſam liberaliter promiſit. 118. 14
Quando Parochus teneatur applicare pro Populo. Vide *Parochus. Sacrificium.*
An poſſit Miſſa applicari pro eleemoſyna, & alteri ex gratitudine, ſeu caritate. 128. 21
Vide *Stipendium.*

AQUA.

Aqua benedicta qualiter valeat ad remiſſionem peccatorum venialium. 24. 3
Aqua eſt vino miſcenda ante Conſecrationem. 56. 19
Non de neceſſitate Sacramenti, ſed præcepti. ibid.
Debet eſſe aqua naturalis, & modica. 57. 21
Aqua vino mixta convertitur immediate in Sanguinem Chriſti. ibid. 24

ATTRITIO.

Quid ſit Attritio, & quomodo differat a Contritione. 207. 7. & 210. 39
An debeat procedere ex metu pœnæ æternæ. 211. 43
Quomodo Attritio concepta ex metu pœnarum poſſit eſſe bona. ibid. 44
Attritio, etiam virtualis, ſufficit ad remittenda peccata venialia extra Sacramentum. 217. 24

B

BAPTISMUS.

Baptiſmus eſt triplex, Fluminis, Flaminis, & Sanguinis. 24. 1
Solus Baptiſmus Fluminis eſt verum Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum. ibid. 2
Habet diverſa nomina. 90. 3
Baptiſmus quod definiatur. ibid. 4
Baptiſmus Joannis an fuerit verum Sacramentum. ibid. 5
Sacramentum Baptiſmi, quando fuerit inſtitutum. ibidem 7
Eſt ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, vel in re, vel in voto. 26. 12
Baptiſmus in re ſuſceptus eſt neceſſarius neceſſitate præcepti Divini obligantis omnes Adultos. ibid. 14
Parentes tenentur quamprimum procurare Pueris Baptiſmum. ibid. 17
Quanto tempore poſſit differri. ibid. 18
Quando cœperit obligatio ſuſcipiendi Baptiſmum. 27. 19

BA-

BAPTISMI MATERIA.

Materia remota Baptiſmi eſt aqua naturalis, & elementaris. 27. 1
Quænam ſit materia ſufficiens, & quænam materia dubia. ibid. 2
Aqua roſacea, aqua florum, herbarum, & quæ diſtillat ex vite, non eſt materia Baptiſmi. ibid. 3
Lixivium an poſſit eſſe materia ſufficiens. 28. 4
Materia proxima eſt ablutio ex aqua elementari. ibid. 6
Ablutio in eo conſiſtit, quod aqua tangat corpus contactu ſucceſſivo. ibid. 7
Tribus modis fieri poteſt ablutio; per infuſionem, aſperſionem, & immerſionem. ibid. 8
Quælibet ex iſtis ſufficit ad Baptiſmum. ibid.
Valide confertur, ſive per unam, ſive per trinam immerſionem. ibid.
An valeat Baptiſmus, ſi per immerſionem ſuffocetur Infans, ut ſi projiciatur in flumen, aut puteum cum prolatione formæ. ibid. 9
Non eſt licitum tali modo baptizare Puerum. ibid. 11
An valeat Baptiſmus, quando Puer ſubmittitur aquæ defluenti e tecto. ibid. 13
Non valet Baptiſmus, ſi veſtes tantum abluantur. 29. 16
An poſſit baptizari Puer veſte ſecundina involutus. ibid. 17
An ſit validus, ſi ſolum capilli abluantur. ibid. 19
An valeat, ſi ſolum pes, aut digitus abluatur. ibid. 21
Quænam quantitas aquæ requiratur, & ſufficiat ad Baptiſmum. ibid. 23

BAPTISMI FORMA.

Forma Baptiſmi quænam ſit. 29. 25
Non eſt de neceſſitate Baptiſmi formaliter exprimere perſonam Miniſtri. ibid. 27
Peccaret, qui omitteret particulam *Ego*. 30. 28
Neceſſario exprimenda eſt Perſona baptizanda. ibid. 29
Exprimi etiam debet actio baptizantis. ibid. 30
An valeat Baptiſmus collatus ſub illa forma: *Io ti battezza col nome del Padre, col nome del Figlio, e col nome dello Spirito Santo.* ibid. 31
Debet adeſſe invocatio explicita Trinitas. ibid. 32
Quomodo Apoſtoli baptizarent in nomine Chriſti. ibidem 34
An valeat Baptiſmus datus in nomine Genitoris, Geniti, Spirati, ſeu Procedentis ab utroque. ibid. 36
An forma debeat proferri latino ſermone. 31. 38

BAPTISMI MINISTER.

Vide *Miniſter*.

BAPTISMI SUBJECTUM.

Subjectum Baptiſmi eſt omnis, & ſolus homo viator, nondum baptizatus. 35. 1
Monſtrum an, & quomodo debeat baptizari. ibid. 2
Puer in utero Matris exiſtens non poteſt baptizari. ibid. 6
Valet Baptiſmus, ſi Puer in utero Matris exiſtens in ſe ipſo abluatur. ibid.
Baptiſmus non poteſt iterari. 36. 7
Si Baptiſmus iteretur, tum qui baptizat, tum qui voluntarie rebaptizatur, fiunt irregulares. ibid.
Nulla requiritur diſpoſitio in Pueris uſu rationis carentibus. ibid. 8
In Adultis requiritur intentio aliqua, ſaltem habitualis. ibid. 9
Furioſus, & Amens, quatenus debeat baptizari. ibidem 10
Quid, ſi dubitetur, an petierit Baptiſmum ante amentiam. ibid. 11
An valeat Baptiſmus, quando quis baptizatur ex metu gravi. ibid. 12
Ad valorem Baptiſmi non requiritur fides ſupernaturalis in Adultis, ſed ſolum ad recipiendum fructum, & gratiam. 37. 13
In habente peccata mortalia ultra originale, requiritur Attritio ſupernaturalis. ibid. 14
Non eſt præmittenda Confeſſio Sacramentalis. ibid.
Valet Baptiſmus collatus Filiis Infidelium, invitis Parentibus. ibid. 16
Si Filii Infidelium habeant uſum rationis, & petant Baptiſmum, baptizari debent, invitis Parentibus. ibid. 18
Non poſſunt licite ſic baptizari, ſi careant uſu rationis. ibid. 19
An licite baptizari poſſint Filii Hæreticorum. ibidem 20
Filii Infidelium debent baptizari, ſi exiſtant in periculo mortis. ibid. 21
Si alter ex Parentibus ſit Fidelis, debet baptizari Puer. ibid. 22
Filii Infidelium, qui non ſunt Servi, ſed Vaſſalli, & Tributarii Principum Chriſtianorum, non poſſunt, invitis Parentibus, baptizari. 38. 24
Poſſunt baptizari filii ſervorum. ibid. 25
Domini an teneantur curare ſuos ſervos baptizari. ibidem 26
Baptiſmus quando ſit ſub conditione iterandus. ibid. 27
Natus, & educatus inter Chriſtianos, an debeat ſub conditione rebaptizari. ibid. 29
Infantes expoſiti ſine ſchedula, & teſtimonio Baptiſmi, an debeant ſub conditione baptizari. 39. 30
Quid, ſi habeant collo appenſam ſchedulam ſuſcepti Baptiſmatis. ibid. 31
An iterum debeant baptizari Infantes domi baptizati ab Obſtetricibus. 40. 33

BAPTISMI EFFECTUS.

Baptiſmus delet peccata omnia, non ſolum originale, ſed etiam actualia. 41. 35
Tollit omnem pœnam peccatis debitam. ibid. 36
Confert gratiam juſtificantem cum donis, & virtutibus. ibid. 37
Imprimit in Anima Characterem. ibid. 38
An Baptiſmus liberet a ſervitute. ibid. 40

BAPTISMI PATRINUS.

Vide *Patrinus*.

C

CALIX, ET PATENA.

AD Sacrificium Altaris neceſſario requiritur Calix cum Patena ab Epiſcopo conſecratus. 157. 23
Ex qua materia eſſe debeat. ibid.
Numquam debet eſſe ligneus, vel vitreus. ibid.
Cuppa Calicis debet eſſe intus deaurata. ibid. 25
Superior pars Patenæ debet eſſe ſimiliter deaurata, ſub obligatione gravi. ibid.
Calix cum Patena debet eſſe conſecratus ab Epiſcopo, ſeu alio habente facultatem, per unctionem Chriſmatis. ibid. 26
Per Sacerdotis celebrationem in Calice non conſecrato fieri conſecratum, & non indigere nova conſecratione, probabilius eſt. ibid. 27
Quandonam amittant conſecrationem. ibid. 28
An Pixis debeat conſecrari. ibid. 29

CAPELLANUS.

Capellanus tenetur Miſſas celebrare juxta intentionem Capellaniæ, & voluntatem Fundatoris. 119. 18
Capellanus obligatus celebrare quotidie, poteſt ſemel in hebdomada prætermittere. ibid. 19
Intellige, ſi fuit a Fundatore principaliter electa perſona; ſecus ſi fuit electus locus, vel Eccleſia. ibid.
Quomodo hoc poſſit dignoſci. ibid.
Quibus diebus Capellanus ceſſare poteſt a celebratione, non poteſt celebrare pro alio, nec ſtipendium accipere. ibid. 22
Poteſt Capellanus ter, aut quater in anno celebrare pro ſe ipſo, aut ſibi valde conjuncto. ibid. 23
In Nativitate Domini non tenetur applicare, niſi unam Miſſam, alias duas poteſt applicare ſibi. ibid.
In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum poteſt applicare pro omnibus Defunctis. ibid.
Quas Miſſas poſſit omittere Capellanus infirmus. 120. 24
Capellanus obligatus celebrare in certo loco, Eccleſia, vel Altari, non ſatisfacit alibi celebrando. ibid. 27
Aliquando poteſt excuſari a peccato alibi celebrando. ibid. 28
Idem valet de obligatione celebrandi certis diebus. 121. 33
An teneatur applicare pro Fundatore, quando clare non conſtat de mente illius. ibid. 34
Quid dicendum de Capellaniis antiquis. ibid. 38
An poſſint præſcribi onera Miſſarum. ibid. 40
An valeat præſcriptio contra Capellanum. 122. 41
Quando teneatur Capellanus celebrare per ſe ipſum. ibid. 42
Quando poſſit Capellania conferri Clerico non Sacerdoti. ibid. 44

CATHECUMENUS.

Pro Cathecumenis applicari poteſt Sacrificium Miſsæ, non ſolum quoad fructum impetrationis, ſed etiam quoad fructum ſatisfactionis. 99. 12
Cathecumeni ſunt membra Chriſti per fidem. ibid.
Spectant ad Eccleſiam Chriſti viſibilem initiative. ibid.
An poſſit pro illis defunctis applicari Sacrificium. 101. 27

CHARACTER.

Tria tantum Sacramenta Novæ Legis imprimunt Characterem. 13. 2
Sacramenta antiqua non imprimebant Characterem in anima. ibid. 4
Character imprimitur in anima per modum ſigni indelebilis. 14. 6
Eſt qualitas ſpiritualis, indiviſibilis, indelebilis, & ſupernaturalis. ibid. 8
Characteres impreſſi a tribus Sacramentis differunt ſpecie. ibid. 14

CINGULUM.

Cingulum, quo Sacerdos utitur in Miſsa, an, & qualiter fractione benedictionem amittat. 160. 35
Num abſque benedictione poſſit adhiberi. ibid. 31
Si Cingulum ita frangatur, ut utraque pars poſſit inſervire ad cingendum, utraque eſt benedicta, & poteſt ſufficere ad celebrandum. ibid. 35
Si una pars fiat inepta, poteſt parti aptæ iterum annecti, ſine nova benedictione. ibid.
Si neutra pars remaneat apta, benedictionem amittit. ibid.

CIRCUMCISIO.

Fuit verum Sacramentum, non tantum ad ſegregandum Populum Judæorum, ſed etiam ad delendum originale ordinatum. 7. 29
Qualis eſset ritus Circumciſionis, quo tempore, quo loco, a quo miniſtro, & quo inſtrumento fieri deberet. 8. 32
Non conferebat gratiam ex opere operato proprie dicto. 12. 33

COMMUNIO.

Datur præceptum Divinum communicandi, & ſumendi Euchariſtiam. 72. 5
Quandonam obliget hoc præceptum. ibid. 7
Qui mortem violentam auctoritate Judicis infligendam patiuntur, tenentur præcepto Divino ad Communionem ſumendam. 73. 11
Judices damnatis ad mortem tenentur concedere tempus, ut Sacramenta recipiant. ibid. 12
An teneatur communicare in periculo mortis, qui paucis ante diebus communicavit. ibid. 14
An qui communicavit mane, teneatur iterum communicare, ſi illa die incidat in periculum mortis. 74. 18
Quinam teneantur ex præcepto Divino communicare. 75. 24
Datur præceptum Eccleſiaſticum obligans omnes Fideles ad communicandum in Paſchate. ibid. 1
Quid veniat nomine Paſchatis. 76. 2
Qui non communicavit in Paſchate, an cenſuram aliquam incurrat. 77. 4
Quinam teneantur ex præcepto Eccleſiaſtico communicare. ibid. 5
Qualis Euchariſtiæ ſumptio requiratur ad implendum præceptum Communionis in Paſchate. 78. 14
Non ſufficit Communio ſolum ſpiritualis. ibid. 15
Non ſufficit Communio indigna, & ſacrilega. ibid. 17
Qui non communicavit in Paſchate, an teneatur communicare quamprimum poſt Paſcha. ibid. 18
Qui prævidet futurum impedimentum, tenetur prævenire Communionem. 79. 21
Communio Paſchalis facienda eſt in propria Parochia. ibid. 23
Quonam jure Laici teneantur communicare ſub una tantum ſpecie. 80. 29
De frequenti uſu Euchariſtiæ. 81. 33
Vide *Euchariſtiæ præceptum*.

CONFESSIO SACRAMENTALIS.

Qualiter præmittenda ſit ante Communionem, vel celebrationem Miſſæ. 82. 9
In quibus caſibus cenſeatur deeſſe copia Confeſsoris, ad effectum communicandi, non præmiſsa Confeſſione. 83. 12. & deinceps.
Quæ, & quanta neceſſitas requiratur, ut poſſit communicare, non præmiſsa Confeſſione. 84. 23. & deinceps.
Ad quid teneatur, qui communicavit, aut celebravit, non præmiſsa Confeſſione. 85. 33
Quid debet facere, qui habet peccata reſervata, & adeſt Confeſsarius potens abſolvere a non reſervatis. 83. 14
Quid, ſi habeat Excommunicationem reſervatam. ibidem 19

CONFIRMATIO.

Confirmatio quid ſit. 44. 2
Quo tempore fuit inſtitutum hoc Sacramentum. ibidem 3
Qualiter hoc Sacramentum ſit neceſsarium ad ſalutem. 45. 6
An peccet, qui voluntarie omittit recipere hoc Sacramentum. ibid. 7
An ſit peccatum recipere Ordines ante Confirmationem. ibid. 8
Quænam ſit materia remota hujus Sacramenti. ibid. 10
Requiritur mixtio Balſami cum Oleo olivarum. 46. 12
Sacramentum hoc miniſtratum cum Oleo, ſine Balſamo, an debeat iterari. ibid. 14
De neceſſitate Sacramenti Chriſma debet eſse ab Epiſcopo benedictum. ibid. 15
Chriſma an poſſit conſecrari a ſimplici Sacerdote. ibid. 16
An debeat eſse novum confectum illo anno. 47. 18
Materia proxima eſt unctio Chriſmatis facta in fronte, manu Epiſcopi. ibid. 19
An ſit de neceſſitate, quod unctio fiat in modum Crucis. ibid. 20
An debeat immediate fieri manu Epiſcopi. 48. 21
Apoſtoli an confirmaverint per Chriſmatis unctionem, vel per ſolam impoſitionem manuum. ibid. 22
Forma Confirmationis quænam ſit. ibid. 24
Invocatio explicita Trinitatis eſt de neceſſitate Sacramenti. ibid. 25
An detur aliqua determinata forma pro conſecratione Chriſmatis. ibid. 26
Subjectum capax Confirmationis quinam ſit. 49. 11
An poſſit miniſtrari Pueris ante uſum rationis. ibid. 12
An licite, & valide miniſtretur perpetuo amentibus. 50. 13
An proxime morituris debeat miniſtrari. ibid. 14
Quinam ſint effectus hujus Sacramenti. ibid. 16
Quæ cæremoniæ adhibeantur in Confirmatione. 51. 17
Quinam debeat eſſe Patrinus. ibid. 18
An poſſint eſſe plures Patrini. ibid. 19
Vide *Miniſter*.

CONTRITIO.

Contritio in genere quomodo definiatur. 207. 1
Duplex eſt Contritio, alia perfecta, alia imperfecta, quæ vocatur Attritio. ibid.
Contritio perfecta ſignificat perfectam averſionem a peccato, quæ ſit ſufficiens, etiam ſine Sacramento, ad delendum peccatum. ibid.
Contritio perfecta procedere debet ex motivo perfectæ Caritatis. ibid. 2
Deteſtatio peccati procedens ex quocumque alio motivo inferiori non eſt Contritio ſufficiens ad juſtificationem extra Sacramentum. ibid. 3
Eſt actus elicitus a Caritate. ibid. 5
Quodnam ſit primarium, & principale diſcrimen Contritionis, & Attritionis. ibid. 7
Contritio perfecta non includit neceſſario amorem Dei formalem. ibid. 9
Includit propoſitum non peccandi in futurum. 208. 13
Regulariter habet adnexum propoſitum formale non peccandi. ibid. 14
An poſſit dari Contritio ſine propoſito formali. ibid. 16
Quomodo Contritio debeat deteſtari peccata ſuper omnia. 209. 19
Debet magis deteſtari peccata graviora, quam leviora; magis etiam peccata propria, quam aliena. ibid. 24
Non debet neceſsario cadere ſuper omnia peccata diſtincte recogitata. ibid. 21
Quanta debeat eſse Contritio quoad intenſionem, & durationem. 210. 34
Contritio quomodo ſit neceſsaria ad ſalutem. 211. 2
An ſufficiat Contritio virtualis incluſa in actu amoris Dei ſuper omnia. 213. 6
Contritio non eſt forma ex ſe formaliter juſtificans peccatorem. ibid. 8

Eſt

Eſt ultima diſpoſitio ad juſtificationem impii, ibid. 10

CRUX.

Debet eſſe in Altari tempore Sacrificii, 155. 18
Etiam in Altari, ubi eſt clauſum in Tabernaculo Sanctiſſimum Sacramentum, ſecus ſi illud ſit publice expoſitum, ibid. 19
An ſit neceſſaria, quando in Icone Altaris eſt depictus Crucifixus, vel quando pro Icone adeſt Crucifixus ſculptus, ibid. 20
Crux an debeat habere Imaginem Crucifixi, vel ſufficiat Crux ſine tali Imagine. ibid. 21
An ſit peccatum celebrare ſine Cruce in Altari. ibidem 18

D

DEFECTUS.

Defectus forte contingentes in Sacrificio Miſſæ, ſi ſunt ſubſtantiales, neceſſario ſuppleri debent. 189. 79
Hoc fieri debet ſine ſcandalo, & admiratione Populi. 190. 81
Defectus accidentales non debent neceſſario ſuppleri. ibid. 84
An qui non habet Hoſtiam poſſit celebrare cum Particula. ibid. 85
Quid faciendum, ſi Sacerdos ſit oblitus conſecrare Hoſtiam exponendam in Oratione XL. horarum. ibidem 86
An tunc poſſit Sacerdos ſumere Particulam, & conſervare Hoſtiam, poſtea exponendam. ibid.
An poſſit Parochus exponere Particulam conſecratam adjunctam Hoſtiæ majori non conſecratæ, ibid. 88

DISPOSITIO.

Diſpoſitio requiſita ad recipiendum effectum Euchariſtiæ, alia ſe tenet ex parte corporis, alia ex parte animæ. 82. 1
Diſpoſitio requiſita ex parte animæ, in quo conſiſtat. ibid.
Qui accedit ad Euchariſtiam cum peccato veniali, aliquando peccat venialiter, aliquando non. ibid. 2
Confeſſio eſt Communioni præmittenda. ibid. 9
Diſpoſitio requiſita ex parte corporis, in quo conſiſtat. 85. 1, & 89. 40
Vide *Jejunium*. *Euchariſtiæ diſpoſitio*.

E

ECCLESIA.

De via ordinaria nonniſi in Eccleſia, ab Epiſcopo conſecrata, ſeu benedicta, celebrari poteſt Miſſæ Sacrificium, 142. 1
In caſu neceſſitatis poteſt Sacerdos celebrare extra Eccleſiam: qualis ſit iſta neceſſitas. ibid. 2
Non poteſt celebrari in Eccleſia polluta. 151. 66
Poteſt Sacerdos proſequi Miſſam, ſi pollutio contingat poſt cœptum Canonem. ibid. 67
Quot modis polluatur Eccleſia. ibid. 68
Primo polluitur per homicidium voluntarium injurioſum, ſive fiat cum ſanguinis effuſione, ſive alio modo. ibid.
Non polluitur per homicidium caſuale, nec per homicidium factum ob meram defenſionem, nec per homicidium factum ab Amente. ibid. 68
Non polluitur, quando vulnus inflictum eſt extra Eccleſiam, quamvis mors ſequatur in Eccleſia. ibid.
Nec quando exiſtens in Eccleſia alium foris exiſtentem ſclopo occidit. ibid.
Nec ſi homicidium committatur ſuper tectum Eccleſiæ, aut in turri, vel campanili, vel ſi ſuſpendatur homo in parietibus Eccleſiæ a parte externa. ibid.
Quid, ſi vulnus mortiferum factum ſit in Eccleſia, ſed effuſio ſanguinis, aut mors in ea non ſequatur. ibid. 69
Violatur per occiſionem Martyris intra Eccleſiam. ibidem.
Secundo polluitur per injurioſam ſanguinis humani effuſionem. ibid. 70
Non violatur, ſi effuſio ſit modica, aut jocoſa. ibid.
Nec ſi Pueri rixantes ſanguinem ſibi ex naribus eliciunt. ibid.
Tertio violatur per mortiferam humani ſeminis effuſionem. ibid. 71
Delictum debet eſſe notorium, & publicum. ibidem 71
Quarto per ſepulturam Hæretici, aut Excommunicati. ibid. 72
Quinto per ſepulturam Pagani, aut Infidelis. ibid. 73
An polluatur per ſepulturam Pueri non baptizati. ibid.
Polluta Eccleſia polluitur Cœmeterium, ſed non e contra. ibid.
Eccleſia polluta indiget reconciliatione. ibid. 74
A quo poſſit reconciliari, & rebenedici. ibid.
An, & quando Eccleſia Regularium poſſit ab ipſorum Superiore rebenedici. ibid.
Quid in hac materia veniat nomine Eccleſiæ. ibid. 76
Vide *Locus Sacer*.
Eccleſia inſtituit Sacramentalia, eorumque Miniſtros deſignavit. 24. 2
Non poteſt mutare materiam Sacramentorum. 3. 20
Non mutavit materiam Matrimonii formaliter, ut eſt Sacramentum. 4. 28

EFFECTUS.

Effectus Euchariſtiæ, in quantum eſt Sacramentum, qui ſint. 65. 1
Vide *Euchariſtiæ effectus*.
In quantum eſt Sacrificium. 101. 1
Vide *Sacrificium*.

EPISCOPUS.

Epiſcopus conſecrat Altare pro Sacrificio Miſſæ. 152. 1
Et Vaſa Sacra. 157. 26
Habet privilegium celebrandi ex cauſſa itineris in loco non ſacro. 143. 3
Et etiam ante Auroram 140. 22
Non poteſt modo concedere Oratoria privata, bene tamen publica. 144. n. 9. & 14.

EUCHARISTIA.

Euchariſtiæ Sacramentum quomodo conſtet rebus, & verbis. 2. 14
Euchariſtia an fuerit inſtituta in ſtatu innocentiæ. 3. 19
An peccet mortaliter, qui Euchariſtiam miniſtrat in peccato mortali. 7. 26
Euchariſtiæ nomen unde dictum. 52. 1
Quomodo definiatur Euchariſtia, tum phyſice, tum metaphyſice. ibid. 2
Fuit inſtituta a Chriſto Domino in ultima Cœna facta cum Diſcipulis ſuis. ibid. 4
Ultima Cœna fuit celebrata Luna 14. Menſis primi ad veſperam. ibid.
Quomodo differat ab aliis Sacramentis. ibid. 5
Eſt unum Sacramentum in ſpecie infima totali, & adæquata. ibid. 6
Undenam ſumatur unitas numerica iſtius Sacramenti. 53. 10
Euchariſtia non eſt neceſſaria Parvulis, nec Adultis neceſſitate medii. ibid. 12
Diſcrimen Euchariſtiæ a Baptiſmo, & Pœnitentia. ibidem 15
Euchariſtiæ materia. Vide *Materia*.
Euchariſtiæ forma. Vide *Forma*.
Corpus, & Sanguis Chriſti vere realiter, & ſubſtantialiter continetur ſub ſpeciebus Panis, & Vini conſecratis. 61. 1
Chriſtus conſtituitur præſens in Euchariſtia, per tranſubſtantiationem. ibid. 3
Totus Chriſtus, non ſolum quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad quantitatem, & qualitatem continetur ſub qualibet ſpecie, & ſub qualibet parte ſpecierum. ibid. 5
Quomodo exiſtat Chriſtus ſub ſpeciebus. ibid. 6
Sub ſpeciebus Vini ponitur formaliter, & directe ſolum Sanguis Chriſti, & ſub ſpeciebus Panis ſolum Corpus Chriſti. 62. 8
Nomine Corporis intelligitur materia prima organizata formis partialibus ſubſtantialibus. ibid. 9
Sub ſpeciebus Vini ponitur Corpus per concomitantiam, & eodem modo ponitur Sanguis ſub ſpeciebus Vini. ibid. 10
Corpus Chriſti moveri poteſt localiter per accidens ab agente extrinſeco, motis ſpeciebus. ibid. 15
Non poteſt Chriſtus in Euchariſtia movere ſe ipſum localiter motu progreſſivo. ibid. 16
Non poteſt naturaliter pati ab agente extrinſeco. ibid. 17
Nec agere actione tranſeunte in alia corpora. ibid.
Non poteſt naturaliter videri ab oculo corporeo. 63. 19
An poſſit videri extenſum. ibid. 20
Incipit eſſe Chriſtus in Euchariſtia in ultimo inſtanti prolationis verborum. ibid. 21

Quan-

Quandonam deſinat. ibid. 22
Vinum conſecratum per mixtionem cum aqua amittere conſecrationem valde probabile eſt. ibid. 23
Non amittit conſecrationem per mixtionem cum vino non conſecrato. ibid. 24

EUCHARISTIÆ EFFECTUS.

Euchariſtia producit Gratiam ſanctificantem. 61. 1
Per ſe, & directe producit augmentum Gratiæ. ibidem 2
Poteſt per accidens producere primam Gratiam. ibid. 3
Poteſt facere de attrito contritum. ibid.
Non cauſſat in omnibus Gratiam æqualem. 66. 5
An ſpecie panis, & vini conferant majorem Gratiam, quam ſingulæ ſeorſim. ibid. 6
Cauſſat Gratiam, quando primo pars aliqua ſpecierum deglutita pertingit ſtomachum. ibid. 13
An producat majorem Gratiam quamdiu permanet in ſtomacho. 67. 15
Si ſpecies Euchariſtiæ miraculoſe ponerentur in ſtomacho ſine manducatione, an tunc cauſſarent Gratiam. ibid. 18
Remittit peccata venialia. ibid. 19
Præſervat a lethalibus. ibid. 20
Cauſſat dulcedinem, & delectationem ſpiritualem. ibid. 22
Nos unit cum Chriſto per vinculum ſpecialis amoris. ibid. 23
Non remittit per ſe pœnam temporalem. 68. 25
Euchariſtiæ Miniſter. Vide *Miniſter*.

EUCHARISTIÆ PRÆCEPTUM.

Datur præceptum Divinum ſumendi Euchariſtiam, graviter obligans omnes homines ratione utentes. 72. 5
An tale præceptum obliget etiam non baptizatos. 72. 6, & 75. 25
Obligat in articulo mortis, & pluries etiam in vita. 72. 8
Quanto tempore poſſit differri ſumptio Euchariſtiæ. 73. 10
Damnati ad mortem tenentur præcepto Divino ſumere Euchariſtiam. ibid. 11
Judices tenentur illis concedere tempus neceſſarium. ibid. 12
An teneatur communicare in periculo mortis, qui paucos ante dies communicavit. ibid. 14
An etiam, qui mane ejuſdem diei communicavit, poſſit, & teneatur iterum communicare. ibid. 18
Datur etiam præceptum Eccleſiaſticum obligans omnes Fideles Adultos. 75. 1
Quid intelligatur nomine Paſchatis, in quo tenentur Fideles communicare. 76. 2.
Qui omittit Communionem in Paſchate, an incurrat aliquam cenſuram. 77. 4
Pueri an teneantur communicare in Paſchate. ibid. 6
An ſaltem teneantur communicare in articulo mortis. ibid. 7
Vide *Pueri*.
An teneantur communicare Amentes, & habentes debilem uſum rationis. 78. 9
Quid dicendum de Energumenis. ibid. 13
Non ſatisfacit præcepto, qui communicat in peccato lethali. ibid. 17
Qui non communicavit in Paſchate, an teneatur communicare quamprimum poſt Paſcha. ibid. 18
Tenetur anticipare Communionem Paſchalem, qui prævidet futurum impedimentum. 79. 21
Communio Paſchalis fieri debet in propria Parochia. ibid. 23
Advenæ, & Pellegrini ubi debeant ſumere Communionem Paſchalem. ibid. 26
An ſatisfaciat præcepto, qui communicat in Eccleſia Cathedrali. ibid. 28
Quo jure teneantur Laici communicare ſub una tantum ſpecie. 80. 29
An liceat Laicis in aliquo caſu ſumere Sanguinem Domini abſque diſpenſatione. ibid. 31
Quam frequens debeat eſſe uſus Euchariſtiæ. 81. 33

EUCHARISTIÆ DISPOSITIO.

Ad ſumendam Euchariſtiam alia requiritur diſpoſitio quoad animam, alia quoad corpus. 82. 1
Qui accedit ad hoc Sacramentum cum peccato veniali, aliquando peccat venialiter, aliquando non. ibid. 2
Ad recipiendum effectum gratiæ, ipſiuſque augmentum, ſufficit ſtatus gratiæ. ibid. 4
An neceſſario requiratur actualis devotio. ibid.
Confeſſio eſt Communioni præmittenda. ibid. 9
In quibuſdam caſibus licitum eſt communicare cum ſola Contritione. 83. 11
Quandonam cenſeatur deeſse copia Confeſsarii. ibidem 12
Quid faciendum, ſi habeat peccata reſervata, nec ſit, qui poſſit ab illis abſolvere, an ſit præmittenda Confeſſio aliorum. ibid. 15
Quid, ſi habeat Excommunicationem reſervatam. ibidem 19
An dicatur carere Confeſsario, qui non habet Confeſſarium proprium, vel alium, cui poſſit devotius, & utilius confiteri. 84. 21
Quanta neceſſitas requiratur, ut quis poſſit communicare, non præmiſsa Confeſſione. ibid. 23
An ſufficiat periculum infamiæ, ſeu ſcandali. ibid.
An poſſit excuſari, qui jam ad linteum Menſæ Divinæ communicaturus acceſſit, & recordatur alicujus peccati obliti. ibid. 28
An, ceſsante ſcandalo, & infamia, debeat recedere a Sacra Menſa. ibid. 29
Sufficit neceſſitas Populi, ne maneat ſine Miſsa. ibidem 30
An Sacerdos poſſit celebrare ex obligatione Capellaniæ, aut Eleemoſynæ acceptæ cum ſola Contritione. 85. 32
Ad quid teneatur, qui, non præmiſsa Confeſſione, communicavit, aut celebravit. ibid. 33
Sacerdos, qui, non præmiſsa Confeſſione, celebravit, tenetur confiteri quamprimum. ibid. 34
Quamprimum, quomodo debeat explicari, & intelligi. ibid. 35
Quas perſonas comprehendat præceptum confitendi quamprimum. ibid. 37
Diſpoſitio requiſita ex parte corporis quænam ſit. ibidem 1
Qualiter requiratur jejunium. Vide *Jejunium*.
In quibus caſibus licitum ſit non jejuno Euchariſtiam ſumere. 87. 23
Licitum eſt non jejuno ſumere Euchariſtiam, ne Sacrificium maneat imperfectum. 89. 31
Si Sacerdos inadvertenter aquam poſuit in Calice. ibid. 32
Poſt ablutionem licitum eſt ſumere particulas forte relictas in Patena. ibid. 35
Pollutio an, & quando impediat Communionem. ibidem. 41
Quid dicendum de actu conjugali. 90. 45

F

FICTIO.

Sacramenta ficte ſuſcepta, an, remoto obice, reviviſcant, & cauſent gratiam. 22. 29
Quid intelligatur nomine Fictionis. ibid.
Fictio, alia eſt contra ſubſtantiam Sacramenti, alia ex parte diſpoſitionis, & hæc duplex; culpabilis, & inculpabilis. ibid.
Alia poſitiva, alia negativa. 23. 30
Fictio culpabilis tollitur per Contritionem, aut per Sacramentum Pœnitentiæ. ibid. 34
Ad tollendam fictionem inculpabilem ſufficit Attritio ſupernaturalis. ibid. 35
Quandonam ficte dicatur culpabilis, aut inculpabilis. ibid.
Vide *Sacramentum*.

FIDES.

Fides, qua parvuli juſtificabantur in Lege Naturali, non debebat neceſsario eſse formata caritate. 7. 21
Non erat neceſsaria Fides explicita Chriſti Redemptoris, ſed ſatis erat Fides implicita. ibid. 22
In Lege Nova non requiritur Fides in Miniſtro pro valore Sacramentorum. 17. 28
Ad valorem Baptiſmi non requiritur Fides ſupernaturalis in Adultis, ſed ſolum ad recipiendum fructum, & gratiam. 37. 13

FORMA.

In Sacramentis Novæ Legis verba habent rationem formæ. 2. 9
Illorum mutatio ſubſtantialis invalidat Sacramentum, non ſic mutatio accidentalis. 4. 29
Quænam mutatio dicenda ſit ſubſtantialis, ſeu accidentalis. ibid.

Mu-

Per mutationem idiomatis non mutatur ſubſtantialiter forma. ibid.
Mutatio per verba ſynonyma eſt accidentalis. ibidem 31
Quid dicendum, ſi verba ſunt æquivoca. ibid.
Per verborum tranſpoſitionem aliquando mutatur forma ſolum accidentaliter, aliquando ſubſtantialiter, prout variatio ſenſus eſt ſubſtantialis, vel accidentalis. ibid. 32
Verborum corruptio, detractio, vel additio eſt accidentalis, ſi non variant notabiliter ſenſum. ibidem 34
Forma Baptiſmi. Vide *Baptiſmi forma*.
Forma Confirmationis, quænam ſit. 48. 24
Invocatio explicita Sanctiſſimæ Trinitatis eſt de eſſentia iſtius formæ. ibid. 25

FORMA EUCHARISTIÆ.

Forma Conſecrationis Corporis Chriſti ſunt tantum illa verba: *Hoc eſt Corpus meum*. 59. 2
Mutatio ſubſtantialis invalidat Conſecrationem, non vero accidentalis. ibid. 6
Verba præcedentia Canonis non poſſunt omitti ſine peccato. ibid. 7
Nec poteſt ſine peccato omitti particula *enim*. ibid.
Incertum eſt, an ſit valida Conſecratio, ſi Sacerdos diceret: *Hæc eſt Caro mea*. 60. 9
Forma Conſecrationis Calicis, quæ ſit. ibid. 11
Illa verba: *Novi, & æterni Teſtamenti*, non ſunt eſſentialia. ibid.
Non poſſunt omitti ſine gravi peccato. ibid. 13
Verba Conſecrationis proferuntur recitative, & etiam enuntiative. ibid. 15
Non repugnat, eamdem orationem ab eodem proferri tam recitative, quam enuntiative. ibid. 17
Quid ſignificet pronomen *Hoc*, vel *Hic* in verbis conſecratoriis. ibid. 18
Non repugnat, eamdem materiam conſecrari pluribus formis ſimul. 61. 21
Quomodo verba proferri debeant ab Ordinato. ibidem 22

G

GRATIA.

Qualem gratiam conferant Sacramenta. 12. 29
Gratia Sacramentalis quid ſit, & in quo differat a gratia ſanctificante. ibid. 30
Datur ad obtinendos peculiares fines Sacramentorum. ibid.
Specialia auxilia non conferuntur omnia ſimul in ipſa actuali ſuſceptione Sacramentorum. ibid. 31
Quandonam conferantur. ibid.
Gratia amiſſa per peccatum recuperatur per pœnitentiam. 221. 75
Recuperatur tota, ſive homo reſurgat per Contritionem, & diſpoſitionem intenſam, ſive per remiſſam. 222. 77.
Gratia requiritur ad remiſſionem venialium, & quomodo. 217. 28

GRÆCI.

Græci non ideo ſunt Schiſmatici, quia conſecrant in pane fermentato. 54. 7
Conſuetudo Græcorum habet ſuam congruentiam. ibidem 8
Græci Sacerdotes tenentur conſecrare in pane fermentato. ibid. 9
Peccaret mortaliter Sacerdos Græcus, ſi conſecraret in azymo. ibid.
Nec etiam in caſu neceſſitatis, pro audienda Miſſa, vel communicando Infirmo, poteſt conſecrare in azymo. ibid. 10
Græcus apud Latinos tenetur celebrare more Græcorum, ſi ibi adſit Eccleſia Græca. ibid. 11
Græcus peregrinus apud Latinos, ubi non habet propriam Eccleſiam, poteſt conſecrare more Latinorum. ibid. 12
Si domicilium acquirat apud Latinos, nec ibi propriam habeat Eccleſiam, tenetur ſervare ritum loci, in quo acquirit domicilium. ibid. 13

H

HABITUS.

Habitus Virtutum Theologicarum ſunt ſupernaturales, & infuſi. 203. 38
Habitus Virtutis Pœnitentiæ eſt ſupernaturalis, & per ſe infuſus. ibid. 39
Proprie, & formaliter eſt in ſola voluntate, tamquam in ſubjecto proximo, & immediato. 204. 44
Poni poteſt in Chriſto, & Sanctiſſima Virgine, quomodo. ibid. 45
Fuit in Adamo in ſtatu Innocentiæ, & Juſtitiæ originalis. ibid. 48
Non remanet in peccatoribus, ſed deſtruitur cum deſtructione Gratiæ. ibid. 50
Simul cum Gratia de novo infunditur. ibid.
Remanet in peccatoribus habitus pœnitentiæ naturalis. ibidem.

HOMICIDIUM.

Per homicidium voluntarium factum in Eccleſia, remanet polluta. 151. 68
Vide *Eccleſia*.

HORA CELEBRANDI.

Hora celebrandi Miſſam eſt ab Aurora uſque ad meridiem. 140. 19
Nomine Auroræ quid intelligatur. ibid. 20
Vide *Tempus celebrandi*.

I

JEJUNIUM.

Jejunium naturale eſt diſpoſitio neceſſaria ad ſumendam Euchariſtiam. 85. 1
In quo conſiſtat jejunium naturale, & in quo differat ab Eccleſiaſtico. 86. 2
Quomodo, & quando violetur tale jejunium. ibidem 3
An frangatur tale jejunium, ſi quis, abluendo os, aquæ guttam deglutivit. ibid. 4
Quid dicendum de reliquiis cibi præcedentis diei forte remanentibus inter dentes. ibid. 5
Non frangitur, ſi quis reſpirando attrahat muſcam per os, aut nares, illamque trajiciat. ibid. 6
Non violatur, ſi deglutiatur aliquid, quod ex natura ſua non eſt cibus, nec comeſtibile. ibid. 7
Officula fructuum, fruſtra ligni minus ſolidi, papyrus, terra, & ſimilia, dubium eſt, an frangant jejunium. ibid. 8
Solvitur jejunium naturale per ſumptionem medicinæ. ibid. 9
Solvitur per ſaccharum, aut quid ſimile ori immiſſum, ſi deglutiatur. ibid. 10
An ſumptio Tabachi in folio, pulvere, vel fumo ſolvat jejunium naturale. Vide *Tabachum*.
An poſſit communicare, qui dubitat, an ſit jejunus. 87. 18
An, qui comedit uſque ad ultimum pulſum horæ duodecimæ. ibid. 21
Quid dicendum, ſi diverſa fuerint horologia. ibid. 22
In quibus caſibus liceat non jejuno ſumere Euchariſtiam. ibid. 23
Viaticum miniſtrari poteſt non jejuno. ibid.
Vide *Viaticum*.
Licitum eſt non jejuno ſumere Euchariſtiam, ne Sacrificium maneat imperfectum. 89. 31
Qui aquam poſuit in Calice loco vini, & deglutiet, tenetur, cognito errore, novum vinum conſecrare, & ſumere. ibid. 32
Si, facta purificatione, aliqua particula remanſit affixa palato, vel adhæſit Calici, poteſt Sacerdos novam ablutionem ſumere. ibid. 33
Idem valet, ſi poſt ablutionem reperiat in Patena aliquam particulam a ſe conſecratam. ibid. 34
An, poſt longam Communionem factam immediate poſt finitum Miſſæ Sacrificium, poſſit vaſa purificare, & fragmenta, quæ ſuperſunt, commedere. ibid. 35
Quid, ſi Sacerdos jam receſſit ab Altari, & reverſus in Sacriſtiam inveniat fragmenta in Patena, aut Calice, an poſſit illa ſumere. ibid.
Si, peracta Conſecratione, deficiat Sacerdos, debet alius Sacerdos, etiam non jejunus, Sacrificium perficere, & conſummare. ibid. 37

An Summus Pontifex aliquando diſpenſaverit, ut non jejunus communicare poſſet. ibid. 39
Videtur diſpenſare pro Cardinali celebrante in Sacello Pontificio in nocte Nativitatis. ibid.

INTENTIO.

Intentio in communi quid ſit. 17. 28
Recentiores Hæretici nullam requirunt intentionem in Miniſtro Sacramentorum. ibid. 29
Ad valorem Sacramenti non ſufficit in Miniſtro intentio faciendi ſolum actum externum. ibid. 30
Non requiritur intentio conferendi gratiam, & effectum Sacramenti. ibid. 31
Requiritur, & ſufficit intentio faciendi verum Sacramentum. ibid. 32
Quid ſit intentio actualis, virtualis, & habitualis. ibid. 34
Ad valorem Sacramenti non requiritur neceſſario intentio actualis, ſed ſufficit virtualis. 18. 35
Non ſufficit ſolum habitualis, & indirecta. ibid.
Intentio habitualis ſufficiens eſt ad applicandum Sacrificium. ibid. 38
In ſuſcipiente Sacramentum poteſt eſſe ſufficiens intentio ſolum habitualis, & indirecta. ibid. 39
Intentio conditionata ſub conditione de futuro non ſufficit ad valorem Sacramenti. ibid. 41
Cur talis intentio ſufficiat in Matrimonio. ibid. 42
Intentio conditionata ſub conditione de præſenti, vel de præterito eſt ſufficiens. ibid.
Sacramenta ſine cauſſa non ſunt miniſtranda ſub conditione. ibid. 43
Eſt peccatum ſolum veniale miniſtrare ſine cauſſa Sacramentum ſub conditione. ibid. 44
Abſolutio ab Excommunicatione dari poteſt ſub conditione, etiam de futuro. 19. 46
Ad valorem Sacramenti requiritur, ut intentio Miniſtri non habeat adjunctam aliam intentionem contrariam, prævalentem, aut æqualem. ibid. 48
Miniſter debet habere intentionem miniſtrandi Sacramentum perſonæ præſenti. ibid. 49
Uno excepto Matrimonio, alia Sacramenta valide miniſtrantur cum errore perſonæ. ibid. 50
An valida ſit Ordinatio Excommunicati, aut non habentis requiſita, quando Archidiaconus proteſtatur, Epiſcopum non habere intentionem illos ordinandi. ibid. 52
Deficiente intentione Miniſtri, Deus, & Eccleſia eam non ſupplet. ibid. 54
In Pueris, & perpetuo Amentibus non eſt neceſſaria intentio, ut recipiant Sacramenta, quorum ſunt capaces. 20. 1
In Adultis habentibus uſum rationis requiritur intentio ad valorem Sacramenti. ibid. 2
Qualis debeat eſſe intentio ſuſcipientis Sacramentum. ibid. 4
Qui chriſtiane vixit, præſumitur in morte habere intentionem recipiendi Sacramenta. ibid.
Intentio generalis, & interpretativa non ſufficit pro Sacramento Ordinis. ibid. 5
An illa ſufficiat pro Sacramento Pœnitentiæ. ibidem 6
Sufficit pro recipienda Euchariſtia. ibid. 4
Qualis intentio requiratur in ſuſcipiente Baptiſmum. Vide *Subjectum Baptiſmi*.

L

LAICUS.

Laicus in neceſſitate communicans, non præmiſſa Confeſſione, non per hoc tenetur, quamprimum poteſt, confiteri. 85. 37
Nec tenentur Sacerdotes confiteri quamprimum, qui communicant more Laicorum. ibid.
Non poſſunt Laici, extra mortis periculum, Euchariſtiam diſpenſare, nec etiam ex commiſſione Sacerdotis. 69. 14
Poteſt in extrema neceſſitate Euchariſtiam miniſtrare ſibi, & aliis. ibid. 17
Olim Euchariſtia dabatur in manus proprias Laicorum, qui ſe ipſos communicabant. ibid.
Et interdum per Laicos mittebatur ad Infirmum. ibidem.
Quonam jure Laici teneantur communicare ſub una tantum ſpecie. 80. 29
Utrum poſſint in aliquo caſu ſumere Sanguinem Domini abſque ſpeciali diſpenſatione. ibid. 31
Laici degentes in Monaſteriis Regularium poſſunt ibi

ſatisfacere præcepto Communionis Paſchalis. 70. 23
Et etiam per modum Viatici. ibid. 24, & 79. 24

LOCUS SACER.

Solum in Eccleſia, de via ordinaria, poteſt celebrari Miſſa. 142. 1
Epiſcopus an poſſit celebrare in quocumque loco decenti. 143. 3
Non poteſt concedere licentiam, ut in Oratoriis privatis, & Domibus Sæcularium celebretur. ibid. 7
Bene tamen in Oratoriis publicis. 144. 14
Regulares quænam privilegia habeant in Ordine ad locum celebrandi. 149. 54
An licitum ſit celebrare in Mari. ibid. 63
An ſit licitum celebrare in Eccleſia polluta. 151. 66
Vide *Eccleſia*.

LUMEN.

Ad Sacrificium Miſſæ requiritur lumen. 155. 15
Debet eſſe duplex, & ex cera. ibid. 16
In caſu neceſſitatis an ſufficiat unum. ibid.
An poſſit adhiberi lumen ex adipe, vel ſevo, vel etiam lucerna olei. ibid.
Tertia Candela accendenda tempore Conſecrationis non requiritur cum tanto rigore. ibid.

M

MATERIA.

Materia, & forma in Sacramentis Novæ Legis ſunt determinatæ a Chriſto. 3. 20
Quænam mutatio formæ invalidet Sacramentum. 4. 29
Vide *Forma*.
Materia remota Euchariſtiæ eſt ſolus panis triticeus, nec alius ſufficit. 53. 1
Panis confectus ex fructibus arborum, vel ex leguminibus, ex caſtaneis, hordeo, milio, eſt inſufficiens. 54. 3
Panis confectus ex furfure triticeo eſt inſufficiens. ibidem 4
Panis debet eſſe confectus ex aqua naturali, & ignis calore coctus. ibid. 5
Eſt materia inſufficiens panis dulciarius ex mele, lacte, vel oleo. ibid. 5
Maſſa cruda, aut friza oleo, ſeu butyro, vel aqua elixata. ibid. 6
Sufficit panis triticeus, ſive azymus, ſive fermentatus. ibid. 7
Congruentior eſt uſus Eccleſiæ Latinæ conſecrantis in azymo. ibid. 8
De neceſſitate præcepti Græci debent conſecrare in fermentato, & Latini in azymo. ibid. 9
Etiam quando in aliena Regione peregrinantur, ſi ibi habeant propriam Eccleſiam. ibid. 11
Materia conſecrationis Calicis. 55. 14
Vide *Vinum*. Vide *Aqua*.
Materia conſecranda debet eſſe ſenſibiliter præſens Conſecranti. 57. 31
Poteſt conſecrari materia aliqualiter diſtans; non tamen ſi diſtantia ſit notabilis. 58. 34
In quanam diſtantia poſſit conſecrari. ibid.
Debet eſſe determinata ſecundum intentionem Conſecrantis. ibid. 35
Irrita eſt Conſecratio, ſi ex decem Hoſtiis præſentibus Sacerdos intenderet ſolum conſecrare octo, illas non deſignando. ibid. 35
Si Sacerdos deferret duas Hoſtias ad Altare, putans eſse unam, utramque valide conſecraret. ibid. 37
Quid faciendum, quando particulis in Pixide conſecratis una, aut plures miſcentur non conſecratæ. ibid. 40
Poteſt valide, quamvis non licite, conſecrari qualibet magna quantitas panis, & vini præſens conſtituta. 59. 42
Poteſt etiam valide conſecrari qualibet minima quantitas, ſi ſit ſenſibilis. ibid. 44
Materia panis non deſtruitur per annihilationem, ſed per converſionem. 61. 4

MERITA.

Merita per peccatum mortificata, per pœnitentiam reviviſcunt. 220. 63

Reviviſcunt partim ex Divina miſericordia antecedenter præſuppoſita, & partim ex natura rei. 221. 70
Per pœnitentiam homo reſurgit ad majorem gratiam. ibid. 75
Accipit totam gratiam correſpondentem meritis præcedentibus, & aliam correſpondentem præſenti diſpoſitioni. ibid. 75

MINISTER SACRAMENTORUM.

Miniſter ordinarius Sacramentorum eſt ſolus homo viator. 15. 6
Ex ſpeciali diſpenſatione poteſt eſſe Angelus, & Anima ſeparata. ibid.
Ad valorem Sacramenti non requiritur neceſſario in Miniſtro fides, & gratia. ibid. 12
Peccatores valide Sacramenta conficiunt. ibid.
Miniſter ſollemnitatis peccat mortaliter, ſi conficiat, & conferat Sacramenta in peccato mortali. 16. 15
Miniſter neceſſitatis an peccet mortaliter, alii affirmant, alii negant. ibid. 16
Contrahens Matrimonium duplici titulo tenetur ſe conſtituere in gratia, ut Miniſter, & ut Suſceptor Sacramenti. ibid. 22
Diaconus, & Subdiaconus non peccant lethaliter, ſi miſtrant in peccato mortali. ibid. 24
An peccet mortaliter, qui miniſtrat Euchariſtiam in lethali, alii affirmant, alii negant. 17. 27, & 71. 30
De intentione requiſita in Miniſtro. Vide *Intentio*.

MINISTER BAPTISMI.

Miniſter neceſſitatis eſt quilibet homo compos rationis, ſive vir, ſive mulier, ſive fidelis, ſive infidelis. 31. 1
Præſente Sacerdote non debet baptizare Clericus inferior, nec, præſente Clerico, Laicus. 32. 2
An peccet Laicus, vel Clericus inferior, baptizans præſente Sacerdote. ibid. 3
An Laicus non excommunicatus, in caſu neceſſitatis, ſit præferendus Sacerdoti excommunicato. ibid. 5
Miniſter ſollemnitatis, & ex officio, eſt ſolus Sacerdos, & Parochus. ibid. 7
Laicus, & Clericus inferior peccaret mortaliter, & fieret irregularis, ſi ſollemniter baptizaret. 33. 8
Laicus, ſive Clericus privatim baptizans ſine neceſſitate, & ſine ſollemnitate, peccat, ſed non fit irregularis. ibid. 9
Sacerdos, ſive Regularis, ſive Sæcularis, baptizans extra caſum neceſſitatis, peccat graviter. ibid. 10
Diaconus ex commiſſione Parochi poteſt ſollemniter baptizare. ibid. 11
Hoc facere ſolum poteſt, interveniente rationabili, & neceſſaria cauſſa. 34. 12
Diſcrimen Diaconi a Sacerdotibus, & aliis Clericis inferioribus. ibid.
Valet Baptiſmus, ſi plures Miniſtri eumdem Puerum baptizent, tamquam cauſſæ totales, ſecus ſi id faciant, tamquam cauſſæ partiales. ibid. 14
An valeat Baptiſmus, ſi Truncus, aut Mutus baptizent Puerum in caſu neceſſitatis. ibid. 15
Idem Miniſter poteſt ſimul baptizare plures. ibidem 17
Nemo poteſt baptizare ſe ipſum. ibid. 18
An, & quatenus Baptiſmus poſſit conferri domi, ſine ſollemnitate. ibid. 19
An ſi deſit neceſſaria intentio in Miniſtro Baptiſmi, Deus eam ſuppleat. 35. 20

MINISTER CONFIRMATIONIS.

Solus Epiſcopus eſt ordinarius Miniſter Confirmationis. 48. 1
Simplex Sacerdos an poſſit eſſe Miniſter extraordinarius, ex delegatione Summi Pontificis. ibid. 2
An requiratur cauſſa, ut Pontifex talem facultatem concedat. 49. 4
Quænam conditiones requirantur in Epiſcopo ad licitam, & validam adminiſtrationem hujus Sacramenti. ibid. 6

MINISTER EUCHARISTIÆ.

Miniſter conficiens Euchariſtiam eſt ſolus Sacerdos rite ordinatus. 68. 1
Sacerdos eſt etiam Miniſter ordinarius diſpenſationis Euchariſtiæ. ibid. 2
Ad licitam miniſtrationem requiritur poteſtas Ordinis, & Juriſdictionis. ibid. 3
Sufficit licentia præſumpta. ibid. 4
Sacerdos graviter ægrotans poteſt ſuis manibus ſe ipſum communicare, ſi nullus alius adſit Sacerdos. ibid. 6
An poſſit idem facere Sacerdos ſanus. ibid. 7
An poſſit idem facere, præſente Diacono. ibid. 8
An poſſit Sacerdos ſe ipſum communicare extra Miſſam qualibet hora diei, ſi ſit jejunus. ibid. 9
Diaconus poteſt Euchariſtiam miniſtrare ex commiſſione Sacerdotis, non auctoritate propria. 69. 11
Requiritur neceſſitas ad hoc, ut Diacono committatur diſtributio Euchariſtiæ. ibid. 12
An idem facere poſſit Subdiaconus, Clericus inferior, vel etiam Laicus in extrema neceſſitate. ibid. 14
Probabilius eſt, illos in tali neceſſitate poſſe ſibi, & aliis miniſtrare Euchariſtiam. ibid. 17
An, & quatenus Regulares miniſtrare poſſint Euchariſtiam. Vide *Regulares*.
Quatenus peccet miniſtrans Euchariſtiam in lethali. 17. 27, & 68. 30
Quot peccata committat miniſtrans Euchariſtiam in lethali. 71. 33
An peccet Euchariſtiam miniſtrans ſine Superpelliceo, & Stola. ibid. 34
Quomodo poſſit Euchariſtiam miniſtrare Chiragra impeditus. ibid. 35
An poſſit Miniſter dare partem ſuæ Hoſtiæ communicare volenti. ibid. 36

MISSA.

Miſſa unde dicatur. 96. 11
In Miſsa offertur Deo verum, & proprie dictum Sacrificium. ibid. 13
In quanam actione conſiſtat Sacrificium Miſsæ. ibidem 18
Oblatio, & ſumptio Sacramenti ſunt partes ſolum integrales. 97. 22
An neceſsario requirat conſecrationem utriuſque ſpeciei. ibid. 26
Non poteſt Summus Pontifex diſpenſare, ut Sacrificium Miſsæ fiat in una tantum ſpecie. ibid. 30.
Vide *Sacrificium*.
An peccet mortaliter, qui Miſsam non celebrat, quam alteri liberaliter promiſit. 118. 14
Vide *Stipendium*.
Vide *Capellanus*.
Onera perpetua Miſsarum quatenus poſſint moderari, & ad minorem numerum reduci. 132. 41

MONSTRUM.

Non poteſt baptizari, ſi certo conſtet non eſse hominem. 35. 2
Satyrus conceptus ex Femina, & Bruto, baptizari non poteſt. ibid.
Si generetur ex Homine, & Bruta, poterit baptizari. ibidem.
Si dubitetur, an ſint duo, vel unus tantum, quomodo debeat baptizari. ibid. 4

N

NECESSITAS.

Alia eſt neceſſitas medii, alia præcepti; quid utraque ſit, & quomodo diſtinguantur. 14. 34, & 53. 11
Illa dicuntur neceſsaria neceſſitate medii, ſine quibus in re, vel in voto non poteſt haberi ſalus. ibid.
Suppoſita inſtitutione Sacramentorum in Lege Gratiæ, aliqua ſunt neceſsaria neceſſitate medii, vel in re, vel in voto; alia neceſsaria neceſſitate præcepti. 13. 36
Baptiſmus in re, vel in voto eſt ſimpliciter neceſsarius ad ſalutem neceſſitate medii. 26. 12
Eſt etiam neceſsarius neceſſitate præcepti Divini obligantis omnes Adultos. ibid. 14
Confirmatio non eſt neceſsaria neceſſitate medii ad ſalutem, nec neceſſitate præcepti. 28. 5
Euchariſtia non eſt neceſsaria ad ſalutem neceſſitate medii, nec Parvulis, nec Adultis. 46. 12
Illud dicitur neceſsarium neceſsitate medii ad ſalutem, quod eſt primario, & per ſe inſtitutum ad cauſſandam primam gratiam juſtificantem. ibid. 13
Euchariſtia non eſt ejuſdem neceſſitatis cum Baptiſmo, & Pœnitentia. ibid. 15
Qualis, & quanta neceſsitas requiratur, ut licitum ſit accedere ad Euchariſtiam, non præmiſsa Confeſsione. 84. 23

Qui

Qui in neceſſitate communicat, non præmiſſa Confeſſione, tenetur præmittere Contritionem. 85. 33
Pœnitentia, prout eſt dolor de peccatis commiſſis, eſt neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem. 211. 1

O

OBLIGATIO.

SAcerdos vi ſuæ Ordinationis habet obligationem gravem aliquoties celebrandi. 110. 2
De obligatione, quam habet Parochus celebrandi, & offerendi Sacrificium. Vide *Parochus*.
De obligatione Capellani. Vide *Capellanus*.
De obligatione orta ex liberali promiſſione. 120. 24

ORATORIUM.

Epiſcopus habere poteſt Oratorium privatum in ſua domo, ſive urbana, ſive ruſtica. 143. 5
Poſſunt in illo celebrari eadem die plures Miſſæ. ibid. 6
Olim poterant Epiſcopi concedere Oratoria in domibus privatis ſæcularium. ibid. 7
Hodie ſolus Summus Pontifex hujuſmodi Oratoria concedit. 144. 9
Poteſt Epiſcopus in aliquo caſu particulari, & ex juſta cauſa concedere, ut una, vel altera vice celebretur extra Eccleſiam. ibid. 12
Poteſt Epiſcopus concedere licentiam, ut celebretur in Oratoriis publicis. ibid. 14
Formula, qua concedi ſolent a Summo Pontifice Oratoria in domibus privatis ſæcularium. ibid. 15
Explicantur ſingulæ particulæ ejuſdem Formulæ. 145. 16
Quæ Nobilitas requiratur, ut quis poſſit obtinere Oratorium privatum. ibid. 17
An ſufficiat Nobilitas ex ſola Matre deſcendens. ibidem.
An ſufficiat Nobilitas ex privilegio, vel requiratur Nobilitas ex genere. ibid. 18
Privilegiatus habere poteſt Oratorium in quacumque domo, quam inhabitat, ſive ſit empta, ſive locata. ibid. 20
Oratorium privatum quomodo debet eſſe ornatum. ibid. 21
An poſſit inſervire pro aliquo uſu domeſtico. ibidem.
Poteſt iterum reduci ad uſum profanum, ex ſola voluntate Domini. ibid. 23
Debet viſitari, & approbari ab Ordinario loci, in quo erigitur. ibid. 24
Concurrentibus in tali Oratorio conditionibus requiſitis, non poteſt Ordinarius illud impedire. ibidem 25
Non poteſt Ordinarius datam licentiam revocare. 146. 26
Nec illam prorogare ad Heredes Privilegiati. ibidem 27
Mortuo Pontifice, non ceſſat privilegium Oratorii privati. ibid. 28
Una ſolum Miſſa celebrari poteſt in Oratorio privato. ibid. 29
Si duæ Familiæ habitent in eadem domo ſatis ampla, an poſſit quælibet habere ſuum Oratorium privatum. ibid. 31
Quibus diebus non ſit licitum celebrare in Oratorio privato. 147. 36
Sine præjudicio jurium Parochialium. ibid. 35
Quænam ſint jura Parochialia prohibita. ibid.
Quinam veniant nomine Familiæ, quæ virtute privilegii audire poteſt Miſſam in Oratorio privato. ibid. 38
An poſſit celebrari in præſentia Familiæ, abſente Domino. 148. 45
An poſſint Regulares in Oratoriis privatis miniſtrare Euchariſtiam. ibid. 47
Perſonæ non privilegiatæ non ſatisfaciunt præcepto, ſi audiant Miſſam in Oratorio privato. ibid. 50
Privilegiatus, ſi ſit infirmus, aut domi retentus, an teneatur audire Miſſam in ſuo Oratorio privato. ibidem 52

P

PANIS.

PAnis triticeus eſt materia neceſſaria Euchariſtiæ. 53. 1
Vide *Materia*.

PAROCHUS.

An debeat Euchariſtiam miniſtrare indigne petenti. 22. 20
Quandonam teneatur ſuis Ovibus Euchariſtiam miniſtrare. 70. 25
An illam teneatur miniſtrare tempore Peſtis. ibid. 27
Quando teneatur celebrare Miſſam. 114. 7
An teneatur pro ſuis Ovibus Sacrificium applicare. 115. 10
Quoties, & quibus diebus teneatur applicare pro Populo, ibid. 18

PARTICULÆ.

Particulæ conſecratæ debent eſſe in Altari toto tempore Canonis. 152. 8
Si deferantur aliquæ poſt Offertorium poſſunt conſecrari. 97. 32
Particula conſecrata, ſi miſceatur cum non conſecratis, quid agendum. 58. 40

PATRINUS.

Quid ſit Patrinus, & quam obligationem habeat. 41. 3
Patrinus in Baptiſmo non eſt neceſſarius neceſſitate Sacramenti, ſed neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici, 42. 4
Parochus ſollemniter baptizans ſine Patrino peccat mortaliter. ibid. 5
Patrinus debet eſſe unus tantum, ſive vir, ſive femina; vel duo, vir, & femina. ibid. 6
Patrini debent eſſe deſignati a Parentibus Baptizandi. ibidem.
Patrini, qui non fuerunt deſignati a Parentibus, nec a Parocho, qualiter contrahant cognationem ſpiritualem. ibid. 7
Requiritur, ut Puerum ſimul tangant. ibid. 10
Quænam conditiones requirantur ad exercendum munus Patrini, & cognationem ſpiritualem contrahendum, ibid. 11
Quæ Perſonæ prohibeantur eſſe Patrini. ibid. 14
Hæretici excluduntur. ibid.
Excluduntur a munere Patrini Abbates, & Monachi. ibid. 15.
Mendicantes, & alii Religioſi; an poſſint eſſe Patrini. 43. 15
Clerici Sæculares an poſſint eſſe Patrini. ibid. 17
Parentes non debent extra caſum neceſſitatis propriam prolem ſuſcipere. ibid. 18
Duo Conjuges ſimul an poſſint alienam prolem ſuſcipere. ibid. 19
In Confirmatione debet adhiberi Patrinus, qui debet eſſe unus, & non plures. 51. 18
Qualiter contrahat cognationem ſpiritualem. ibid. 19

PASCHA.

Datur præceptum Eccleſiaſticum, obligans Fideles ad ſumendam Euchariſtiam in Paſchate. 75. 1
Quid veniat nomine *Paſchatis*. 76. 2
Qui omittit Communionem in Paſchate, non incurrit ipſo facto aliquam cenſuram. 77. 4
Quinam teneantur communicare in Paſchate. ibid. 5
Qui non communicavit in Paſchate, an teneatur communicare poſt Paſcha. 78. 18
An teneatur anticipare Communionem Paſchalem, qui prævidet futurum impedimentum. 79. 21
Communio Paſchalis fieri debet in propria Parochia. ibid. 23
An fieri poſſit in Eccleſia Cathedrali. ibid. 27
Vide *Euchariſtia præceptum*.

PEREGRINUS.

Peregrini debent ſumere Euchariſtiam tempore Paſchatis in Parochia ſui Hoſpicii. 89. 26

POENITENTIA VIRTUS.

Unde dicatur Pœnitentia. 200. 1
An ſit Virtus. ibid. 3
Pœnitentia ſumi poteſt generaliter pro quacumque Virtute. ibid. 8
Et pro Virtute ſpeciali diſtincta ab aliis. 201. 10
Non eſt Virtus Theologica, ſed reducitur ad juſtitiam commutativam, tamquam pars potentialis. 202. 21
Illius objectum formale eſt Divinum jus læſum per offenſam, & reparabile per ſatisfactionem. ibidem 25
Quodnam ſit illius objectum materiale. ibid. 28
An ſit Virtus infuſa, vel acquiſita. 203. 39
Pœnitentia ſtricte ſumpta non fuit in Chriſto Domino, bene tamen ſi ſumatur in latiori ſignificatione. 204. 45
Fuit in Beatiſſima Virgine, & in Adamo. ibid. 47
Remanet in Beatis. ibid. 49
Actus pœnitentiæ, alii ſunt eliciti, alii imperati. ibid. 1
Actus eliciti a pœnitentia quinam ſint. 205. 2
Dolor, & deteſtatio peccati, quamvis pro eodem ſumantur, vere tamen inter ſe diſtinguuntur. ibidem 4
Pœnitentiæ Virtus eſſentialiter conſiſtit in actu deteſtationis peccati, prout eſt capax cauſſare dolorem pœnitentis. ibid. 6
Quomodo deteſtatio peccati ſit actus efficax, & abſolutus. 206. 12
Deteſtatio peccati poteſt eſſe ex motivo particulari, & ex motivo aliquo univerſali. ibid. 16
Contritio, & deteſtatio efficax peccati ex motivo aliquo univerſali, eſt univerſalis, & quomodo. ibidem 18
Non valet eadem ratio de peccato veniali. ibid. 19
Vide *Contritio*.
An, & qualis pœnitentia ſit neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem obtinendam. 211. 2
An detur præceptum aliquod ſpeciale Pœnitentiæ. 212. 13
Quandonam obliget tale præceptum. 213. 20
Non obligat ſtatim poſt commiſſum peccatum. ibid.
Obligat ſemel tantum circa eadem peccata. 214. 25
Quomodo pœnitentia debeat eſſe perpetua. 213. 21
Quo tempore obliget tale præceptum. 214. 29
Obligat non ſolum in articulo mortis, ſed etiam pluries in vita. ibid.
Et etiam pluſquam ſingulis quinquenniis. ibid. 30
Obligat ſemel ſaltem in anno. ibid. 32
Per pœnitentiam remittitur peccatum quoad totum reatum culpæ. 215. 2
Nullum eſt peccatum, quod vera pœnitentia non deleatur. ibid. 3
De potentia ordinaria numquam Deus unum peccatum mortale remittit ſine aliis. ibid. 7
An hoc facere poſſit de potentia abſoluta. ibid.
Remiſſa culpa, remittitur etiam pœna æterna. 216. 13
Non ſemper remittitur tota pœna temporalis. ibidem. 14
Peccata per pœnitentiam ſemel dimiſſa non redeunt, nec redire poſſunt per ſubſequens peccatum. 219. 15
An merita per peccatum mortificata, per pœnitentiam reviviſcant, & quomodo. 220. 63

PRÆSCRIPTIO.

An poſſint præſcribi onera Miſſarum. 121. 39
Onus Miſſarum an poſſit præſcribi contra Capellanum, ſeu contra Eccleſiam. 122. 41

PUERI.

An teneantur communicare in Paſchate. 77. 6
An ſaltem teneantur communicare in articulo mortis, etiamſi numquam communicaverint. ibid. 7
Quid, ſi dubium ſit, an habeant ſufficientem uſum rationis. ibid. 8

PYXIS.

Pyxis non debet conſecrari, ſed benedici benedictione ſimplici. 157. 29
Quinam poſſit benedicere. ibid.
Ex qua materia Pyxis eſſe debeat. ibid. 29
Quid faciendum, quando particulis in Pyxide conſecratis una, aut plures miſceantur non conſecratæ, quæ diſcerni non poſſunt. 58. 40

Q

QUANTITAS.

Quantitas in Euchariſtia remanet ſine ſubjecto ſubſtantiali. 64. 35
Quælibet magna quantitas panis, & vini præſens conſtituta poteſt valide, ſed non licite conſecrari. 59. 42
Poteſt etiam valide conſecrari quælibet minima quantitas, ſi ſit ſenſibilis. ibid. 44

R

REGULARES.

An poſſint eſſe Patrini in Baptiſmo. 37. 15
Poſſunt Fidelibus Euchariſtiam miniſtrare quocumque anni tempore in ſuis Eccleſiis. 69. 19
An, & quatenus illam poſſint miniſtrare in die Paſchatis Reſurrectionis. 70. 21
Illam poſsunt in die Paſchatis miniſtrare familiaribus, ſervientibus, & commorantibus intra Monaſteria. ibid. 23
Poſsunt illis miniſtrare Viaticum in periculo mortis. ibid. 24
An poſſint Euchariſtiam miniſtrare in Oratoriis privatis. 148. 47
Habent privilegium celebrandi ante Auroram, & poſt meridiem. 146. 26
Et in quocumque loco decenti. 149. 54
An poſſint celebrare in cameris ſuorum Infirmorum. ibid. 57
Poſsunt Prælati Regulares in ſuis Domibus, Collegiis, & in locis, ubi reſident aliqui Religioſi, privata Oratoria deputare. ibid. 61
Poſsunt Miſsas celebrare in Grangiis, & aliis locis Monaſterii. ibid. 62

RITUS CELEBRANDI.

Non peccat Sacerdos celebrando, matutinis Laudibus non recitatis. 170. 39
Nec ſi omittat preces ante, vel poſt Miſsam. 171. 42
Nec ſi omittat preces, quando ſe induit ſacris Veſtibus. 172. 43
Non poteſt Sacerdos in Miſsa adhibere Pileolum abſque diſpenſatione. ibid. 44
An id facere poſſit in gravi neceſſitate. ibid. 45
An ſemper neceſsario requiratur Miniſter, qui reſpondeat, & inſerviat Celebranti. 177. 47
Gravi urgente neceſſitate, an poſſit celebrari Miſsa ſine Miniſtro. ibid. 48
Miniſter debet eſse Vir, & non Femina. ibid. 49
Miſsa regulariter concordare debet cum Officio. 178. 50
Quibus diebus dici non poſſint Miſsæ Votivæ, vel *de Requiem*. ibid. 51
Prædictis diebus celebrari non poſsunt Miſsæ *de Requiem*, nec etiam ad Altare privilegiatum, nec pro adimplenda voluntate Teſtatoris. ibid. 54
Qui promiſit celebrare triginta Miſsas S. Gregorii, an teneatur eas dicere ſine interruptione, & omnes *de Requiem*. ibid. 56
An ſatisfaciat Sacerdos, ſi celebret Miſsam currentem pro Votiva, ſeu *de Requiem*. 179. 57
Miſsa non debet interrumpi, exceptis quibuſdam caſibus. 181. 63
Nihil addendum, vel omittendum in Miſſa. 188. 72
Defectus ſubſtantiales contingentes in Miſſa ſunt corrigendi. 189. 78
Quinam ſint defectus ſubſtantiales. ibid. 79
Defectus accidentales ſuppleri debent, quantum fieri poteſt. ibid.

Sa-

S

SACERDOS.

Sacerdos vi ſuæ Ordinationis an teneatur aliquando celebrare. 110. 2
Quoties, & quibus diebus teneantur celebrare. ibid. 4
An obligatus celebrare in Altari privilegiato ſatisfaciat alibi celebrando cum Medalia benedicta. 122. 49
Sacerdos exiſtens in peccato mortali celebrans ex neceſſitate abſque prævia Confeſſione, tenetur, quamprimum poteſt, confiteri. 85. 34
Vide *Miniſter. Miſſa. Sacrificium. Diſpoſitio.*
Sacerdos extra Miſſam communicans debet habere Stolam e collo pendentem. 160. 37
An ad id teneantur ſub mortali. ibid.
Sacerdos extra Miſſam adminiſtrans Euchariſtiam ſine Superpelliceo, & Stola peccat mortaliter. 71. 34
Peccat etiam, ſi adminiſtrat cum Superpelliceo ſine Stola. ibid.
Item, ſi adminiſtrat ſine lumine. ibid.
Excipe caſum extremæ neceſſitatis. ibid.
Sacerdos, qui Chiragra impeditus, nequit Euchariſtiam pollice, & indice miniſtrare, an id poſſit facere aliis digitis. ibid. 35
An poſſit Sacerdos Communicaturis partem ſuæ Hoſtiæ miniſtrare. ibid. 36

SACRAMENTUM.

Sacramenti nomen quot modis ſumatur. 1. 1
Sacramentum quid ſit. ibid. 3
Quot modis dicatur ſignum. ibid. 5
An debeat eſſe ſignum ſimilitudine repræſentans id, quod ſignificat. ibid. 6
Serpens æneus, Manna, & alia ſigna Veteris Teſtamenti non fuerunt Sacramenta. ibid. 4
Sacramenta Novæ Legis ſunt ſeptem. 2. 7
Conſtant rebus, & verbis, tamquam materia, & forma. ibid. 9.
Non eſt de neceſſitate Sacramenti, ſic componi ex rebus, & verbis, tamquam materia & forma. ibidem. 8.
Sacramentum Pœnitentiæ, quomodo conſtet rebus, & verbis. ibid. 11
Sacramentum Euchariſtiæ quomodo conſtet rebus, & verbis. ibid. 14
Quænam ſit materia proxima, & quænam remota Sacramenti. 3. 18
Quænam unitas, & ſimilitas requiratur inter materiam, & formam Sacramenti. ibid.
Habent Sacramenta materiam, & formam determinatam ex inſtitutione Chriſti. ibid. 20
Mutatio ſubſtantialis materiæ invalidat Sacramentum, non ſic mutatio accidentalis. ibid. 21
Quænam mutatio dicenda ſit ſubſtantialis in ſingulis Sacramentis. ibid. 22, & deinceps.
Mutatio ſubſtantialis formæ invalidat Sacramentum, non ſic accidentalis. 4. 29
Quænam mutatio formæ dicenda ſit ſubſtantialis. ibid.
Quot modis contingere poteſt mutatio formæ. ibid. 30, & deinceps.
In materia, & forma dubia an ſit licitum miniſtrare Sacramentum. 5. 38
An ſit licitum repetere formam ſuper eamdem materiam. ibid. 39
Quid ſit in Sacramentis res tantum, Sacramentum tantum, res, & Sacramentum ſimul. ibid. 40

SACRAMENTORUM EXISTENTIA.

Nulla de facto fuerunt inſtituta Sacramenta in ſtatu innocentiæ. 5. 6.
Matrimonium Adæ, & Evæ pro illo ſtatu non fuit Sacramentum. 6. 7
Non fuiſſent inſtituta Sacramenta, ſi duraſſet ille ſtatus innocentiæ. ibid. 9
Fuiſſent in illo ſtatu Sacrificia. ibid. 10
Status Legis Naturæ quanto tempore duraverit. ibid. 11
In ſtatu Legis Naturæ fuit inſtitutum remedium aliquod pro mundandis pueris a peccato originali. ibidem. 14
Remedium parvulorum fuit verum Sacramentum. ibidem. 15
Non fuit hoc remedium ſola fides interna Parentum. ibidem. 15
Non erat certa, & determinata cæremonia communis omnibus. ibid.
Quomodo Parvuli dicebantur juſtificari in fide Parentum. ibid. 16
Qualis eſſe debebat fides Parentum, an deberet eſſe formata Caritate. ibid.
An deberet eſſe fides explicita Chriſti Redemptoris. 7. 21
Illud remedium an fuerit ſolum pro Parvulis, vel etiam pro Adultis. ibid. 23
Fuerunt in illo ſtatu Sacrificia. ibid. 24
Incertum eſt, an fuerit inſtitutum aliquod aliud Sacramentum pro tali ſtatu. ibid. 25
In Lege ſcripta fuerunt inſtituta aliqua Sacramenta. ibidem. 26
Circumciſio fuit verum Sacramentum inſtitutum ad delendum peccatum originale. ibid. 28
Circumciſionis ritus quo tempore, quo loco, a quo Miniſtro, & quo inſtrumento fieri deberet. ibid. 30
Præter Circumciſionem fuerunt in Lege Veteri alia Sacramenta. ibid. 29
Quodnam remedium fuerit inſtitutum pro Fœminis. 8. 32
Sacramenta antiqua conveniunt univoce cum Sacramentis novis. ibid. 33
In Lege Evangelica convenienter fuerunt inſtituta ſeptem Sacramenta. ibid. 35
An, & quatenus ſit neceſſaria omnibus. ibid. 36

SACRAMENTORUM EFFECTUS.

Sacramenta Novæ Legis Gratiam conferunt non ponentibus obicem. 9. 3
Conferunt Gratiam ex opere operato. ibid. 5
Quid ſit conferre Gratiam ex opere operato. ibid.
Non cauſſant Gratiam phyſice, ſed moraliter. 10. 10
Sacramenta antiqua non cauſſabant Gratiam moraliter, ſed erant mera ſigna. ibid. 12
Sacramenta, quæ conſiſtunt in uſu, cauſſant Gratiam in ultimo inſtanti intrinſeco, in quo perficitur ſignificatio. ibid. 16
Quænam dicatur prima Gratia, quænam ſecunda. 11. 18
Baptiſmus, & Pœnitentia dicuntur Sacramenta mortuorum, & per ſe cauſſant primam Gratiam. ibid. 18
Alia Sacramenta, quæ dicuntur vivorum, per ſe, & directe cauſſant ſecundam Gratiam. ibid.
Poſſunt aliquando producere primam Gratiam, & quomodo. ibid. 19
Sacramenta diverſa non conferunt Gratiam æqualem. ibidem. 25
Sacramenta ejuſdem ſpeciei producunt æqualem Gratiam in ſubjecto æqualiter diſpoſito. 12. 26
Inæqualem in ſubjecto inæqualiter diſpoſito. ibid.
Quænam ſit dicenda melior diſpoſitio. ibid. 27
Præter Gratiam habitualem, & ſanctificantem conferunt aliam ſacramentalem. ibid. 30
Quid ſit Gratia ſacramentalis. ibid.
Sacramenta antiqua fuerunt ſigna Gratiæ collatæ ſuſcipienti Sacramentum. ibid. 32
Non cauſſabant Gratiam ex opere operato proprie dicto. ibid. 33
Sacramenta antiqua conferebant Gratiam ex opere operantis. 13. 37
Tria tantum Sacramenta Novæ Legis imprimunt Characterem. ibid. 2

SACRAMENTORUM CAUSSA.

Inſtituere Sacramenta auctoritate propria, & independenti, convenit ſoli Deo. 13. 2
Non poteſt convenire puræ Creaturæ, nec etiam de potentia abſoluta. ibid.
Omnia Novæ Legis Sacramenta fuerunt immediate inſtituta a Chriſto Domino. ibid. 3
Poteſtas inſtituendi Sacramenta convenit Chriſto Domino, ut eſt Homo per poteſtatem excellentiæ. ibid. 4
Quinam poſſit Sacramenta miniſtrare. Vide *Miniſter*.

SACRAMENTORUM SUBJECTUM.

Solus homo viator eſt ſubjectum capax Sacramentorum. 20. 1
Qualis intentio requiratur in ſuſcipiente Sacramenta. ibid. 2
Gravi urgente neceſſitate, ſeu utilitate, licitum eſt petere, & recipere Sacramentum ab indigno Miniſtro. ibid. 9
Sive ſit paratus miniſtrare, ſive non; ſive ſit ſpecialiter obligatus, ſive non. ibid.
Urgente neceſſitate, an ſit licitum recipere Sacramenta ab Excommunicato tolerato. 21. 22

Qui

Qui recipit Sacramenta a meliori Miniſtro non recipit majorem Gratiam. ibid. 13
Diſpoſitis non ſunt neganda Sacramenta. ibid. 14
Publico peccatori Sacramenta ſunt neganda. ibid. 16
Peccatori occulto, occulto petenti Euchariſtiam, non debet conedi; ſi petat publico, non debet negari. 22. 20
Numquam licitum eſt peccatori, etiam occulto, ad vitandam ipſius infamiam, miniſtrare Hoſtiam non conſecratam pro conſecrata. ibid. 26
Baptiſmus ficte ſuſceptus, remoto obice, reviviſcit, & cauſſat gratiam. 23. 31
Quomodo tolli debeat fictio, & obex Baptiſmi. ibid. 33
An alia Sacramenta pariter reviviſcant, amoto obice, & fictione. ibid. 39
Quantam gratiam producant Sacramenta, dum reviviſcunt. ibid. 35

SACRAMENTALIA.

Ad licite conficienda, vel miniſtranda Sacramentalia non requiritur ſtatus gratiæ. 22. 25
Non peccat Epiſcopus Sacramentalia exercens in peccato mortali. ibid. 26
Sacramentalia quid, & quot ſint. 24. 1
Sunt ab Eccleſia inſtituta ad honorem, & ornatum Sacramentorum. ibid. 2
Remittunt peccata venialia, & quomodo. ibid. 3
Illa remittunt ex opere operantis. 218. 41

SACRIFICIUM.

Sacrificium quid ſit. 97. 2
Quotoplex ſit Sacrificium. ibid. 7
Miſſæ nomen unde derivetur. 96. 11
In Miſſa offertur verum Sacrificium. ibid. 13
Quinam ſint Offerentes. 98. 1
Chriſtus Dominus eſt principalis Offerens, non ſolum remote, ſed etiam proxime. ibid. 3
Solus Sacerdos legitime ordinatus poteſt valide Miſſæ Sacrificium offerre. ibid. 4
Mediate omnes Fideles poſſunt dici Offerentes. ibid. 6
Poteſt offerri Sacrificium Miſſæ ſecundum diverſos reſpectus pro omnibus Viventibus. ibid. 7
Etiam pro Infidelibus non baptizatis. 99. 9
Et pro Cathecumenis, non ſolum quoad fructum impetrationis, ſed etiam quoad fructum ſatisfactionis. ibidem. 11
Pro Excommunicatis non poteſt Sacerdos nomine Chriſti, ſeu Eccleſiæ offerre. ibid. 14
Poteſt pro illis orare, tamquam perſona privata, & particularis. 100 19
Non poteſt offerri Sacrificium Miſſæ pro exiſtentibus in Inferno damnatis. ibid. 22
Nec poteſt offerri pro exiſtentibus in Cœlo Beatis. ibidem. 23.
Pro exiſtentibus in Purgatorio poteſt offerri Sacrificium, tum per modum ſatisfactionis, tum per modum impetrationis. ibid. 24
Illiſque prodeſt infallibiliter. 101. 26

SACRIFICII EFFECTUS, ET VALOR.

Sacrificium non confert immediate primam Gratiam ſanctificantem, ſed impetrat auxilia, & donum pœnitentiæ. 101 2
Non confert immediate remiſſionem venialium. ibid. 5
Remittit pœnas peccatis debitas ex opere operato. 102. 6
Valet pro conſecutione bonorum ſpiritualium, & temporalium. ibid. 7
Sacrificium Miſſæ ſimul eſt propitiatorium, & ſatiſfactorium, & impetratorium. ibid. 8
Sacrificium, prout eſt ſatisfactorium, habet effectum infallibilem, non ſic ut eſt impetratorium. 103 9
Effectus ſatisfactionis impeditus propter obicem peccati, an reviviſcat, ablato obice, res eſt incerta. ibid. 14
Major diſpoſitio offerentis confert ad majorem effectum ex opere operantis. ibid. 16
Major diſpoſitio illius, pro quo offertur, conducit ad majorem effectum. ibid. 17
Triplex eſt fructus, ſeu valor Sacrificii Miſſæ. ibid. 20
Valor Sacrificii Miſſæ eſt infinitus intenſive, quoad ſufficientiam, non quoad efficaciam, & in actu ſecundo. 104. 23
Eſt etiam infinitus extenſive, & æque multis, ac paucis prodeſſe poteſt. ibid. 28
Non ſuperflue multiplicantur Sacrificia pro eadem neceſſitate. 105 33
Non poſſunt accipi plura ſtipendia pro eadem Miſſa. ibidem. 34
Ad conſequendos fructus Sacrificii requiritur applicatio; quæ ſufficit, ſi ſit virtualis. 107. 2
Hanc applicationem facere debet Sacerdos ante Miſſam, vel ante Conſecrationem. ibid. 5
Tollenda eſt conſuetudo procurantium ſibi celebrari Exequias, & Miſſas Defunctorum, dum adhuc vivunt. 109. 20
An utilius ſit ſibi curare Miſſas celebrandas in vita, vel poſt mortem. ibid. 23

SPECIES SACRAMENTALES.

Sub ſpeciebus Sacramentalibus continetur vere, & realiter Corpus Chriſti. 61. 1
Quando incipiant, vel deſinat ibi eſſe. 63. 21
An deſinat ibi eſſe Corpus Chriſti, quando miraculoſe in ipſis apparet Caro, Sanguis, vel Puer. 64. 28
Quid facere debeat Sacerdos in hujuſmodi apparitionibus. ibid. 32
Species, & accidentia remanent ſine ſubjecto ſubſtantiali. ibid. 34
Quanto tempore durent in ſtomacho. 65. 39
Quanto tempore debeat præcavere a ſputis. ibid. 43
Quo jure Fideles teneantur communicare ſub una tantum ſpecie. 80. 29

STIPENDIUM.

Quo titulo poſſit accipi pro Miſſa. 123. 2
A quibus accipi poſſit. 125. 8
Non poſſunt accipi plura ſtipendia pro eadem Miſſa. ibidem. 7
Quid, ſi non detur ſtipendium integrum, ac lege taxatum. 126 9
An poſſit in aliquo caſu accipi majus ſtipendium pro applicatione in die Feſto. 127. 13
An pro applicatione fructus ſpecialiſſimi. 128. 15
Poteſt accipi ſtipendium pro ſimplici Officiatura, & alterum pro applicatione Sacrificii. ibid. 19
An poſſit idem Sacrificium applicari pro eleemoſyna, & alteri ex caritate. ibid. 21
Accipiens ſtipendium non poteſt Miſſam alteri tradere celebrandam, retenta ſibi parte ſtipendii. 130. 31
Peccat, qui, accepto ſtipendio, diu differt celebrationem Miſſæ. 131 38
Quænam dilatio dicenda ſit modica, ſeu longa. ibid. 39
Quid, ſi ſolutio ſtipendii differatur. 133. 49
An fieri poſſit compenſatio ſtipendii Miſſarum non ſoluti. ibid. 53

T

TABACUM.

AN ſolvat jejunium naturale, & impediat Miſſæ celebrationem, & Communionem. 86. 12.
Si ſumatur folium Tabaci in ore ad maſticandum. ibid. 14
Convenit ante celebrationem abſtinere ab illius ſumptione. 87. 17
Tabacum ſumere in Eccleſia, vel in atrio, an ſit peccatum mortale. ibid.

TEMPUS CELEBRANDI.

Singulis diebus, per ſe loquendo, licitum eſt celebrare Miſſam. 134. 1
Feria quinta in Cœna Domini an licitum ſit omnibus celebrare Miſſam. ibid. 2
Feria ſexta Paraſceves, & Sabbato Sancto non eſt licitum Sacerdotibus celebrare. ibid. 3
An ſit licitum illis diebus Communionem ſumere. ibid. 4
Si occurrat illis diebus Feſtum Annuntiationis, transfertur. ibid. 8
De via ordinaria ſemel tantum in die licitum eſt celebrare. 137. 11
Excipitur dies Natalis Domini. ibid. 12
Media nocte illius diei non poſſunt ſucceſſive celebrari omnes tres Miſſæ. ibid. 14
Nec dari Communio illa nocte poſcentibus. ibid.
Tempus ſtatutum pro celebratione eſt ab Aurora ad meridiem. 140. 19
Quid intelligatur nomine Auroræ. ibid. 20
Excipiuntur aliqui caſus. ibid. 22
Regulares quodnam habeant privilegium celebrandi ante Auroram, vel poſt meridiem. 141. 26

V E-

V

VENIALIA PECCATA.

Quomodo remittantur per pœnitentiam. 216. 20
An ſufficiat ſola Attritio ſupernaturalis. 217. 21
Ad remiſſionem venialium requiritur Gratia antecedenter, & concomitanter, non tamen formaliter. ibidem. 28
An venialia remittantur per Sacramenta, & Sacramentalia ex opere operato. 218. 37
Quomodo remittantur peccata venialia in alia vita. 219. 44
Quomodo remittantur venialia per Sacramentalia. 24. 3, & 218. 42

VESTES SACRÆ.

Ad celebrandum ſunt neceſſariæ, & quænam ſint. 160. 30
Debent eſſe benedictæ. ibid.
An ſit peccatum mortale celebrare ſine aliqua ex illis. ibid. 31
Non licet ſine illis celebrare, nec etiam ad vitandam mortem. ibid. 33
Ex qua materia eſſe debeant. ibid. 34

VIATICUM.

Viaticum dicitur Communio, quæ datur Infirmis in articulo mortis. 87. 23
Viaticum datur etiam non jejuno. ibid.
Poteſt pluries dari in eadem infirmitate, etiam non jejuno. ibid. 24
Quantum ſpatium debeat intercedere inter unam Communionem, & aliam, quando in eadem infirmitate ſumitur a non jejunis. 88. 25
Plures affirmant, poſſe Parochum non jejunum celebrare ad dandum Viaticum exiſtenti in articulo mortis. ibidem. 28

VINUM.

Vinum de vite eſt materia neceſſaria ad conſecrationem Sanguinis Domini. 55. 14
Ex malis granatis, ſeu pomis expreſſum non ſufficit. ibid. 15
Vinum cogelatum poteſt valide conſecrari. 56. 18
Vino conſecrando debet miſceri aqua ex præcepto Eccleſiæ. ibid. 19
Vinum conſecratum per mixtionem cum vino non conſecrato non amittit conſecrationem. 63. 24

Finis Primæ Partis Tomi Primi.